8

10
8-b
8

10
3 M
33

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

9
224

HISTORIAE HVSSITARVM

LIBRI DVODECIM

PER IOANNEM COCHLÆVM, ARTIVM AC SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRVM, CANONICVM Vratiſlauienſem: Operoſe collecti ex uarijs & antiquis, tum Bohemorum, tum aliorum codicibus, antea nunquam excuſis. Quibus adiuncti ſunt,

DVO DE SEPTEM SACRAMENTIS ET DE CÆREMONIIS ECCLESIÆ TRACTATVS DVORVM *Bohemorum, Io. Rokyzanæ, & Io. Przibram: Cum Philippica Septima Io. Cochlæi, De publica CAROLI V. Imperatoris Ordinatione, quæ uulgo INTERIM dicitur.*

Cum Indice & Correctorio in ſupradictos XII. *libros Hiſtoriæ Huſsitarum.*

EIVSDEM FORMÆ STYLIQVE ET CHARACTERIS, ædentur deinceps, Deo propicio, ab eodem Cochlæo, Commentaria De Actis & Scriptis Martini Lutheri.

Cum gratia & Priuilegio Sacrarum Maieſtatum, Cæſaris & Regis Rom. Duorum fratrum, Ad Septennium.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Apud S. Victorem prope Moguntiam, ex officina Franciſci Behem Typographi.

M. D. XLIX.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI DE HANGEST,

Epiſcopo & Comiti Nouiodunenſi, inter PARES *Franciæ in Chriſtianiſsimo Francorum Regno, tam Pietate ac Eruditione, quam Nobilitate opibusq; & potentia præcellenti atq; Conſpicuo. Domino ſuo Clementiſsimo, Ioannes Cochlæus Germanus.* S. P. D.

Reuerendiſsime Pater, Ampliſsime ac Illuſtriſsime Princeps, Domine Clementiſsime, iure mirari poterit Reuerendiſs. et Illuſtriſs. Celſitudo tua, qua fronte aut quo temeritatis auſu præſumam ego, infimæ ſortis homuncio, ad tantæ Nobilitatis & Amplitudinis Decus uel unam ſcribere literulam: homo ignobilis & alienigena, nulla fretus familiari notitia, nec præuijs commendatus officiorum aut obſequiorum ullis meritis meis. Sed deſinat, oro, mirari Celſitudo tua, ubi iuſtas intellexerit huius audaciæ meæ cauſas, Quas breuiter bona fide commemorabo. Etenim meminiſſe poterit D. R. T. colloquij, quod peracto prandio habuit Bononiæ, Nona die Octobris, Anni ſuperioris cum Reuerendiſs. Domino, D. OLAO Archiepiſcopo Vpſalenſi, patria Gotho, Primate Regni Sueciæ: qui iam XXVI. annis & ultra, propter fidem Catholicam ab Eccleſia & patria ſua exulat. Is inter cætera colloquij ueſtri uerba, de mea quoq; paruitate mentionem fecit, meosq; labores & conatus Pietati tuæ commendauit: idq; Celſitudini tuæ haud ingratum fuiſſe ſcribit. Hic igitur pro ſua erga me charitate author mihi eſt huius Nuncupationis meæ: licet hi libri nequaquam tales ſint, qui tantæ Dignitatis et Eruditionis Principi digne nuncupari queant. Scribit enim ille inter cætera, Amplitudinem tuam in Græcis et Latinis literis eruditiſsimam, & beatis (ut ait) moribus ornatiſsimam. Quare Pietatis tuæ fuerit, hanc audaciæ meæ culpam imputare, aut condonare potius, pio in Eccleſiam et fidem zelo conſtantiſsimi, et omnia aduerſa infracto animo tot iam annis patienter ac fortiter ferentis Archiepiſcopi huius: cuius monita pro ſynceriſsima in me benignitate ſua, merito ſunt mihi paterna iuſſa & indeclinabilia mandata. Accedit & alia cauſa, quæ me compellit, Celſitudini tuæ meam reuelare præſtita hac occaſione ſolicitudinem,

Olaus Archiepiſcopus Vpſalienſis Gothus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Fraudes et ſcandala à Typographorum diligentia.

ex zelo fidei & Chriſtianæ charitatis debito manantem: qua timeo florentiſsimo ac potentiſsimo Regno ueſtro, licet Chriſtianiſsimo per tot iam ſecula, á periculoſis ſtudijs & machinationibus hæreticorum. Qui non ſolum priuatis & occultis literis, ſimplices populorum animos, ſub Euangelij prætextu, ad impia nouarum ſectarum dogmata fraudulenter hortantur & ſolicitant: Verum etiam publicis et Euangelicis utriuſq; Teſtamenti libris, Per falſas præfationes & annotationes doloſe adornatis atq; fucatis, & á Catholico ſenſu detortis atq; peruerſis, ac Typographorum diligentia lucriq; cupidine elegantius excuſis, Orthodoxos ubiq; ſubuertere atq; a uera Eccleſiæ fide obedientiæq; debito abſtrahere nituntur. Huiuſmodi autem libros, non ſolum alibi excuſos, aliunde in Regnum ueſtrum per Bibliopolas important, ac publice uendítant: Verum etiam in celeberrimis Regni ciuitatibus per Typographos, ſiue Catholicos & fraudem non intelligentes, ſiue mente corruptos & iam dudum á fide auerſos, excudunt, & undiq; in populos latiſsimi Regni diſpergunt. Ne uero ſuſpicetur R. D. T. hæc in odium ſectarum á me fingi, referam pauca publici teſtimonij exempla, ex eo libello, qui ſub Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis, Louanij ante Triennium æditus eſt, autoritate iudicioq; et examine atq; atteſtatione Decani & totius facultatis Theologicæ, nō ſolum Latine: ſed etiam Germanice.

Præfatio Theologorum Louanienſium.

Verba eorum in Præfatione ſic habent. Ad profligandos ex inferiore hac Germania hæreticos errores, uarie iam pridē ſparſos, uiſum eſt Cæſareæ Maieſtati, inter alia hoc etiam profuturum, ſi de manibus populi excuterentur libri perniciosi, quorum hodie magna ubiq; copia eſt, Latini, Teuthonici, Gallici: præter illos quoq;, quos eadem Cæſ. Maieſtas Edictis ſuperioribus antea dānauerat. Nā eiuſmodi librorum lectione freti Laici, fortiter contemnunt poſtea & parochos ſuos, quamlibet ſyncere concionantes: Et Epiſcopos & Doctores ueteres, Nec horum ſingulos modo, ſed etiā uniuerſos: Atq; adeo Oecumenica etiam Concilia: ut ad ſanandum illos nullum ſuperſit ulterius remedium. Nam ſcripturarum ſacrarum non alium demum ſenſum recipiunt, quam quem hauſerint ſcilicet é libellis ſuis, quibus omnia omnium cedere uolunt. Quæ ſane populi intemperantia, niſi cohibeatur, fieri non poteſt, quin euadat tandem in Religionis Chriſtianæ certum apud nos interitum. Hæc illi in Præfatione.

Catalogus librorū utriuſq; Teſtamenti, fraude corruptorum.

In Catalogo deinde ita ſubiunguut. Librorū, quos ad Cæſareæ Maieſtatis iuſſum Theologi Louanienſes diligenter examinatos cenſuerunt interdicendos, Index. Et addunt. Primum locum dedimus Latinis Biblijs hoc ordine.

Biblia

Biblia impreſſa Pariſijs per Robertũ Stephani, annis XXXII. et XL. cum ipſorum Indicibus. Biblia impreſſa Antuerpiæ per Antonium Goinum, anno XL. cum Indice. Biblia impreſſa Lugduni per Henricum Sanore, anno XXXVI. cum Indice. Biblia impreſſa Lugduni per Gulielmũ Boulé, anno XXXVII. cũ Indice. Et enumerant adhuc Nouẽ alia Biblia, partim Pariſijs, partim Lugduni impreſſa, quæ interdicenda eſſe cenſuerunt. Quantũ uero periculorum, Chriſtianiſſimo Regno Frãciæ, ex tot Bibliorũ: Quæ per hæreticos et inimicos Eccleſiæ male fermentata, reprobiſq; interpretationibus, præfationibus item, & annotationibus deprauata ſunt: æditionibus enaſci queant (ut taceamus hic de ijs, quæ Gallice impreſſa ſunt, non ſolũ in Gallijs: ſed etiam in diuerſis locis Germaniæ) poterit R. D. T. conijcere & æſtimare ex Libri huius hiſtoriæ Primi uno exẽplo. Vbi Ioannes Hus paucos quoſdam Ioannis Vuiclephi libros, ex Anglica in Bohemiam aſportatos, in Bohemicam linguam tranſtulit, et in populum diſſeminauit: Tanta ſane cum pernicie, ut neq; ſummi Pontificis, ac Regis Vuenceslai autoritate, neq; Archiepiſcopi Pragenſis inſtantiſſima cura, & librorum prohibitione, atq; etiam combuſtione, potuerit, ſemel conceptum ex ijſce libris uirus hæreticæ prauitatis, ẽ cordibus hominum eradicari aut extingui. Quanquam nondum fuerat ijſce temporibus ars imprimendi libros inuenta.

Pericula Regni ab huiuſmodi libris.

Eſt præterea ſingularis mihi ad Celſitudinem tuam ſcribendi & nuncupandi hos libros cauſa, propter Ioannem Caluinum Nouiodunenſem: Qui ẽ patria profugus, homo eloquens & ſacrarum literarum in diuerſis linguis peritus, implacabilis S. Rom. Eccleſiæ oſor, inimicus, & calumniator: innumeros euulgat libros, contra Catholicam Religionem, pro defenſandis ac late propagandis nouarum ſectarum (in primis Zuinglianæ) Dogmatibus. Id quod facit indefeſſo ſtudio atq; labore, non ſolum Latinis, ſed etiam Gallicis elucubrationibus. Ita enim ſcribit de eo Conradus Geſner, Tigurinus, ſupra modum Zuinglianus, in ſua Bibliotheca, doctus medicus, & laborioſiſſimus librorũ perſcrutator. IOANNES (inquit) Caluinus Nouiodunenſis, natione Gallus, Geneuenſis Eccleſiæ fideliſſimus antiſtes, homo ueræ pietatis et raræ doctrinæ: Quibus nominibus omnes boni & eruditi plurimum ei debent. Deus Opt. Max. illum Eccleſiæ ſuæ diu conſeruet: quam ſubinde exemplo, ſermonibus, & ſcriptis promouere pergit. Intra paucos annos multa in lucem ædidit, quæ magno paſſim ſtudioſorum pietatis applauſu excepta ſunt, partim Latine ſcripta, quæ primum enumerabo: partim

Libri periculoſi Io. Caluini.

Conradi Geſneri uerba, in Bibliotheca ſua, de Caluino.

 Gallice,

Gallice, quæ poſterius: Licet uulgarium linguarum libros hoc in opere recenſere non propoſuerim. Latina hæc ſunt. Inſtitutio Chriſtianæ religionis &c. Gallica uero iſta. Inſtitutio religionis: in Gallicam linguam ab ipſo traducta ex Latina. De neceßitate reformandæ Eccleſiæ. De Cœna Domini. Catechiſmus excuſus Geneuæ Anno M.D.XLI. Precationum publicarum formula, cum ratione adminiſtrandi ſacramenta. Conſilium, qualiter uiuendum ſit inter Papiſtas, impreſſum Geneuæ Anno M.D.XLIII. Admonitio, quantum utilitatis rediret ad Chriſtianiſmum, ſi Inuentarium Reliquiarum conficeretur &c. Quam uirulentus uero ac ſuperbus Concilij Tridentini & Epiſcoporum Galliæ Cenſor & Contemptor ſit iſte Caluinus, R.D.T. facile intelliget ex paucis ipſius uerbis, quæ ſcripſit in ſua contra iam dictum Concilium præfatione. Reſpondeant (inquit) mihi bona fide patroni Cōciliorum, Si quis ordine ipſis omnes recenſeat, quotū quenque ex illis non contemnent? Immo cum ſe illi ipſi uenerandi Patres mutuo aſpiciunt, fieri non poteſt, quin eos ſui pudeat. Nam & ſibi noti ſunt, & quale ſit aliorum de ſe iudicium non ignorant. Proinde, ſi remoueas Concilij nomen, nihil niſi Quiſquilias fuiſſe quicquid illic Epiſcoporum fuit, totus Papatus fatebitur. Verum ſua alijs Nationibus ornamenta libet intacta relinquere. Gallos tantum meos rogabo, ut quam ipſi contulerunt portionem, iuſto precio æſtiment. Inter primaria Eccleſiæ membra, Galliæ ſane Regnum numerant. Illinc Duo adfuerunt Epiſcopi, Nenetenſis & Claromontanus: Ambo æque indocti ac ſtupidi. Aquenſem Archiepiſcopum inter Gallos uix numero. Agathenſis autem, ut ſolent curioſi homines, tanquam ocioſus ſpectator adfuit. Obſecro uos Galli mei, Quis ueſtrum ſibi perſuadeat, á ſpiritu ſancto profecta eſſe, quæ uel innumera talium hominum multitudo effutiuerit? Hæc ibi Caluinus. Ego quidem ad pauca quædam huius libelli eius uerba reſpondi, anno ſuperiore, cum eſſem hic alijs curis & occupationibus, præſertim librorum Doctiß. Iureconſulti, D. Conradi Brun, æditionibus intentus et præoccupatus: Totius autem libelli confutationem reliqui Doctißimo potius Theologo R. D. Ambroſio Catharino, Epiſcopo Minorienſi: Cuius uiri zelum eruditionemque et ingenij excellentiam, Celſitudini tuæ probe iam pridem cognitam eſſe non dubito. Tuam igitur Amplitudinem, non ſolum ut Epiſcopū & Comitem Nouiodunenſem: ſed etiam ut Parem Franciæ, de tantis latißimi potentißimique, et ſingulari Tituli antiqui honore Chriſtianißimi Regni ueſtri periculis: quæ ab hæretico-

Opuſcula Caluini, Gallice impreſſa.

Præfatio Caluini, cōtra Concilium Tridētinum.

In Galliarū Epiſcopos Caluini criminatio.

reticorum impijs ac inſidioſis fraudibus machinationibusq́ꝫ, præſertim ab huius Caluini profugi ueſtri libris, tum Latinis tum Gallicis, immi nere uidentur: reuerenter admoneo ac ſuppliciter oro, ut pro tua ſapientia & authoritate mature proſpiciat & ſuis conſilijs præcaueat, ne quid ſimile (quod Deus auertat) per ſuperiorum negligentiam aut diſsimulationem accidat in Regno ueſtro, quale per multa iam pridem in pulcherrimo Bohemiæ Regno, per unius hæretici practicas, accidiſſe, deplorãs potius quam exprobrãs, bona fide ex antiquis codicibus cõmemoraui. Quod ſi florentiſsimo Regno Bohemiæ tantum periculi turbationisq́ꝫ & exitij afferre potuit ex Anglia, per longiſsimam locorum diſtantiam, marisq́ꝫ intercapedinem, ac magna terrarum per tot prouincias interualla, unus homo Bohemus paucis quibuſdam Vuiclephi libris Latine ſcriptis (quos poſtea Io. Hus in uulgare Bohemicum tranſtulit) ſecum allatis: Quanto plus periculorum turbationumq́ꝫ et impietatum Chriſtianiſsimo Regno ueſtro inferri poterit ex propinquis & confinibus prouincijs, ab uno hoc Caluino (ut de multis alijs taceam) homine docto, qui per artem Rhetoricam ſtylo & ſermone admodum eloquens eſt, non Latine ſolum, ſed etiam Gallice: Et tanto quidẽ eloquentior Gallice, quanto plus poteſt naturalis & innata atq́ꝫ cum ipſo lacte imbibita lingua, quam per artem & diſciplinam quæſita. Magnopere igitur cauendum eſt nobis á periculoſiſsimis Caluini ueſtri ſcriptis fraudibusq́ꝫ et machinationibus, ne forte ſero & fruſtra dicatis et uos Galli, quod Przibram Bohemus dixit olim Petro Paynæ Anglo: Hæccine Regno huic reddis præmia, ultis Angliæ Refuga, et infœlix in huius regni terrã Transfuga: Et id genus pluri ma, quæ referre omnia longum foret. Bene ualeat R. & Ill. Celſ. tua Princeps Ampliſ. ac Domine Clementiſs. Moguntiæ ad S. Victorem in Rure XV. Calen. Martij, Anno Domini M.D.XLIX. In hiſt. lib. 6. pagina 231.

Argumen-

Argumentum Libri Primi Hiſtoriæ Huſsitarum.

1 Caroli Quarti Ro.Imp.& Regis Bohemiæ pietas & magnificentia,erga Patriam & cultum diuinum.

2 Florentiſsimum Regnum Bohemiæ, & Proſperitas gentis, ſub religioſo Principe.

3 Praga templis, Monaſterijs, Academia, Arce gemina, & ædificijs præcellentiſsima.

4 Caroli IIII.hiſtoria ab ipſo & de ſe ipſo ſcripta, quod in Gallia fuerit religioſe educatus.

5 Vuenceslaus eius filius natu maior, inutilis tam Imperio quam Regno per ignauiam fuit.

6 Sub Vuenceslao grauis fuit ruina, per Ioannem Hus, tum Academiæ tum Religionis.

7 Libri Vuiclephi Anglici per Io.Hus contra Clerum populo prædicati,& in uulgare Bohemicum translati.

8 Articuli 45. Vuiclephi,Romæ & Pragæ ſolenni examine damnati.

9 Eoſdem articulos ſpecialiter in Nigra Roſa damnauerunt Bohemi,præſente & conſentiente Io.Hus.

10 Practica Io.Hus contra Teuthonicos Magiſtros & ſcholares,quorum Duo Millia migrauerunt Lipſiam.

11 Diſsidium inter Clerum & Io. Hus,propter libros & hæreſes Vuiclephi.

12 Cantiones & diſputationes Laicorum, contra Archiepiſcopum & Clerum Catholicum Pragæ.

13 Proceſſus,Citationes & Bullæ è Roma contra Io.Hus,& earum irriſio atq; contemptus.

14 Epiſtolæ dehortatoriæ,una Gerſonis ad Archiepiſcopum, altera Papæ Ioan.XXIII. ad Regem Vuenceslaum.

15 Inſtrumentum Ioannis Hus per Notarium,de Triplici quæſtione, petulanter & maligne publicatum.

16 Epiſtola Doct. Stephani Paletz de obedientia ad Io. Hus.

17 Conſilium facultatis Theologicæ Pragenſis, pro extirpanda hæreſi Vuiclephi.

18 Conſiliũ Io.Hus & ſuorum, qui ſe Clerum Euangelicũ appellabant.

19 Conſilium Epiſcopi Lythomislenſis, reprobantis uenena Huſsitici Concilij.

20 Tres Laici, contradicentes in publico Bullæ Indulgentiarum,capite plexi & à Ioanne Hus Martyres dicti.

21 Repræhenſio inobedientiæ Ioannis Hus per duas epiſtolas Stephani Paletz,& Andreæ de Broda.

22 Conſilium

22 Conſilium Doctorum contra hæreſim Pragæ exortam.
23 Obiectiones Huſsitarum contra iſtud Concilium, per XVIII. articulos.
24 Reſponſio Catholicorum ad XVIII. articulos Huſsitarum.
25 Hus confiſus populo, ad omnia contumax, Clero Catholico tribulationes multas intulit.
26 Duæ rurſus Epiſtolæ Steph. Paletz & Andreæ Brodæ, Ioannem Hus increpantes.

Argumentum libri Secundi Hiſt. Huſs.

1 Concilium Conſtantiæ indictum, præcipue propter ſchiſma Trium Pontificum tollendum.
2 Regis Sigiſmundi ſolicitatio & inſtantia pro tollendo ſchiſmate, & extirpanda per Concilium hæreſi.
3 Ioannes Hus ſub ſaluo conductu Regis, uenit ad Concilium: Hieronymus de Praga, ſine ſaluo conductu.
4 Hieronymus Pragenſis fugiens, reductus eſt Conſtantiam & incarceratus.
5 Fuga Ioannis Hus è Conſtantia, qui à Bohemis reductus, Ioanni Papæ in cuſtodiam traditus fuit.
6 Depoſitiones teſtium contra Io. Hus, & ad eas callidæ reſponſiones eiuſdem.
7 Increpatio inobedientiæ Io. Hus per Steph. Paletz Pragæ prædicta.
8 Rex de ſaluo conductu Io. Hus culpandus non eſt, ſed magis ipſe Hus propter fugam è Conſtantia.
9 Pompa & intimatio Ioannis Hus, Pragæ & in itinere ſuo uſque ad Conſtantiam.
10 Practica Ioannis Hus pro acquirendis literis ac teſtimonijs Pragæ à Clero ad Concilium.
11 Teſtes multi contra Io. Hus in Concilio examinati, & tergiuerſationes Ioannis Hus in reſpondendo.
12 Incōſtans & ſibi ipſi cōtrarius Io. Hus circa articulos Vuicle.
13 Vuiclephi infiniti errores, & finalis impœnitentia, atque æterna damnatio.
14 Hus in quibuſdam articulis diſſenſit à Vuiclepho, præſertim de remanentia panis in Euchariſtia.
15 Quàm grauis peccator fuerit Ioannes Hus, ut ſanctus minime dici debeat.
16 Quinque rationes, cur grauius peccaſſe dicatur Io. Hus, quam Parricida, Paganus, aut Turca.
17 Quantis peccatis obnoxius fuerit Hus.

18 Maior

18 Maior nouorũ in Germania Huſsitarum impudentia, quam ueterum in Bohemia.

19 Piæ admonitiones Card. Cameracenſis & Regis Sigiſ. ad Io. Hus, ut reſipiſceret.

20 Technæ & calliditates Ioannis Hus, ad euadendum, in uerbis & libris ſuis in carcere ſcriptis.

21 Dies Iudicij, ſententiæ, degradationis & ſupplicij Ioannis Hus fuit ſexta Iulij, Anno 1415.

22 Io. Hus extra charitatem in hæreſi mortuo, nihil ad ſalutem prodeſſe potuit.

23 Non eſt igitur orandum pro eo, multo minus feſtum pro eo agendum.

24 Nemo enim unquam Inclyto Bohemiæ regno pernicioſior fuit, quam Io. Hus.

Argumentum Libri Tertij Hiſt. Huſs.

1 Alanus Epiſcopus cum altero Epiſcopo in Bohemiam miſſus à Concilio, propter exploranda dogmata.

2 Articuli 34. per Alanum excerpti, ex uno libro Io. Hus.

3 Epiſtola Concilij Conſtantienſis ad Epiſcopum & Clerum Vratislauienſem de Io. Hus.

4 XL. Claſſes articulorum de erroribus Io. Vuiclephi, licet plures poſuerit Io. Przibram.

5 Accuſationis contra Hieronymum de Praga Articuli enormes 24.

6 Præfatio eiuſdem Hieronymi, ante publicam Reuocationem ſuam præmiſſa.

7 Tenor Reuocationis eius, factæ in ſeſsione XIX. Die 24. Septembris, Anno 1415.

8 Hieronymus mente fluctuans, in hæreſim relapſus & pertinax, à Concilio iudicatus eſt Die 30 Maij, Anno 1416.

+ Lauſanenſis 9 Sermo + Laudenſis Epiſcopi acer & eruditus in Hieronymum illum, ut reſipiſceret.

10 Increpatio Duriciæ cordis & ſeditionis, Io. Hus & Hier.

11 Exprobratio Clementiæ & Audientiæ benigniſsime à Patribus Concilij eis exhibitæ.

12 Verba ſententiæ Concilij in Hieronymum illum latæ.

13 Vana gloriatio Huſsitarum de Epiſtola Poggij Florentini de hoc Hieronymo.

14 Turpe facinus huius Hierony. in ſua reuocatione contra Hus & Huſsitas.

15 Huſsitarũ damnatio & perplexitas per Hier. reuocationem

16 Perfidia & Gnatonica inconſtantia iſtius Hiero. contrà Chriſtum & Paulum.

17 Fucata fortitudo animi in hoc Hiero. maior etiam in Ethnicis & mulieribus inuenta eſt.

18 Dubia mens & miſera mors huius Hieronymi.

19 Falſa Apotheoſis Deorum Gentilium & Hæreticorum.

20 Pœnalis carcer, & ignis ſupplicium, huic Hieronymo ad ſalutem nihil profuerunt.

Argumentum libri Quarti Hiſt. Huſſ.

1 Mendaciorum plauſtra in Bohemiam è Concilio per Huſsitas relata

2 Querela cuiuſdam Bohemi contra prædas & tumultus Huſſitarum in Bohemia.

3 Literæ Sigiſmundi Regis ad Barones Bohemiæ, ne faciant coniurationes & noua fœdera.

4 Concilium ſcholæ Pragenſis, de communione Laicorum ſub utraq; ſpecie.

5 Reprobatio erroris, quo cibus & potus ſalutis uertitur in uenenum.

6 Concilij Conſtantienſis articuli XXIIII. ad reuocandos ab erroribus Huſsitas.

7 Conradi Archiepiſcopi Pragenſis mandatum contra ſuum ſuffraganeum, ne quis ordines ab eo reciperet.

8 Literæ ſecuritatis Concilio à Rege Sigiſ. datæ, iterum renouatæ ab eodem Conſtantiæ.

9 Tumultus Huſsitarum in Bohemia contra Eccleſias, atq; etiam contra Regem Vuenceslaum.

10 Epiſtola Martini V. Papæ recens electi, ad Barones & Armigeros Bohemiæ, contra exceſſus Huſsitarum.

11 Huſsitarum furor in deportatione Euchariſtiæ, præcipitantium ſeptem Senatores è Prętorio nouæ ciuitatis.

12 Obitus & ſepultura Regis Vuenceslai in Monaſterio Aulę regalis, quod ab Huſsitis deſtructum eſt.

Argumentum libri Quinti Hiſt. Huſſ.

1 Abſente apud Vngaros Rege Sigiſ. Conuenarum multitudo fecit ſibi Capitaneum Io. Ziskam.

2 Pugna crudelis Pragæ inter Catholicos & Huſsitas, circà pontem & arcis cliuum.

3 Rex Sigiſ. male neglexit Pragam, dum è Brunna prius Vratislauiam, quam Pragam, profectus eſt.

4 Pragenſes per calumnias rebellarunt Regi Sigiſ. & arcem proditione occuparunt.

5 Rex arce recuperata,& in ea coronatus,Pragam obſedit.

6 Ziska contra Regem Pragam defendit,& in ea pulcherrima templa & monaſteria deſtruxit.

7 Arma Ziskæ & Pragenſium contra Regem Sigiſ. circa arcem Vuiſſegradenſem,quam cum clade perdidit.

8 Bulla Indulgentiarum,quam Cruciatam uocant, à Martino V. contra Huſsitas ædita.

9 Concilium Pragenſe Huſsitarum, per XXII. articulos ,uice Reformationis poſitos.

10 Orta eſt inde perpetua inter Pragenſes & Thaboritas in religione diſſenſio.

11 XXIII.articuli Pragenſiũ Magiſtrorũ contra Thaboritas.

12 Literæ Huſsitarum ad Fridericum Marchionem Miſnæ contra Sigiſ. Regem.

13 Proteſtatio publica eorundem ſuper IIII. articulis,quos IIII. Veritates uocant,pro quibus uiuere & mori uolunt.

14 Epiſtola Huſsitarum ad Luſatiæ populos,ut non ſeparent ſe à corona Bohemiæ.

15 Accuſatio & querela Huſsitarum,de exceſsibus Regis Sigiſ. per XVII.articulos.

16 Duplex expeditio Catholicorum cõtra Huſsitas , ſed utraq; infœlix.

17 Impius et crudelis Ziska,in bellis aũt fortunatus & inuictus.

18 Seditio cruenta plebis Pragenſis,propter Ioannem Apoſtatam,Concionatorem à Senatu occiſum.

19 Vuitoldus ſeu Alexander,Lituaniæ Dux, à Bohemis in Regem uocatus fuit.

20 Dura obſidio Arcis,dictæ lapis Caroli,per Polonos & Huſsitas,quam liberauerunt quidam Germaniæ Principes.

21 Epiſtola Martini V. ad Vuitoldum,in qua prohibuit ei, ne Huſsitis opem ullam ferret.

22 Crudelis expugnatio urbis Duxæ per Huſsitas, quæ parebat Marchioni Miſnenſi.

23 Magna Miſnenſium, maxime Nobiliũ clades,per Ziskam uictorem prope Auſcham urbem.

24 Bellum inter Ziskam & Pragenſes,quod diremit Rokyzana,dum Ziska Pragam obſideret.

25 Ziska occulte reconciliatus Regi Sigiſ. peſte perijt , & diuiſus eſt eius Exercitus in duas partes.

26 Laus Ziskæ per Fulgoſum in re bellica à Victorijs, cũ fuerit ipſe omnino cæcus.

27 Ziska rei militaris peritiſsimus, ſuos nouam docēs pugnandi artem.

28 Vnicum Ziskæ laudabile bellum, quo extinxit Adamitas de nuditate gloriantes.

Argumentum libri Sexti Hiſt. Huß.

1 Huſsitæ in Tres exercitus diuiſi, graues & crudeles fecerunt excurſiones in Catholicos.

2 Eorum crudelitas in Lubanam Luſatiæ urbem expugnatam & incenſam.

3 Aduerſus eorū crudelia bella ſcripſit plurima Ioannes Przibram Pragæ.

4 Reuocatio multorum articulorum eiuſdem Przibram, maxime contra Thaboritas & Io. Vuiclephum.

5 Idem acerrime reprehendit Procopium Raſum, præcipuum poſt Ziskam bellatorem.

6 Idem in libro de iuſto bello maxime inuehitur contra illos Bellatores, qui è Regno Tyrannidem fecerunt.

7 Affectuoſa querela eiuſdem, de pulcherrimo Bohe. regno per hæreſes perturbato.

8 Diſputationes & Inuectiuæ eiuſdem contra Petrum Payne Vuiclephiſtam ex Anglia profugum.

9 Hiſtoricus Thaboritarum in laudem Vuiclephi multa contra Io. Przibram pro Petro illo retulit.

10 Multæ aliæ Huſsitarum crudeles excurſiones in Sleſiam, Luſatiam, Miſniam, atq; etiam in Franconiam.

11 Tres Germanorum exercitus Bohemiam ingreſsi, fœde fugerunt, & redierunt in Germaniam re infecta.

12 Altera Indulgentiarū Bulla per Martinum V. Papam, contra Huſsitas promulgata.

13 Epiſtola Iuliani Card. ad Epiſcopū Miſnenſem, de exequenda illa Bulla Apoſtolica.

14 Executionis Epiſtola per totam Diœceſim Miſnenſem.

15 Alia rurſus Germanorum cōtra Huſsitas expeditio infœlix.

16 Expeditio unius Alberti Ducis Auſtriæ, in Morauia plus effecit quàm tot Exercitus Germanorum.

17 Inchoato Concilio Baſilienſi, cœptum eſt agi cum Bohemis de concordia in fide.

18 Tractatus Oratorum Concilij Baſ. cum Bohemis in Egra, de ſaluo conductu eorum ad Baſileam.

19 Bohemorum Oratores ſplendide deducti Baſileam, & honorifice per Iulianum Card. excepti.

20 Oratio Rokyzanæ in Concilio ad Legatum Card. de conſolatione poſt afflictiones facta.
21 Audientia Bohemis data ſuper Quatuor ipſorum articulis per aliquot dies.
22 Reſponſiones Catholicorum ſuper eiſdem, & altera ad Bohe. oratio Legati, pro bono concordiæ.
23 Commemoratio plurium articulorum, in quibus Eccleſiæ contrarij erant Bohemi.

Argumentum libri Septimi Hiſt. Huſſ.

1 Coronatio Imp. Sigiſmundi Romæ facta ab Eugenio IIII. Rom. Pontifice.
2 Legati & Oratores Concilij & quorundam Principum, Pragam miſsi & honorifice ſuſcepti.
3 Querela Rokyzanæ, ſub perſona Bohemiæ, ad Legatos Concilij, & eorum reſponſio.
4 Dura reſponſio Bohemorum contra autoritatem Papæ & Conciliorum.
5 Procopij Raſi oratio, ad quam reſpondit acute Polomar Legatus Concilij.
6 Diuerſæ ad Bohemos aliorum quoque Legatorum Concilij Orationes.
7 Oratio Tockij ad Pragenſes in Prætorio, & Bernerij ad Magiſtros & Clerum Pragenſem.
8 Quatuor articuli à Magiſtris Pragenſibus oblati Legatis (Concilij.
9 Tota cauſa poſt uarios tractatus remiſſa ad Concilium, cum ſaluo Bohemorum conductu.
10 Bohemorum in Concilio propoſitio de forma uniendi, quę patribus uelut proterua diſplicuit.
11 Pilzina urbs Catholica à Thaboritis obſeſſa, & aliorũ Huſſitarum contra Procopium querela.
12 Forma concordiæ ſuper IIII. articulis, per Legatos Concilij Pragam reuerſos, Quæ Compactata dicuntur.

Argumentum libri Octaui Hiſt. Huſſ.

1 Diſcordia Pragæ excitata, inter ueterem & nouam ciuitates, per contrarios Concionatores.
2 Subſidium à patribus Concilij collectum, & Mainardo miſſum, in defenſionem Pilzinæ obſeſſæ.
3 Cruentum prælium Pragæ cõmiſſum, quo Thaboritæ nouæ Ciuitatis uicti fuerunt.
4 Cruentiſsimum prælium, quo Duo Procopij & ferociſsimus Thaborum exercitus, extincti ſunt.

5 Petrus

5 Petrus Anglicus ſuper Thaboritarum & Pragenſium Magiſtrorum diſputationes arbiter conſtitutus.

6 Thaboritarum practica & priuilegiorũ impetratio ab Aulicis Sigiſ. Imp.

7 Literæ Thaboritarum ſuper 4. arbitris ad concordandum cum Magiſtris Pragenſibus.

8 Scrupuloſa Bohemorum Dubia ſuper Compactatis & eorum declaratio per Legatos Concilij.

9 Compactata ab Huſsitis nunquam uere obſeruata fuerunt.

10 Copia mandati, quod Ambaſiatoribus Bohemis omnium Statuum nomine datum fuit ad plene concordandum.

11 Compactata Iglauiæ confirmata & per Legatos Concilij declarata, unitis & reconciliatis Bohemis.

12 Tenor diuerſarum literarum, Concilij, Imperatoris Sigiſ. & Alberti Ducis, & Bohemorum de concodia.

13 Obedientia per Rokyzanã nomine Cleri Huſsitarum publice præſtita Ro. Eccleſiæ coram Imp. Iglauiæ.

14 Pactiones inualidæ Sigiſ. Imp. cum Bohemis, quas nec Papa neq; Concilium ratificauit.

15 Imp. Sigiſmũdus Pragam ingreſſus, honorifice ab omnibus ſuſceptus, Clerum & ritus Catholicos reſtituit.

16 Rokyzanæ murmur & fuga, Coronatio Imperatricis in arce, & detecta contra Imp. conſpiratio.

17 Epiſtola Imp. cum Ambaſiatoribus Regni Bohe. ad Concilium Baſ. ut benigne audiantur.

18 Mandatum Vniuerſitatis Pragenſis, ſuis datum Oratoribus, ad petendum ſex articulos à Concilio concedi.

19 Determinatio Concilij de communione ſub utraq; ſpecie, promulgata in ſeſsione Triceſima.

20 Reſponſio Concilij ad Oratores Regni, qui plus petebant, quàm in Compactatis continebatur.

21 Diſceſſus Imperatoris Sigiſ. è Praga, & Teſtamentum atq; obitus eius, Znoymæ in Morauia.

Argumentum libri Noni Hiſt. Huſſ.

1 Ius ſucceſsionis ad Regnum Bohemiæ, competens Alberto Duci Auſtriæ.

2 Antiquum Priuilegium à Friderico II. Imp. Regno Bohemiæ conceſſum.

3 Priuilegium Caroli Imp. IIII. ſuper electione Regis Bohe. & Feudo ab Imp.

4 Albertus Dux Auſtriæ intra ſex menſes ad Tria regna electus & aſſumptus.
5 Ptatſco Baro Regi Alberto cõtrarius, à Rege Poloniæ Duo Milia Equitum contra Albertum recepit.
6 Bellum Alberti contra Ptatſconem & Polonos circa Thabor urbem.
7 Diſcordia inter Papam Eugenium IIII. & Concilium Baſ. in apertum ſchiſma erupit.
8 Inuectiua & querela Eugenij, contra Concilium Baſ. qui cum Orientalibus & Armenis fecit unionem.
9 Decretum Eugenij contra Conciliũ Baſ. factum in alio Concilio Florentiæ, præſentibus ibi Græcis.
10 Albertus rex è Buda exercitum ducens contra Turcas, Dyſenteria in reditu obijt.
11 Proteſtatio Electorum Imperij de Neutralitate, in diſcordia Eugenij & Concilij Baſ.
12 Concilium Baſ. in multis reprçhenſibile fuit, Antipapam ſibi eligens Ducem Sabaudiæ.
13 Caſſatio exactionum Quinti & Decimi Denarij, quibus uexabatur Clerus Germaniæ à Concilio Baſ.
14 Diſcordia inter Bohemos de nouo eligendo rege, nato Ladislao Alberti poſthumo.
15 Friderici III. Imp. pietas in defenſanda parte Ladislai infantis, apud Vngaros & Bohemos.
16 Septem articuli Huſsitarum Pragenſium, in prçiudicium Catholicæ partis in Bohemia.
17 Factiones Baronum Tres in Bohemia, propter fidem: Duæ in Vngaria, propter Duos Reges.
18 Vladislaus frater Regis Poloniæ, ab Vngaris in Regem electus, contra Turcas bellum gerens, in pugna Vuarnenſi perijt.
19 Epiſtola Friderici III. Imp. ad Papam Eugenium in commendationem Ladislai pueri, cuius erat Tutor.
20 Germanorum obedientia Eugenio reſtituta, reiecto cum Antipapa ſuo Concilio Baſ.
21 Bulla concordiæ inter Papam Eugenium & Germanicam Nationem.
22 Epiſtolę Duę Epiſcopi Merſeburgẽſis de obedientia, Papæ, & non Concilio Baſ. præſtanda.
23 Mandatum Friderici III. Imp. ut mortuo iam Eugenio, Nicolao V. reddatur obedientia, non Concilio Baſ.

Argu-

Argumentum libri Decimi Hiſt. Huſſ.

1 Miſſus à Nicolao V. Papa in Bohemiam Cardinalis S. Angeli Legatus, pro concordia & unione.

2 Propoſitio Bohemorũ Pragæ ad Card. Legatũ, cum longa narratione priorum tractatuũ, cum Cõcilio habitorum.

3 Reſponſio Legati de Archiepiſcopo dotando, & de Rege Ladislao recipiendo.

4 Reſponſio Huſsitarum, pro recipiendo in Archiepiſcopum Rokyzana: At Card. re infecta diſceſsit.

5 Conſpiratio Huſsitarum in Mainardum, quem capta per proditionem Praga Gyrziko cepit & incarcerauit.

6 Varij conuentus Baronum, & tractatus de concordia inter Gyrzikonem & Mainardi filium Vlricum.

7 Rokyzana diſcordiarũ auctor & promotor, publicam indixit toti Clero ſuo Proceſsionem propter captam Pragam à Gyrzikone, & Baronum inter ſe ſe diſcordiam.

8 Rokyzana cum Clero ſuo, uelut Bellonæ ſacerdotes, Gyrzikonem ad diſcordias & bella incitabant.

9 Gyrziko in Miſniam ducens exercitum, Geram expugnauit, Dominum loci cepit & incarcerauit.

10 Rokyzanæ Tyrannis contra Catholicos, qui Pragæ in peſte noluerunt ſub utraq; ſpecie communicare.

11 Oratio efficax Æneæ Syluij, qui à Cæſare ad Bohemos in Legatione propter Ladislaum miſſus erat.

12 Ioannes Capiſtranus Minorita miſſus à Nicolao V. Nuncius Apoſtolicus, admirandus uerbi Dei Prædicator.

13 Bulla Nicolai V. ad Io. Capiſtranum ſuper magnis ei conceſsis facultatibus, in negocio Huſsitarum.

14 Elegans & affectuoſa Epiſtola Caſimiri Regis Poloniæ ad Io. Capiſtranum, eum ad ſe inuitantis.

15 Rokyzanæ Epiſtola ad Capiſt. & illius reſponſio, ad diſputandum inter ſe de utraq; ſpecie.

16 Variæ ad inuicem eorum Epiſtolæ, & quædam Capiſtrani ad Gyrzikonem & ad Capitaneum Morauiæ.

17 Prolixa Capiſtrani commemoratio de ſuis prędicationibus per Italiam & Germaniam.

18 Increpatoria Epiſtola Gubernatoris et conſilij Bohemiæ ad Io. Capiſtranũ.

Argumentum libri Vndecimi Hiſt. Huſſ.

1 Splendidiſsima profectio Friderici III. Imp. in Italiam, ad accipiendam Romæ Coronam à Papa Nicolao V.

2 Elegans oratio Ladislai Regis in Conſiſtorio ad Papam, cum eſſet adhuc puer, annos natus XII.

3 Fridericus III. domum reuerſus, ab Auſtralibus obſeſſus, Ladislaum puerum eis reddere coactus fuit.

4 Nicolai de Cuſa Card. Legati ad Bohemos, ſuper Compactatis docta et prolixa Epiſtola.

5 Æneæ Syluij lamentabilis de capta à Turcis Cōſtantinopoli, et de uexatione Catholicorum in Bohemia, Epiſtola ad Nicolaum V.

6 Alia huius Æneæ Epiſtola ad Decanum & Capitulum Pragenſis Eccleſiæ, qui Pilzinæ exulabant.

7 Epiſtola Smirichei Baronis ad Ladislaum, prodita Gyrzikoni per Ciliæ Comitem, prodidit illius uitam.

8 Regis Ladislai ſplendida introductio per Bohemos, & eius Coronatio per Epiſcopum Olomucenſem.

9 Rokyzana à Rege contemptus eſt & odio habitus, qui Pragæ nouo ritu feſtum dedicationis inſtituit.

10 Regis diſceſſus è Praga, & per Vratislauiam reditus in Auſtriam, recepto in gratiam Comite Ciliæ.

11 Forma iuramenti, quod Papa Calixtus III. recens electus, ultro præſtitit de recuperanda Conſtantinopoli.

12 Atrox oppugnatio Taurini ſeu Albæ Græcæ per Turcas, quę defenſa fuit per Huniadē Gubernatorē Vngariæ et Capiſtranum, qui Crucę ſignatorum Dux erat.

13 Rex Ladislaus in Vngariam profectus, inuiſit Albam Græcam, ubi ab Hūniadis filio occiſus eſt Comes Ciliæ.

14 Contentio de loco nuptiarum, quæ Regi parabantur Pragæ, inſtante ac præualente Gyrzikone.

15 Epiſtola Calixti III. ad Ladislaum Regem, increpantis ac deteſtantis bellum inter ipſum & Cæſarem.

16 Epiſtola Æneæ Syluij ad Procopium de Rabenſtein, ne eligatur Datarius in Archiepiſcopum Pragenſem.

17 Ladislaus Rex poſt Triennium à ſui Coronatione Pragam reuerſus, Tres inde emiſit Legationes.

18 Splendidiſsima Legatio in Franciā ad deducendam ſponſam, filiam Caroli Regis Franciæ, Pragam.

19 Rex Ladislaus repente ægrotare cœpit poſt cœnam, & altera die obijt, Anno ætatis XVIII.

20 Varia argumenta & ſuſpiciones, de Veneno Regi dato.

21 Mathias Huniadis filius, Pragā captiuus è Vienna miſsus, ab Vngaris in Regem electus eſt.

22 Arcana fatorum inſcrutabilia, Ladislai funus & ſepultura, & multi dominiorum eius Tituli.

Argumentum Libri Duodecimi Hiſtoriæ Huſsitarum.

1 Congregatio omnium Regni ſtatuum Pragæ, de nouo eligendo rege, ubi multi apparuerunt Competitores.

2 Poſt uarias multorum ſententias, argumentis Rokyzanæ electus eſt in Regem Gyrziko Gubernator.

3 Gyrziko inunctus & coronatus eſt ſolenniter Pragæ, in Ecclesia Metropolitana à Duobus Epiſcopis Vngariæ.

4 Catholicorum populi in circumiacentibus Regni prouincijs, conqueſti ſunt de iſta electione, tanquam irrita.

5 Priuilegiū antiquū, Regno Bohemiæ à Friderico II. Im. datū.

6 Expeditio Regis electi, contra rebelles Regni ſubditos in Morauia & Auſtria.

7 Epiſtola omnium ſtatuum Regni Huſsitarum ad Principes & Populos Sleſiæ, ut Regi electo obediant.

8 Contentio inter Huſsitas & Catholicos in Regno, ſuper Adminiſtratore Eccleſiæ Pragenſis.

9 Duplex in hodiernum uſq; diem habetur Pragæ Adminiſtrator, unus pro Catholicis, alter pro Huſsitis.

10 Epiſtola Papæ Pij II. (qui fuit Æneas Syluius) ad Georgium Regē Bohe. uocantis eum amiciſsime, ad Dietam Mantuę indictam, ubi bellum communi conſilio Turcis inferendum eſſet.

11 Legatio Principum et ciuitatū Sleſiæ ad Papā, contra Regē Georgiū, de laudibus Sleſiæ. (pro ſeruāda pace.

12 Duę Epiſtolæ Pij II. una ad Sleſitas, altera ad Regē Georgiū

13 Duo Nuncij Apoſtolici ab eo miſsi Pragam ad Regem, & inde Vratislauiam, ut mediatores.

14 Epiſtola Regis Georgij, de compellendis ad obedientiam Clero & ciuitate Vratislauienſi.

15 Capitula Concordiæ inter Regem & Clerum ciuitatemq; Vratislauienſem.

16 Rex iſte fuiſſet optimus, ſi nunquam in conſilia ſua admiſiſſet Rokyzanam hæreticum.

17 Regis multiplex promiſsio obedientiæ, etiam per Legatos Romam miſſos.

18 Rex in plena Baronum & populorum congregatione declarauit ſe pro parte Huſsitarum, ſecundū Compactata: iraſcens in Papam, & interrogans, Bohemos utriuſque partis, quid facere uelint.

19 Fantinus Nuncius Apoſtolicus, liberrime coram omnibus in faciem dixit Regi mandata Papæ.

20 Fridericus III. Impe. Viennæ obſeſſus, à ciuibus & fratre ſuo, liberatus eſt auxilio Regis Georgij.

21 Acris Pij II. Epiſtola contra Georgium Regem, de inobedientia eius multa commemorans.

22 Vratislauienſes per Papam à promiſſa Regi obedientia abſoluti, in protectionem ſedis Apoſtolicæ ſunt recepti.

23 Epiſtola Regis Georgij ad Pium II. excuſantis ſe, & contra Vratislauienſes conquerentis.

24 Epiſtola Pij II. ad Imp. Fridericum III. declarantis, quod Rex Georgius ſeipſum ab Eccleſia ſeparauerit, ideoq; Rex inter Chriſtianos eſſe non poſsit: Proceſſus tamen in eum propter preces Imp. ad tempus ſuſpenderit

25 Mathias Rex Vngariæ per Papam & Imp. Rex Bohemiæ declaratus, ſeptem annis contra Regem Georgium bellum geſsit, & occupauit prouincias Regni Bohe. Morauiam, Sleſiam, & Luſatiam.

26 Magna animi moderatio in Rege Georgio, erga Conſiliarios ſuos Catholicos.

27 Rex Georgius cum regnaſſet annis XIII. per Duces Saxoniæ, affines ſuos, petijt à Papa abſolutionem: mortuus tamen eſt, antequam Oratores ex urbe abſolutionem reportauerunt.

28 Vladislaus frater Regis Poloniæ, Regnum Bohemię obtinuit, Mathias autem Rex Vngariæ receptas regni prouincias ſupradictas retinuit quam diu uixit: Cui & in Vngariæ regno Vladislaus ſucceſsit.

29 Huius filius Rex Ludouicus, Anno Domini 1526 in bello contra Turcas ſuſcepto perijt.

30 Huic ſucceſsit, multiplici iure ac titulo, in utroq; Regno, Princeps Nobiliſsimus ac Potentiſsimus, infans Hiſpaniarum & ArchiDux Auſtriæ &c. FERDINANDVS, Cui & Romanorum Regis per Electores Imperij Dignitas ſuperaddita eſt: ſicut antea contigerat Clariſsimo Auſtrię Duci ALBERTO, Sigiſmundi Imp. Genero, quem diximus ad Tria Nobiliſsima Regna intra Sex menſium tempus, legitimis electionibus aſſumptū fuiſſe. Multo tamen fœliciore diuinæ prouidentiæ fato regnat XXIII. iam annis in utroq; Regno Ferdinandus, quā regnauit Albertus, qui Duobus tantū nō integris regnauit annis.

IN

IN XII. LIBROS HISTORIÆ HVSSI-TARVM INDEX, PER IPSVMMET AVTOREM IOANNEM

Cochlæũ adiectus. Cum Ternis literis in ſingulas paginas: ut A primam, B mediam, C ultimam partem indicet. Atq; hoc modo lector, ſine moleſta quæritandi mora, cito ac facile inueniat, quicquid Index quærendum demonſtrat: Totiusq; operis ſummariam quarumlibet rerum, quæ in eo narrantur, cognitionem generatim accipere, ac uelut per Tranſennam conſpicere queat. Multa eſt enim in hiſce libris epiſtolarum geſtorumq; commemoratio, ex uarijs & uetuſtis exemplaribus collecta.

A

Abiuratio hæreſis per Hier. de Praga Conſtantiæ facta 130.A
Academia Pragenſis magnifice à Carolo IIII. erecta 4.B
Academiæ Lipſenſis erectio & fundatio 14.B
Academia hæc in Quatuor Nationes diuiſa. ibidem C
Acta Concilij Baſilienſis infructuoſa fuerunt 331.C
Actorum in Concilio Baſ. ratificatio per Eugenium PP. 344.B
Accuſare uitia in genere, non nominatim, poſſunt Prædicatores 55.B
Accuſationis contra Hieron. de Praga articuli 24. 123.C
Adamitarum ſecta per Ziskam in Bohemia deleta 218.C
Adminiſtrator Eccleſiæ Pragenſis duplex, Catholicus & Hußita 416.A
Adulteratores uerbi Dei hæretici 100.B
Æneæ Syluij teſtimonium de Ioan. Capiſtrano 366.C
Afflictio Catholicorum Pragæ tempore peſtis 363.A
Alani cum Io. Hus diſputatio unde conficta eſt 116.A
Alani uerba de Tranſſubſtantiatione 117.B
Albertus dux Auſtriæ, intra ſex menſes ad Tria regna electus 318.C
Albertus iſte contra Turcas profectus, Dyſenteria obijt 327.A
Albicus, arte medicus, Archiepiſcopus Pragenſis 29.B
Alexandri Papæ V. Bulla, ne Hus amplius prædicaret 19.A
Alſcio ſeu Alzo gubernator Regni electus 270.B
Ambaſſatores Concilij Baſ. ac Principum ad Bohemos 256.C
Ambaſſatores Regni ad Sigiſ. Imp. de Compactatis 289.B
Ambaſſatores Regni ad Nicolaum V. pro Compactatis 352.C
Ambroſij liberum r. ſponſum ad Imp. Val. de fide 340.C
Amedeus Dux Sabaudiæ in Concilio Baſ. factus Antipapa 330 C
Amedei & Cõcilij Baſ. mandata ſub Nicolao V. reſpuenda 348.B
Andreæ de Broda epiſtola contra Io. Hus ad Archiepiſcopum Suinconem 16.C
Andreæ huius increpatio per epiſtolam contra Io. Hus 42.B
Anglicus Petrus Payne Vuiclephiſta uictus à Przibram 231.A
Anglicus ille doctus Doctrinam Vuiclephi per compendium declarauit Ibid. B
Anglicus ille à Przibram duriter increpatus Ibid. C
Anglicus ille arbiter factus contra Thaboritas in quibuſdam pronunciauit 233.B
Anglicus ille in 4 articulis contra Thaboritas quædam ex Vuicleph probauit ibid.
Annus 1453. bellis funeſtiſsimus fuit 387.B
Apoſtolica ſedes contra iniuſtitias Principum imploranda 356.C
Apotheoſis uana olim Gentilium 150.C
Archiepiſcopatus magna eſt Dignitas, quæ ſufficienter dotanda eſt 354
Arcis Pragenſis traditio & reſtitutio 180.C
Artem bellandi ſingularem docuit ſuos Ziska 217.B
Armenorum Oratores ad Papam Eugenium IIII. Romam miſsi 323 C
Articuli 34. per Alanum ex libris Io. Hus excerpti 119. A
Articuli 23. Pragenſium Magiſtrorum contra Thaboritas 192.C

Articuli

Articuli 4. præcipui Hußitarum 199.A
Articuli 17. Hußitarum, de exceßibus Regis Sigiſ. 202.C
Articulorum 4. diſcußio, pro & contra, in Concilio Baſ. 250.A
Articuli 34. Vuiclephi à Iuliano Card. Bohemis propoſiti 253.C
Articulorum 4. declaratio æquior per Magiſtros ſtudij Pragenſis 265.C
Articulorum eorundem limitata declaratio in Compactatis 272.B
Articuli VII. Pragenſium, Compactatis contrarij 335.A
Articulorum horum reprobatio Ibid.C
Aſdrubalis uxor cum tribus filijs ſponte in ignes deſiliuit 147.C
Auſtrialium uis & fraus in pactis, contra Frid. III. Imp. 383.B
Authoritas Ro. Eccleſiæ, circa claues & Sacramenta 45.A
Auxentij Arriani malignitas contra Hilarium & Ambroſium 37.B
Auxentius iſte ſcripſit ſe Epiſcopũ Catholicum ad Imp. Ibid.

B

Baptiſmus non à miniſtro, ſed à Chriſto habet uim 54.B
Barbaræ, uxoris Sigiſ. Imp. obitus & ſepultura 364.B
Baronum Bohe. inter ſeſe tractatus de concordia 360.B
Baſilienſe Concilium diuturnum & ſine fructu 332 A
Baſilienſis Concilij Decretum pro alio Concilio indicendo 341.B
Baſilienſium patrum ridicula & contemptibilis arrogantia 342.A
Bellonæ ſacerdotes Rokyzana & ſocij eius 361.C
Bellum Hußitarum contra Marchionis Miſnæ Duo oppida 212.C
Bellum inter Pragenſes & Ziſcam 124.C
Bellum ut ſit iuſtum, multas requirit conditiones 222.C
Bellum Alberti Regis contra Ptaſconem & Polonos ad Thabor 320.A
Bellum inter Fridericum III. Imp. & Vngaros propter Ladislaum 339.A
Bellum à Georgio Rege Vratislavienſibus illatum 421.C
Bellicoſißimus fuit Rex Bohe. Georg. 439.B
Blaſphemiæ Procopij Raſi contra ſanctos Doctores 226.A
Bohemorũ ad Concilium Baſ. aduentus 247.B
Bonitas actus non à miniſtro eſt, ſed à Sacramentis 56.B
Bulla Indulgentiarum Io. XXIII. irriſa Pragæ 38.B
Bulla Cruciatæ contra Hußitas per Martinum Papam V. edita 193.B
Bulla Indulgentiarum altera eiuſdem Papæ, per Iulianum Card. 236.C
Bulla Eugenij de concordia poſt ſchiſma Baſilienſe 343.C
Bulla aſpera Pij II. contra regem Georgium Hußitam 430.A

C

Calixti III. Papæ uirtutes, & contra Turcas iuramentum 396.A
Calixti huius iuramentũ, pro recuperanda Conſtantinopoli Ibid.B
Calixti eiuſdem epiſtola ad Ladislaum regem reprehenſoria 401.A
Callidum reſponſum Io. Hus ad dicta teſtium 105.C
Calumniæ Hus & complicum eius de uerbo Dei contra Papam 23.C
Calumnia Io. Rokyzanæ & ſociorum eius in Io. Capiſtranum 373.C
Canonicorum & Monachorum reſtitutio Pragæ per Sigiſ. Imp. 302.B
Caput eſt Papa etiã malus, ratione officij, ſicut Saul Rex 56.A
Caput miniſteriale Eccleſiæ eſt Sedes Apoſtolica 372
Carolus Imp. IIII. beneficus Rex Bohemiæ 1.A
Carolus iſte religioſißimus diuini cultus amplificator Ibid.C
Caroli huius magnificentia in ſtructuris templorum 2.C
Caroli huius proſperitas in omnibus rebus Bohemiæ 3.C (4.C
Carolus iſte ualde nobilis & Clarus Princeps
Carolus iſte nepos Imp. Henrici VII. fuit. Ibid.
Caroli huius religioſa educatio in Francia 6.B
Caruaial Card. Legatus à Nicolao V. ad Bohemos 349.C
Caſſatio impoſitionis Quinti & Decimi Denarij in Clero Germaniæ 331.A
Catholicorum uexatio in Bohemia ſub Gyrzihone & Rokyzana 389.B
Catholicorũ ad Georgium regẽ, fortis de Compactatis reſponſio 428.A
Catalogus exceſſuum per Hußitas in Bohemia 173.B
Cathedra Petri quid eſt 58.C
Cauſa diſſenſionis in Clero Bohemiæ, hæreſis fuit 60.B

Cauſa tota concordiæ è Praga per Oratores ad Concilium Baſ. relata 267.A
Cenſuræ & proceſſus contra regem Georgium ad tempus ſuſpenſi 432.C
Chirographum reuocationis Hieronymi de Praga 130.B
Citatio Concilij ad Hieron. de Praga 70.C
Cleri pars, nouarum rerum cupida, Ioanni Hus adhæſit 16.B
Clerus ille ſeipſum dixit Clerum Euangelicum 51.A
Cleri Catholici deſpoliatio in cenſibus & Decimis 62.C
Clerus miſerrime uexabatur & à Laicis & ab Hußitis Clericis. 63.B
Colloquium Æneæ Syluij cum Gyrzikone per interpretem 365.A
Comes Ciliæ Vlricus repente ex Aula Ladislai Regis eiectus 391.B
Comes Ciliæ reuocatus in Aulam Regis Viennæ 394.B
Communio Laicorum ſub utraq; ſpecie Pragæ inſtituta 41.C
Communionis huius limitatio in Compactatis 271 C
Cõmunionis huius extenſa declaratio 290.B
Communionem paruulorum petijt Vniuerſitas Pragenſis à Concilio 3[illegible]8.A
Commiſſarij 4. à Cõcilio deputati ad cauſam Io. Hus 70.B
Compactata, inter Concilium Baſ. & Bohemos concepta 271.A
Compactata illa nunquàm ſunt ex integro ſeruata 287.B
Compactata in uarijs locis tractata & diſputata 288.B
Compactata docte declarata à Legatis Concilij 289.B
Compactata, Hußitarum ſchiſma non excuſant 309.C
Compactata quid proſint Bohemis, Io. Capiſtranus declarat 376.A
Compactata, non recte declarari Bohemis à ſuis magiſtris 385.C
Concilium prouinciale in Anglia contra Vuiclephi. Londonij 8.B
Concilium Conſtantienſe, non propter Hus principaliter, ſed propter ſchiſma tollendum, celebratum ſuit 67.C
Concilij huius inchoatio, ſeßiones & celebritas 69.B
Concilij Conſtantienſis 24. articuli, pro extirpanda hæreſi 165.C
Concilium Pragenſe Reformationis per 22. articulos 186.C
Concilij Baſilienſis inchoatio per Iulianũ Card. 244.B
Concilium fornax & caminus ſpiritus ſancti dicitur 252.C
Concilium Baſ. poſt tranſlationem factam, pro hæretico habendum 326.B
Concilium Baſilienſe poſt tranſlationem factam eſt Conciliabulum 329.C
Concilij Baſil. arrogantia contra Eugenium IIII. 330.A
Concilium Baſ. reprehenſibile Ibid.B
Concilij Baſ. acta in irritum ceciderunt Ibid.C
Confeſſores deputandi ad exercitum pro Cruce ſignatis 185.C
Conſilium Theologorum Pragenſium contra nouam hæreſim Io. Hus. 29.C
Conſilium iſtud per Regem in Edicti formam redactum 44.C
Conſilium Vniuerſitatis Pragenſis, pro utraq; ſpecie ſacramenti 159.C
Conſilium hoc doloſum, cibum ſalutis uertit in uenenum 163.C
Conſilium Card. Legati ad Bohemos, pro Rege Ladislao 255.B
Contraria mandata inter Eugeniũ IIII. & Concilium Baſ. 327.C
Controuerſia grauis inter Gyrzikonem & Morauiæ Capitaneum 404
Contentio de adminiſtratione Eccleſiæ Pragenſis 415.B
Conuentus Oratorum cum Bohemis ad Egram 246.A
Coranda presbyter Hußita Regem à periculo liberauit 172.B
Coronatio Imperatricis ad Regnum Bohe. in arce Pragenſi 303 B
Correctio duplex, una ex autoritate, altera ex charitate 56.C
Credimus Papam & Papæ, ſed non in Papam 26.A

D

Declaratio Principum pro obediẽtia Nicolao V. præſtanda 345.C
Declaratio Friderici III. Imp. pro obedientia tam dicta 347.A
Decretum Papæ Ioannis XXIII. Romæ in Concilio contra Hus 20.C
Decretum Eugenij IIII. contra Concilium Baſilienſe. 325.B
Defenſio Sigiſ. Imp. à calũnioſis articulis Hußitarum 205.B
Degradatio Io. Hus per VII. Epiſcopos facta 110.C

Diligentia patrum Conſtantiæ, ut Hus reſipiſceret 75.C
Diſceßio iniqua Bohemorum à communi Eccleſia per nouitates 261.C
Diſceſſus Sigiſ. Imp. ægrotantis, é Praga uerſus Vngariam 312.B
Diſcordia inter Pragenſes & Thaboritas Clericos 191.C
Diſcordia inter duos Concionatores, Rokyzanam & Lupum 275.A (319.B
Diuiſio inter Barones Bohe. de Rege Alberto
Duces bellorũ infortunati ſunt Cardinales & Epiſcopi 243.C
Dux Burgundiæ Philippus eligendus in Ducem belli contra Hußitas 245.A

E

Eccleſia in determinanda ueritate non errat 265.A
Electio quando habet locum in Regno Bohe. 316.C
Electorum Principum proteſtatio ſuper obedientia Ro. Eccleſiæ 328 B
Electorum proteſtatio contra contraria mandata & proceſſus in ſchiſmate Ibid. C
Electores Eugenio reddiderunt obedientiam Francfordiæ 340.C
Elizabeth mater Ladiſlai, uxor Alberti obijt in Vngaria 336.B
Epiſcopi & Principes ad Regnum Bohe. pertinentes 314.C
Epiſtola uehemens Io. XXIII. ad Vuenceſlaum regem 22.C
Epiſtola Ioannis Hus ad Monachos Dolanenſes 27.B
Epiſtola Concilij Conſtantienſis ad Epiſcopum & Clerum Vratislauien. 120.B
Epiſtola Sigiſmũdi Imp. ad Barones Regni propter ſectam Hus 155.C
Epiſtola Conradi Archiepiſcopi Pragen. contra ſuffraganeum ſuum 169.A
Epiſtola Martini PP. V. ex Conſtantia ad Barones Bohemiæ 173.A
Epiſtola Hußitarum ad Marchionem Miſnæ cõtra Regem Sigiſ. 198.A
Epiſtola Hußitarum ad Luſatiæ ſuperioris populos contra Regem Sigiſ. 202.A
Epiſtola prolixa Martini Papæ V. ad Vuitoldum Lituaniæ Ducem 210.A
Epiſt. Iuliani Card. ad Epiſcopũ Miſnenſem contra Hußitas 240.A
Epiſtola eiuſdẽ Epiſcopi ſuper executione Bullæ Apoſtolicæ 242.A
Epiſtola Sigiſ. Imp. ad Concilium Baſ. miſſa per Ambaſſatores Bohe. 305.A
Epiſtola Friderici III. Imp. ad Eugenium PP. pro Ladislao puero 339.A
Epiſt. Æneæ Syluij ad Sbigneũ Card. Polonum pro Ladislao 330.B
Epiſtolæ Duæ Epiſcopi Merſeburgenſis de obedientia pro Nicolao Papa V. 354.C
Epiſt. Nicolai V. Papæ ad Io. Capiſtranum, inſignem uerbi Dei præconem 367.C
Epiſtola Kazimiri Regis Poloniæ ad eundem Capiſtranum 369.C
Epiſt. Ioan. Rokyzanæ ad eundem Capiſtranum 370.C
Epiſt. Io. Capiſtrani ad Vniuerſitatem Viennenſem 374.B
Epiſtolæ Duæ eiuſdem ad Capitaneum Morauiæ & ad Gyrzikonem 375.A
Epiſtolæ Io. Capiſtrani ex Egra & ex Ponte oppido ad Bohe. 375.C
Epiſt. Ioan Capiſtrani contra calumnias Rokyzanæ 376.B
Epiſt. mitis Ioan. Capiſtrani ad Gyrzikonem 377.C
Epiſt. Nicolai de Cuſa Card. & Legati ad Bohemos 384.A
Epiſt. Æneæ Syluij ad Nicolaum V. de perdito Byzantio 387.C
Epiſtola eiuſdem ad Decanum & Clerum Pragenſem 389.B
Epiſtola Smirichei Baronis Bohe. ad Ladislaum regem, prodita Gyrziko. 390.B
Epiſtola Æneæ Syluij ad Procopium de Rabenſtein Bohemum 402.C
Epiſtola de morte Ladislai Regis, quæ non eſt Æneæ Syluij 405
Epiſtola Papæ Pij II. amica & honorifica ad Gyrzikonem regem 416.C
Epiſtolæ Duæ eiuſdem, una ad Sleſitas, altera ad Gyr. regem 419.B
Epiſtola humilis & deprecatoria Georgij regis ad Pium II. Papam 434.B
Epiſtola Pij II. ad Fridericum III. Imp. contra regem Georgium 436.B
Errorum Vuiclephi diſſeminatio, in regno Bohemiæ 17.B
Error confuſiſſimus de Prelatis, & de Præſcitis 54.A
Error de utraq; ſpecie 162.B
Eugenij IIII. obitus 345.B
Excurſiones crudeliſſimæ Trium exercituum Thaboritarum 220.A
Excurſiones aliæ eorundem pari ſeuitia Anno 1430. 234.B
Exempla Duo uindictæ contra abutentes Sacramento 165.A
Exempla

Exempla religioſorum Principum, Theodoſij & Conſtantini 382.B
Exercitus Ziskæ inter Duos Procopios diuiſus 216.B
Exercitus Principum Saxoniæ contra Huſſitas fruſtra collectus 235.A
Exercitus X L. Milia Equitum Germanorum fugit è Bohemia 242.C
Expeditio contra Huſſitas per Regem Sigiſ. infortunata 206.B
Expeditio Ducis Auſtriæ Alberti contra Morauos uictorioſa 243.C

F

FActiones in regno Bohe. Tres, in Vngaria Duæ 336.A
Fantini Nuncij Apoſtolici intrepida ad regem Bohe. oratio 428.C
Fantinus & Procopius de Rabenſtein à rege incarcerati 429.A
Fatorum arcana inſcrutabilia 407.B
Fatorum diuerſitas inter Ladiſlaũ & Mathiam Reges Ibid.
FERDINANDVS Rex Ro. Vng. & Bohe. ſucceßit in utroq; Regno Vng. et Bohe. regi Ludouico 440
Filia Regis Georgij Sedena deſponſata Alberto Duci Saxoniæ, mater Ducis Sax. Georgij, religioſißima fuit 421.A
Fœdera inique inita, propter Io. Hus 156.B
Fœlix PP. V. infœliciter electus à Concilio Baſ. in Antipapam 331.C
Fortitudo ficta hæreticorum & Empedoclis in morte 143.A
Fortitudo animi ad mortem in quibuſdam fœminis Ibidem
Friderici II. Imp. priuilegium Bohemis datum 315.A
Friderici III. Imp. pietas erga Ladiſlaum pupillum 334.B
Friderici III. Imp. profectio ſplendidißima ad urbem 379.A
Frid. iſte obſeſſus in noua ciuitate ab Auſtralibus 393.A
Fuga Papæ Io. XXIII. ex Conſtantia 109.A
Funus & ſepultura Regis Vuenceslai uiliter celebrata 176.C
Funus & ſepultura Ladiſlai Regis Pragæ 407.C
Furor Huſſitarum in Senatores Pragenſes in proceſsione cum corpore Chriſti 175.B

G

GArrulæ Huſſitarum ſacerdotum replicationes contra pacem 262.B
Generale mandatum Concilij Baſ. tranſigendi cum Bohemis 294.B
Generalis congregatio ſtatuum Regni Pragæ per Gyrzikonem 360.B
Georgij regis Bohe. fortuna per apertam à Papa defectionem decreuit 438.B
Gera oppidum à Gyrzikone captum & exuſtum 362.C
Germanici exercitus fœda fuga è Bohemia 236.A (243.B
Germanici exercitus altera & fœdior fuga
Gerſonis epiſtola ad Archiepiſcopum Pragenſem 21.C
Gerſon iniuſte ſuſpectus fuit Io. Hus 81.A
Geſta Concilij Baſ. poſt tranſlationem factam irrita eſſe 325.C
Geſta & fama Io. Capiſtrani per totam Europam 376.C
Giſcra Bohemus Ladiſlai pueri defenſor fideliß. 336.C
Gubernatoris & Baronum Bohe. mandatum de pace 295 B
Gubernatores Regni Duo ſimul conſtituti Barones 334.B
Gyrziko, per proditionẽ Pragam intrans, Mainardum cepit 358.C
Gyrziko Gubernator factus, Cæſaris Frid. partes iuuit 383.A
Gyrziko temporalia curabat, ſpiritualia Rokyzana 388.C
Gyrzikonis argutũ reſponſum, de religione ad Paraſitum 394.A
Gyrzikonis colloquium 4. dierum, prope Viennam cum rege 400.B
Gyrzikonis in Regem electio Pragæ 410.B
Gyrzikonis unctio in regem per Duos Epiſcopos Vngariæ 411 A
Gyrziko rex armis coegit obedire ſibi Morauiæ urbes 413.C
Gyrziko in fide Catholica turbare nemmẽ promiſit 415.A
Gyrzikonis literæ de compoſitione inter ipſum & Sleſitas 421.C
Gyrziko Rex coram ſtatibus Regni ſeſe aliter declarauit 426.C
Gyr. contra Papam multa dixit, referens ſe ad Compactata 427.B
Gyr. Rex Fridericum III. Viennæ obſeſſum, liberauit 429.B
Gyr. Regis humilis petitio ad Pium II. contra Vratislauien. 435.B
Gyr. Regis moderatio erga Catholicos Conſiliarios ſuos 438.C
Gyr. Rex non minus bellicoſus, quàm rex Vng. Mathias 439.B

Gyrziko Rex ante mortem petijt abſolutionem à Paulo II. ibid.C

H

Hæreſis Vuiclephica quanta inuexit in Bohemiam mala 15.A
Hæreticis non eſt permittenda diſputatio 22.B
Hæreſes maximam Regi & Regno generant infamiam 47.B
Hæreſis Vuiclephi multipliciter prius damnata fuit 67.C
Hæreticũ facit, non error, ſed pertinacia 133.B
Hæretici publice corripiendi ſunt 134.B
Hæretici Germaniæ Thaboritis peiores in multis 283.B
Hæretico Regi non ſunt præſtanda homagia 437.A
Hæreticus inter Chriſtianos rex eſſe non poteſt 436.C
Hieronymi de Praga reuocatio in Concilio 124.C
Hier. ille in reuocatione ſua multa de Io. Hus dixit 129.B
Hier. ille relapſus, ex fuga Conſtantiam reductus eſt 131.B
Hier. iſte condemnatus & combuſtus eſt die 30. Maij Anno 1416. 135.C
Hier. iſte doctus & eloquens, ſed uir bonus non fuit 140.B
Hier. iſte peior fuit Io. Hus, & iniurioſus in Huſſitas 141.B
Hier. iſte magnorum criminum reus 143.A
Hier. iſte perfidus & uelut Gnato leuis 144 B
Hier. iſte non fuit uere fortis ad perferendam mortem 146.B
Hier. iſte miſere fluctuans, mortem ſuſcepit 149.B
Hier. iſte non potuit à Concilio impune dimitti 152.B
Hiſtoria Caroli IIII. ab ipſomet ſcripta 5.B
Hiſtoria Ioannis Hus de actis eius Conſtantiæ ſcripta 79.B
Hiſtoria de Io. Hus falſum habet titulũ 106.C
Hiſtoria de Thaboritarũ ultima pugna ex Chronicis 276.C
Honoribus magnis ubiq; ſuſceptus Io. Capiſtranus 377.C
Huniadis fuga intempeſtiua ex pugna Varnenſi 338.A
Huniades Gubernator Vngariæ à Comite Ciliæ delatus 394.C
Huniadis & Capiſtrani opera in defenſione Taurini 397.C
Huniadis obitus, & à filijs eius interfectus eſt Comes Ciliæ 398.B
Huniadis filius ſenior Ladislaus captus & decapitatus Budæ 399.B
Hus Pragæ præcipuus inter Bohemos Magiſter 12.A
Hus cõtra Teutbonicos Magiſtros apud Regem practicauit 13.B
Hus ore & ſcriptis Vuiclephi hæreſes diſſeminauit 15.B
Hus contra Bullam Alexandri V. ſcripſit & appellauit 19.B
Huſſitarum deriſoriæ Gloſæ contra Decretum Ioannis XXIII. 21.B
Hus petulans & malignus in Tribus quæſtionibus per inſtrumentum Notarij 25.C
Hus in dolo truncauit Doctorum allegationes 26.B
Hus prædicando & in uernaculum transferendo, Laicorum fauores, cõtra Papam & Regni Clerum obtinuit 39.A
Hus Tres Laicos à ſenatu capite plexos Martyres fecit 39.C
Hus proterue contra Indulgentias prædicauit 39.A
Hus contemptor reliquiarum & irriſor 40.C
Huſſitarum peruicacia & querela contra Decretum Regis 49.B
Hus inſultabat Clero de cenſibus per Regẽ ceptis 63 C (73.A
Hus quomodo fugam Conſtantiæ meditatus fuit
Hus multipliciter negauit Conſtantiæ remanentiam panis (75. A
Hus Conſtantiæ combuſtus eſt, proiectis in Rhenum cineribus 77.B
Hus Pragæ multa extorſit pro ſe teſtimonia ad Conſtantiam 83.A
Hus ad iter illud multis literis & commendationibus ſe præparauit 84.A
Huſſitarum rapacitas in beneficijs & Teſtamentis 85.B
Hus ſibijpſi contrarius circa articulos Vuiclephi 89.B
Hus contra Vuicleph de remanentia panis in Euchariſtia 93.B
Hus, damnatus ut hæreticus, ſanctus iure dici nõ poteſt 95.C
Hus per hæreſim alijs peccatoribus quantiſcunq; infœlicior 98.B
Huſſitis nouis in Germania minus credendum eſt, quàm ueteribus 103.B
Hus ad ignem eductus, ubiq; queſtus eſt contra dicta teſtium 111 B
Hus extra charitatem mortuus, nullam habuit ſpem ſalutis 112.B

Hus uere ac manifeſte pertinax fuit hereticus 113.A
Hus nullum fecit miraculum, nec in uita nec in morte Ibid.B
Hus nocentißimus & peſtilentißimus fuit regno Bohemiæ 114.B
Hus male & inuerecunde laudatus à Hier. de Praga 137.C
Hußitæ nequißime ſeducti à magiſtris mendacibus 149.B
Hußitarum ſtulta præſumptio in canonizando ſuos Martyres 150.B
Hußitæ inter ſe diſcordes Lituaniæ Ducem elegerunt 209.C
Hußitarum reſponſio Pragæ ad Oratores Baſ. contra Concilia 259.B
Hußitarum Pragæ in Mainardum Baronem conſpiratio 358.B

I

IAcobellus Miſnenſis, author ſchiſmatis de utraq; ſpecie 41.C
Iactantia Hus de ſuo ad Concilium aduentu 81.B
Illicitæ pactiones, quas Sigiſ. Imp. cum Bohe. feciſſe dicitur 300.A
Illicita bonorum Eccleſiaſticorum alienatio ab eodem conceſſa Ibid.C
Imagines ſanctorum, ſuperpoſito Monacho, incenſæ cum riſu 222.A
Imperatrix cur Znoymæ iuſſu Imperatoris Sigiſ. capta eſt 312.C
Increpatio contra Io. Hus Excommunicatum 43.C
Increpationes aliæ Steph. Paletz & And. Brodæ 64.B
Induciæ Alberti Regis cũ Rege Poloniæ 321.A
Induciæ X. annorum Vngarorũ cum Turcis, à Papa caſſatæ 337.B
Ingreſſus Sigiſ. Imp. honorificentißimus in Pragam 301.C
Inſtrumentum Io. Hus per Notarium de Tribus quæſtionibus 24.C
Intentio, eſt ſicut oculus & arbor, quæ facit actũ bonum aut malum, etiamſi uerba foris aliter ſonent 251.C
Infmatio Ioannis Hus Pragæ Eccleſiarum ualuis affixa 81.C
Infmatio pompoſa eiuſdem ſub Triplici lingua 82.A
Inuectiua acerrima Eugenij IIII. in patres Concilij Baſ. 321.C
Ioannes Monachus Præmonſtratenſis Hußita Crudelis 174.C
Ioannes Rex Bohemiæ cæcus fortißime pugnauit 207.A
Ioannis Monachi ſeditioſi exitus Pragæ. Ibid.C
Io. Polomarij, Auditoris Rotæ, oratio Pragæ ad Bohemos 257.B
Io. Capiſtranus Italus, Inſignis Cõcionator 377
Iudex, qualem in diſcordia petierunt Bohemi 269.B
Iudicij dies Ioanni Hus decreta & peracta VI. Iulij 109.C
Iuliani Card. oratio ad Bohemos in Cõcilio Baſ. 247.C
Iuliani eiuſdem altera oratio ad eoſdem Bohe. 251.A
Iuliani huius interitus in fuga ex clade Varnenſi in Vngaria 338.B
Iuriſconſulti duo pro parte Io. Hus 49.C
Ius duplex, unum fori, alterum poli 295.B
Iura Alberti Ducis Auſtriæ ad ſucceßionem in Regno Bohe. 314.A
Iura & Cenſuras contra hæreticos ne rex Georgius impediret 424.B
Iuramenta per regem Georgium de obedientia Papæ facta 431.A

L

LAdislaus infans, Alberti Regis filius, conſecratus in Regem Vngariæ 333.C
Ladislai Regis nobilitas & cognationes 356.C.364.B
Ladislai Regis ingreſſus & Coronatio Pragæ peracta
Ladislaus Rex noluit corpus Chriſti honorare in manibus Rokyzanæ 393.A
Ladislai Regis reditus in Pragam, quæ erat nuptijs deputata 403.A
Laicorum contra Clerum Cathol. diſputationes in uernaculo 18.B
Laicorum non eſt, iudicare de fide inter Epiſcopos 37.C
Laudes Nicolai V. PP. à Ladislao rege puero dictæ 380.B
Legatio Cæſ. Frid. III. ad Bohemos, propter Ladislaum 363.B
Legationes tres Ladislai Regis è Praga ſplendidæ 403.B
Legatio Regis Georgij ad Papam Pium II. pro Compactatis 426.B
Lex Dei debet eſſe regula omniũ legum 285.B
Librorum Vuiclephi combuſtio per Archiepiſcopum Pragen. 17.C
Liber Io. Hus De Eccleſia, qualis eſt 50.B
Libri Io. Hus in carcere ſcripti 107.C
Literæ ſecuritatis ab Imp. datæ Concilio Conſtan. 170.A

Literæ Concilij Baſ. ad Bohemos 245.C

Literæ Credentiales Oratoribus Concilij ad Bohemos datæ 255.C

Literæ concordiæ ab Aulicis Sigiſ. Imp. Thaboritis conceſſæ 280.C

Literæ Magiſtrorum Pragenſium ad concordandum cum Thaborenſibus 281.B

* *Literæ Thaborenſium ad concordandum cum iam dictis magiſtris* 282.B

Literæ Concilij de plena facultate Legatorum Concilij 293.B

Literæ Sigiſ. Imp. & Alberti Ducis Auſtriæ de Compactatis Ibid.C

Literæ Sigiſ. Imp. Bohemis Iglariæ datæ fuerunt inualidæ 301.B

Literæ Baronum & ſtatuum regni ad Duces & populos Luſatiæ & Sleſiæ, ut præſtarent Regi Gyrzikoni obedientiam 414.B

Locus quem elegit Dominus, eſt Sedes Apoſtolica 46.B

Lubana urbs Luſatiæ ſæuiſſime expugnata & incenſa 221.B

Ludouicus rex Vng. & Bohe. pro patria cõtra Turcas pugnauit, & uictus ab eis interijt 440.B

Lythomislenſis Epiſcopi conſilium contra Hus 34.A

M

MAinardus Baro captus, & ex carcere dimiſſus obijt* 359 C

Malus miniſter bene poteſt dare Sacramenta cum effectu 56.B

Mandatum procuratorium Vniuerſitatis Pragenſis, ad Concilium Baſ. 306 B

Mathias Huniadis filius è carcere ad Regnum uocatus 406.B

Mathias rex Vngariæ Septennale bellum contra Gyrzikonem geſſit 439.A

Mathias iſte contra regem Gyr. adiutus Papæ & Imp. auxilijs Ibid.

Mendaciorum plauſtra è Conſtantia in Bohemiam relata 153.A

Morauiæ Marchio Iodocus in Regem Rom. electus 15.C

Mulieris Begutte liber pro Huſſitis contra Clerum Catholicum 18.C.153 C

Mulieres Indicæ ſponte morientes in morte mariti 147.C

Mulieres Adamitarum ad mortem alacriores, quàm fuit Hier. de Praga 148.B

Multiplex obedientiæ promiſſio à Georgio rege Bohemiæ facta 424.A

N

NArratio de bellis propter utranq; ſpeciem ad Card. Legatum* 350.B

Narratio de immaturo obitu Regis Ladiſ. 404

Naum prophetæ dictum, Non iudicat Deus bis in idipſum, quomõ recte intelligitur 26.C

Neutralitatis proteſtatio per Electores imperij tempore ſchiſmatis 327.C

Nicolaus Pr æ tenſus Epiſcopus Thabor. 226.B

Nicolaus de Cuſa Card. de laudibus Capiſtrani 366.B

Nobiles Germaniæ cupiebant bellũ contra Huſſitas per ſeſe gerere 244.B

Nomina Huſſitarum, qui ad Concilium Baſ. uenerunt 247.A

Nomina proponentium Huſſitarum & Reſpondentium Catholicorum 250.A

Nomina Oratorum Concilij cum Bohemis Pragam miſſorum 254.C

Nomina Legatorum Concilij in Compactatis 259.C

Nomina Bohemorũ, qui totum regnum repræſentabant 296.A

Nuncij Duo cũ literis è Concilio Baſ. ad Egram miſſi 245.B

Nuncij Duo Apoſtolici à Pio II. miſſi, ad regem Bohe. & ad Sleſitas 420.C

Nuptiarum maximus Pragæ apparatus, pro rege Ladislao 403.C

O

OBedientiæ laus & uirtus ex Greg.* 28.C

Obedientia cur melior eſt, quàm uictimæ 29.A

Obedientiæ laus ex Auguſt. 47.A

Obedientia à Rokyzana Legatis Concilij præſtita 296.B

Obedientia uerbalis, ſed non realis, à rege Georgio præſtita 431.C

Obiectio Huſſitarum contra Conſilium Doctorum per 18. articulos 50.C

Obitus & ſepultura Sigiſ. Imp. 313.B

Obſidio duriſſima arcis Karlſtein 209.B

Occulta pacta Sigiſ. Imp. cum Ziſca 216.A

Omnes ordines in regno per hæreſes confuſi fuerunt 228.A

Oratio altera Pragæ Io. Polomarij ad Bohe. de ſciſſura 260.C

Oratio Tockij Magdeburgenſis, de laudibus antiquis Pragæ 263 C

Oratio Bernerij Turonenſis ad Magiſtros Vniuerſitatis Pragenſis 264 B

Oratio Æneæ Syluij ad Eugeniũ nomine Regis Rom. & Electorum 342 B

Oratio Bohemorum ad Card. S. Angeli Legatum Pragæ 345 C

Oratio Æneæ Syluij nomine Cæſ. Frid. ad Bohemos pro Ladislao 363.C

Oratio Ladiſlai Regis, pueri XII. annorum ad Nicolaum V. Romæ 380
Oratores Sleſitarum miſſi Romam contra Gyrzikonem Regem 418.B
Orebitæ & Orphani, nomina ſectarum in Bohemia 207.C
Ottonis Brunfelſij cæcum & impudens de Hus iudicium 103.B
Otto iſte Apoſtaticus nugo, de libris Ioan. Hus 104.B

P

PAcis compoſitio per Legatos Sigiſmundi 179.B
Pacis IIII. conditiones pro Germanis ad Eugenium 342.C
Pacem Germanis reſtituit in religione Eugenius 343.B
Pacta inualida Sigiſ. Imp. cum Bohe. 297.A
Pactorum huiuſmodi fuerunt VII. art. 298.A
Papa uice Chriſti caput eſt Eccleſiæ militãtis
Papa ſanctus eſt ratione officij 56.B. (55.C
Pater patriæ uerius dici potuit Carolus IIII. quam Octauius Aug. 1.B
Paupertas Euãgelica qualis fuit ab initio 149
Peccator grauiſſimus propter hæreſim Io. Hus 101.A
Peccata priuata eiuſdem. 102.C
Peccata Octo Huſſitarum in communicando ſub utraq; ſpecie 164.A
Permiſſio duplex Tolerantiæ & approbationis 284.B
Pertinax Thaboritarum ſtudium circa ſua dogmata 283.B
Petitiones Bohe. contra Cõpactata, iuſte à Concilio denegatæ 311.B
Petitio Bohe. pro Rokyzana electo in Archiepiſcopum 352.C
Petrus Payne Anglicus, arbiter inter Thaboritas & alios Huſſitas Pragenſes, electus fuit ab utraq; parte 279.C
Pij II. Papæ benignitas de reductione Georgij Regis 437.B
Pilzinenſibus à Concilio Baſ. in ſubſidium miſſa pecunia 275
Pilzmenſes liberati ab obſidione Procopij Raſi 276.B
Pœna in tranſgreſſores Priuilegij Bohe. 318.A
Pons lapideus Pragæ inſignis 3.C
Poteſtas coactiua quomodo eſt apud Eccleſiarum Prælatos 286.B
Præceptum de cõmunicando ſub utraq; ſpecie, in dubio relictum à Bohe. 266.B
Præceptor Ladiſlai Regis Florentiæ fugam parauit 382.C
Prædicationes Io. Capiſtrani per omnes urbes & Vniuerſitates Italiæ, & per multas urbes Germaniæ 377.A
Præfatio erudita Hier. Pragenſis ante reuocationem ſuam 126.C
Præfatio Io. Przibram in libro contra Thaboritas 224.C
Prælium atrox, quo ab ipſis Bohemis uicti ſunt Thaboritæ 277.C
Prælium & uictoria Vngarorum contra Turcas 337.A
Præſumptuoſus quis recte dicitur 78 B
Præſumptionis malum in hæreticis 135.A
Praga à Carolo Imp IIII aucta et exornata 1.B
Pragenſis Eccleſia ex Cathedrali Metropolis facta 2.A
Pragenſes ciues ui contra Teuthonicos in collegium eruperunt 13.C
Praga à Rege Sigiſ. obſeſſa & à Ziſca defenſa 181.A
Pragenſes in multis articulis conformes ſunt ritibus Ro. Eccleſiæ 192.B
Praga à Ziſca obſeſſa & per Rokyzanam reconciliata 215.A
Pragæ præliũ inter Thaboritas et Huſſ. 275.C
Priuilegia antiqua Regni Bohemiæ ab Imperatoribus conceſſa 315.A
Priuilegium Regno Bohe. à Carolo IIII. datum 316.B
Priuilegium antiquum Friderici II. Imp. Regno Bohe. datum 412.A
Proceſſio prolixa Rokyzanæ propter captam à Gyrſik. Pragam 361
Proceſſus leniſſimus contra Hier. de Praga in Concilio 136.C
Proceſſus iuris contra Io. Hus à Clero acceptati 48.C
Procopius Raſus apud Ziſcam dux ordinum fuit 213.C
Procopius iſte à Przibram dicitur canis rabidus & beſtia 226.B
Procopij Raſi querela contra Raguſien. in Concilio Baſ. 250.B
Procopius iſte de bellis ad Oratores Concilij Pragæ 260.A
Procopiorum duorum Raſi & Parui in pugna interitus 278.A
Procurator Ioan. Hus malignus Canoniſta fuit 61.C
Prouinciæ quædam Gyrzikonem pro Rege habere nolentes 411.C
Przibram Bohemus egregie doctus, multa de Vuicleph ſcripſit 11.A
Przibrã de examinatione Hus Cõſtantiæ 75.A

Przibram reuocauit multa, quæ ut Hußita ſenſerat 80.B
Przibram contra Thaboritas, ne ſacerdotes bella gerant 222.B
Przibram magnæ eruditionis & libertatis homo 229.C
Przibram uicit publica diſputatione Petrum Anglicum 230.A
Przibram in hiſtoria Thaboritarum de multis reprehenſus 232.B
Przibram obijt Pragæ Anno Domini 1448. 359.B
Ptatſco Baro Bohe. Alberto Regi contrarius 319.C
Ptatſconis ſententia contra filium infantem Regis Alb. preualuit 333.B
Ptatſco & Pragenſes nouos de Compactatis articulos poſuerunt 335.A
Pugna Pragæ inter Catholicos & Hußitas pro ponte 179.B
Pugna cruenta circa Auſcham inter ſuas, Hußitas & Miſnenſes 214.B
Pugna Procopij Raſi in Auſtria contra Ducem Albertum 221.A
Pugna Friderici Ducis Saxoniæ in Bohemia pro Alberto 320.C
Pugna & clades Vngarorum apud Varnam 337.C
puniendi cauſa triplex eſt 138.B
Punire malos ad Magiſtratus, non ad priuatos pertinet 284.C

Q

Qvale fuit Regnum Bohe. ante Hußiticam labem 228.B
Quale fuit uitæ inſtitutum Ioanni Capiſtrano 365.C
Qualiter cōtra hereticū procedendū eſt 136.B
Quantos fecerunt Hußitæ martyres ſuos, Io. Hus & Hier. Prag.. 354.B
Quanta fuerunt mala in Bohemia per Vuiclephiſtas 229.B
Quanta cum reuerentia populorum ſuſceptus fuerit ubiq; per Germaniam Ioannes Capiſtranus Minorita 366.B
Quanta mala incurrit Rex Georgius per defectionem à Papa 429.C
Querela cuiuſdam Bohemi de templorum prophanatione 154.C
Querela Io. Przibram de Regno per Hußitas deſtructo 227.B
Querela M. Io. Rokyzanæ ad Oratores Concilij Pragæ 257.C
Querela D. Mainardi apud Barones contra Procopium Raſum 269.C

R

Raptores peiores ſunt Diabolis 227.A
Rebellio & impedimenta Patrum Concilij Baſ. contra Eugenium 324.A
Reconciliatio Bohemorum, & abſolutio à Cenſuris 289.C
Reductio rituum Catholicorum in Praga præſente Sigiſ. Imp. 302.A
Regnum Bohe. per Hußitas ex nobili peßimum factum 227.C
Regalia Bohe. ab Imp. accipiuntur 317.B
Regni Bohe. poſt obitum Ladislai multi competitores 408.B
Reipublicæ ſex ſunt ſpecies, Tres bonæ, Tres malæ 227.B
Religioſorum Regum ac Principum proſperitates 3.B
Reſponſio Io. Polomarij Pragæ ad querelam Rokyzanæ 258.C
Reſponſio dura Baronum & Communitatum Bohe. ad Oratores Concilij 259.A
Reſponſio Decani Cameracenſis de ueritate, non per bella quærenda 262.C
Reſponſa Legatorum Concilij Baſ. circa dubia in Compactatis 284
Reſponſum argutum Concilij Baſ. ad petitionem Bohe. de Communione 310.C
Reſponſio Io. Capiſtrani ad literas Io. Rokyzanæ 371.C
Reſponſum durum Gyrzikonis & conſilij Bohe. ad Capiſtranum 378.B (128.A
Reuocatio Hier. de Praga, quā Conſtantiæ fecit
Reuocatio Io. Przibrā per integrū librū 224
Rixa Hußitarum propter reliquias contra Carmelitas 41.A
Roatius nobilis latrocinans captus cum ſocijs diuerſis furcis Pragæ ſuſpenſi fuerunt 304.C
Rokyzanæ ortus, pueritia & ſtudia 215.B
Rokyzanæ oratio in Concilio Baſ. 248.A
Rokyzanæ Iglauiæ Laicum communicans, turbauit Legatos 296.C
Rokyzana Monachorum, uelut Dæmonum, impatiens Pragæ fuit 303.A
Rokyzana cur reiectus fuit, ne fieret Archiepiſcopus Pragen. 311.A
Rokyzanæ Tyrannis in religione poſt obitum Alberti Regis 332.C
Rokyzanæ practica & ambitus pro Archiepiſcopatu Prag. 343.B (351.B
Rokyzana narratur electus ab omnibus Bohe.
Rokyzana uſurpauit ſibi poteſtatem Archiepiſcopi Pragen. 360.C
Rokyzana cum ſuis tenuit proceßionem, propter diſcordiam 36:.C

Rokyzana

Rokyzana à rege Ladislao odio habitus 391.C
Rokyzana uiolenter Catholicis negabat ſepulturam 392.B
Rokyzanæ argumenta de eligendo rege poſt Ladislaum 409.B
Rokyzana ſeduxit Georgium regem, ne plene Catholicus fieret 423
Ruina Academiæ Pragenſis & fidei Catholicæ per Io. Hus 15.A
Ruina Eccleſiarum cœpta à Monaſterio Prædicatorum 172.A

S

SAcellum S. Vuenceslai Pragæ pulcherrimum 3.A
Sacrilegia Pragæ, mox poſt obitum Regis Vuenceslai in Eccleſias 177.B
Saluus conductus quomodo datur hæret. 72.C
Saluus conductus Huſſitis promiſſus per Principes ad Baſileam 246.B
Schiſma ſub Triplici Papa tempore Ioannis Hus 24.A
Schiſma illud graue ac diuturnum fuit 68.C
Schiſma, teſtibus Cypr. & Irenæo, immane ſcelus eſt 96.B
Schiſma graue inter Eugenium IIII. Papam & Concilium Baſ. 321.B
Scorpio quomodo percutit hominem dormientem 44.A
Scriptura ſacra non iudicat ſola in cauſa fidei 58.A
Scriptura non per ſe iudicat, ſed homines ſecundum ipſam ibid.B
Seditiones per Io. Hus excitatæ 102.A
Seditio plebis & direptio Bibliothecæ Caroli IIII. Pragæ 208.B
Sententia Concilij Conſtantiæ in Io. Hus dicta 97.A
Sententia definitiua in Hier. de Praga 139.A
Sermo Epiſcopi Laudenſis, contra Hier. de Praga relapſum 132.B
Sigiſmundi Imp. labor & profectiones propter tollendum ſchiſma 69.A
Sigiſmundi Imp. uerba ad Io. Hus Conſtantiæ 81.A.105.C
Sigiſmundi Imp. fidelis hortatio ad Hus 106.A
Sigiſmundi Imp. conſilium ad Patres de Hus in Concilio 109 B
Sigiſ. in Regem Bohemiæ coronatio, facta in arce Prag. 181.B
Sigiſ. Imp. Romæ in ponte Adriani Equites auratos fecit 255.A
Sigiſ. Imp. è Roma reuerſus, receptus in Regem à Bohemis 279 A
Sigiſ. Imp. prudẽtia in cõpacandis Bohe. 3:3.C
Sigiſ. Imp. detecta conſpiratione, Pragæ 24. decapitauit 304.A
Signum Crucis contra Huſſitas militaturis affixum 185.A
Sleſiæ laudes de multis terræ & patriæ bonis 418.B
Species pietatis ſine fructu in Ioãne Hus 111.C
Spectaculum pulcherrimum Romæ & Neapoli in profectione Friderici III. quando coronatus eſt à Nicolao V. 379.C
Stephani Paletz increpatio cõtra Ioannem Hus 27.C
Stephani huius alia increpatio de inobedientia Io. Hus 39.A
Steph. iſte prædixit Ioanni Hus exitum per ignem 77.C
Suinco Archiepiſcopus Pragenſis Poſſonij mortuus eſt 19.C
Suinconis laus poſt obitum per D. Stephanum Paletz 20.A
Summa Huſſitarum ad concordandum erat, ut approbarentur 4. articuli 259.C

T

TAurinum, id eſt, Alba Græca à Turcis oppugnata, non uicta 397.C
Technæ Io. Hus ad euadendum Conſtantiæ 107.B
Tenor concordiæ à Bohemis oblatæ Concilio Baſ. 267.C
Tergiuerſationes Hus contra dicta teſtium 86.B
Teſtes contra Hus Conſtantiæ deponentes 86.A
Teſtes ſubſcripti in priuilegio Friderici II. Imp. 316.A
Teſtes ſubſcripti in priuilegio Caroli IIII. 318.B
Thaboritarum multæ & uariæ diſputationes 197.B
Thaboritarum impia ſtultitia in colendo Ziſcam 218.B
Thaboritarum ſacerdotes quales ſunt 223.B
Thaboritæ à Baronibus uicti Pragæ & occiſi 276.B
Thaboritæ bellicoſiſſimi horreis incluſi & combuſti ſunt 278 B
Thaboritæ pecunijs corruperunt quoſdam Aulicos Sigiſ. 280.A
Theologorum Pragenſium nomina qui fuerunt contra Io. Hus 50.A
Titulorum Regis Ladislai adoleſcentis multitudo 408.A
Tractatus Bohemorum de eligendo Rege poſt obitum Alberti 333.A

Traditio Arcis Pragenſis & ſacrilegia per præfectum 180.B
Tranſſubſtantiationem panis expreſſe confeſſus eſt Hus 76.C
Tumultus plebis Pragæ cruētus propter cædem 207.C
Turcæ Conſtantinopolim obtinuerunt Anno 1453. 387.C
Tyrannis Patrum conſpirantium contra Eugenium in Concilio Baſ. 322.B

V

Venceslaus Caroli 4. filius, Rex Bohemiæ inutilis 6.C
Vuenceslai huius tempora, multis obnoxia malis fuere 7.B
Vuenceslai Edictū pro Indulgentijs Papæ 39.B
Vuēceslai Regis timor à turba, et obitus 175.C
Verbum Dei prædicare quomodo poteſt à Prælatis prohiberi 285.C
Vexationes uariæ Laicorum contra Archiepiſcopum & Clerum Catholicum 18.B
Vuiclephi ſcripta hæreſim pepererunt in Bohemia 7.C
Vuiclephi huius dogmata Londonij in Anglia damnata 8.B
Vuiclephi articuli 45. Pragæ quoq; condemnati fuerunt ibid. C
Vuiclephi dogmata à rege Vuen. ꝓhibita 48.B
Vuiclephi articulos 45. cur noluit Hus damnare 87.A
Vuiclephi errores innumeri, de Sacramento altaris 90.A
Vuiclephi anima & memoria æternaliter damnata 91.B
Vuiclephi doctrina fidem à fundamentis euertere conata eſt 120 B
Vuiclephi errores in 40. claſſes & 303. articulos diuiſi 122.A
Vuiclephi multo maior numerus & claßium & errorum per Przibram 123.A
Vuiclephi defenſio in hiſtoria Thaboritarum 232.B
Vuicleph num Doctor Euangelicus dici queat 253.B
Vlricus Reichental Conſtantienſis, Teuthonicus ſcriptor 71.B
Vladislaus rex Bohe. factus eſt, poſt mortem Georgij regis 440.B
Vniuerſitatis Pragenſis 4. Nationes & Priuilegia 13.B
Vnitas uera non eſt, ubi dicitur Nos & Vos 269.A
Vnio Eccleſiæ Orientalis cum Romana, per Eugenium IIII. Florentiæ facta 323.C
Vratislauienſium excuſatio, cur Georgio regi non obedirent 423.A
Vratislauienſium articuli, quos pro obedientia propoſuerunt Ibid.
Vratislauienſium abſolutio ab obedientia dicto regi præſtanda 432
Vratislauienſes in protectionem Sedis Apoſtolicæ contra regem recepti 433.B
Vratislauienſes per Mathiam regem Vngariæ fortiter defenſi 438.A
Vtraq; ſpecies in Sacramento facta eſt laqueus Venantium 162.A

Z

Ziſca deleuit ſectā Adamitarum 149.B
Ziſca Capitaneus factus multitudinis Conuenarum 178.C
Ziſca à Pragenſibus contra Regem Sigiſ. uocatus 181.A
Ziſca templa Pragæ deſtruxit, & foris crudeliter egit ibid.C
Ziſca & Pragenſes uictores contra Regē Sigiſ. crudeliter 182.B
Ziſca inſignis bellator, cæcus exiſtens 206.C
Ziſca in Catholicos, præſertim in ſacerdotes, crudelis 207.A
Ziſca Thabor urbem ædificauit Ibid.C
Ziſca ex Auſtria prædas domum attulit 215.C
Ziskæ obitus, Teſtamentum, & laus bellica 216.B
Ziſca peritißimus & uictorioſißimus bellorum Dux 217.A
Ziskæ ingentia uitia laudem obſcurarūt 218.A
Ziska id Catholicis fuit, quod Aſſur Iudæis 219.B

CORRECTORIVM.

Pag. 2. linea 11. Inſulis, lege Infulis. pag. 11. lin. 30. dignantur. pag. 12. lin. 28. inutili. Et lin. 29. eligant. pag. 14. lin. 25. Turingiæ. Et lin. 36. etiam. pag. 16. lin. 13. donatū. pag. 29. lin. 10. poßidetur. pag. 34 lin. ult. fructus ueræ. pag. 38. lin. 6. illi. pag. 40. lin. 24. iam. & lin. penul. Carmelitarum. pag. 41. lin. 1. fabricā. pag. 45. lin. 14. manifeſtos. pag. 54. lin. 4. replicantes. pag. 75. lin. 1. in margine. Depoſitiones. pag. 77. lin. 17. Rhenum. pag. 99. lin. 2. finium. pag. 123. lin. 22. de illa. pag. 130. lin. 10. aliter. pag. 149. lin. 14. maximo. pag. 162. lin. 1. perierunt. pag. 163. lin. 39. granis. pag. 197. lin. 8. eſſet. pag. 202. lin. 33. Czaslauienſi. pag 23. lin. 11. Stragæ. pag. 219. lin. 10. filios. pag. 222. lin. 22. aduerſus. pag. 232. lin. 23. occurrere. pag. 236. lin 8. eo. pag. 240. lin. 30. exurant. pag. 252. lin. 31. uarietates. pag. 253. lin. 35. iniungēdi. pag. 261. li. 13. cōſulebatis. pag. 283. li. 22. Thaboritis: adde ſtudiū.

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER PRIMVS.

CAROLVS, *Romanorum Imperator* Auguſtus, huius nominis Quartus, & Rex Bohemiæ, Cum eſſet xxxi. annorũ, Rege Bohemorum Ioãne patre ſuo, in prælio quod erat Regi Frãciæ Philippo cõtra Anglos occiſo, regnare cœpit. Et adeo quidem fœliciter regnauit, ut iure potuerit de PRAGA, Metropoli Bohemiæ, dicere, quod de ROMA dixiſſe ferunt Octauium Auguſtum, nempe, Marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. *Suetonius in Aug. cap. 29.* Princeps ſane Clariſsimus, & Auguſto Cæſari multis in uirtutib. haud immerito comparandus, In nonnullis etiam præferendus, immo uero in omnibus, uelut Ethnico Chriſtianus longe anteponendus, Extra enim fidem & Charitatem Chriſti nulla poteſt eſſe uera uirtus, uti docent Paulus, Auguſtinus & omnes Theologi. Carolus 4 Pater patriæ Longe igitur uerius poterant Bohemi Carolum, quam Romani Octauium, Patrem Patriæ ſalutare, Auguſtus enim Cæſar licet bona multa Romanis contulerit, attamen & mala nec pauca nec leuia intulit eiſdem. Quemadmodum grauiſsime queſti ſunt M. Cicero & M. Brutus, alijque libertatis aſſertores. Quot enim geſsit aduerſus Romanos bella Ciuilia? Carolus uero Bohemis ſe nunq̃ hoſtem ſed ſemper patrem exhibuit: Et non ſolum Pragam, Caput Regni, ſed & alias urbes magnis affecit commodis, ac publicis operibus exornauit. Extruxit Octauius Romæ forum cum æde *Sueto c.29.& 31.* Martis Vltoris, Templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Iouis in Capitolio, Sacerdotum item & numerum & dignitatẽ atq; etiam commoda auxit, præcipue Veſtalium Virginum. At uana fuit iſta religio, Dijs falſis ac uere dæmonijs in animarum exitium exhibita. Carolus uero adeo magnificus fuit ueræ religionis cultor, ut non ſolum Pragæ multa templa & Monaſteria extruxerit, uerum etiam in toto Bohemiæ regno diuinum ubique adauxerit cultum, Imo & in Italia collegiatam erexerit Eccleſiam in uilla Terentij Parmenſis agri, dedicatam Deo uero, in honorem Dei genitricis Diuini cultus amplificator Carolus.

 tricis

tricis & uirginis Mariæ, Quam & magnifice dotauit, ſic tamen, ut patriæ interim non eſſet immemor. Conſtituit enim patronum illi Eccleſiæ Præcentorem Eccleſiæ Pragenſis. Pragenſem uero Eccleſiam, quæ antea ſub Metropoli Moguntina Cathedralis erat, ad Metropoliticum decus Ro. Pontificis autoritate euexit. Quam ſane Eccleſiã (In Chronicis id Boleſlao Pio adſcribitur, ſub quo primus Epiſcopus Pragenſis factus fuit Dythmarus. Anno 968) Vratiſlaus, Primus Rex Bohemię, Anno dñi M.lxxxvi. ſub Alexandro Papa II. & Henrico Imp. IIII. fundaſſe perhibẽt, eo ſane cũ Priuilegio: & honorificentiæ ſplendore, ut quando agitur res diuina, Præpoſitus & Decanus Epiſcopalibus uti poſsint Infulis & ornamentis. Quod ſane decus & Priuilegium, in hodiernum uſque diem Eccleſiæ illi ſaluum permanet. Cæterum Carolus Rex longe magnificentius illam exaltauit, atque adauxit Priuilegijs, honoribus, opibus, ſanctorum reliquijs plurimis, auro, argento, gemmiſque exornatis, uaſis itẽ auro & argento precioſis, alijſque ornamẽtis & ſtructuris, ampliſsimis ſane dotationibus, Nam non ſolum Archiepiſcopum, ſed & Præpoſitum totumque Capitulum multis donauit poſſeſsionibus. Ipſum uero templũ ex quadrato lapide magnificentiſsime ædificauit iuxta exemplar & formam Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis. Multas præterea ædes ſacras & Monaſteria uel extruxit a fundamentis & dotauit, uel uetuſtate collapſa reſtituit, cenſibuſque & ornamentis adauxit, non ſolum Pragæ, ſed & in alijs Regni oppidis & caſtellis, adeoque & in rure ac ſolitudine ampla Monaſteria, ac ſumptuoſa pro diuino cultu ædificia erexit. Quorum fœdæ cernuntur hodie ruinæ: & magnificentiæ illius ueſtigia in excelſis templorum parietibus turribuſque fœde uſtulatis utcunque apparent intuentibus. Maxime igitur floruit ſub eo Principe Bohemorum religio cultuſque diuinus, adeo ſane, ut Æneas Syluius (qui poſtea Pius Papa II. fuit in Hiſtoria rerum Bohemicarum affirmet, Ea tempeſtate nullum fuiſſe Regnum in tota Europa, tam frequentibus, tam auguſtis, tam ornatis ditatum templis ꝙ erat Bohemicum. Nullis enĩ parcebat ſumptibus pius Princeps, in omnibus quę ad augendum Dei cultum et populi deuotionem ſpectare uiderent, ut non immerito poſsimus illud ſcripturę de eo prędicare, Qui curauit gentem ſuã, & liberauit eam a perditione, qui præualuit amplificare ciuitatem, qui adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis, Qui ingreſſum domus & atrij amplificauit, et quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei, Nam ex ijs quæ Hæreticorum furore deuaſtata non ſunt, facile conijcere poterit homo cordatus, quantus fuerit ubique in templis ornatus & ſplẽdor.

Quod

Eccleſiæ Pragenſis incrementa

Magnificẽtia Caroli in tẽplis et Monaſterijs.

Eccleſ. 50.

Quod enim ſacellū uel Romæ auguſtius uidet, eo quod Pragę in maioris Eccleſiæ choro S. Vuēceslao dedicatū cernit: quanta ibi paríetū ſublimitas, quantus decor: Veſtiti eñ ſunt parietes partim cruſtis lapidis Porphyretici, adeo ſane coruſcis et expolitis, ut eas uulgo meras gēmas exiſtimet, partim picturis magnificis, Et fornix affabre concameratus, latidudine ſua parietū altitudini et ſacelli amplitudini pulchre reſpōdet. Quantū uero fuerit Monaſteriū fratrū Carmelitarum, Ingens adhuc moles & in cælum erecta tēpli pars, quæ deuaſtationi ſupereſt, admirantib. indicat per coniecturā: Et ædes Diui Iacobi, quæ Monaſteriū fratrū S. Franciſci ſibi coniunctū habet, a lanijs defenſa cōtra hæreticos, clare demonſtrat ſua magnitudine, q̃ celebris fuerit ibi & fratrū cōuentus et populi deuotio. Vnde factū eſt, ut inclytū regnū Bohemiæ, ſub pio Rege iſto, maxime floruerit in omnib. bonis, qa dñs abunde retribuit magno cū incremēto et meritorꝝ cæleſtiū, et frugū quoqꝫ opūqꝫ terreſtriū, quicquid in cultū & honorē eius impenditur, Iuxta illud quod per Prophetā dicit. Inferte omnē decimam in horreū meum, & ſit cibus in domo mea, et probate me ſuper hoc, dicit dñs, ſi nō aperuero uobis Cataractas cęli, et effudero uobis benedictionē uſqꝫ ad abundantiā. De hac dei benedictione multa habemus exēpla in hiſtorijs Regū, tum ſub ueteri tū ſub noua lege. Quis eñ inter Reges Iuda fœlicior fuit in omni benedictione q̃ Dauid q̃ Salomon, q̃ Ioſaphat, q̃ Ezechias q̃ Ioſias: At fuerunt hi omnes q̃ religioſiſsimi Reges, qui maximos in cultū dei ſumptus expenderūt. Sic et in nouo teſtamēto longe fœliciſsimi fuere Imperatores Conſtātinus Magnus, Theodoſius maior, Iuſtinianus I. Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Otto I. Henricus I. Qui ſane oēs maximos fecere ſumptus in ampliādo et exornādo cultu diuino. Itaque benedictionem a deo cōſequuti fuerunt longe abundantiorē q̃ alij anteceſſores et ſucceſſores eorꝝ, qui circa cultū dei aut negligentes aut ſacrilegi extiterūt. Sic & Carolo IIII. cōtigit, qui dei benignitate eo magis abundauit pecunijs, et omni opū abūdantia, fortunęqꝫ indulgētia et rerꝝ pſperitate, quo plus in cultū diuinū erogauit: Deus enim immēſas illi opes ex mineris et fodinis auri & argenti, in montibus Cuthnæ rependit. Habuit itaque Rex iſte pacē in Bohemia cūctis dieb. ſuis, ut totū regnū in pace floreret ac proficeret, adeo, ut non ſolū Rex ipſe magnifica et ſumptuoſa extrueret opera et ædificia: Quorum bona pars adhuc hodie Pragæ alibiqꝫ cernitur, ut Regiū in arce Pragenſi Palatiū multis ampliſqꝫ ædificijs magnificētiſsime exornatū: et Pons Multauiæ lapideus, cuius latitudo adeo ſpacioſa eſt, ut Tres currus ſimul tranſeuntes capere queat: Longitudo uero per xviij. arcus amplos extēditur.

Sacellum S. Vuenceſlai.

Proſperitas gentis ſub religioſo Principe.

Malach. 3

Florēs Regni ſtatus ſub Carolo

tur. Murus item & Mœnia maximi ambitus per colles & ualles extenſa (quibus eam cinxit urbis partē, quæ Paruū latus dicitur) tam pulchram exhibent ſpeciē intuenti, ut Praga ſitu & ſpacio Romæ ꝗ ſimillima uideatur. Arces præterea ut plurimæ, ita & munitiſsimæ, quarꝫ nōnullę a Carolo nomen retinēt. Ea maxime arx, in qua Corona regni per Burgrauios aſſeruatur, et multę præterea ſanctorū reliquiæ, et priſca regni Priuilegia. Sed & plærięꝫ Procerum ac Baronum Regni, atꝫ etiam Ciues nonnulli, pij Regis exemplo prouocati, templa & Monaſteria quædam, priuatis extruxerunt ſumptibus. Cōſtat enim eximiū Pragæ templū, quod Innocentū Bethlehē dicit, opus fuiſſe cuiuſdā Ciuis Pragenſis, ſed Huſsiticis poſtea concionibus factū eſt patriæ pernicioſum. Libet hic addere paucu los uerſus Conradi Celtis, primi apud Germanos Poetæ Laureati, ꝗs in laudē Inclytæ huius urbis ętate nr̄a cecinit carmine Sapphico.

Viſa non eſt urbs meliore cælo.
Explicat ſeptem hæc ſpacioſa colles.
Ambitu murorum, imitata magnæ Mœnia Romæ.

Vniuerſitas Studij Pragenſis. Vltra hæc oĩa maximū Regno decus inſtituit ſapiētiſsimus Princeps, Academiā Pragenſem, autoritate Ro. Pontificis Innocētij ſexti, cōductis ex Vniuerſitate Pariſiēſi Magiſtris, in omni facultate peritiſsimis, Quę ſane ſchola, impēſis et ſtudio regis, in tantā breui excreuit celebritatē et frequentiā, ut ex una Germanorꝫ Natione reperta ibi fuerint ſupra duo (quidā ſupra quinꝗ aiūt) Studentū Milia. Quorꝫ ſtudijs ita fauit ac delectatus fuit Rex, ut ad ſcholā cū Purpuratis aliqñ ueniens, tres aut quatuor horas cōtinue audierit Magiſtrorꝫ diſputationes & exercitia. Cumꝗ ab Aulicis admoneret, adeſſe tēpus cœnādi, dixerit: Ite uos ad cœnā, hic meus eſt cib. Quod aūt tanta ibi Germanorꝫ multitudo erat, illud in cauſa fuiſſe arbitror, quia eo tempore aut nullæ omnino aut perpaucæ in Germania erant Academiæ. Talis ergo fuit erga patriam et Regnū paternū Rex iſte, Princeps profecto nō ſolū pietate, ſapiētia, linguarꝫ peritia, cunctiſꝗ generoſi animi uirtutibus Illuſtris, uerum etiā Nataliū ſplendore maxime nobilis et cōſpicuus, utpote ex Imperatoria et Regia ſtirpe progenitus, Nepos quippe Henrici ſeptimi Imp. Comitis Lutzelburgē. & filius Ioan. filij eius, cui Vuēceslai ſeptimi Bohemiæ Regis, filiā Elizabethā pater Imperator deſpōſauerat, per quā & regno potitus fuit. Quales uero et quantas res geſſerit in Italia et in Germania factus Imperator Carolus, per annos xxxij. longū foret enarrare, nec attinet hic dicere. Ipſe in baptiſmo nominatus fuit Vuenceslaus: In Confirmatione uero a Franciæ Rege, apud quē adoleſcentiæ rudimenta peregit, Caroli nomen accepit. Fratrem habui

Nobilitas et uirtutes Caroli.

buit Ioannem, natu minorē, cui Morauiæ Marchionatū ceſsit, filios uero duos reliquit, Vuenceslaū, natu maiorē, quem mox in ſecū do ætatis anno, Boemiæ ſceptro donauit. Et Sigismundum alterū filium Vngarię regno deſtinauit, tradita ei uxore, nomine Maria, Ludouici Vngariæ regis filia: Fœlix per omnia pater Rex et Imperator, ſi nec Regno nec Imperio ſuffeciſſet Vuenceslaū, qui nec patris nec aui uirtutes retulit. Carolus ergo ætate grandæuus (quippe annos natus lxiij.) diem obijt Anno domini M. ccc.lxxix.

Reliquit poſt ſe rerū a ſe geſtarum hiſtoriam, quā propria manu conſcripſiſſe fertur. Cuius hoc ſane initiū eſt. Quicunq; regnabitis poſt me, decorati diademate Regū, mementote, quod et egorexi ante uos, & in puluerem redactus ſum & in lutum uermium. Similiter uos cadetis, tranſeuntes ut umbra, & uelut flos agri. Quid ualet nobilitas generis, aut rerum affluentia: niſi adſit pura cōſcientia cum fide recta, ſpe ſancta reſurrectionis? Non æſtimetis uitam ueſtram ſicut impij non recte cogitātes, cum exiguum ſit quod eſtis, quia a Deo creati, & ex nihilo nati ſitis, & poſt hæc ad nihilū redigemini, tanquam non fuiſſetis. Scitote uos habere patrem æternū, & filium eius dominum noſtum Ieſum Chriſtum, qui primogenitus eſt in multis fratrib. qui uos uult participes fieri regni ſui, ſi mandata eius ſeruaueritis, & nō inquinaueritis mentes, cōſcientias et uoluntates ſanguinis et carnis ueſtræ, efficiemini filij Dei, pro ut Ioannes in Euangelio dicit, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Si igitur uultis effici filij Dei, mandata patris ueſtri ſeruate4 qui annunciauit uobis per filiū ſuum dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, Regē cæleſtem, cuius typū et uices geritis in terris. Hæc & id genus multa pietatis monita, poſuit in præfatione. Poſt quam ſane ſic exorſus eſt hiſtoriā. Succeſsioni (inquit) ueſtræ diligēter ſcripſi uerba pręaſſumpta ſapientiæ et timoris Dei, quantū mea paruitas diuini auxilij capax fuit. Nūc de uana & ſtulta uita mea, uobis ſcribere cupio, ac de exordio tranſitus mei mundani, ut cedere ualeam uobis in exemplum. Gratiā aūt mihi a deo infuſam & amorē ſtudij, quod mei pectoris habuit4 tenacitas, nō celabo, ut tanto magis ſperetis in diuino auxilio, in laborib. uobis ſuccurrere, quanto patres et prędeceſſores ueſtri uobis magis annunciāt. Iuxta illud: Patres noſtri annūciauerunt nobis. Cupio ergo uos non latere, q̄ HENRICVS ſeptimus Ro. Imperator genuit patrē meum, nomine Ioannē, ex Margareta Ducis Brabantię filia. Qui Ioannes duxit uxorem, nomine Elizabeth, filiā Vuenceslai ſeptimi Boëmiæ Regis, & ipſe Ioannes obtinuit regnum Boëmiæ cū ea, quia maſculinus ſexus in progenie regali Boëmorū defecerat, Et expulit Carinthiæ Ducē, qui habebat

Hiſtoriā Caroli IIII. ab ipſo met ſcripta.

4 que

4 teneritas

in uxorẽ ſororem ſeniorem uxoris ſuæ dictæ, quæ mortua eſt in poſterum ſine prole. Qui regnum Bohemiæ cauſa uxoris ſuæ ante eũ obtinebat. Prout clarius in Chronicis Bohemorꝝ continetur. Genuitq́ idem Ioannes Rex Bohemię, cum Elizabeth Regina, me primogenitũm ſuũ, nomine Vuenceslaũ, anno dñi M. ccc. xvi. pridie Idus Maij hora prima in Praga. Deinde aliũ filium, nomine Ottagarum, qui in puerili ætate deceſsit, Demum genuit, et tertium, nomine Ioannẽ. Habuitq́ prædictus Rex duas ſorores, Vnã tradidit Vngarorꝝ regi Carolo primo, quę ſine liberis mortua eſt: Secundã uero dederat Carolo Francorꝝ Regi. Ipſo regnante in Francia, anno incarnationis dñi M. ccc xxiij. miſit me pater meus iã dictus ad dominũ Carolum Regem Franciæ, me exiſtente in ſeptimo anno, fecitq́ me dictus Rex Francię per Pontificẽ confirmari, et impoſuit mihi nomen ſuum æquiuocum, uidelicet Carolus. Et dedit mihi in uxorem filiam Caroli patrui ſui, dictam Blanca, mortuaq́ eſt uxor ſua, ſoror patris mei, anno illo ſine prole. Interim idem Rex aliam ſibi in matrimonio copulauit, dilexitque me præfatus Rex ualde, & præcepit Capellano meo, ut me aliquantulum in literis erudiret, quamuis ipſe Rex ignarus eſſet literarũ. Ex hoc didici, legere horas Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, & eas aliquantulum intelligens, quotidie temporibus meæ pueritiæ libentius legi. Quia præceptum erat cuſtodibus ac tutoribus meis a Rege, ut me adhoc inſtigarent. Rex autem prædictus non erat auarus pecuniæ, & utebatur bono conſilio, & curia eius reſplendebat ſenum principum tam ſpiritualium quam ſæcularium frequentia. Hoc eſt initium hiſtoriæ Caroli IIII. Impe. lectu nimirum digniſsimæ, ſi tota extaret, quam ego totam uidere hactenus non merui. Vuenceslaus igitur filius eius, ſtirpe quidem nobiliſsimus extitit. Nã & pater & proauus eius fortiſsimi ac ſapientiſsimi fuerunt Imperatores Romanorum, & auus eiuſdem Ioannes Cæcus, uictorioſus ac prudens Rex, qui Regni Bohemiæ fines ampliſsime dilatauerat, & apud Germanos, abſente in Italia patre, Henrico Imperatore VII. Vicario nomine imperauerat. Mortuo uero patre in Italiam quoq́ cũ exercitu pene trauerat, ubi plurimas ciuitates in deditionem acceptas, non paucis annis tutatus fuit. Cæterũ Vuenceslaus iſte, Caroli Imp. filius & Ioan. regis Nepos tanta fuiſſe ſocordia depreſſus dicĩ, ut opes et honores, q̃s ei pater multo labore ſumptuq́ et ingenio acquiſierat, retinere nõ potuerit, tm̃ abeſt, ut auxerit. Etenim regni Bohemiæ ſceptrꝝ procurauit ei pater Carolus, cũ adhuc eſſet infãs et bimulus: Imperij uero ius & Ro. regni coronã, cùm iam adoleſcens eſſet, xv agens ætatis annum. Præfuit itaque Bohemiæ regno annis LV. a prima

Carolꝰ religioſe in Frãcia educaꝰ

Maior filiꝰ Caroli.

prima ſui coronatiõe,ſub patre quidem annis XXI. Poſt mortẽ uero patris annis XXXIIII. In regno aũt Romnoꝝ tantũ XXII. annis pro rege eſt agnitus. Nam reiectis omniũ reꝝ curis,luxui et ocio deditus,uinoque ac ſomno ſepultus, incidit in illud maledictum, quod apud Eſaiam legitur. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſq; ad ueſperam,ut uino æſtuetis &c. *Eſa. 5.*

Habuit quidem uxores duas,Primo Iohannã,Deinde Sophiam ſed nullos reliquit liberos,per inertiã et ebrietatem,ſomno magis et Baccho,quam propagationi & coniugali debito intẽtus. In quẽ ſane illud Hieremiæ, quod in ultimum regẽ Iuda Ieconiã dictũ fuit, haud inepte quadrare uidetur. Terra,terra,terra,audi ſermonẽ domini. Hæc dicit dñs, Scribe uirũ iſtũ ſterilem, uirũ qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine eius uir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid. Adeo enim non eſt proſperatus Venceslaus iſte,ut optima quæq; patris inſtituta per eius ignauiã ſint uel omnino deperdita,uel in peiorẽ ſtatum dilapſa,ut Inclyto Bohemiæ regno illud quoq; uæ ſuperinduxerit, quod ſapientiſsimus Rex Salomon Spiritus ſancti oraculo protulit, Væ tibi terra, cuius Rex eſt puer,& cuius Principes mane comedunt. Fuit itaque in Quarto regni eius anno poſt obitũ patris,ſæuiſsima peſtis,quæ intra mẽſes Quatuor Pragæ in una S. Stephani parochia ſupra Tria Milia funerum abſumpſit. Fuit paulo poſt grauis in ea urbe tumultus,In quo populari furore ſæuitum eſt in Iudæos, tanta ſane crudelitate,ut intra duas horas aliquot Milia(ut ait Æneas Syluius)neci data ſint,& neque ætati neque ſexui parcitum fuerit, domibus eorum direptis & incenſis. Sed ſint hæc mala fortuita,quæ regi nõ imputentur in culpam,Certe quod hæreſis Vuiclephi ex Anglia(ubi orta, nunq̃ uiguit aut preualuit,in Bohemiã ſub hoc rege introducta fuit,per quã nõ ſolũ celeberrima periȷt Vniuerſitas,præcipuũ regni decus, uerũ etiã Catholica religio (q̃ tũ maxime florebat)ita cecidit, non abſq; infinita et animarũ & corpoꝝ iactura,ut nõ poſsit facile in priſtinũ ſtatũ unq̃ reſurgere:id nullo excuſationis fuco regẽ iſtũ a ſempiterno nominis macula liberabit. Potuiſſet eñ prohibere,& nõ prohibuit. Qua de re altius repetendũ eſt mihi huius mali principiũ, q̃ ab alijs hactenus repetitũ uidi. Vuicleph igit Imperãte Carolo IIII. graues cõtra Cleꝝ contẽtiones in Anglia ſuſcitauit Ioan. Vuicleph,quod eſt Anglice interpretatũ, Ioan. impię uitæ. Qui cũ eſſet uir ingenio acer,uehemens & acutus,quam plurimos ſcripſit libros,ſermoneſq; & tractatus,quorum permulti commemorãtur, partim a Thoma Vualden Anglo,partim a Ioan. Przibram Bohemo: De quibus & mihi ex Anglia quidam ſcripſit Epiſcopus,eſſe ſibi

Vuenceſlaus ſine liberis.

Hiere. 22.

Eccleſ. 10.

Peſtis.

Seditio.

Hæreſis.

Scripta Vuiclephi.

adhuc hodie duo maxima uolumina Vuiclephi, quę mole ſua uideantur ęquare Opera B. Auguſtini. Cùm eſſet itaq; ſcientia inflatus, & per ſuperbiam gloriæ ac nouarum rerum cupidus, in Oxonienſi Academia, libris ſuis noua dogmata ſpargere cœpit, factus autē doctoribus per parodoxa ſua ſuſpectus, & apud Eccleſiæ prælatos

al' + Laguſtriæ

delatus, protectorem ſibi conquiſiuit Comitē + Laocuſtriæ, uirum præpotentē in Anglia. Sub cuius ꝓtectione tutus ac ſecurus, liberrime ſcripſit quicquid uoluit. Archiepiſcopus Cantuarienſis, conuocatis Angliæ Epiſcopis & Prælatis, Londonijs in conuentu ordinis Prædicatorum, Synodum Prouincialem habuit, In qua multa illius dogmata uelut hæretica communi omnium ſententia ſunt dānata, a XIII. Epiſcopis & XXX. Magiſtris in Theologia. At Vuicleph adeo non emendauit errata, ut per contemptum et irriſionē uocauerit Synodum illam terræmotum, contra quam & in multis publice inuectus eſt libris & ſermonibus. Et in Quarto Trialogi

aliàs 4 lxxij: Quod et Chronicis conformius eſt.

ſui libro cap. 36. ſic habet. Anno domini M. ccc + lxxxij. recenter & pertinaciter in ſuo Concilio terræmotus Londonijs fratres generaliter intoxicauerunt regnum noſtrum &c. Hæc ubi ad ſedem Apoſtolicam delata fuerunt. Gregorius Papa XI. reſcripſit ad uniuerſitatem Oxonienſem, mandans ut illum caperent ſeu capi facerent, et Archiepiſcopo Cantuarienſi, aut Epiſcopo Londoniēſi ſub

Vide Albertū krantz in Vandalia li. 10. c. 23

fida cuſtodia tranſmitterent. Verum uiuo eius protectore, & con niuente etiam rege Eduardo, non in perſonam animaduerti licuit, ſed in libros eius animaduerſum eſt ab Epiſcopis & Doctoribus. Vnde factum eſt, ut poſt mortem ipſius, quidam ex diſcipulis eius,

Libri Vuiclep. in Bohemiam alati.

nomine Petrus Payne Anglus, Pragam cum libris illius profugerit, regnante Venceslao: ea forſitan occaſione permotus, quod ante eū Boëmus quidā genere nobilis, ex domo, quā putridi piſcis uocās apud Oxoniā in literarū ſtudio cōſtitutus, libros Vuiclephi, quibus titulus eſt de Vniuerſalibus realib. inde in patriam ſecum retulit, uelut precioſum theſaurū. Quos Pragæ diuerſis trāſcriptionib. multis hominib. cōmunicauit, et iuxta nomen ſuum, putridi hæretici letale uirus ciuibus ſuis infudit. Cōmodauit uero libros illos ijs potiſſimū, qui Teuthonicorū (uti refert Æneas) odio tenebant, ut illi per noua dogmata uexati, Academiā Pragenſem, in qua ꝑualebāt, Boemis regendā diſcedētes relinquerēt. Priuſq; tū inualuiſſet lues illa

Cōdemnatio librorū Vuiclephi.

uulgo apud multos, Doctores et Magiſtri almæ Vniuerſitatis Pragen. qui iā acceperāt multos Ioan. Vuicle. articulos publice dānatos fuiſſe: non ſolū in Anglia ꝑ Conciliū ꝓuinciale. et ꝑ Vniuerſitatem Oxonienſem, uerum etiam Romæ in Concilo generali: & Pariſijs a Celeberrima facultate: Theologica propoſuerunt & ipſi

xlv. articulos Vuicle. publice examinãdos, ſub hoc uerborũ tenore.

XLV. Articuli Ioannis Vuiclephi.

1 Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia uini, manent in ſacramento altaris poſt conſecratiouem.

2 Accidẽtia panis nõ manẽt ſine ſubiecto in ſacramẽto altaris.

3 Chriſtus non eſt in eodem ſacramento identice, realiter, & in propria præſentia corporali.

4 Si Epiſcopus uel ſacerdos exiſtat in mortali peccato, non ordinat, non conficit, nec baptizat, nec conſecrat.

5 Nõ eſt fundatũ in Euãgelio, ꝙ Chriſtus Miſſam ordinauerit.

6 Deus debet obedire Diabolo.

7 Si homo fuerit debite contritus, omnis confeſsio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.

8 Si Papa ſit præſcitus & malus, et hinc membrũ diaboli, nõ habet poteſtatẽ ſuper fideles, ab aliquo ſibi datam, niſi forte a Cæſare.

9 Poſt Vrbanum ſextum, non eſt alius recipiendus in Papam, ſed uiuendum more Græcorum ſub legibus proprijs.

10 Cõtra ſacrã ſcripturã eſt, ꝙ uiri Eccleſiaſtici habeãt poſſeſsiones.

11 Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum excommunicatum a Deo.

12 Excommunicans Clericum, qui appellauit ad Regem & Concilium regni, eo ipſo eſt traditor regni.

13 Illi qui dimittunt prædicare, ſiue uerbum Dei audire, propter excomunicationem Prælati, ſunt excommunicati, et in die Iudicij traditores Chriſti habebuntur.

14 Omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam, ſunt excomunicati.

15 Nullus eſt Dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16 Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia et poſſeſsiones ab habitualiter peccantib.

17 Populares poſsunt ad ſuũ arbitriũ dños delinquẽtes corrigere.

18 Decimæ ſunt meræ Eleemoſynæ, & Parochiani propter peccata poſſunt eas ad libitum auferre.

19 Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos religioſos, non plus proſunt eidẽ ꝗ Generales, cæteris paribus.

20 Conferens eleemoſynã fratribus, eſt excõmunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur religionem priuatam quamcunque, tam poſſeſsionatorum quam mẽdicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſeruanda mandata Dei.

22 Sancti inſtituentes religiones priuatas, ſic inſtituendo peccauerunt.

23 Religioſi uiuentes in religionibus priuatis, non ſunt de religione Chriſtiana

24 Fratres tenentur per labores manuum uictum accipere, non per mendicitatem

25 Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro alijs, in temporalibus obuenientibus

26 Oratio præſciti nihil ualet

27 Omnia de neceſsitate abſoluta eueniunt

28 Confirmatio Iuuenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſeruantur Papæ & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris

29 Vniuerſitates, ſtudia, Graduationes, Collegia & Magiſteria in eiſdem, ſunt uana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus

30 Excommunicatio Papæ uel alterius Prælati non eſt curanda, quia eſt cenſura Antichriſti.

31 Peccant fundantes clauſtra, & ingrediẽtes ſunt uiri diabolici.

32 Ditare clerum, eſt contra regulam Chriſti.

33 Sylueſter Papa & Conſtantinus Imperator errauerunt, Eccleſiam ditando

34 Licet alicui Diacono uel Presbytero prædicare uerbum dei abſque Apoſtolicæ ſedis uel Epiſcopi autoritate.

35 Ingredientes aliquam religionem, eo ipſo ſunt inhabiles ad obſeruanda diuina præcepta, et perueniendum ad regnum cælorum, niſi apoſtatauerint ab eiſdem

36 Papa cum omnibus Cardinalibus & Clericis, poſſeſsionem habentibus, ſunt hæretici: et laici, iſtis conſentientes

37 Eccleſia Romana eſt Synagoga Sathanæ

38 Credere indulgentias eſt fatuum.

39 Decretales Epiſtolæ ſunt Apocryphę & ſeductiuæ a fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui eis ſtudent

40 Imperator & ſæculares ſunt ſeducti a Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus

41 Electio Papæ a Cardinalibus eſt per Diabolum introducta.

42 Non eſt de neceſsitate ſalutis, credere Ro. Eccleſiam eſſe ſummam inter alias Eccleſias.

43 Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & ciuilia commercia

44 Auguſt. Benedictus, Bernardus, dãnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſsiones, & introierunt religiones.

45 Omnes religiones indifferenter introductæ ſunt a diabolo.

Quos

Quos quidē articulos rite & legitime examinatos, generali ſententia, uno ore et cōmuni omniū conſenſu, per ſolenne decretū condē nauerūt Doctores et Magiſtri Academiæ Pragenſis, Anno Dñi M cccc.viij. Cuius rei teſtem ocularem produco, M. Ioannem Przibram Bohemum, qui cùm multis annis inter Huſsitarum Doctores fuerit unus de præcipuis, reſipiſcens tamen poſtremo, açerrime Vuiclephiſtas impugnauit, atque etiam ex proprijs Vuiclephi uerbis confutauit & conuicit. Operępretium itaque fuerit, ipſius propria recitare uerba, ſicut habentur in ipſius libris. Etenim in eo libro, quem de articulis Vuiclephi ex diuerſis eius libris collegit: contra eos qui dicebant, Vuiclephum nunquam tam enormes ſenſus uel tenuiſſe uel poſuiſſe, ſed per calumniam excerptos eſſe ex argumētis eius, quæ ipſe nō approbauerit, in hæc uerba præfatur. Abſit hoc a me (inquit) et ab omni uiro Deū timente, ut tam ingentē iniuriam, et illius uiri tam infauſtam calumniā, abiecto Dei timore, in animæ meę grauē miſeriam uelim uacuas iniquitates cudere: in mēdacijs fructum ponere, & ultionem diuinam pro merito expectare. Reuera antequam huiuſmodi ſtultitiæ notam uellem poſt me pudenter mundo relinquere, præeligerem potius, neruis & oſsibus in ſupplicio crepantibus, uitam exhalare. Videant ergo quæſo & reuideant, uerſent & reuerſent loca, ad hos eiſdem ſignata, omnes mei æmuli, certus & ſecurus mihi uideor, quod ſiue fuerint Catholici ſiue Vuiclephi diſcipuli, quod nō poterunt me in iſtis iuſte calumniari, ſi operam dignam dent ęquitati. Quod ſi etiam proprijs uerbis nolunt credulitatem adhibere, ecce in uiuacius ueritatis argumentum, + duco eis in medium exempla famoſiſsima plurimarum Vniuerſitatum atque Conciliorum Generaliū, xlv. articulos Vuiclephi acute & argute reprobantiū. Quorum pene tota ſententia compręhenditur, in ſententia pręſentiū articulorū. Quod ſi necꝫ his adhuc, tanq̃ alienis dignatur credere, Ecce in magis euidens probationis experimentum, propono eiſdem opus, non ſolū in hoc regno, ſed ubilibet alibi uulgatiſsimum, & ueritate & fama opinatiſsimum. Noſtris quidem diebus, & plurimorū Magiſtrorꝫ hodie uiuentiū memoria compręhēſum (Quorū pridem in diſputatione publica contra Anglicum, efficax & ſolidum de hoc factū eſt, & auditum ab omnibus teſtimonium) ſcilicet, qualiter Anno reuolutionis domini M.cccc.ix. uel circa) a quo nunc fluxerunt anni pene xxij.) poſt unam conuocationem Vniuerſitatis, & alterā Theologicæ facultatis, præfatos articulos xlv. damnantium, facta eſt plena & tertia cōgregatio Doctorum Nationis Bohemieę, pariter et Magiſtrorū et Bacalaureorū et Studentū omniū, ad Nigrā Roſam

Magiſter Ioan. Przibram.

Verba præfationis.

+ produco.

Condēnatio publica xlv. articulorum.

Anglicum, ſcilicet Petrum Payne.

Ioannem Hus loquitur qui apud Bohemos Antonomaticè M. Ioã. dicitur ſicut in Eccleſia per Apoſtolum Paulus, et in ſcholis per Philoſophum Ariſtoteles intelligi ſolet.

Sententia Nationis Bohemicæ contra Vuicleph.

forte + deſideratius.

Iuſta ſententia.

Roſam in Praga congregatorũ(Etiã in ipſa cõgregatiõe Magiſtro Ioanne præſente,et ipſo inter Principales principaliter uota dante et omniũ magiſtrorũ uoce, nullo penitus cõtradicẽte. Et quidẽ etiã me tunc præſente,et talia ut gerebantur contemplante) Votoet cõ ſenſu omniũ facta eſt corã publicis notarijs talis concluſio,& in hũc modum pronunciata coram omni aſtanti Auditorio. Notum ſit omnibus,quod omnes Doctores & Magiſtri, hic cõgregati, Vna nimiter,nullo penitus contradicẽte,Articulos xlv. Vuiclephi reprobauerunt,refutauerunt et prohibuerunt. In ſenſibus eorũ Hęreticis aut erroneis aut ſcandaloſis. Mandantes omnibus & ſingulis eiuſdem Nationis ſuppoſitis,quatenus nemo huiuſmodi articulos audeat temere defendere uel docere , publice uel occulte, Et hoc ſub pœna(grauiori quam tunc poterant infligere, ſcilicet)excluſionis a prædicta Natione. Prohibueruntinſuper ne aliquis infra Magiſtrum,libros ipſius Vuiclephi præcipue libros de Euchariſtia Dialogũ et Trialogum(ubi prędicti articuli eius patẽtius et + deſiderius uidebantur reſperſi)audeat legere,ne in errorum uoragines dinoſcantur præcipites declinare. Quam quidem ſentẽtiam, niſi iuſta foret,tales & tam ingenui cum Magiſtro Ioanne, pro toto mundo, etiam morte inſtante,nullatenus facerent,nec pro nihilo talem iniquitatem in Deum committerent,nec innocentem & iuſtum damnarẽt:Reuera non ſua improuidentia mundũ ſeducerent, nec infinitos ſcandalizarẽt.Qua propter horũ omniũ uirorũ tam Illuſtriũ et doctiſsimorũ,tamq; multorum,uno animo in eundẽ ſenſum cõuenientium,ſecurior factus atq; roboratus exemplo & præiudicio, Clamo, & cordialiter omnes huiuſmodi incredulos hortor & admoneo,Quatenus ipſi,nõ dico iam mihi(prout rectè putant)miſero & inutilę,ſed uerius cautæ et tam clarę teſtium interpoſitæ nubi & ſapientũ multitudini apertius elegant credere,& nocentiſsimam duritiam incredulitatis ſaltem iam ſero deponere. Hæc ibi Bohemus ille M.Ioannes Przibram. Quæ & in fidei ſuæ cõfeſsione ſub eiſdẽ fere uerbis repetijt,dicẽs, Profiteor toto animo,quod decretũ & ſententia.In congregatione Doctorum Magiſtrorum & totius Nationis Bohemicæ. Circa annum dñi M.cccc viij. facta in Vniuerſitate Pragenſi,in domo Nationis ad Nigrã Roſam,Magiſtro Ioanne Hus tanq̃ Principali in eadem præſente & conſentiente,& me illic etiã præſente et coaſsiſtente.Eſt in hoc de tanto iuſta & rationabilis atq; uera,de quanto oẽs et ſinguli unanimiter,nullo penitus contradicente,decreuerunt &c.

Triplex cõdemnatio.

Ex his ergo clare patet, Vuiclephi doctrinam fuiſſe tunc Pragæ Tripliciter condemnatam , ab Vniuerſitate generaliter,a facultate Theologica ſpecialiter,et a Natione

tione Bohemica ſpecialiſsime (ut ſic dicam) & ſeueriſsime. Neque tamen diu profuit omnis illa diligentia, adeo tenax malum eſt hære ſis ſemel concepta, quæ nouitate ſua prauitatem cordis humani alli cit ad res nouas & in ſui admirationem, maxime ubi odium, Inuidia, aut uana gloria, Rationis iudicium obnubilat aut penitus excæ cat. Quamuis igitur M. Ioannes Hus in publico tot eruditorū hominum cœtu, unanimi omnium ſententiæ contradicere non auderet, In occultis tamen colloquijs non deſtitit, Vuiclephico ueneno multos inficere. Cunq; flagraret uehemēti in Teuthonicos (qui & literarum peritia & uitæ honeſtate, morumq; grauitate Primatum in Pragenſi Vniuerſitate obtinebant) odio & inuidia, & ſciret eos intentioni, & conatui ſuo reſiſtere & obſtare, aliam reperit malignandi uiam. Qua ſuis perſuaſit Bohemis, ut peterent a Rege, quatenus mandaret, Academiam Pragenſem gubernari iuxta ritum & inſtitutum Vniuerſitatis Pariſienſis, ne uideretur diuerſum a matre morem habere filia. Erat ſane Vniuerſitas Pragenſis in Quatuor Nationes ab initio diuiſa, nempe in Bohemicam, in Saxonicam, in Bauaricam, & in Polonicam, Quæ omnes ex æquo gaudebant libertatibus & Priuilegijs illius Vniuerſitatis a Papa & Imperatore conceſsis. Hus uero cum ſuis petijt a Rege, ut in honorem gentis & Regni unam Nationem Bohemorum cæteris tribus æquipararet; Ita ſcilicet, ut in omnibus emolumentis & honoribus una Bohemo rum Natio tantum reciperet, quantum omnes aliæ ſimul iunctæ. uerbi gratia, ut in electionibus ad præbendas Vniuerſitati incorpo ratas, ad Collegiaturas, ad officia et dignitates Rectoratus & Deca natus, in examinationibus perſonarum promoueri uolentiū. Vna Bohemorum Natio tantum poſſet, quantum aliæ tres ſimul, etiam in qualibet facultate. Erant enim Quatuor facultates. Prima Theologię, Secunda Iuris Canonici, Tertia Medicinæ, Quarta Artium liberalium. Rex itaq; a Bohemis perſuaſus, ſtatuit & mandauit ut Rector Vniuerſitatis, & Decanus facultatis Artiū, atq; etiam Examinatores promouendarum in facultate artium, eligi deinceps deberent alternatis uicibus: Ita ſane, ut una mutatione (ſic uocant ſemeſtre tempus ſeu dimidij anni ſpacium) præeſſent Bohemi, altera Teuthonici, non curando, cuiuſnam exiſterent Nationis. Verum tres aliæ Nationes, uidentes hoc mandatum Regis eſſe contra antiqua & primæua Vniuerſitatis Priuilegia & ſtatuta, quibus iuramēto obſtricti erāt, nolebant in illud cōſentire, quoniam ſalua conſciētia non poterant. Bohemi uero Pragenſes, Regio confiſi mandato, non iure aut rationibus, ſed ui & armis agendum cenſentes, mul titudine armata irruperunt in Collegium & Lectorium facultatis

Practica Iōannis Hus cōtra Teuthonicos.

Quatuor Nationes Vniuerſitatis.

Mādatum Regis contra Priuilegia.

Irruptio Ciuium Pragenſium in collegium Artiſtarum

Artium, Regiſque nomine mandauerunt trium Nationum Magiſtris, ut eos reciperent Rectorem Vniuerſitatis & Decanum facultatis Artium, quos ipſi nominaturi eſſent. Magiſtri autem etſi multa commemorarent incommoda, quæ inde futura eſſent, atq; allegarent ſtatuta Vniuerſitatis a ſe iurata, quibus citra piaculum & læſæ conſcientiæ reatum, contraire non poſſent, uſque adeo tamē nihil profecerunt, ut coacti fuerint, non ſolum recipere nouum Rectorem & Decanum, quos Bohemi uellent, Verum etiam reddere claues & clenodia Vniuerſitatis. Atq; etiam pecunias fiſci facultatis Artium, una cum clauibus ad Bibliothecam. Quibus & Ioannes Auguſtini, adiunctis ſibi Scabinis, diſtricte mandauit, nequis eorum, Collegium facultatis exiret. Temperatum quidem fuit ea uice a manuum iniectione, Poſtea tamen, cùm ſæpe in eum modū irruerent armati, metum & terrorem incutientes, uulneratus ab eis fuit uir egregius, M. Ludolfus Meyſtermā, Natiōe Saxo, fuiſſetq; omnino interfectus, niſi ſubueniſſet ei Magiſter Ioannes Hofman, qui tunc Rector erat Vniuerſitatis, poſtea Epiſcopus Miſnenſis factus, In Concilio Conſtantienſi præclara eruditione inſignis inter Epiſcopos illius temporis enituit. Teuthonici, cùm fruſtra per integrum annū et Vuenceslai Regis et Cōſiliariorum eius opem, contra eiuſmodi auſus & uiolētias inploraſſent, ſurdiſq; (quod aiunt) fabulam narraſſent de futuris (ni præcauerent) ex Vuiclephica hæreſi malis: Inito cōmuni inter ſeſe conſilio, ſtatuerunt abire & alium publicis ſtudiis quærere locum. Requiſiti itaque ab eis Illuſtriſsimi ac religioſiſsimi Principes, Lātgrauij Turingiæ & Marchiōes Miſnæ, aſsignauerunt pro publica ſtudiorum profeſsione locum perquam idoneum, Celebre Oppidum, Lipſiam, ubi & ager fertilis et aer ſalubris exiſtit. Turmatim igitur abeuntes Praga Doctores & Magiſtri cum duobus Milibus ſtudentum, itinere Trium (ut ait Æneas) aut quatuor potius quinq; ue (ut ego puto) dierū peruenerunt Lipſiam Anno domini M.cccc.ix. Vbi publicum inſtituerunt Gymnaſium, diuidentes Vniuerſitatem, iuxta morem Pragenſis Academiæ, in Quatuor Nationes, Miſnenſem, Saxonicam, Bauaricā & Polonicam: ſed ita, ut una in genere Natio, multas in ſpecie comprehenderet Nationes. Verbi gratia, Bauarica comprehendit non ſolum Bauaros, ſed etiam Auſtrios, Styrios, Carinthios, Sueuos, Heluetios, Rhenenſes, & Francones. Polonica item Bohemos, Luſatos, Vandalos, Sleſitas, Prutenos &c. Magnis præterea donati ſunt libertatibus, priuilegijſque & Cenſuum perpetuorum fundationibus, collegiaturis itē, & præbendarum Cathedralium Eccleſiarum, Miſnenſis, Merſeburgenſis, Nūburgenſis et Citicenſis incorpora-

M. Ioannes Hofman.

Studium Lipſenſe ex Pragenſi ortum.

porationibus. Quæ ſane omnia cũ tempore ſic adaucta ſunt, ut auſim dicere, Nullum eſſe hodie in tota Germania literarum Gymnaſium tam commode inſtitutum, aut tam certis ac firmis cẽſibus fundatũ, q̃ Lipſenſe cernitur. Hæc eſt prima ruina floris & decoris Bohemici, & primus fructus malæ arboris, doctrinę Vuiclephicę, per quam ruit alto a culmine Praga. Ex hac enim Teuthonicorum emigratione, ita defecit paulatim ac cecidit laudabilis ac celebris Vniuerſitas illa Pragenſis, ſupremum atq; altiſsimum totius Regni decus, ut ne ſpes quidem ſuperſit recuperandi ſplendoris illius priſtini. Hanc uero ruinam Vniuerſitatis, mox ſequuta eſt longe grauior Catholicæ religionis & fidei ruina, per quam ſane mala uniuerſa in florentiſsimum regnum illud aceruatim irruerunt, hæreſes, ſchiſmata, blaſphemię, diſſenſiones, odia, detractationes, diſputationes uentoſę, prophana colloqa, temeraria iudicia, rixę, ſeditiones, cędes, bella, pugnæ, direptiones, prædæ iniquæ, nefanda ſacrilegia, immaniſsimæ ſtrages, & quid non? Et durauerunt ea mala, in continuo feruore & motu, ſupra L. annos, nẽpe ab anno dñi M.cccc.ix. uſq; in annũ M.cccc.lx. & ultra, in eo regno, Quod Carolus Impe. aureum & omnibus bonis decoratum filio ſuo Venceslao reliquerat, pace & religione florens, populiq; pietate & deuotione decorũ, ac doctorũ hominũ fama & ſapiẽtia celebre. Etenim M. Ioan. Hus, eiectis per ſupradictas iniurias Teuthoniis, liberior factus, uirus Vuiclephicũ, quod in corde gerebat, per os in populũ effundere palã cœpit. Nã cũ eſſet in ſermone potens, & mundioris uitæ opinione clarus, nactus cõcionandi munus in celebri Eccleſia Bethlehẽ (quã Æneas S. Apoſtolis Matthæo & Mathiæ, alij Innocentibus ab Herode Rege peremptis, ſacrã dixerunt) populũ ſenſim perduxit in odiũ Cleri, per commendationem doctrinę Vuiclephi. Et nõ ſolũ ore, ſed & calamo ſtuduit impia illius hęretici dogmata ad Laicos diuulgare, transferens aliquot libros eius in linguã Bohemicã, quos uel magni muneris loco mittebat ad potentiores Laicos, et quidẽ non ſolũ ad Proceres Bohemiæ, ſed etiã ad uicinos eiuſdẽ linguæ peritos Morauos: atq; adeo ad Morauiæ Principẽ Marchionẽ Iodocũ trãſmiſit quatuor libros trialog, in uernaculũ translatos, qui inter oẽs Vuiclephi libros maxime ſint uirulenti & hęretici. Is aũt Princeps, cũ eſſet regi Vuenceſ. Patruelis, erat adeo clarus & potens, ut quidã Germaniæ Principes Electores, illũ, abiecto Vuenceslao, in Regẽ Ro. elegerint. Vnde et Regali cũ ſceptro ſepultus eſſe ferẽ in Brũna, munitiſsima Morauiæ urbe. Quod aũt in Catalogo Regũ & Imp. Ro. non connumeratur, inde accidiſſe arbitror, q̃ ſex tm̃ mẽſes ab electiõe ſui ſuperuixit, & nõ fuerat uno

Per hęreſim omnia in peius lapſa ſunt.

Diſſeminatio ueneni Vuiclephici per Ioan. Hus.

Marchio Morauiæ.

omniũ electorũ conſenſu approbatus. De quo ſic referunt nõnulli Chronographi. Cũ Pragã ueniſſet animi cauſa ad Veceſ. regẽ, uocauit cũ Rex in penitiorẽ ędiũ partẽ, ubi in hęc uerba illũ eſt allocutus Etſi ſatis ſcio, non eſſe e dignitate mea, quod electores Imp. me Regno Rom. abdicauerunt, ſolatio tñ eſt, quod ex familia noſtra hoc decus non excidit. Ego te libens uolenſq; ſucceſſorẽ mihi datũ accipio. Iodocus uero his uerbis exterritus, ad Regis genua procubuit, orans, ne ſibi quicq̃ imputaret, cũm earũ rerũ omnino ignarus eſſet. Cui Rex. Pone metũ, inquit, Nepos, Nã neq; Imperium inuitus depono, neq; ſi retinere illud cupiã, iura ſanguinis uiolare auſim Bono igitur animo eſto, Imperiũq; tibi demandatũ ſuſcipe, Viris, armis, opib. regni mei tanq̃ tuis, ut libet, utere: atq; ita lætũ muneribusq; donatũ illũ a ſe dimiſit. Hus uero nõ ſolũ cõciliabat ſibi populũ concionib, & Magnates librorũ Vuiclephi in Vernaculũ uerſionibus, uerumetiã ex Clero magnã ad ſe partẽ trahebat, Nã plerique diſſolutioris uitæ, alieno ære grauati, & Eccleſiaſtico iudicio propter ſceleri obnoxij, ea nouitate pœnas ſe ſperabant euaſuros. Nõnulli uero doctrina celebres, et morũ honeſtate præditi, iniquo ferebãt animo ſacerdotia maiorũ cenſuũ ijs cõmitti, qui q̃uis nobilitate præirent ſcientia tñ longe inferiores eſſent. Excæcati itaq; inuidia, ac nouarũ rerũ ſtudio, prioris ſuæ obliti ſentẽtiæ (qua Vuiclephi doctrinã cõmuni omniũ cõſenſu dãnauerãt) iũxerũt ſe Io. Hus, a catholica Eccleſia deficientes, Cũq; in quoſdã uitioſos et indoctos ſacerdotes, uerũ ac iure poſſent inuehi: odio et inuidia perciti, in oẽs generaliter latrare cœperũt, adeo ut etiã Sedi Apoſtolicæ nõ parcerẽt. Inter quos ſane, poſt Io. Hus, doctrina et eloquẽtia præeminebant Hierony. Pragenſ et Iacobellus Miſnenſis, cõcionatores egregij, qui populũ in odiũ ſacerdotũ et monachorũ concitabãt. Ipſe aũt Hus ſæpe inter concionandũ iactitabat libros Vuiclephi, aſſerẽs, in eis omnẽ ueritatẽ cõtineri, a dijciẽſq; crebro, optare ſe, ut poſt mortẽ in ea proficiſceretur loca, ad quæ Vuicle. anima perueniſſet, quẽ nõ dubitaret fuiſſe uirũ bonũ, ſanctũ, cæloq; dignũ. Dũ hæc agerentur Pragæ, et Ioan. Hus multi ex doctorib. et magiſtris pia & fraterna admonitione incaſſum et ſine correctionis fructu increparent, & fruſtra rogarent, ut deſiſteret ab eiuſmodi cœptis: M. Andreas de Broda Bohemus. Artiũ Magi. ac ſacrę Theologię Baccalaurius formatus, ſcripſit ad Archiepiſc. Pragenſ. dominũ Suinconẽ, cognomẽto leporẽ ex nobiliſsima Baronũ de leporibus familia prognatũ, Raudnicij in arce ſua Archiepiſcopali habitantem, de his omnib. uehemẽter eũ adhortans & obteſtans, ut his malis obuiaret. Inter cętera enim ſic ſcripſit. Valde timendũ exiſtimo illud horribile dñi noſtri,

Multi ex clero ad Io. Hus defecerunt.

Epiſtola Andreæ Brodæ ad Suinconẽ Archiepiſcopum.

noſtri,quod Ezechiel ſcribit. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores,requirã gregẽ meũ de manu eorũ.Formidabile & pauendum,ne ſanguinẽ ouiũ de manu paſtorum quandoq; requirat.Auſcultet Reu.ueſtra Paternitas,ſiquis has brutas ouiculas prędaretur & abigeret hominibus ueſtris,Nonne ueſtri milites,nonne famoſi Clientes,nõne ualidi feſtinarẽt armigeri:Immo,quod plus eſt, ueſtræ Paternitatis tota conſurgeret parentela, Quatenus abigere gregem pauperũ non ſinerent,ſed ut prædam abactã recuperarent, etiam cum nobilium corporum diſpendio ueluti Tigrides currerent, ſeſeq; conflictui ingererẽt, quoaduſq; recuperarẽt prædã cũ effectu.Reuera pluris eſt unica anima hominis,q̃ talia Mille Milia gregũ.Igitur plùs inuigilãdum eſt,ne hoſtis noſter aduerſarius diabolus, ſuis uenenatis decipulis captiuans & illaqueãs animas, ipſas abigat & ſecũ in interitũ ducat.Labor hic, uigilia hęc uobis incũbit ex officio paſtorali:Cuius eſt,errantes corrigere, et ad uiam reducere,Immo etiã compellere,ueritatis. Vt aũt res,quã intendo,ueſtrę R.P. pateat,Ecce palã dico,quod uarij libri illius peſtilentis hæretici Vuicleph Anglici in ueſtra multiplicantur Diœceſi,Qui non paucos,Immo cõplures erroneos articulos,Immo dãnatos ac merito damnãdos continent. Quales ſunt Dialogus et trialogus,et tractatus de corpore Chriſti, & plures alij,ut audio, Ex quibus & eorũ uenenatis poſitionibus timendũ eſt,ne oues letaliter & inſanabiliter ſaucientur.In quib. præcipue damnabilis ponitur articulus,Quod in ſacramento altaris maneat panis poſt conſecrationẽ. Contra quẽ articulũ ſcribere cogor, Quia prius cauenda ſunt uulnera quã ueniãt.Et †Cirologi prius uaria præparãt antidota, quã ad ſe uulneratos & ſaucios uideant properare.Et ideo R.P.ueſtrã propter Ieſu chriſti ſanguinẽ precioſum & roſeum, & propter ſalutẽ ueſtrã quã deſidero, & propter tutelã Chriſti fideliũ,quos omnes cupio,ſi deo placuerit,ãcri ſaluos,peto, & humiliter peto,Immo poplite flexo deuotius rogo,Quatenus inuigiletis,Ne multiplicatis libris peſtilẽticis,fideles ueſtri uirus infidelitatis peſtiferũ hauriant,Per quod animarũ periculũ et honoris excidium paterentur.Nulla enim peſtilentia,nulla fames, nullus gladius tanta mala poſſunt ingerere,quantum fuerit ex hæreticorũ perfida prauitate &c. His motus et excitatus Archiepiſcopus,uir cõſilio & animo illuſtris,orienti calamitati obuiã ire cupiens,munitus adhoc ſedis Apoſtolicæ autoritate, uelut legatus & commiſſarius, conuocatis doctoribus, iuſsit ad ſe ferri libros Vuiclephi: Quibus ſine allatis,Doctorũ conſilio & examine fretus, oẽs illos ignibus adiudicauit. Ait Æneas, Supra ducenta fuiſſe uolumina,& ea quidem pulcherrime conſcripta, ac bullis aureis tegumentiſq; precio-

[Margin: Diſſeminatio librorũ Vuiclephi.]

[Margin: †Chirurgici.]

[Margin: Cõbuſtio librorum Vuiclephi.]

ſis ornata. Crematis tamē libris nō potuit pius Pontifex e cordib. hominum conceptum uirus exurere, aut ui ulla expellere, Necꝗ oēs libri combuſti fuerunt. Non enim omnes q eiuſmodi libros habebant, paruerunt Archiepiſcopi mandato, ut eos attuliſſent. Nondū erat ars impreſſoria eo tempore inuēta, & tamen tantus fuit ad res nouas aduerſus Clerū Laicorum feruor, ex crebris nouorū dogmatiſtarum concionibus, ut in occultis (in publico enim non licebat, cum fuiſſent ꝑ libri iam pridē per Vniuerſitatē condemnati) intra breue tempus in tā multa fuerint uolumina tranſcripti. Libris uero combuſtis, Ioannes Hus, ut Archiepiſcopo iniuriā rependeret, ita et odioſum & contemptibilē cū ſuis detractionib. populo redidit, ut plerīꝗ partiū ſuarū Laici, uulgares et Ironicas in optimū Patrē cantiones confingerent ac decantarent in publico, Suinick kraſchy ſpalil. propter eam librorū combuſtionē. Et adeo increbruit ea cantionum contumelioſa frequentia, ut Rex Vuenceslaus publico dignatus ſit prohibere Edicto, ne amplius decantarentur eiuſmodi cantilenæ, ſub pœna capitali, omniumꝗ facultatū amiſsione.

Cantiones iniurioſæ in Archiepiſcopum.

Sed callidiſsimū genus hominū, hęretici, pulchre nouerūt uarijs artibus eludere Principum mandata, dū in angulis per uarias technas ſectatores ſuos, ab ordinaria & debita ſuperiorū ſuorum obedientia & reuerentia retrahunt, atꝗ ad maledicta detractioneſꝗ nouarum rerū cupidos cōcitant. Hus itaꝗ, omiſsis cātilenis iniurioſis, alias excogitauit irridendi et uexādi Cleri uias. Inſtituit ſane pellifices, ſartores, ſutores & id genus alios Mechanicos, qui crebris concionibus operam dantes, & ſacras literas in uernaculā linguā translatas feruide legentes, cum ſacerdotibus coram plebe diſputarent: Et nō ſolū uiri, ſed & Bguttæ aliæꝗ mulieres, eo audaciæ & inuerecundiæ proruperūt, ut de ſacris literis diſſerere, & presbiteris certamina mouere præſumerēt. Quinetiā libros cōponerēt, De quarū una ſic habetur in antiquo cuiuſdā Boēmi (cuius nomē nō habetur expreſſum) uolumine. Hęc enim mulier Iezabel, magna cōminatione in ſeruos dei deſæuiens, ludēs et illudēs, ſanctis ſcripturis non ſanctā Eccleſiā ſed ſuā propriā ſectam attollens, ſic mentit et dicit. Quod in omni ſtatu, ſpecialiter in ſpirituali, nec unus quidem, excluſis Huſsitis, inueniri poteſt, qui uitam ſuam ſpiritualiter et honeſte agere, uerbum dei in ſpiritu ſancto prædicare poſset. Et ut pro ſe & ſuis duntaxat, uitæ ſanctitatē & prædicationis ueritatē reſeruet, cæteris excluſis tanꝗ reprobatis & reprobis, materiā ſuæ præſumptionis continuat. Et poſt pauca, ad concludendū ergo uerba mulieris, huius garrulæ, ſi tā mulieris, Cuius tractatus ſumma deuotiōe ſuæ ſectæ ſexus promiſcui ſuſceptus eſt, legitur, et pro magni muneris tenetur

Vexatio Cleri.

Diſputationes Laicorum.

Liber a muliere cōpoſitus.

reueren

reuerentia, q̄ et mulier ad gloriā ſcripturarū miræ ſubtilitatis inge-
nio, Magiſtri Hus et ſuorum ſequaciū nouerit deſēdere ueritatem:
ſed potius uentoſam uanitatē &c. Dum ſic proteruiret Hus cū cō-
plicibus ſuis contra ordinariū ſuum, factus eſt reus apud Sedē Apo-
ſtolicā. Ille uero Romā citatus, non plus obediuit Papæ, quā ſuo pri-
us obediuerat ordinario Prælato. Scripſit itaq; Alexāder Papa V. Reſcriptū
Suinconi Archiepiſcopo, ut autoritate Apoſtolica prohiberet, ne Alexandri
per aliquos (etiamſi eſſent ſuper hoc Apoſtolico ſeu quouis alio in Papæ. V.
dulto muniti) prædicationes aut ſermones ad populū fierent, niſi in
Cathedralibus, Collegiatis, Parochialib. aut Monaſteriorū Eccle-
ſijs, ſeu earū Cimiterijs: Et non permitteret, Articulos Vuiclephi ab
ullo homine, cuiuſcunq; ſtatus cōditionis aut gradus exiſteret, pub-
lice uel occulte aſtrui, aſſeri aut dogmatizari. Mandauit inſuper,
ut aſſumptis ad hoc quatuor in Theologia Magiſtris & duobus Modꝰ pro
doctoribus decretorū, de ipſorū cōſilio ſuper his procederet, ac pro cedendi cō
hiberet, ne quis in Eccleſijs ſiue in ſcholis aut quibuſuis locis alijs præ tra hæreu-
dictos articulos doceret, defēderet aut approbaret. Ita quod ſi quis cos.
contrariū faceret, uelut hæreticus cenſeretur. Et niſi reuocauerit di-
ctos articulos ſolenniter & publice, ac perpetue abiurauerit, libroſ-
que, In quibus tales articuli cōtinentur, exhibuerit, ut a fideliū ocu-
lis amoueri ualeant: captiuus teneretur, appellatione remota: Inuo-
cato ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachij ſecularis. Aduerſus hanc Exceptio
Alexandri Bullā, multa obiecit et queſtus eſt Ioannes Hus. Quem et Appella
admodū narrat ipſe in eo, quem de Eccleſia inſcripſit libro, ca. xviij. tio Io. Hus
Vbi ait, Mandatū illud eſſe factis et uerbis Chriſti et ſuorū Apoſto-
lorū contrarium: Cùm Chriſtus in mari, in deſerto, in loco campe-
ſtri, in domibus, in Synagogis, in uicis, in plateis prædicauerit ad po-
pulum, Et Apoſtoli prædicauerint ubiq;, domino cooperante. Ait Marc. ultim.
præterea mandatū illud eſſe in detrimentū Eccleſiæ, in alligādo uer-
bū dei ne currat libere: Eſſe itē in præiudiciū Capellarū erectarū ad
uerbum dñi in illis prædicandum. Vnde ab ipſo (inquit) mandato
ad ipſum Alexandrū pro meliori ipſius informatione appellaui, &
me proſequēte Appellationē dñs Papa de proximo expirauit &c. Profectio
Suinco aūt Archiep. ubi uidit etiā Ro. Pōtificis proceſſus, bullas et et mors Ar
mādata a Ioāne Hus ſocijſq; eius contēni: Nec ullū in Vuēceslao re chiepiſcopi
ge, oīa per ſocordiā negligēte, præſidiū auxiliūue repperit, egreſſus
patriā, i Vngariā ꝓfectus ē, ut Sigiſmundū Vuēceslai fratrē germa-
nū, Vngariæ regē rogaret, ne ſineret, fratris ignauia perire, ac deſola-
ri tot celeberrima tēpla et Monaſteria, quæ pater ipſorū uel a fun-
damētis erexerat, uel cenſibus cultuque & ornamentis adauxerat.
Verum pius Pater, ſiue poſtquam regem obſecrans & obteſtans,

auxilij promiſsionem accepiſſet (ut Æneas refert) ſiue priuſquam ad Regem perueniſſet (ut Bohemi quidam affirmant) Poſſonij conſtitutus (quæ urbs arce munitiſsima Danubio adiacet, prima ſuſceptrix eorum qui ex auſtria aut Morauia in Vngariā tendunt) mœrore confectus diem obijt. De quo ſic habet in ſuo aduerſus Io. Hus libro Stephanus Paletz Bohemus. Reuerendus pater, dominus Archiepiſcopus olim S. Sbinco, ſancto inſiſtens labori, pro illorum malorum, præcipue pro illius uenenati capitis malorum Vuicleph & eiuſdem ſacrilegarum doctrinarum, exterminio, factus fuit ex inobedientia & rebellione illius Magiſtri Hus, contemptibilis et pene fabula in populo. Qui Reuerendus Pater, etſi ætate ſatis iuuenis, ſed morū honeſtate canus & grauis, dīi ſui Ieſu Chriſti exemplo ſeductus ſolido: qui perfidorum Iudæorum cedens ſcandalis, exiuit de templo & abſcondit ſe. Non ut conuictus & ſeruiliter fugeret, ſed tempus ut tempori reſeruaret: Ita & ipſe pater Chariſsimus, deſuper admonitus, pro temporis congruentia furori cedens perſequentium, affectus, non confectus tædio, Sciens, quod metus pro tempore etiam in conſtantem uirū poteſt cadere: Nequaquam autem conuictus in accuſatis per partē Vuicleph criminationibus, ſed potius uictor egregius, quaſi exiuit de templo, & paululum abſcondit ſe: Dum dimiſſa ſui Epiſcopatus Pōtificali Cathedra, exiuit de terra & Diœceſi propria, Bohemia, & peregrinus factus, peragrata terra Morauiæ, ut ueniſſet in Vngariam, uiſitaturus Sereniſsimum Principem, eiuſdem terræ Vngariæ Regem Sigiſmundum, antequam perueniſſet ad illius conſpectum, præoccupatus & uiſitatus ipſe prior diuina prouidentia, ut ſui certaminis optimæ retributionis reciperet præmia, carnis ſoluto debito: exul quidem a ſuis proprijs, ſed nec tam proprijs quam ſeruilibus & temporaliter conceſsis, momentaneis ſedibus: ad repromiſſam ſeruis fidelibus de ſuper hæreditatis perpetuæ capiendam patriam tranſmeans. Indeciſam communis, quam aſſumpſerat, benedictionis cauſam ſanctæ matri Eccleſiæ, & ſpiritum ſuum Domino commendauit. Et qui aduerſarios uincere uiuens non poterat, ad ſedem ſui Epiſcopatus uictor relatus eſt mortuus. Quod utiq; negociorum illorū finis, Deo propitio, comprobabit, Hæc ille Bohemus. Cæterū defuncto Ro. Alexandro, ſucceſsit Ioannes Papa xxiij. Qui in Concilio generali Romæ conſtitutus, acriorē ſcripſit Bullam, quam in Bohemiā Morauiāq; tranſmiſit, Vbi poſt multa ſic habetur. Et ut de medio Eccleſiæ illa pernicioſa ſpurciſsimaq; doctrina Ioa. Vuicleph eliminetur omnino, Iubemus per locorū ordinarios, libros tractatus et opuſcula huiuſmodi, etiā autoritate Apoſtolica per cenſuram

Bresburg. | Verba Stephani Paletz. | 4 ſeductus. | Ioann. 8 | Decretum Ioann. Pap. in concilio Romæ.

Eccleſiaſticam etiam ſi opus fuerit,cũ adiectione pœnę & fautoriæ hæreſis,diligenter inquiri,& repertos ignibus publice cõcremari. Siquis autẽ huius ſententiæ,inhibitionis,decreti aut iuſsionis uiolator aut contemptor extiterit,Statuimus,eodem approbante Concilio generali, contra ipſum ueluti ſuſpectum de fide procedi. Monemus inſuper autoritate præmiſſa omnes & ſingulos,qui uoluerĩt tueri memoriam dicti Vuicleph, ut infra Nouẽ menſes proxime futuros, quos pro primo, ſecundo & tertio atque peremptorio termino aſsignamus,compareant coram Sede Apoſtolica,atq; nobis uel noſtro ſucceſſore Canonice intrante: dicturi & allegaturi quicquid uoluerint,ne ut idem Ioannes Vuicleph, licet ab humanis receptus,de hæreſi condemnẽtur.Datum die VI.Ianuarij Anno domini M.cccc.xiij. Lecta & publicata per Gibertũ. Verum,adeo non profuit ea Bulla ad deterrendos a ſemel concepta hæreſi infœlices homines Huſsitas, ut aduerſus eam cõumelioſas adnotauerint Gloſas.Verbi gratia,ubi ait.In generali Cõcilio:Ipſi dicunt,in Angulari Concilio,ubi non Catholici prælati de regnis orbis,ſed pauci Monachi & Simoniaci urbis fuerunt,Legis Dei et ueritatis æmuli manifeſti. Item ubi ait,Opuſcula:Ipſi dicunt,Sicut Decretales epiſtolæ, pro faſtu Papæ & Cardinaliũ compilatæ,gloſantur & tenẽtur,& lex Dei iacet in angulis.Item ubi ait.Errores :Ipſi dicunt,Vſque modo in omnibus libris Vuicleph unã concluſionẽ non potuerunt oſtendere,quãuis fuiſſent ſæpius uocati.Item ubi ait.Multa hęretica dogmata:Ipſi dicunt.Quæ ſunt illa?Exprime,& nomina illa, alias quidẽ condemnas teipſum Papa &c. Papa uero curauit, ut etiã Rex Franciæ Chriſtianiſſ.et Vniuerſitas Pariſieñ.itidẽ ſcriberẽt ad Bohemos,ab hæreſi Vuiclephica pie reuocandos. Quemadmodum cernere licet in ea bene prolixa epiſtola,quam Ioan.Gerſon ad Archiepiſcopum Pragenſ. ſcripſit. Cuius iſtud ſane initiũ eſt. Reuerendiſ.in Chriſto patri ac dño,Pręclariſ.dño N.Archiepiſ.Pragen̄. et Apoſtolicæ ſedis legato etc.Ioan. Cancellarius ac Decanus ſacræ Theologicæ facultatis Vniuerſitatis Pariſieñ. gratiam et pacem, & ad ea uigelanter ſuper intendere quæ ſalutem reſpiciunt animarum, Et poſt multa.Ecce(inquit)dum etiã atq; etiã recogito : Inueniũtur hactenus hæreſes extirpatæ ab agro Eccleſiaſtico diuerſis uijs,ueluti falce multiplici.Inueniuntur quidẽ primitus extirpatæ falce uel acuto ſarculo Miraculorum, atteſtantium diuinitus Catholicæ ueritati:& hoc tempore Apoſtolorũ.Inueniuntur extirpatę poſtmodum per falcẽ diſputationis argumẽtatiuæ per doctores.Sunt extirpatę ✝perinde per falcẽ ſacrorum conciliorum,fauentibus Imperatorib. qñ diſputatio doctrinalis particulariũ doctorũ inefficax uidebatũ. Tan-

Citatio defenſorum Vuiclephi.

Gloſę Huſſitarũ contra Bullam.

Epiſtola Ioan.de Gerſon ad Archiepiſ.Pragenſem.

Extirpatio hæreſum.

lego + deinde.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tandem acceſsit uelut in deſperata peſte Securis brachij ſæcularis, excidens hæreſes cum autoribus ſuis,& in ignẽ mittens:Prouidens hac tanta ſeueritate & miſericordi (ut ſic dicatur) crudelitate, ne ſermo talium ueluti cancer ſerpat in perniciem tam proprium quam alienam. Et ante multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficij eſt indicium. Quia nihil eſt infœlicius (dicente Auguſtino)fœlicitate peccantium .Colligat ex iſtis & ſimilibus pruдentiſsima ueſtræ Paternitatis Reueren. circunſpectio, quid actu ra ſit in re præſenti. Nam ſi Pſeudo Doctores apud uos ſeminatores hæreſum, quærunt miracula, Sciant, quod illa iam abunde facta ſunt & præterierunt. Neq; phas eſt, ut ad fidem noſtram, tanq̃ nouellam, per miracula confirmandã, nunc tentetur Deus. Habent ipſi nedũ Moyſen & Prophetas, ſed & Apoſtolos & Doctores antiquos cum ſacris Concilijs. Habent & nouos Doctores collectos in Vniuerſitatibus, præſertim in ipſa matre ſtudiorum Vniuerſitate Pariſienſi, quæ hactenus hæreſum monſtro caruit,& Domino protegente carebit in æuum.Habent prorſus hæc omnia,credant eis.Alioqui neque ſi quis ſurrexerit a mortuis, credent. Neque rurſus in diſputando, apud tales pertinaci animoſitate contendentes, & innitentes propriæ prudentiæ, ullus unquam erit finis. Quin potius nimis altercando (iuxta uerbum Senecæ) deperdetur ueritas, ſcandalizabitur inſuper populus,lædetur quoque ſumma charitas, Denique talis obſtinatorum proteruitas incidit in illud Poetæ, Ægreſcitque medendo. Super eſt igitur ſi præmiſſorum nihil profit,quod ad radicẽ infructuoſæ,immo maledicæ arboris, ponatur ſecuris brachij ſæcularis.Quale uos brachium inuocare,uijs omnibus conuenit,& expedit ad ſalutem omnium uobis creditorum. Et ſub finem. Denique monſtraturi,quã uigeat etiam aduerſus ſuos zelus fidei apud Chriſtianiſsimum Regem noſtrum Franciæ, & præclariſsimam filiam ſuam Vniuerſitatem Pariſienſem, Vnde gloriamur in domino,dignum duximus, tranſmittere literas patentes eiuſdem domini Regis ac præfatæ Vniuerſitatis R. P. ueſtræ.Quã conſeruet ſummus animarũ paſtor et agricola uerus, qui eſt benedictus in ſæcula. Scriptũ Pariſius xxvij. Maij Vigilia Pentecoſtes,ſub ſignato de manu propria & ſigillo Cancellariæ Pariſienſis. Ioan. de Gerſana. Scripſit præterea idem Papa Ioannes ipſi regi Vuenceſlao uehementẽ et affectuoſam epiſtolã.Cuius hoc eſt initiũ.Ioan. Epiſcop.ſeruus ſeruorũ dei,Chariſſ. in Chriſto filio Vuẽceſlao Regi Rom.et Bohemiæ Illuſtri,Salutẽ & Apoſtolicã benedictionem.Inter deſiderabilia cætera

2. Tim. 2 — Non quærenda nũc eſſe miracula. — *Luce. 16.* — Non diſputandum cũ hæreticis. — *Amaledictæ.* — Epiſt. Papę Ioan. ad Regẽ Vuenceslaum.

tera cordis noſtri. Cúm Regis pacifici, qui regnat in cœlis, uices, quā quam immeriti, gerimus in terris, Illud potiſsimum accedit ad ſummam lætitiam & ſolamen. Quoties inter Serenitatem tuam et chariſsimum in Chriſto filium Sigiſmundum, in Regē Romanorum electū & Vngariæ Illuſtrem, Germanumq́ tuum, ad tractatum fraternalis concordiæ (per quam regna creſcunt ſed diſcordia maxime dilabuntur) peruentū eſſe percipimus. Et infra. Et ſicut præmiſſa lætificant ſupræmis gaudijs mentē noſtrā, Sic ſiniſtris rumorib. aures noſtras crebro infeſtantibus, et ab imis præcordijs cor noſtrū conturbantibus, anxiamur, quod in partibus tuæ Regiæ ditioni ſuppoſitis, exiſtant nonnulli, inhærentes & dogmatizantes errores illius quondam Hæreſiarchæ Vuicleph, Cuius libri, a Catholica fide huiuſmodi erronea & hæretica continentes, In Generali Romano Concilio, iuſto fuerunt iam pridem damnati iudicio. Et quod deterius & ad finem, ne propter huiuſmodi exceſſus, hæreticorum uerſutijs inhærentes, a ſuis ſuperioribus corrigantur, ad tegendam & celebrandam ſuam nequitiam, & pertinaciam, deteſtando mandata Sedis Apoſtolicæ & Superiorum ſuorum, manifeſte docent inobedientiam, clauiumque contemptū & cenſurarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, in euerſionem Apoſtolicæ dignitatis, uilipendentes notorie ſanctorum Patrum & ſacrorum Canonum inſtituta. Et infra. Serenitatem tuam per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, quantum cordialius ualemus & poſſumus, exhortamur. Quatenus ob diuini nominis gloriam cultúq́ & tutelam huiuſmodi fidei (cuius defenſionem conaris aſſumere, et exponere tuas ſubſtantias atq́ uires) & pro conſeruatione tui regij nominis, ſtatus pariter & honoris, regnorumq́ & partiū tuæ Celſitudini ſubiectorum fœlici ſalutarique regimine, placeat (pro ut in deſiderijs cordis noſtri gerimus & ſpe ſimul) taliter & tam efficaciter interponere & excitare totius Regalis potentiæ tuæ uires, pro ut Catholicum decet Principem, ut labes hæc erronea (quæ ſic lamentabiliter & miſerabiliter ſerpit & pullulat in iſtis partibus, & mentes mortalium inficit in animarum interitum, & ſequeſtrat a congregatione puriſsimæ & Catholicæ ✝ ueritatis & fidei) ✝ unitatis. extirpetur &c. Datum Bononiæ III. Idus Iunij Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exhortatio ad perſequendum hæreticos.

Hæc omnia contempſerunt apud ſeipſos Hus & complices ſui, apud cordatos eluſerunt Appellationis prætextu, apud plebem uero grauiter & odioſe accuſauerunt, per oēs cōciones quiritantes, quod Papa & Archiepiſcopus prohiberent uerbū Dei & Euangeliū Chriſti prędicari, et per indulgētias aliaſq́ Ro. Curiæ & Epiſcopalis Cōſiſtorij practicas quęrerēt quæ

Huſsitarū querelæ cō tra Papam.

ſua

Vide Ioannem Hus in li. de Eccl, c.18 19. etc. ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, Quod raperent ab ouibus Chriſti lanam & lac, & non paſcerent eas, neq; uerbo Dei, neq; bonis uitæ exemplis. Et docebant populum, quod mandatis Papæ & prælatorum non ſit obædiendum, niſi ſequantur doctrinam & uitam Chriſti, & Apoſtolorum eius: Docebant, quod Laici debeant iudicare opera ſuorũ Præpoſitorũ, ſic Paulus iudicauit opera Petri corripiẽdo, ad Galatas 2. Docebant certa ſigna, per quæ diſcernatur, an Prę-

Schiſma ſub triplici Papa.

latis obędiendum ſit nec ne. Illudebant præterea iuriſdictionem Papalem, propter ſchiſma, quod tunc in Eccleſia erat, quando tres de Papatu inter ſeſe contendebant, qui paulo poſt in Concilio Cõſtantienſi omnes depoſiti fuerunt. Nunc (aiebant) Balthaſſar de Coſſa, Dictus Ioannes xxiij. eſt in Roma, Angelus Corrarij, dictus Gregorius xij. in Arimino. Et Petrus de luna dictus Benedictus xiij. in Arragonia. Cur unus ex illis, Pater uocatus ſanctiſsimus, de plenitudine poteſtatis non compellit reliquos cum eorum adhærẽtibus, ut ſubſint ſuæ iuriſdictioni? Hæc & id genus multa iactitabãt in uulgus. Vnde factum eſt, ut populus eis adhærens, nihil curarẽt de Proceſsibus Pontificijs contra eos inſtitutis. Doctos uero, qui ſuæ partis non erant, acutis & uarijs interim exagitabant quęſtionibus, per quas & doctrinæ exiſtimationem & iudicij autoritatem arrogabant ſibi, derogabant aduerſarijs. Cuius rei unum hic referam exemplum, ex uetuſto quodam Codice, ubi publicum Inſtrumentum, a Ioanne Hus procuratum, in hæc uerba ſcriptum habetur.

Inſtrumentum de tribus quæſtionibus per Io. Hus.

In nomine Domini Amen. Anno Natiuitatis eiuſdem M.cccc. xij. Indictione Quinta, die tertia Menſis Martij, hora tertiarum uel quaſi, Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & domini noſtri, Dñi Ioan. diuina prouidentia Papæ xxiij. anno ſecundo, in maiori ciuitate Pragenſi, in Capella ſanctorum Innocentum, Bethlehẽ nuncupata. In camera commodæ habitationis uenerabilis & ſcientifici uiri, Magiſtri & dñi Ioannis de Huſynetz, ſacræ Theologiæ Baccalarij formati, artiumq; liberalium Magiſtri: & dictæ Capellæ prædicatoris, In mei Notarij publici infra ſcripti & teſtiũ præſentia ſubſcriptorum, adhoc ſpecialiter uocatorum & rogatorum, Conſtitutus perſonaliter prænominatus dominus & M. Ioannnes de Huſynetz, quandam ſcripturam in papyro ſcriptam, declarationem certorum dubiorum in ſe continentem, in manibus ſuis tenens, mihi Notario infra ſcripto, & honeſto uiro Andreæ de Myslyborzitz Olomucenſis Diœceſis clerico, membro Almę Vniuerſitatis ſtudij Pragenſis, tradidit & aſsignauit. Quam ſcripturã præfatus Andræas tranſcribi, copiari, trãſumi, & in publicam formam redigi petijt per me Notarium publicum infra ſcriptum, quod eidem ſcripturæ

maior

maior fides adhibeatur. Cuius tenor per omnia de uerbo ad uerbū ſequitur, & eſt talis. Quia dubitantibus ſanum eſt conſulere, ut dubitatione poſtpoſita ualeant ueritati utiliter adhærere. Ideo quęrenti tria dubia debent ſolui. Primum dubium quæſitum eſt iſtud. Vtrum in Papam credēdum ſit. Secundum dubium eſt, utrū poſsibile eſt aliquem hominem ſaluari, qui non confitetur ore mortali ſacerdoti. Tertium dubium eſt, Vtrum aliquis ſanctorum doctorū ſentit & dicit, quod aliq de Pharaonis populo ſubmerſi in mari rubro, & ex Sodomitis ſubuerſis ſint ſaluati. Ad primum dicitur q nō. Pro quo Venerabilis Beda, ſuper illud Apoſtoli, Credēti autē in eum qui iuſtificat impium, ita dicit. Aliud eſt credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum &c. Et infra. Ad Secundum dubiū reſpondet Magiſter ſentētiarū, qui in illo a tota Eccleſia tenetur, in quarto, diſtinct. xvij. cap. xi. dicens. Quid ergo ſuper his ſentiendum eſt, quid tenendum? Sane quod ſine confeſsione oris & ſolutione pœnæ exterioris delentur peccata per contritionem & humilitatem cordis &c. Et infra. Ad Tertium dubium reſpondet S. Hieronymus ſuper Naum Prophetam dicens. Quod Deus genus humanum diluuio, Sodomitas igne, Ægyptios mari, Iſraelitas in heremo perdidit, Scitote, ideo temporaliter eos pro peccatis puniuiſſe, ne in æternum punirentur. Quia non iudicat deus bis inidipſum. Quia ergo puniti ſunt, poſtea non punientur, Alioquin mentitur ſcriptura, quod nephas eſt dicere &c. Non erat adhuc inuenta eo tempore ars impreſſoria, qua poſſunt libri repente in multa Milia exemplarium tranſſumi ac multiplicari. Ideo alium repperit malicię modum, multiplicandi ſcriptum, & late diffundendi uenenum per inſtrumenta Notariorum, quibus non minus habeatur fides q̃ ipſi Autographo & proprio Autoris Chirographo, Mihi ſane (ut citra odium & liuorem ingenue fatear) petulans ac malignus fuiſſe uidetur Ioannes Hus in dubijs iſtiſ: Petulans inquā, ad uexādum eruditos: malignus uero, ad ſubuertēdum ſimplices. Si enim uere de ijs tribus Quęſtionibus dubitaſſet, nō determinaſſet protinus abſque deliberatione & conſilio aliorum. Si doceri uoluiſſet, miſiſſet ea dubia potius ad Doctores Theologiæ priuatim quam ad Idiotas Laicos per publica inſtrumenta. Si in ædificationem & non in ſubuerſionem ſcribere uoluiſſet, certe dubia iſta ſecundum ſimplicē Eccleſiæ ſententiam determinaſſet ad pium ſenſum, & non deprauaſſet dicta doctorum per truncatas allegationes, per quas & ſenſum eorum peruertit, ſimplices decipiens: & bonis autoribus calumniam fecit de reprobo & adulterino ſenſu, quem tota damnat & exhorret Eccleſia. In primo nanq dubio, Papam irridens. Prælatos

Tria Dubia a M. Io. Hus propoſita.

Io. Hus petulās & malignus.

Credere Papam & credere Papæ. latos calumniari uidetur, tanquam docuerint plebem, in Papam credere. Quod illi nunquam fecerunt, ne cogitarunt quidem. Docuerunt autem, credere in Deum, Credere Eccleſiam ſanctam Catholicam, Credere Papam, quod ſit ſcilicet Vicarius Chriſti et ſucceſſor Petri, cui claues regni cælorum traditæ ſunt, & oues Chriſti cõmiſſæ. Docuerunt itẽ, credere Papæ & Eccleſiæ, obediendo ſcilicet & acceptando ea, quæ in Decretis Conciliorũ & Decretalibus Rom. Pontificum conſtituta ſunt. Sed in Papam aut in Eccleſiam ſicut in Deum, credere, nunquã docuerunt. In ſecundo autem dubio, ſimiliter & in Tertio, trũcatim allegat autores, & per hoc detorquet maliciose dicta eorum in contrarium ſenſum. Nam in Magiſtro ſententiarum omittit hæc uerba. Nonnulli enim in uita peccata confiteri negligunt uel erubeſcunt, & ideo non merent̃ iuſtificari. Sicut enĩ præcepta eſt nobis interior pœnitentia, Ita et oris confeſsio, & exterior ſatisfactio, ſi adſit facultas. Hæc uerba ponuntur in eodem capitulo, quod Hus allegauit, & in hanc ſententiã ſubiunguntur multo plura in eadem diſtinctione, quod non ſufficiat ſoli Deo confiteri, ſi haberi ſacerdos poſsit. Soluuntur præterea ibidem Doctorum dicta, quæ Hus ex Magiſtro, contra oris confeſsionem adduxit. Ex quibus ſane conuincitur, ipſum Hus malignam habuiſſe decipiendæ plebis intentionem per truncatas ex Magiſtro allegationes.

Truncate allegauit Hus.

lib. 4. diſt. 17. cap. 2.

Hiero. in Naũ Prophe. cap. 1. In tertio quoque dubio non recitat integram S. Hieronymi ſententiam, neq; etiam Magiſtri. Vera enim ſentẽtia Hieron. eſt, Deum, ut omnium rerum, ita ſuppliciorum quoq; ſcire menſuras, & non præueniri ſententiam Iudicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnę auferri poteſtatem, & magnum peccatum magnis diuturniſque lui cruciatibus: leuem uero culpam præſenti compenſari ſupplicio. Qualis fuerat illius, qui in Sabbato ligna collegerat. Alioqui ſi magna peccata præſenti compenſarentur ſupplicio, optandũ foret adulteris, ut in præſentiarum breui & cita pœna, cruciatus fruſtrarẽtur æternos. Hæc maligne tacuit Hus, quemadmodum & ea quæ Magiſter in contrarium allegat. Nam aperte ibi dicit, quod illud Naum Prophetæ dictum, Non iudicabit Deus bis inidipſum, uel ſecundum aliam translationem, Non conſurget duplex tribulatio: De his tantum intellligi debeat, qui præſentibus ſupplicijs commutantur in bonum, & ſic perſeuerant. Qui uero inter flagella duriores & deteriores fiunt ut Pharao, præſentibus æterna cõnectunt: ut temporale ſupplicium ſit eis æternæ pœnæ initium, Secundum Auguſtinum, ſuper illud Deuteronomij xxxij. cap. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad Inferni nouiſsima. Legerat idem Hus, quod hac de re in Decretis legitur: quandoquidem

Nume. 15.

li. 4. diſt. 15. c. 1

fuit

fuit notiſsimus in decretis,quę & creberrime in ſcriptis ſuis allegare ſolet.Sic autem habet ibi textus. Autoritas illa Naum Prophetæ. Non iudicabit Deus bis inidipſum, Non indiſtincte oſtendit omnia,quę temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda eſſe. Alioquin cuiqꝫ ſceleroſo optãdum eſſet, ut cœleſti fulmine percuſſus,aut aquis ſubmerſus, aut a ſerpentibus uulneratus, pro peccatis ſuis diuinitus interiret, ut æternos cruciatus breuis & momentanea pœna terminaret. &c. Hæc quidem & id genus multa legerat ipſe Hus,dum contra hæc omnia definiret: ſed ſcientia inflatus, & per inobædientiam in reprobum ſenſum traditus,odioqꝫ in clerum accenſus & excæcatus,maluit ex inſtinctu Diaboli Laicos ſuos decipere,quam docere ueritatem: maluit in Clerum exaſperare, & ei inobedientē reddere plebem, quam uel errores Vuiclephi ſui agnoſcere,uel a ſeditioſis deſiſtere cœptis. Contra iſtud eius inſtrumētum reſpondit quidem Bohemus(de quo ſupra)Stephanus Paletz Theologus, Reprehendens illum maxime propter inobedientiā erga Papam & Prælatos ſuos,& propter ſeditioſos conatus. Hus uero,ut & illum accuſaret,& Monachos Dolanenſes,quibus ille coniunctus erat,in partem ſuam traheret,ſcripſit blandam ad illos epiſtolam,Cuius hoc eſt initium. Honorabilibus & religioſis Dominis Conuentus in Dolan,fratribus in Chriſto dilectis. Magiſter Ioannes Hus,ſeruus Chriſti inutilis.Charitas Dei & pax Chriſti ab undet in cordib. ueſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt uobis. Venerabiles Domini,percepi, qualiter Dominus Stephanus multis opprobrijs, non ſolum me, ſed et eos qui ſermones Chriſti a me exaudiunt,dire perſequitur.Si ex cauſa iuſta,mercedem iuſtitię a domino,qui corda nouit hominum, accipiet. Vnde uobis in Chriſto patribus:Quos etſi localis diſtantia & ſenſualis diſiungit noticia,tamen coniungit charitas, ex corde intimo propter ueſtram ſalutem obſecrans,non propter meam excuſationem (quum mihi pro minimo eſt,ut ab hominibus iudicer) quod nullis credatis ſermonibus de me,quod tenerem uel uelim tenere aliquem errorem,ſcripturę ſacræ aut bonis moribus contrarium.Et infra.Sed heu,quis iſtis temporibus in hominibus maxime auaris,ſuperbis & obduratis proficiat,qui auditum ſuum a ueritate auerterunt,& ad fabulas ſunt conuerſi:Dominus omnipotens dignetur ſuam ſanctam Eccleſiam una uobiſcum præſeruare, ab antiquis inſidijs, & me ueſtris fauoribus pro auxilio Beatitudinis commendare. Vos autem Domine Stephane,ſuſpicionem quam(ut audio)de me geritis,deponite,donec ✝ uos plena cognitio illuceſcat &c.Stephanus autē,uiriliter illi reſpondens,ait inter cætera,Ecce Naaman,Princeps Syriæ,ſed lepro-

De pœnitentia diſtin. 3. c. Sūt plures § Autoritas

Epiſtola Ioannis Hus ad Monachos in Dolan,

Ex libro Stephanj Paletz

✝ *uobis.*

ſus,pro uili & quaſi inutili contempto, pro ſalute propria,ſermone & præcepto Heliſæi prophetico,indignans ſine ſalute abibat lepro ſus,ſed audito etiam ſeruorum ſuorum conſilio.Pater,etſi rem grãdem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras: Quanto magis quia dixit tibi nunc,Lauare & mundaberis? Audiuit, obediuit, & iuxta ſermonem uiri Dei,quem ridiculum eſſe reputauerat,reſtituta

Hus inobediens fuit.

caro eius,ſicut caro pueri paruuli,& mundatus eſt.Hęc dixerim, quia ſi & tu audiſſes ſermonem dati tibi mandati conſeruorũ quidem tuorum,ſed ut Prælatorum,& in hoc Prophetarum: multam tibi Magiſter innocentiam puerilem, ædificationem & ſalutem in

1.Reg.15

plebibus contuliſſes.Sed nunc dicam tibi cum Samuel,Stulte egiſti nec cuſtodiſti mandata domini dei tui,quæ præcepit tibi. Ex quib.

Pſalm.38.

correlarie ſequitur.Quod ſi ori tuo poſuiſſes cuſtodiam,nec contra tuorum Seniorum decretum rationabile, pro Vuicleph hæretico tanta diligentia quaſi Holocauſtum offerens aduocaſſes,ſed obmutuiſſes & humilia tus ſiluiſſes. Quin immo & pro tempore, uirtute

Virtus obedientiæ.

obedientiæ etiam a bonis ſiluiſſes, plus ædificaſſes populum Dei fructu Centeſimo ſilendo Chriſti diſcipulus, quam ad excuſandas excuſationes in peccatis,faſtu Magiſterij tui inobediens, & arrogãs prædicando,immo potius præuaricando. Audi ſuper horum propoſito Beatum Gregorium,quem tu ludẽs, reſpectu tui Vuicleph, auſus es Prlentzkonem,id eſt, Rythmarium, appellare:ad cuiuſdã Hiſtrionis exemplar, qui promptiſsimus erat uerba ſua proferre

lib.lib.35.c.12 Greg. in Mora.

rythmice.Hunc ergo uirum ſanctiſsimum Gregorium, Illuſor illudendus audi,in tuę confuſionem faciei,ſic laudabiliter modulantem

Iob. 42.

ſuper illo.Et dederunt ei unuſquiſq; ouem unam, & inaurem unã. Quid(inquit) per ouem niſi Innocentia? Quid per inaurem niſi obedientia deſignatur? Per ouem quippe ſimplex animus,per inaurẽ autem ornatus humilitatis aut gratia audiius exprimitur. Sed quia ad oſtendendã uirtutem obedientiæ actio oportuna ſe tribuit,libet hanc paulo uigilantius ſollicitiuſq; diſcutere,& quanti ſit meriti demonſtrare. Sola nanq; obedientia uirtus eſt, quæ uirtutes cæteras menti inſerit,inſertaſq; cuſtodit. Vnde & primus homo præceptũ, quod ſeruaret,accepit,Cui ſi ſe uellet obediens ſubdere, ad æternã

1.Reg.15.

beatitudinem ſine labore perueniret.Hinc Samuel ait.Melior eſt obedientia quam uictimæ,& auſcultare magis quam adipem offerre arietum:quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt,repugnare:& quaſi ſcelus Idolatriæ,nolle acquieſcere.Ex quibus Beati Gregorij ſic introductis uerbis, manifeſte te eſſe Ariolum & Idolatram comprobaſti,dum non ſolum proprij prælati tui Antiſtitis, ſed & ſummi Pontificis iuſtis mandatis & licitis pariter,in nullo acquieſcens, ſed

dura

dura ceruice repugnans, undique, ſicut hæc dies comprobat, reſtitiſti. Nam ſecundum eundem B. Gregoriū ibidem, Obedientia etiam uictimis præponitur, quia per uictimas aliena caro, per obedientiam uero uoluntas propria iugulatur uel mactatur. Tanto igitur quiſq; Deum citius placat, quanto ante oculos eius repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcipientis ſe immolat, Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta ſit uirtus obedientiæ demonſtretur. Si enim quaſi peccatum eſt ariolandi, repugnare: & quaſi ſcelus Idolatriæ nolle acquiſcere: ſola eſt obedientia, qua fidei meritum poſsidet. Qua ſine quiſq; infidelis eſſe conuincitur, etiamſi fidelis eſſe uideatur. Hæc idem. Erecta ergo arbitrij tui ſuperbia, & nequaquam ſalutaris obedientiæ gladio ſubiugata, uide, ſi non ſolum ex Idolatriæ uicio, quod per inobedientiam & rebellionem craſſe perpetras, ſed & fidei euacuatus merito, cum perverſo Vuicleph hæretico & tu ipſe malæ ſocietatis ſocius, hæreticus comprobaris. Sicut per Dauid ſpiritus ſanctus dixit. Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Hæc ille Stephanus.

Melior obedientia q̃ uictimæ.

Hus inobediens & hæreticus.

Cæterum mortuo apud Poſſonium Vngariæ urbem (uti ſupra dictum eſt) Archiepiſcopo Suincone, Albicus, natione quidem Bohemus, ſed arte medicus & auaritia ſordidus, ei ſufficitur, uti refert Æneas. Extat ſane Tractatus eius quidam Medicinalis, de regimine hominis inſcriptus. Cuius hoc eſt initium. Medicinæ in omnibus diuerſificantur & principaliter in Paraliſi, ſecundum complexionē hominis. Et in eo manifeſte dicitur Archiepiſcopus Pragenſis arte Medicus, doctor item & Magiſter utriuſque iuris. Quoniam uero nihil de eius geſtis comperio in Actis Bohemorum, ſuſpicor eum a Capitulo Pragenſi repudiatum fuiſſe, quod non fuerit Canonice electus, ſed Sigiſmundi fauore (quia medicus eius erat) indigne promotus. Ne aūt Eccleſia illa Metropolitana, rectore legitimo carēs, Orphana atq; omnino Acephala uideretur, datus eſt ei a ſede Apoſtolica Adminiſtrator Conradus Epiſcopus Olomucenſis, Qui a Theologis ſtudij Pragenſis petijt exemplum illius Conſilij, quod Suinconi ſcriptum dederunt, ab eo requiſiti, quonā pacto poſsint hæc mala, diſcordia Cleri, plebiſque motus ac uaria in fide & religione populorum diſsidia & ſcandala, de medio tolli, atque redintegrata pace ſedari. Cuius ſane Conſilij hæc quæ ſequuntur, fuere Capitula.

Albicus.

Adminiſtrator Eccleſiæ Pragenſis.

Conſilium facultatis Theologicæ ſtudij Pragenſis.

PRimo, Vt omnes Doctores & Magiſtri Vniuerſitatis Pragenſis congregentur in Curia domini Archiepiſcopi, & in præſen- L

tia ipſius dñi Archiepiſcopi et aliorũ Prælatorũ. Quilibet doctorũ ac magiſtrorũ dicat ſub iuramẽto ſuo, ꝙ non tenet nec tenere uult, uel dogmatizare, aliquẽ de illis xlv. articulis, dudũ prohibitis: Quorum occaſione regnum Bohemiæ principaliter infamiam incurrit.

I. Item. Vt de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ: de Clauibus officijs & Cẽſuris Eccleſiæ, De moribus, ritibus, Cæremonijs, Iuribus, libertatibus & ſacris rebus Eccleſiæ: De ueneratione reliquiarum, & de indulgentijs, De ordinibus et religionibus in Eccleſia, Quilibet ex ſupradictis dicat in loco ubi ſupra, ſub iuramento ſuo, quod ſentit & credit ac uult ſentire & credere, ſicut Romana Eccleſia, & non aliter: Cuius Rom. Eccleſiæ Caput eſt Papa, Corpus uero collegium Cardinalium. Manifeſti ac ueri ſucceſſores in officio Eccleſiaſtico Beati Petri Principis Apoſtolorum & Collegij aliorum Apoſtolorum Chriſti.

III. Item. Vt quilibet ex ſupradictis, In omni materia Catholica & Eccleſiaſtica, fateatur eſſe ſtandum fidei ſententiæ, & diffinitioni Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ Romanæ ſuperius nominatę. Et quod obediendum ſit prælatis in omnibus quibuſcunque, ubi non prohibetur purum bonum, aut pręcipitur purum malum, ſed medium: Quod pro modo, tempore, loco, & perſona, bonum poteſt eſſe & malum.

IIII. Item, Vt quilibet in Iuramento ſuo fateatur, ſententias Vuicleph & aliorum circa ſeptem ſacramenta Eccleſiæ, & alia ſuperius nominata, contrarias iam dictæ Ro. Eccleſiæ, eſſe falſas.

V. Item, Vt hæc ſimiliter publicentur omnibus ſuppoſitis Vniuerſitatis, Et mandentur ſub pœna præſtiti Iuramẽti: & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ & exilij a Regno: Vt nullus de Vniuerſitate teneat, aſſerat uel dogmatizet, aliquem de XLV. articulis, uel etiam aliter quam Romana Eccleſia ſupradicta, In quacunque materia Catholica & Eccleſiaſtica. Et ſpecialiter de VII. Sacramentis Eccleſiæ & alijs ſuperius memoratis, ſed ſentiat & credat de illis ſicut Romana Eccleſia, & non aliter. Et iſti articuli uidentur nobis ualere pro expurgatione Vniuerſitatis, & ad tollendam malam ſuſpicionem de Doctoribus & magiſtris Vniuerſitatis.

VI. Item, Vt hæc eadem præmiſſa, In primo, ſecundo, Tertio & Quarto articulis contenta, dominus Diœceſanus faciat in ſuis Synodis publicari, & per Prædicatores in regno Bohemiæ populis inſinuari. Videlicet. Quod nullus Clericus uel Laicus teneat, aſſerat uel dogmatizet aliquem ex XLV. articulis Vuiclephi, ſed quod credat & ſentiat ſicut Romana Eccleſia prædicta, in omni

materia

materia Catholica & Eccleſiaſtica, & ſpecialiter de VII. Sacramentis Eccleſiæ & cæt. Et iſte articulus uidetur nobis ualere pro generali purgatione Regnicolarum, pro honore Domini Regis & ſui Regni.

Item, Si aliquis Clericus Studens aut Laicus contraueniret in aliquo præmiſſorum, quod Diœceſanus habeat autoritatem ſine impedimento, cum ſuis Officialibus & coaſſumptis Doctoribus, talem, ſi repertus & conuictus fuerit, corrigendi, ſecundum iura & Canones, ſicut fuit ab antiquo. Et quod nullus, talem debeat defendere quouis modo. Nulli enim competit rationabilius talium excedentium correctio quam Diœceſano, Quia eſt Archiepiſcopus Regni & Cancellarius Studij Pragenſis. Et iſte articulus uidetur nobis ualere, ad incutiendum terrorem ſingulis, ne quilibet prædicet uel dogmatizet ſecundum caput proprium, ſicut iam factum eſt: Ne in conſimilem infamiam Regnum ueniret & in grauiorem. VII.

Item, Cantiones dudum & nuper prohibitæ, odioſæ, ſcandaloſæ, & aliorum famæ offenſiuæ, prohibeantur cantari in plateis, in tabernis, & alibi. De mandato Domini Regis & ſcabinorum, ſub pœnis ſicut apparebit. VIII.

Item, Vt Magiſter Ioannes Hus non prædicet, quouſque abſolutionem a curia non habebit. Nec per ſui præſentiam diuinum officium in Praga impediat, ut eius obedientia in hoc erga ſedem Apoſtolicam recognoſcatur. Et iſti duo articuli uidentur nobis ualere pro pace habenda hic in Ciuitate & in Clero, IX. Curia ſcz. Romana, quæ Antonomaſtice Curia dicitur.

Item, Iſtud Conſilium iam oblatum, apparet nobis iuxta bonam conſcientiam eſſe Idoneum & rationabile, pro extirpatione mali hic in Regno Bohemiæ, & pro purgatione malæ famæ. Si autem quiſpiam modum rationabiliorem, ad tollendum prædicta, reppererit, ille practicetur. Et nos parati ſumus amplecti cum gratiarum actione. Ad modum autem inſufficientem, pro extirpatione mali & malæ famæ, facultas Theologica & Magiſtri non poſſunt conſentire. Ne Dominus Rex, Domini Barones, totaque Communitas regni magiſtris de malo conſenſu & conſilio in poſterum imputarent. X.

Item, Si Magiſter Ioannes Hus cum ſuis complicibus, hoc facere uoluerit, In Quatuor articulis primis ſuperius nominatis, parati ſumus dicere, ſicut ipſi optant, ubicunque fuerit oportunum, quod ſumus concordes in materia fidei. Aliter ſi hæc facere denegabunt, illud teſtimonium reddendo, XI

mentiremur grauiſsime domino Regi & toti mundo. Et uolumus etiam pro eis ſcribere ad Curiam, ſaluo noſtro honore, modo quo poterimus meliori.

XII. Item ex iſtis omnibus claret, quod in nobis non deficit, inire concordiam, ſed in eis: ex quo nolunt ad iſta rationabilia & prætacta cõſentire. Quilibet enim compos rationis, intelligere poteſt ex hoc Conſilio, quod nõ propriam laudem, nec aliquorum confuſionem ſed gloriam Dei, honorem domini Regis & ſui Regni uellemus libenter procurare. Quia ad omnia ſupraſcripta nos ipſos ſubijcimus, & parati ſumus hæc eadem facere inchoando. Ipſi autem nolentes ad iſta particularia deſcendere, nimis reddunt in materia fidei ſe ſuſpectos.

Conſilium iſtud, quum uideretur æquum & ſalutare, Adminiſtrator ſupradictus Regi propoſuit & Baronibus Regni, atque etiam Senatui Pragenſi, De quo certiores facti Hus cum ſuis, compoſuerunt et ipſi aliquot articulos, in modum Conſilij, ut ſequitur.

Conſilium pro parte Hus & ſibi adhærentium, datum & exhibitum in congregatione Cleri, in die S. Dorotheæ, Anno Domini M. CCCC. XIII.

PRo honore Dei & Euangelij ipſius libera prædicatione, ſalute populi, & infamia ſiniſtra & mendoſa Regni Bohemiæ, Marchionatus Morauiæ, Ciuitatis Pragenſis, et eiuſdem Vniuerſitatis, reformanda pace, & unitate inter Clerum & ſcholares reſtauranda.

I. PRimo, teneatur iuſtum & rectum Edictum Principum & conſilij Domini Regis, inter Dominum Suinconem bonæ memoriæ Archiepiſcopum, & inter dominum Rectorem & Magiſtros, & Magiſtrum Ioannem Hus pronunciatum, ſigillis roboratum, & ab utraque parte ſolenniter in Curia Domini Regis ſuſceptum & approbatum.

II. Item, Regnum Bohemiæ maneat circa iura, libertates & conſuetudines Cõmunes, quibus alia Regna & terræ gaudent, & ſunt contenta. In quibuscunque approbationibus, condemnationibus et alijs actibus, ſanctam matrem uniuerſalem Eccleſiam concernentibus.

III. Item Magiſter Ioannes Hus cui præfatus dominus Suinco nullum crimen coram Conſilio obiecit, adſit præſens in Congregatione Cleri, Et ibi quicunque uoluerit ſibi errorem uel hæreſim obijcere, obijciat, obligando ſe ad pœnam talionis, ſi non probauerit.

IIII. Item, ſi nullus tunc ſe partem ponere uoluerit, fiat mandatum

Domini

Domini Regis per omnes Ciuitates. Similiter ordinetur per omnes plebanos, ut proclametur, Quia Magiſter Ioannes Hus paratus eſt, de fide ſua rationem reddere. Si ergo aliquis uult ſibi hæreſim uel errorem obijcere, quod ſe inſcribat ex nomine in Cancellaria Domini Archiepiſcopi, ad deducendum publice coram utraque parte.

Item, Si nullus obijciens inuentus fuerit qui ſe inſcriberet, uocentur illi qui ad Curiam Papę deduxerunt, quod in Regno Bohemiæ, in Ciuitate Pragenſi & Marchionatu Morauiæ, multorum corda hæreſi uel errore ſint infecta, quod probent qui ſunt illi: Et ſi non probauerint, puniantur. V.

Item, Dirigatur ad Doctores Theologiæ & iuris Canonici, & ad Capitula Canonicorum, & requiratur ab omnibus & a quolibet ſingillatim, quod nominent aliquem ſi ſciunt hæreticum uel erroneum. Quod ſi dixerint, Neſcimus, tunc faciant ad hoc recognitionem coram publico Notario, ſigillis ſuis eadem roborantes. VI.

Item, His habitis, Dominus Rex, ſimiliter Archiepiſcopus, mandet ſub pœnis, quod nullus alium hæreticet aut dicat erroneum: Niſi uelit in ipſum probare errorem uel hæreſim, ſicut decet. VII.

Item poſt hæc, Dominus Rex concors cum Baronibus, ſubſidium ſeu collectam a Clero recipiat, & dirigat Ambaſiatam honeſtam ad Curiam. Cum qua Ambaſiata tranſeant & illi ſuper proprijs expenſis, pro expurgatione, qui Regnum falſe & grauiter infamauerunt apud ſedem Apoſtolicam. VIII

Item. Propter præſentiam Magiſtri Ioannis Hus & eius prædicationem, non debet poni interdictum interim, ſicut nuper fuerat poſitum, contra ordinem & determinationem ſanctæ matris Eccleſiæ. IX.

Hæc ad plauſum popularem compoſita, quum uiderentur & Clero pericula minari, & ad nouum ſpectare tumultum: Adminiſtrator confeſtim tranſmiſit ad Epiſcopum Lythomyslenſem, uirum grauem & expertum, ut perlecto utriuſque partis conſilio in medium conſuleret, quid opus eſſet facto in re tam ancipiti & plena periculi. Is autem lectis eiuſmodi conſilijs, in hæc uerba conſulendo reſpondit,

Hic Epiſcopus per hæreticos omnino deſtructus eſt.

Conſi-

Conſilium R. P. Domini Ioannis Epiſcopi Lythomyslenſis ad Epiſcopum Olomucenſem, Adminiſtratorem Eccleſiæ Pragenſis, & Legatum Sedis Apoſtolicæ.

Hic poſtea in concilio Cōſtantienſi in xiij ſeſsione (in qua error de utraq; ſpecie dānatus eſt) Miſſæ cantauit officium.

REuerendiſsime Pater, Domine & Amice Chariſsime. Viſis & reuiſis Magiſtrorum facultatis Theologicæ ✝ conſiliabilibus: & Magiſtri Ioan. Hus, ſuper deciſione infamię in noſtris partibus, Poſtquam ſciētia ſit de uniuerſalibus, Conſilium de ſingularibus, hoc modo ulterius conſiliari. Primo & ante omnia conſilium Magiſtrorum & doctorum ueneror. Ad Magiſtri Ioannis Hus reſpiciens, intentionis meæ conſilia pręſtabo: poſtquam ad deſtructionem infamiæ Regni Bohemiæ et partium, ex principijs emergentibus, oporteat inſtare, iuxta eorum conditiones.

forte, conſultationibus.

I. Primo, Vt Vicecancellarius Studij Pragenſis eligatur, qui errata Magiſtrorum & Studentium inquirat & corrigat, & ad ulteriorem infamiam deduci non admittat. Nam ex huius defectu, diſſenſionis & infamiæ principia arbitror eueniſſe. Et uereor, niſi ✝ obuentum fuerit, conſequenter euenire.

forte, obuiatū.

II. Item, Quia in ſcholis Vniuerſitatis, ſingularis controuerſia notam infamiæ non ſparſiſſet in populo, niſi prædicationes uulgares publicaſſent opinionum controuerſias. Hinc arbitror, debere Magiſtrum Ioannem Hus cum ſuis complicibus omnino ceſſare, & debere prohiberi a prædicationib. Quoniā ex illis omnis materia infamię ab exteris, et diſſenſionis ab intraneis dinoſcitur diuulgata.

Vt ceſſet Io. Hus prędicare populo.

III. Item, Quia iuxta Apoſtolum, quomodo prædicabunt niſi mittantur? Et ſi miſsi, indebite executi fuerint, reuocentur. Hinc conſulo, quatenus Hus cum ſuis complicibus, a loco Bethlehem arceatur, ne prædicet tanquam lupus, Non charitatem, quæ intenditur ex prædicatione legis domini, ſed diſſenſionem procurans. Deus autem non eſt diſſenſionis ſed pacis, Prælatos Eccleſiæ Apoſtolo cōmoniente, Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiā Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces non parcentes gregi, & ex uobis ipſis exurgent uiri loquentes peruerſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Actuum xx. De iſtis lupis Saluator inquit Matthæ. VII. Attendite a falſis Prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Cum enim fructus ſit ultimum quod expectatur ab arbore, profecto fructæ

Rom. 10 *1. Cor. 14* *Act. 20.*

ueru

ueræ prædicationis non eſt aliud niſi dilatatio charitatis Dei et pro ximi, Chriſto dicente. In his duobus mandatis uniuerſa lex pendet & Prophetæ. Quoniam fructus ſpiritus eſt Charitas, Fructus autem carnis ſunt inimicitiæ, contentiones &c. Ad Gal. V. Hinc ſaluator ait. Intrinſecus autem, hoc eſt, in mente & intentione eorum, hoc ſolum uerſatur quod apud lupos. Ioan. X. Lupus rapit & diſpergit, Sic apud iſtos, ut oues diſpergant & lacerent a proprijs paſtoribus. Quales quæſo forent Prælati Eccleſiæ, niſi lupos ab infeſtatione huiuſmodi ouium arcerent? Secus, maledictum ſaluatoris incurrerent, Videlicet, Mercenarius uidet lupum & fugit. Matth. 22.

Item, Quia Charitas Dei & proximi fundatur ſuper obedientia, Chriſto dicente. Qui uos audit, me audit. Hinc conſulo, ut mandata Apoſtolica ſentẽtiantia Hus cũ ſuis complicibus, uenerentur & executioni mandentur. Iuxta tenorem proceſſuum: Ipſique a conuerſatione fidelium, ſine ſimulatione et diſsimulatione arceantur: ne eorum diſſenſionis zizania pro tritico a fidelibus æſtimetur. IIII. Lucæ. 10.

Item, Quia culmos maledictæ zizaniæ & ſchiſmatis ſparſerunt in uulgaribus, In tantũ, ut libros Bohemicos, ſui erroris nutritores, Laicis publicarent & inſinuarent. Hinc conſulo, ut dicti libri uulgares anathematizentur, et eorum quæſtores, eiſdemq́ꝫ utentes. Quatenus infamia eradicari ualeat de Regno et regnicolis, atq́ꝫ ab extraneis minime ualeat imputari. Hæc ſunt, quæ ſingulariter magiſtrorũ conſilijs coaddidi, Imperfectum exiſtimans, teneri corde et profiteri ore, ſi fruſtraretur in opere. Cætera cum uenero, planius diſponam, quo ad Doctorum conſilia. Iam uero ſcriptis Iohannis Hus utcunq́ꝫ breuiter reſpondebo. V.

Ad Reſponſ. ſuas M. Io. Hus uenio conſequenter.

Ad primam. Vbi tangit de concordia Domini Suinconis Archiepiſcopi et domini Regis conſilio, in materia fidei & ſedis Apoſtolicæ ſententia, contra Magiſtrum Ioannem Hus, Reſpondeo, Quod tractare et compromittere non poterant, ſede Apoſtolica diſſentiente. Eſt enim temerarium, ſine commiſsione ſuperiorum iudicia diſcutere Inferiores. Qua in re Magiſter Iohannes Hus per appellationem ſedi Apoſtolicæ ſe ſubinferens, quærit ſubterfugia, per inferiores Regni Bohemiæ deciſionem acquirens. I.

Item. Magiſter Ioannes Hus, ut Regnum & Regnicolæ Bohemiæ ſuis Iuribus gaudeãt, ſupplicat, ſed tacite ut ſe tueatur, et à ſuis declinet iuribus, contra obedientiam Eccleſiæ inſtare ſatagit. Vt niſi eum protegant contra ius & Eccleſiam, ipſos ſecum pariter inuoluat. Quam conditionem dæmonum eſſe cognoſcimus, II.

ideo

ideo fideles temptantium, ut Omnipotentis legibus contraueniant cum ipſis.

III. Item, Allegat tertio, ſibi non obiectum fuiſſe per Dominum Suinconem crimen erroris uel hæreſis. Reſpondeo. Quoniam non ad deciſionem, ſed ad inquiſitionem pendebat terminus charitatiue pro poſsibili decidendus: qui ex conſequenti, ex contemptu clauium, erroneus hactenus reperitur.

IIII. Item, In quarto articulo, quaſi ſe iuſtum obijciens, deſiderat ſuã innocentiam publicari per plebanos & plebeios. Cui dicimus, ut Romanam Curiam conſulat, non nos, pro ſeipſo.

V. Item, In quinto articulo ✝ inuocat ſui criminatores, ut ſe cum eo in ſcriberent in his, quæ ad Curiam Ro. ſcripſerunt, uolens deſuper expurgari in Regno Bohemiæ, & non in Roma. Oppoſitus Apoſtolo qui appellans Romam, elegit Romæ mori potius quam appellationem non proſequi in Roma.

✝ inuitat aut prouocat.

Act. 25.

VI. Item, In ſexto articulo, Doctores Theologiæ & Iuris Canonici, & Capitulares Canonicos ſingillatim requiri ſatagit, ſi ſe, aut aliũ uel alios hæreticos nouerint, Coram Notarijs publicis dicant, et ut eadem ſuis ſigillis roborẽt. Quatenus eoſdem proditorie extinguat in corporibus & rebus.

VII. Item, In ſeptimo procurat, ut nullus alium hæreticet uel erroneum nuncupet, Quatenus ſub tali colore communitatis omnium innocentia, & ipſe innocens ualeat apparere.

VIII. Item, In octauo, ſub eodem colore innocentiæ communitatis omnium, uult & ipſe innocens apparere, innocẽteſque inuoluere, ut ✝ ſuam nocentiam cum maculatione ſuæ innocentiæ aſſumant & expurgent, Turpiſsime ſuggerens, ut Rex ex Cleri exactione collectã faciens, apud Ro. Curiam ✝ ſuam nequitiam iuſtificet, & Cleri iuſtitiam condemnet, aſſumptis deſuper Cleri ſumptibus & impenſis.

✝ ipſius.

✝ ipſius.

IX. Item, In nouo, uenenum ſuæ effundit maliciæ, inſtans ut prædicet, Nec interdictum obſiſtat Apoſtolicum, Aſſumens pro ſe falſi dice determinationes Eccleſiæ, Quę nunquam promulgatæ fuerũt. Ne uerbum Euangelij ſentiret obicem. Sed præcludebat nihilominus gannitus uulpinos & luporum ululatus, qui ſe uoces Euangelicas doloſe mentiebantur. Qualiter Magiſter Ioannes Hus in propoſito, ſuas uoces diſſenſionis & ſchiſmatis, uoces eſſe mentitur Euangelicas et charitatis. Hęc Ioãnes Epiſcopus Lythomislenſis, Qui & hanc adiecit epiſtolam, R.P. Domine & amice Chariſsime, Reuiſis paternitatis ueſtræ ſcriptis, directiſque Magiſtrorũ conſilijs, præſumptuoſum temerariumque arbitratus ſum addere, Quam ob rem ſtatui pręmiſſa in lucem tradere, ſuppliciterque effe-

ctui

ctui obſecrans mancipare, per ueſtræ paternitatis ſtudioſam diligentiam, apud Maieſtatem Regiam: conceptus mentis meæ irrefragibiles pro modulo inſcriptis, præſenti incluſos literæ, deſtinādo: Quatenus recommendatione Cleri præhabita, dignemini auferre & impedire pro uiribus exactionem Cleri, cunctāque moleſtiam comminatam hactenus, ſpoliatorumque præſertim .S. Nicolai maioris Ciuitatis Pragenſis Plebani ad propria, præmiſsis Magiſtrorum conſilijs, meiſque inſertis charticulis conformando. Datum Luthomisliæ. Die X. Menſis februarij. Anno domini M. CCCC. XIII.

Similem itaque ludum luſiſſe mihi uidetur hic Hus, aduerſus Clerū Pragæ, qualem olim aduerſus ſanctos Epiſcopos Hilarium, Euſebium & Ambroſium, Catholicæ fidei contra Arrianam perfidiam acerrimos aſſertores, luſit Mediolani nequiſsimus hæreticus Auxentius, Qui cùm in toto corde ſuo Arrianus eſſet, callidiſsimis tamen uerſutijs & mendacijs ita ſimulabat ſe Catholicum, ac pios Pontifices uelut hæreticos incuſabat apud Laicos & in hoc ſæculo potentes, ut duos ex ijs in exilium fecerit relegari; Tertium, in mortis pericula perſæpe protruſerit, Aulicorum fretus fauoribus. Hoc enim titulo uſus fuit in quadam ad Imperatores Epiſtola. Beatiſsimis (inquit) ac glorioſiſsimis Imperatoribus, Valentiniano ac Valenti Auguſtis, Auxentius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Mediolanēſium. Et in ipſa Epiſtola, grauiter Hilarium & qui ei conſentiebant accuſans, quod uocarent ipſum Arrianum, ſubiunxit, Nunquam ſciui Arrium, non uidi oculis, non cognoui eius doctrinam. De quo ſic habet Hilarius, Placet omnibus Auxētium hęc ipſa profiteri frequenter, qui ut ipſe ſcriberet, eſt coactus. Qui diu conſilia ſua uerſans, callidiſsime fidē Regis eludit: Dat ſcripturam ſtylo Antichriſti compoſitam. Negat ſe ſcire Arrium, quum in Alexandria in Arriana Eccleſia, cui Gregorius præerat, Presbyter eſſe cœpiſſet &c.

Hus Auxētio ſimilis in dolo.

Hilarius in li. contra Auxen.

Ambroſius uero, ab illo prouocatus, ut cum eo coram Valentiniano ſecundo diſputaret, conſtanter & intrepide recuſauit habere in cauſa fidei iudicem Cæſarem, aut alios Laicos. Quando audiſti (inquit) Clementiſsime Imperator, In cauſa fidei Laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo adulatione quadam curuamur, ut ſacerdotalis iuris ſimus immemores: & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe alijs putem eſſe credendum? Si docendus eſt a Laico Epiſcopus, quid ſequatur? Laicus ergo diſputet, et Epiſcopus audiat, Epiſcopus diſcat a Laico? At certe ſi uel ſcripturarum ſeriem diuinarum, uel uetera tēpora retractemus, Quis eſt qui abūat in cauſa fidei, in cauſa inquā fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatorib. Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? &c. Sic et Ioan. Hus, cū toto corde ample

Ambro. in epi. lib. 5. epiſt. 32.

ſteret ſæpe damnatã & manifeſte impiã ac barbaram doctrinã Vui cleph, Quæ ſeptem ſacramenta omneſq; pias Cæremonias, & omnem ſtatum & ordinem Eccleſiaſticum prophanat, cõculcat & peſſundat. Nolebat tamẽ dici hæreticus, nec errorem ullum agnoſcere: Neq; citra periculum uitæ & facultatum, poterat ſe quiſpiam priuatorum hominum ulli opponere. Vſque adeo præoccupauerat plebis & multorum nobilium mentes, quas in partẽ traxerat ſuam, non ſolũ publicis concionibus in Capella Bethlehem, uerum etiam priuatis colloquijs & uario complicum ſuorum miniſterio: & librorum ex latino in uernaculum translationibus, Transferebat enim nõ ſolum libros Canonicos Bibliæ, ſed etiam libros Vuiclephi, eos maxime, qui Papam & omnẽ ſtatum Eccleſiaſticum impugnabant. Quicquid igitur in Papam & omnem Clerum dicebat aut ſcribebat, ſectatoribus ſuis merum erat Euangelium. Infeſtabat eo tempore Ro. Eccleſiæ oppida & territoria Ladislaus Rex Neopolitanus, contra quem Ioannes Papa xxiij bellum decernens, plenariam peccatorum remiſsionem indulſit his, qui ad tuendam Eccleſiam arma induerent. Quum igitur Pragæ ea indulgentiarum Bulla publicaretur, præcepit Rex Vuenceslaus, qui Papæ illi adhærebat, ne quis contra Indulgentias illas quicquam attentaret. Hus uero cũ ſuis, contempto etiam Regis edicto, manifeſte contradicebant. E quorum numero tres ſordidæ artis homines, quum ſacerdoti Indulgentias annuncianti publice obſtreperent, & Papam Antichriſtum dicerent, qui contra Chriſtianos crucem decerneret, rapti a Senatu in prætorium, tumultus occaſionẽ præbuerunt. Populus enim ſuſceptis armis dimitti eos petijt. Verum Magiſtratus oratione placati homines, domum abiere. Captiui autẽ, dum non ceſſarent blaſphæmare Papam & indulgentias, plexi ſunt capite. At Hus cum ſuis occurrens, interemptorũ corpora rapuit, & aureo circumuoluta panno per omnes (ut ait Æneas) urbis Eccleſias detulit, Cantantibus ſectæ ſuæ ſacerdotibus. Iſti ſunt ſancti, qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt &c. Ex in cadauera in ſacrario Bethlehem repoſita, quaſi Martyrum reliquiæ aromatibus condita fuerunt. De quibus ipſe Hus in libro ſuo de Eccleſia inſcripto, ſic habet & gloriatur. Ideo dicit ultra Daniel, Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio &c. Iſtius (inquit) textus intelligentiam exponit facti experientia. Quia docti per gratiam dei, Simplices Laici & ſacerdotes, docent plurimos uitæ bonæ exemplo, & contradicẽtes publice Antichriſti mendacio, uerbo ruunt in gladio, ut patet de Laicis, Ioanne, Martino & Staſcone, Qui contradicentes Antichriſti diſcipulis mendacibus, in gladio corruerunt. Alij autem exponen-

Translatiões librorũ in uernaculũ.

Bulla indulgentiarum.

Tres Laici Huſsitæ a Senatu neci traditi.

Io. Hus in lib. de Eccle. c. 21

Daniel. 11.

ponentes, ceruices ſuas pro ueritate martirizati ſunt, captiuati, carcerati & trucidati, & tamen ueritatem Chriſti non negauerunt tam ſacerdotes quam Laici & mulieres. Benedictus ſit ergo Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui abſcondit uiam ueritatis à ſapiẽtibus & prudentibus, & reuelauit eam Laicis ſimplicibus, & paruulis ſacerdotibus, qui eligunt magis Deo quam hominibus obedire &c. Hanc rem clarius enarrat Stephanus Paletz, ipſum Ioannẽ Hus hiſce uerbis increpans. Time ergo Magiſter, ne forte ex tua grã di rebellione & inobedientia craſſa, malo exagiteris ſpiritu, per tot prſumptiones, omniũ, Eccleſię ſanctæ prlatorũ proiecta obedientia, quaſi equus ſine freno diſcurrẽs, et diuerſarum nouitatũ diſcidia in populo diſſeminans, nullius ſubiectus obedientiæ diuini iuris imperio. Dum te ex alto corde quaſi Deum conſtituis, Apoſtolorum tuorũ (ſicut manifeſte cernitur) elatis oculis in magnis, & nouitatibus mirabilibus ſuper ſe ambulantibus, munitus præſidio. Et hoc tuæ dominationis in populis, inaudito pene a ſæculis æternis auſus es publice tuæ admirandæ præſumptionis (ut pondus ſuperadijcias ponderi) piaculo, attentare & realiter prſencialiter facere, in multorum & maxime tuorum grande ſcandalum & periculum animarum. Quod factum ſic declaratum cernitur. Dum enim magnificus Romanorum & Bohemiæ Rex Vuenceslaus, Regio ſuæ poteſtatis imperio (Cuius intereſt) examinato ſuorum fidelium conſilio, ad Eccleſiaſticæ pacem diſciplinæ conſtituiſſet, etiam uoce præconia per ciuitatem Pragenſem Decreto publico: Vt nequaquam cuiuſcũque conditionis aliquis audeat rebellare & contradicere, occultè uel publicè ſub capitali pœna indulgentijs Papalibus. Quo circa prædicante quodam ſacerdote, uiro bono, in Ambone ad populũ publicè, & decretum Regium, Immo ſanctum & iuſtum propalante, quidam de ſorte tua Laici, altis uocibus reclamarũt ueritatis prædicationi, & dixerunt unus & alter & tertius. Falſum tu loqueris Domine ſacerdos, Quia Magiſter noſter Hus, aliter & ueraciter docet & prdicat, falſas eſſe & iniquas indulgentias illas. Qui comprehenſi, non ſolum Regij, ſed & diuini & ſancti comunis decreti præuaricatores hæretici, examinati & ad rectam fidei Catholicæ regulam adhortati, Dum ſuam & ſui Magiſtri contumaces & obſtinati defenderent ſententiam impiam, cõmuni decreto pœnalis ſententiæ damnati, ad Ciuitatis Pragenſis Mediaſtinum (& quidem iuſte) capitibus truncati ſunt. Dicentibus qui rectè fidei conſentiunt, ex antiquo Machabeorum prouerbio, Benedictus Deus, qui tradidit impios. Quid ad hæc dicet mater Eccleſia de te? Tu uero homo olim unanimis, qui ſimel mecum dulces capiebas cibos, magnifi

Perſequutio propter Hus.

Inobedientia Ioannis Hus.

Edictũ Regis pro indulgentijs.

Tres Laici propter hereſim decollati.

2. Machab. 1

Pſalm. 54.

D ij caſti

caſti ſuper me ſupplantationẽ. Facto ſiquidem prædictorum rebel lium iuſtæ animaduerſionis excidio, acceſsiſti uel iniſti, pluribus uallatus ſocijs, maturum & diſcretum magnæ ciuilis prouidentiæ Pragenſe Conſilium, & prædicatione pompatica auſus clamoroſa uoce, non ſolum ipſorum debitam executionem, ſed & Regiam in hoc omnino ſanctam maturi decreti iuſsionẽ, non ſolum reprehen dere, ſed etiam damnare. In quo utiq; crimen leſæ maieſtatis perpe traſti: Aſſerente te & dicente, Iniuſtè iſti damnati ſunt, Ego feci & ego feram. Ecce ego et omnes iſti qui mecum ſunt, parati ſumus ean dem excipere ſententiam. Verum habentibus Ciuibus (ſicut conde cet) tui ſacerdotij reuerentiã, & uerborum tuorum inſolentis impe tus patientiam. Vide iam, de quibus prædiximus, quæ feceris hor rendę præſumptionis, in contemptum Regij decreti & Ciuilis diſci plinæ, mirabilia. Acceſsiſti ſiquidem, & iacentium rebelliũ corpora ſub Mediaſtino ſuſtuliſti, & cum ea, quæ tibi uidebatur ſumma, re uerentia ad Cathedram tuæ ſuperbiæ, Capellam dictam Bethlehẽ detuliſti, Tui ipſius & ſcholarium tuæ ſocietatis, Sanctæ obedien tiæ contrarijs, clamoroſis & altiſsimis uocibus, uſq; ad inferni no uiſsima concrepantibus. Iſti ſunt ſancti. Quibus ſic inductis per te in Capellam illam, tantum feciſti popularis tui fauoris concurſum, ut non ſolum illorum ſic iuſte decollatorum ſanguinẽ linteis maxi me Beginæ tuæ & quidam alij extergerent, ſed quaſi præ illorum ſanctitate, & potius pertuſa ſaccitate, lamberent, Ita ut te largiente & te donante, locus ille tuę Cathedræ ſummus, non tam Bethlehẽ, ſed ad tres ſanctos per te & tuos complices uocaretur. Quouſque

Pſalm. 37. Deus improperabit inimicus? irritat hic aduerſarius nomen tuum

Stulta occiſorum Canonizatio per Io. Hus. in finem? Ecce qualis & quam manifeſtæ ſanctitatis illorum rebelliũ indicia, ſancta inuenit mater Eccleſia, ut Huſca Magiſter ille audeat tam miſerabili præſumptione, ſancta & occulta tua iudicia decerne re, & homines utique temporali (& ſi æterna, tu noſti Domine) pœna dignos, ſuæ uertiginis aſſertione in populis ſanctificare, Re uertere Reuertere Huſca Magiſter, qui ſic in altis uolitas, ut intuea mur te. Ecce tua & tuorum prædicatio uenerationem ſanctorum of

Hus cõtra reliquias ſãctorum. ſium, iuxta ritum Eccleſiæ ſanctæ, cum tuis reprobas, dicens. Quod ſanctus Vuenceslaus modico, id eſt, Fratricidio regnum promeruit Martyrij, & hic cũ ſanctis alijs, quos ſacerdotes & Monachi præ dicãt, habent unius ſancti multa capita, multa brachia, & diuerſa oſſa, Quæ utiq; non ſanctorum, ſed uilium cadaucrum eſſe potius

Exemplum de contemptus religis. reputantur. Cuius exemplum Accipe Magiſter, Quid factum fue rit publice in Eccleſia fratrum Carmiletarum, quæ uocatur in Are na, Pragenſi Ciuitate. Ibidem enim ſedente aliquo fratre cum reli

quijs

quiſs & quibuſdam monſtrantiſs,& ad frabicam Eccleſiæ mendicante,acceſſit quidam tuæ ſortis diſcipulus, & cum ſedenti diceret, Quid hic agis frater? Quo reſpondente, cum ſanctorum reliquiſs expecto beneficium eleemoſynarum. At ille per ſuperbiam,mentiris,inquit,eſſe ſanctorum reliquias, oſſa mortuorum cadaucrũ hic retines, & Chriſtianos decipis cupide mendicando. Quo dicto tanquam equus inſiliens, pede repedans, euertit menſam ad terram cum reliquiſs. Quo uiro per fratres eoſdem comprehenſo,& de tanta nequitia tento: & ad uerba poſito, uenerunt tuæ ſortis armati plurimi,et excuſſo fratrum habitaculo,maxima ſtrages & confuſio & ſcandalum manifeſtiſsimum eſt factum: Vt etiam Prior illorum fratrũ cum ſuis plurimis comprehenſi,non ſolũ uerbis turpibus,ſed etiam uerberibus inhoneſtiſsimé tractarentur. Iam uide, quomodo contra ſanctæ Eccleſiæ ritum latrones recenter ſanctificas,& ritum ſanctæ matris Eccleſiæ honorabiliter & rite a priſcis temporibus ſeruatum hactenus, uilificas. Quo in toto terrarum orbe ſanctorũ reliquiæ hinc inde perlatæ & traditæ,ſalua fide Catholica, honorabiliter uenerantur. Hæc ille Stephanus,homo Bohemus,uir Chriſtiano zelo uehemẽter ſuccenſus & ardens;atq; in medio periculorum,ſpiritus libertate intrepidus & ſecurus. Grandis profecto erat ubiq; in Bohemiæ Regno diſcordia, maxime in ciuitate Pragẽſi,ubi noua prædicabant Hus,Hieronymus et Iacobellus. Nam ultra Vuiclephi articulos nouum ſupperaddidit articulum, De communicandis ſub utraq; ſpecie panis & uini in ſacrmento Euchariſtię Laicis,quidam Petrus ex Dreſda Miſniæ oriundus. De quo maxime exultabant omnes,,quod repperiſſent iam articulum in Euangelica lege fundatum,dicente ipſo Domino, Niſi manducaueritis carnem filiſ hominis,& biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Petrus ille cũ cęteris Teuthonicis ſcholaribus a Praga paulo ante diſceſſerat,Cognitus uero inter ſuos,quod Vualdẽſi lepra infectus eſſet, patria pulſus Pragam rediſt,puerorumq; docendorum curam ibi ſuſcepit. Quum autem Iacobellus (qui Teuthonice paruus Iacobus dicebatur) Pragæ tum in Eccleſia S. Michaelis celebris haberetur Concionator,eſſetq; & ipſe Natione Teuthonicus,patria Miſnenſis (Diſtat autem Miſna tribus tantum Miliaribus Germanicis a Dreſda,et urbs utraq; Albi adiacet,pulcherrimo interiacente agro & ameniſsimo collium Vitiferorum nemorumq; proſpectu) Petrus,tanquam Conterraneus,eiuſdem patriæ & linguæ,familiariter illi notus,ſuggeſſit ei articulum iſtum de Laica cõmunione,uelut grauem Ro. Eccleſiæ errorem,eo quod Euangeliũ & anti qui doctores conteſtentur. Laicos quoq; utranq; ſacramenti

Nouum inuentum Petri Dreſdẽſis.

Ioann. 6.

Iacobellus, autor ſchiſmatis de utraque ſpecie.

Euchariſtiæ ſpeciem accipere debere. Iacobellus ea de re admonitus, acutum pro utraque ſpecie libellum (qui adhuc extat) conſcripſit, ſocijſque ſuis communicauit, qui nouitatem illam auide arripientes, & in populum late diuulgantes, uehementiſsime plebem aduerſus Clerum concitauerunt, tanquam Clerus per inuidiam et contemptũ, Laicis alterã ſacramenti partem ſubtraxerit, & nõ dederit eis integrũ corporis et ſanguinis Chriſti Sacramentũ. Quæ ſane calũnioſa opinio adhuc hodie multas Bohemorum mentes male occupat. Contra quam multi ac prolixi extant Tractatus & libri, a Catholicis tum Bohemis tum Germanis Italiſq;, et aliarum Nationum uiris doctis ęditi, Quos omnes aut recitare aut in unũ colligere, immenſi foret laboris. Hic nobis ſufficiat, quod ea Iacobelli adinuentio & opinio, publice damnata paulo poſt fuit Conſtantię a Concilio generali in xiij ſeſsione. Et poſtea a Concilio Baſilienſi in ſeſsione xxx. Vtrobiq; enim decretum eſt uno omnium Nationum conſenſu, quod iſta conſuetudo communicandi Laicos tantummodo ſub ſpecie panis, ſit laudabilis, & ab Eccleſia ſanctiſq; patribus rationabiliter introducta, & diutiſsime obſeruata, atq; habẽda pro lege, quã nemini liceat reprobare, aut ſine Eccleſiæ autoritate pro libito mutare.

M. Andrę. de Broda.

M. Andręas de Broda Bohemus, uita & eruditione uenerabilis Theologus, ſtylo quidem humilis & incultus, uerum ſenſuum profunditate ſublimis & elegans, Epiſtola quadam a Ioanne Hus tentatus, ut uel in partem eius tranſiret, uel ſaltem non obſiſteret, Inter cætera reſponſionis ſuæ argumenta repręhenſoria, ſic illũ increpat. Circa finem (inquit) Tractatus ueſtri, quem ſcripſiſtis de Eccleſia, Videmini xlv. articulis ipſius Vuiclephi, In generali Concilio Romano & Pariſius & Pragæ condemnatis, eſſe nimium fauoroſus.

Mendaciũ Ioãnis Hus

O magiſter, ſed non in Iſrael, non ueremini dicere, quod ſolum propter impugnationem criminum, quæ Clerus ſequitur. Excommunicationem & perſequutionem patimini. Quis rogo paſſiue perſequitur? Quis alijs perſequutionem procurat? Quis ſpoliat? quis in faciem cędit? quis uituperat? quis Monaſteria uel Eccleſias deprędat? Nonne uos & diſcipuli ueſtri dicitis de criminibus Clericorum, ſed de erroribus & libris Vuicleph, quos protegitis, nullam mentionem facitis? Ego pauper homuncio dico. Si non eſſet cauſa alia, prętterquam hęc, quod prædicatis contra Clericos, nullus uos (ut æſtimo) excommunicaret. Nam et antiquis temporibus Militius, Conradus Styckna & alij quam plurimi contra Clericos prędicauerunt, nullus tamen propter hoc excommunicationis fuit ſententiæ ſubditus. Deponite nubem, tollite occaſionẽ, ſemouete ſtramen: ut homines uideant nudam rem, propter quam excomunicamini

mini. Latet anguis in herba, Etſi populum ſimplicem per talia de-
cipitis, Deũ tamen per talia decipere non poteſtis. Vbi eſt quæſo cõ
paſsio ueſtra ſuper afflictis? Ecce ueſtrates intrudunt ſe ad beneficia
aliorum, et (ut dicitur) uos eſtis horum inſtructor & procurator.
Vbi eſt prædicatio ueſtra, immo Cantio ueſtra, Non concupiſces?
Vbi eſt Charitas ueſtra, quæ non æmulatur, non agit perperam, 1. Cor. 13.
non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irri-
tatur, non cogitat malum, Vos autem cogitatis. Et uos ipſe, exco
municatus & interdictus, & ſuſpenſus a diuinis, In plebe mea diui-
na officia peragitis. Quod ſi præmiſsis uinculis non eſſetis liga-
tus, tamen non uocatus, in alienam meſſem nequaquam debere-
tis mittere falcem. Et infra, Item dicitis. Ecce ego manifeſte am- Interdictũ
bulo in Ciuitate, & reſpiciunt me plebani & Presbyteri, & om- contra Ioã
nes ſciunt quia ſum in Behlehem, & tamen non ceſſant a diuinis. nem Hus.
Magiſter Reuer. Non credo quod uos omnes uiderint ambulan-
tem. Nimis cito & leuiter condemnatis tantam multitudinem,
Nolite iudicare & non iudicabimini. Conſtat oppoſitum, quia
quam cito ſciuerunt, uos eſſe in Praga, ſtatim a diuinis ceſſauerunt. Math. 7.
O Reuerendum Prædicatorem, qui de ſua malitia, & proximo-
rum periculo gloriatur. Et ſub finem (inquit) literę ueſtræ con-
cluditis, quod ad uiam ueritatis cupitis me reuocare. In uia ueri-
tatis toto cordis affectu cupio ambulare. Sed ſpero in Deo omni-
potente, quod ad uiam Vuicleph, quam diu uixero, me non in-
ducetis. Et ut præmiſſa breui ſermone concludam, ſaltem illud
animaduertite, quod adhuc ſedentes in terræ puluere didiciſtis.

Iudicium populi nunquam contempſeris unus.
Vt plures culpent id quod tibi diſplicet uni.

Hæc ille Theologus, qui et erudite confutauit nouitatẽ illam com-
municandi populum ſub utraq; ſpecie, Cuius liber adhuc extat, li-
cet non ſit Impreſſus, aut excuſus. Quemadmodũ et alij pleriq; eius
tempeſtatis Bohemorũ tractatus. Extat & alia bene longa exhor
tatio cuiuſdã, qui fraterne eundem Io. Hus admonẽs, Inter plurima Alia incre
ſic ait. Ideo frater mi dilecte, non te delectet multitudo tubarũ mul patio con-
tarum, te præcedentium et ſequentiũ, plus q̃ obedientia dei & Pręla tra Io. Hus
torum tuorum. Quia non oẽs qui te pręcedunt et qui te ſequuntur,
dixerũt uel iã dicũt, Benedictus qui uenit in nomine domini Oſan-
na in excelſis, ſed prochdolor multi dixerunt & dicunt, Maledi-
ctus qui uenit in nomine Diaboli de abyſsis, qui commouet popu
lum per uniuerſam Bohæmiæ terrã. Et quando intraſti Pragenſem Math. 21.

Ciuitatem,commota eſt uniuurſa Ciuitas,dicens.Quis eſt hic?Quidam dicebant.Hic eſt prædicator ueræ fidei, Alij uero dicebant, Non,ſed ſeducit turbas.Et ſic frater mi dilecte, quanquam plures tibi blandiuntur,quorum uoluntatem imples, & qui ex tuis promotionibus,temporalibus et momẽtaneis utuntur.Oculo tamẽ diligenti tibi proſpice,Ne & tibi poſtea quandoq; uenenum infamiæ
4lingit. infundant acrius quam Scorpio,Qui uolẽs hominem inficere,+lingua leniter dormientẽ,& excitans eum,uenenum ſibi infundit, quo maxime inflatur,nec mederi poteſt niſi in aquis uallium.Itaq; mi frater dilecte, noli inflari ueneno ſuperbiæ & iactantiæ, & leni linitione & adulatione te præcedentium & te ſequentium: ſed merge te in aquis uallium,id eſt,in humilitate & obedientia,Sicut Saluator conſulit Lucæ xiiij & xviij.dicens. Qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui
Res ad tumultũ ſpectans. ſe humiliat,exaltabitur.&c. Quum igitur maxima eſſet Pragæ in populo per diſsidium iſtud commotio: Huſsitis multa temere per multitudinis inconſultę uim & furorem, contra leges & Canones attentantibus.Prælatis uero & Magiſtratibus in ſeditioſos & rebelles iuxta legum & iudiciorum ſeueritatem animaduertentibus, ita ut tota Reſpublica per tumultum cruentiſsimum in præceps ruitura uideretur:Rex Vuenceslaus,uidens ſua quoq; Edicta ab Huſsitis contemni, adhibito Baronum conſilio, ut paci & tranquillitati Reipublicæ & honori tum ſuo tum totius Regni proſpiceret:Eiecto e Ciuitate ſeditionis fonte,Ioanne Hus,qui ſedis Apoſtolica autoritate omnibus Eccleſiaſticis cenſuris innodatus erat,Sententiam iſtam,quæ ſequitur,iuxta doctorum conſilia, ratam habens & approbans,in modum Edicti publicaſſe fertur.

Conſilium Doctorum contra Hæreſim Pragæ exortam.

QVia Sereniſsimus Princeps et Dominus, Dominus Vuẽceslaus,Romanorum Rex & Bohemiæ, pro honore ſuo & Regni ſui, de ſano conſilio Dominorum Baronum, per ſuas literas uoluit & mandauit ſerioſe: Vt peſtifera diſſenſionis materia,in Clero Regni Bohemiæ ſuborta,inueſtigaretur,Cuius prætextu ipſum Regnũ Bohemiæ,& regnicolæ,in diuerſis Principatib.Coronæ Regni Bohemiæ adiacentibus,grauiter infamantur,Prout ipſe Dominus Rex ſe ſcribit accepiſſe,Et ut ipſa diſſenſionis materia inueſtigata, radicitus extirparetur & ſuffocaretur.Huius autem diſſenſionis materia,ex parte quorundam de Clero peſtifera,ex tribus cauſis radicalibus eſt manifeſta.

Prima cauſa.Nam communitas Cleri in Regno Bohemiæ,de ſeptem

ptem ſacramentis Eccleſię.De clauibus,officijs et cenſuris Eccleſię, De moribus,ritibus,Cæremonijs,Iuribus,libertatibus & ſacris rebus Eccleſiæ,De ueneratione reliquiarum & indulgentijs,De ordinibus & religionibus in Eccleſia.Ne dum cum communitate totius Cleri in mũdo:ſed etiam totius Chriſtianitatis,ſemper ſentit fideliter & credit, Sicut Ro.Eccleſia, & non aliter. Cuius Ro.Eccleſiæ Papa eſt Caput, Corpus uero Collegium Cardinalium,exiſtentes manifeſti & ueri ſucceſſores, Principis Apoſtolorum Petri et collegij aliorũ apoſtolorum Chriſti,In officio Eccleſiaſtico cognoſcendi & diffiniendi uniuerſam materiam Catholicã & Eccleſiaſticã,Errores circa illã corrigendi & purgandi,atq; in uniuerſa illa materia curã habendi omniũ aliarum Eccleſiarũ & uniuerſorũ Chriſti fideliũ: Cũ pro regimine Eccleſiæ per uniuerſum mundũ oporteat ſemper manere huiuſmodi manifeſtas et ueros ✝in tali officio principis Apoſtolorũ Petri & collegij aliorum Apoſtolorũ Chriſti.Nec poſſunt inueniri uel dari ſuper terram alij ſucceſſores quam Papa, exiſtens Caput,& Collegium Cardinalium, exiſtens corpus Eccleſiæ Ro. ſupradictæ.Vnde Beatus Auguſtinus in epiſtola ad Glorium Eleuſium & Fœliceẽ,Donatiſtas ſcribit,quod in Ro.Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ uiguit Principatus. Quidã autem de Clero in Regno Bohemiæ, dicentes, condemnationem & prohibitionem XLV.articulorum eſſe iniquam & iniuſtam:fuerunt & ſunt prædictis contrarij, non uolentes credere,falſas eſſe ſententias Vuicleph & aliorum,circa ſeptem ſacramenta Eccleſiæ & alia prætacta, contrarias iam dictæ Ro. Eccleſiæ & eius credulitati. Non attendentes dictum B.Auguſtini in libello de fide Catholica(alias Conciliorũ) dicentis.Siquis aliquas ſcripturas,præter eas quas Catholica Eccleſia recipit,uel in autoritatem eſſe habendas tradiderit,uel fuerit ueneratus,Anathema ſit.

addc 4 ſucceſſores.

Aug.in ep.162

Secunda Cauſa. Quia Communitas Cleri in Regno Bohemiæ,cum communitate totius Cleri in Mundo, & totius Chriſti unitatis, ſemper tenet & credit fideliter, ſicut Ro.Eccleſia,& non aliter,Quod in omni materia Catholica & Eccleſiaſtica,ſtandũ eſt fidei ſententiæ & determinationi ſedis Apoſtolicæ,& Ro.Eccl. Eo quod Papa exiſtẽs caput,& Collegiũ Cardinaliũ exiſtẽs corpus Ro.Eccle.ſunt in officio Eccleſiaſtico cognoſcẽdi & diffiniẽdi cauſas Eccleſiaſticas, ueri ſuccesſores Principis Apoſtolorũ Petri et collegij aliorũ apoſtolorũ Chriſti,ut pręmiſsũ eſt.Quidã autem de Clero regni Bohemię, Papã et Collegiũ Cardinalium paruipendentes,ad hoc conſentire non uolunt, Solam ſcripturam ſacram in talibus materijs pro iudice habere uolentes. Quam ſcripturam ſecundum capita ſua interpretantur & interpretari uolunt, Inter-

In cauſa fidei & Eccleſiaſtica ſtandũ eſt iudicio Papæ.

Non ſoli ſcripturæ ſacræ ſtandũ eſt.

Interpretationē communitatis ſapientum in Eccleſia non curantes: Nec aduertentes ſcripturam ſacram Deutero xvij cap. Si ambiguum & difficile iudicium apud te eſſe proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicū intra portas tuas uideris uerba uariari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesq; ad ſacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem quicunq; fuerit tempore illo: quęresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij ueritatē. Et facies quodcūq; dixerint tibi qui præſunt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, Nec declinabis ad dexteram uel ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malū de Iſrael: Cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Conſtat autem cuilibet fideli, Ro. Eccleſiam eſſe locum, quem elegit dominus in nouo Teſtamento, ubi Dominus Eccleſię totius poſuit Principatū. In qua ſummus ſacerdos, qui præeſt loco, eſt Papa uerus & manifeſtus ſucceſſor Petri. Cardinales uero ſacerdotes Leuitici generis, qui Domino Papæ in executione ſacerdotalis officij ſunt coniuncti. Ad quos in dubijs & difficultatibus, iuxta ſententiam Domini Dei, ubi ſupra, in materia Catholica & Eccleſiaſtica eſt recurrendum. Sicut adhoc expreſſe loquitur Innocentius Papa in titulo, Qui filij ſunt legitimi, in cap. Per uenerabilem. Vbi poſt uerba Deuteronomij, ſuperius allegata, ſic ſcribit. Sane cum Deuteronomium lex ſecunda interpretetur, ex ui uocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari. Locus ergo, quem elegit Dominus, Apoſtolica ſedes eſſe cognoſcitur. Cum enim Petrus urbem fugiens, exiuiſſet, uolens eum Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo, Domine quo uadis, reſpōdit, Venio Romam, iterum crucifigi. Quod intelligens, pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Et ibidem ſubdit. Sunt autem ſacerdotes Leuitici generis fratres noſtri, qui nobis iure Leuitico, in executione ſacerdotalis officij, coadiutores exiſtunt. Is uero ſuper hoc ſacerdos ſiue iudex exiſtit, cui dominus inquit in Petro, Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Eius Vicarius, qui eſt ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæc ille. Et Beatus Hieronymus in epiſtola ad Papam ſic dicens. Hæc eſt fides Papa Beatiſsime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quāq; ſemper tenuimus. In qua ſi quid minus perite uel incaute aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri ſedem tenes & fidem. Si autem hæc noſtr a confeſsio,

Margin notes: Locus quē elegit dominus, eſt ſedes Apoſtolica. — Deut 17 — Inno. tertio — Vide Egeſippū lib. 3. cap. 2. — Is Papa erat Damaſus I.

feſsio. Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me culpare uoluerit, ſe imperitum uel maleuolum, uel etiam non Catholicum, ſed hæreticum comprobabit. Hæc ille. Tertia cauſa. Quia Communitas Cleri in Regno Bohemiæ, cum Communitate totius Cleri in Mundo & totius Chriſtianitatis, ſemper tenet & credit fideliter, ſicut Ro. Eccleſia, & non aliter, ſecundum doctrinam Euangelicam & Apoſtolicam ac ſanctorum Doctorum, Quod ſedi Apoſtolicæ Ro. Eccleſiæ & prælatis eſt obediendum per inferiores, in omnibus quibuſcunq;, ubi non prohibetur purum bonum, nec præcipitur purum malum, ſed medium, quod pro modo, loco, tempore uel perſona, poteſt eſſe bonum uel malum, iuxta ſententiā Saluatoris Matth. 23. Omnia quæcunq; dixerint uobis, ſeruate & facite. Et Beati Bernardi in epiſtola ad Adam Monachum. Quidā autē de Clero in Regno Bohemię non uolunt conſentire, conantes (quantum in eis eſt) inducere fidelem populum ad inobedientiam reſpectu Prælatorum, & irreuerentiam erga Papalem, Epiſcopalē & ſacerdotalem dignitates: Non cōſiderantes, illud Auguſtini, ſermone lxxxvi. ſic dicentis. Si ieiunaueris, diebus & noctibus orationem feceris, ſi in ſacco fueris uel cinere, ſi nil aliud feceris, niſi quod præceptum eſt tibi in lege: Et tibi ipſi uiſus fueris ſapiens, & obediēs non fueris patri tuo (Intellige, non patri corporali ſed ſpirituali) Omnes uirtutes perdidiſti. Vnde obedientia plus ualet quam omnes cæterę uirtutes morales. Hæc ille. Quia uero conſtat, quod Principalis honor & gloria Vniuerſorum Chriſtianorum, nomē hęretici præ omnibus malis nominibus abhorrentium, eſt, ut in tota materia fidei, & in omni materia Eccleſiaſtica, ſentiāt & credant, ſicut eorum mater ſæpe dicta Ro. Eccleſia, & non aliter. Conſtat etiam ✝ Bohemiam, Reges, Principes, Barones, Nobiles, Armigeros, Communitatem Cleri, Communitatemq; populi eius, nedum nouiter & aliquando, ſed ſemper in eiuſmodi gloria pręcipua manifeſte rutilaſſe, & magnifice rutilare. Ideo, ut iſta magnifica gloria in Regno Bohemiæ refulgeat, multiplicetur & cōſeruetur: Et ne huic gloriæ Regis et Regni Bohemiæ quiſq; de regno maculam inferre præſumat. Ac etiam, ut mala fama de regnicolis ſuborta ſopiatur. Modus facilis eſſet, ut ſub poenis grauiſsimis Eccleſiaſticis uel Ciuilibus, prouideatur, ut nullus de Regno Bohemiæ teneat, aſſerat uel dogmatizet aliter, quam Ro. Eccleſia, in quacunq; materia Catholica uel Eccleſiaſtica, Et ſpecialiter de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ, et alijs ſuperius nominatis. Sed quod in omni materia Catholica uel Eccleſiaſtica ſe unuſquiſque Vniuerſali totius Eccleſiæ ſententiæ, conformat. Et in omni materia Catholica & Eccle-

Obediendum Prælatis in omnibus quę media ſunt.

Hæreſis infert grauiſsimam reg no infamiā

✝ Bohemiæ.

Modus tollendi eam infamiam.

Eccleſiaſtica ſtandum eſt fidei,ſentẽtiæ et determinationi ſedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ Ro. Ac per hoc obediendum ſit Prælatis per inferiores in omnibus quibuſcunq;, ubi non prohibetur purum bonum,aut ubi non præcipitur purum malum, ſed medium præcipitur aut prohibetur. In hoc fieret concordia in Clero,& ſublatio peſtiferæ materię diſſenſionis,Quando partiales Clerici,tribus modis ſupra tactis a communitate extraneantes,attenderent doctrinas Apoſtolicas,dicentes.In fide autem unanimes 1.Petri 3.Item, Implete gaudium meum,ut idem ſapiatis,eandem charitatem habentes, idipſum ſentientes.Ad Philip.2.Et iuxta illas doctrinas fideliter & manifeſte cognoſcerent,ſe ſentire & credere circa materias prædictas,ſicut credunt & ſentiunt Communitas Cleri & Chriſtianitatis cum Ro.Eccleſia, & non aliter. Si quis autem de Clero in præmiſsis,aut aliquo præmiſſorum reperiretur in Bohemia contrarius, fauendo ſententijs aut ſcripturis Vuicleph uel alterius, contrarijs circa præmiſſa Ro.Eccleſiæ & eius ſententiæ,eas defendendo, tenẽdo uel aſſerendo:Talis habendus eſt nedum infidelis inhonorator matris ſuæ Ro. Eccleſiæ , ſed ut grauis hoſtis & inimicus præcipui honoris Domini noſtri Regis & Regni,præſumens inferre maculã horrẽdam ipſi Domino Regi & Regno ſuo. Taliſq; per cenſuram Eccleſiaſticam eſt emendandus. Quod ſi corrigi noluerit, ſæculari iudicio eſt tradendus. Item,quod nullus, honori domini Regis & ſui Regni fauens,debet ſic errantem & contrarium Ro.Eccleſiæ, defendere quouis modo. Item,Quia xlv.articuli,Quorum nullus eſt Catholicus,ſed quilibet eorum aut hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus, & per conſequens ad deuiãdum a recta credulitate inducens,Tales inquam, quia dudum per Vniuerſitatem Pragenſem,per Nationẽ Bohemorũ, & per facultatem Theologicã eiuſdẽ ſtudij,ſunt prohibiti:teneri,aſſeri uel dogmatizari,ſub grauib. pœnis excommunicationis infamiæ & periurij. Et nuper in æſtate de uoluntate Domini noſtri Regis, ſunt ſimiliter in Prætorio Maioris Ciuitatis Pragenſis prohibiti,ſub pœna excluſionis a Regno Bohemiæ.Ideo ſub eadem pœna excluſsionis,& pœna Excommunicationis latæ ſententiæ,nullus audeat aliquem de dictis articulis aſſerere uel etiam dogmatizare. Demum quia proceſſus illi contra Magiſtrum Ioannem Hus,de uoluntate Domini Regis, per dominum Conradum,Epiſcopum Olomucenſem, Generalem adminiſtratorem Eccleſiæ Pragenſis, & per Capitulum Pragenſe , & per Communitatem Cleri in Praga,ſunt recepti,et eis paruerunt.Igitur eis obediendum & parendum eſt,præſertim, quum ibi non prohibeatur purum bonum aliquod,nec pręcipiatur purum aliquod malum,

xlv. articuli Vuicleph, ſeuerisſime prohibiti.

Proceſſus contra Io. Hus, a Clero recepti.

lum: ſed ſecundum ſtylum Eccleſiæ et Curiæ Ro. Conſuetum & obſeruatum ante patres patrum noſtrorum, præcipiantur ibi ſola media inter pura bona, & inter pura mala. Et in his medijs ſecundũ B. Bernardũ in epiſtola ad Adam Monachũ ſic incipiẽte, Si manères in charitate &c̃. Lex poſita eſt obedientiæ tanq̃ in ligno ſcientiæ boni & mali, quod erat in medio Paradiſi. In his profecto phas non eſt, ſenſum noſtrũ ſentẽtiæ præſcribere magiſtrorũ. In his omnino Prelatorũ nec iuſsio nec prohibitio eſt contemnenda. Nec eſt Cleri in Praga, iudicare, ſi iuſta uel iniuſta eſt M. Ioan. Hus excommunicatio talis et aggrauatio a Curia Romana. Sed tenetur Clerus pro tali habere illã, iuxta ꝓceſſus receptos & publicatos in Praga, quod excommunicatio & aggrauatio ſit nonnulla, a iudice ſuo autoritate Apoſtolica fulminata, & per conſequens tenetur prædictus Clerus habere pro illo, quod excommunicatio & aggrauatio prædicta ligat: Iuxta Concilium Sardicenſe. Cauſa xi. quæſt. iij. Si Epiſcopus forte iracundus, quod eſſe non debet, &c̃. Quamuis uero decretum iſtud, per Theologos conceptum, comprobatum etiã a Doctorlbus iuridicæ facultatis: immo & publica receptum autoritate, atq; adeo & in Bohemicam linguã translatum (in qua & hodie legitur) & Regis iuſſu publice in Prætorio recitatum fuerit: Tãta tamen fuit partis aduerſæ peruicacia & tam pertinax rebellandi ac contradicendi ſtudium, ut non ſolum in concionibus clamitauerint palam, inique Ioannem Hus eijci, maleq; parcri contra eũ Proceſsibus Ro. Curiæ, quos Clerus Pragenſis odio & inuidia in illum percitus, per pecunias falſaſq; delationes extorſerit: Verũ etiam uarijs libris & ſcriptis Decretum illud quam plurimis rationibus & argumentis impugnauerint. Nam & Iuriſconſultos quoſdam inuenerunt, qui ab ipſorum parte ſtantes, non ſolum ſcriptis ſed & diſputationibus publicis, Proceſſus illos ſimul cum decreto conuellere atq; refellere tẽtauerunt. Quorum duos ipſe Hus nominatim commemorat in ſuo de Eccleſia libro, dicens. Quomodo autem proceſſus contra me fulminati ſint nulli & erronei, Venerandus Magiſter Ioannes de Ieſſenitz, Doctor Iuris Canonici, Vniuerſitatis ſtudij Bononienſis, In ſcholis per determinationem publicam clareſcere patefecit. Et poſt pauca. De excommunicatione (inquit) fecit poſitionem ſolennem, ſanctæ memoriæ pius Chriſtianus & magnus zelator et ſcrutator legis Chriſti, Magiſter Fridericus Epinge, Bacalaurius Iuris Canonici, tractans primum articulum. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum eſſe excommunicatum a Deo. De qua etiam alibi ſcripſi. Et ſi non uis credere, diſce in Bethlehem in pariete. Ibi reperies, quomodo iuſto nõ

Concil. ſardi. ca. 17.

Peruicacia Huſsitarum contra hoc concilium.

Io. Hus de Eccleſia cap. 22.

Hic fuit procurator eius in Curia Ro.

 nocet

nocet excommunicatio,ſed proficit.Et quare debet etiam iuſtus ti‑mere excommunicationem iniuſtam prælaticam ſiue Pilaticam &c.

Nomina Theologorum Pragēſiū.

Nomina uero Doctorum Theologicæ facultatis, qui Decreti autores fuere,itidem recenſentur ab ipſo Hus inſupra dicto lib.cap.xi. ubi ait.Et patet,quod dictum Doctorum (quorum dux pro tunc fuit Stephanus Paleız cum Stanislao,trahentes poſt ſe Petrum de Ikoyma, Ioannem Heliæ, Andream Broda, Ioannem Hildeſen, Matthæum Monachum, Hermannum Heremitam, Georgium Botam,et Simonem Vuendam)poſitum pro materia diſſenſionis, uerificabile eſt in Clero criminaliter conuerſante. Cæterum liber ille de Eccleſia & prolixus eſt, & denſis refertus argumentis,atq; ab homine acris ingenij ac multiiugæ lectionis compoſitus: miro artificio trahit lectorem in odium Cleri Pragenſis, atq; in contemptum clauium ſedis Apoſtolicę.Ex quo ſane libro poſt in Concilio Conſtantienſi extracti fuerunt a Catholicis Articuli (uti referunt nonnulli) xxxiiij.In actis autem publicis recitantur xxx, qui a Concilio condemnati ſunt. Hic uero operæprecium fuerit, paucis commemorare quædam ex ijs,quæ Hus cum ſuis contra decretum illud articulatim obiecerunt.Et quid ad ea reſponderunt ipſi doctores.Ex quibus lector intelligat, quam procax, maligna, uehemens & callida fuerit ea Huſſitarum & nouorum Vuiclephitarum factio ad trahendum Populum & in odium Cleri ac ſuperiorum:& in fauorem nouæ ſectæ,popularem auram ſequentis, ac per plebis furorem cæcumq; iudicium nihil non audentis.

Stanislaus de znoyma Morauus,doctor præcipuus in ſtudio Pragenſi.

Obiectiones Huſsitarum contra Conſilium Doctorum.

I. Fundamentum Doctorum, ſuper quo fundant omnia ſua ſcripta & conſilia,eſt falſum,Puta,quod quidam Clerus in Regno Bohemiæ ſit peſtifer & erroneus,male ſentiens de Sacramentis.

II. Doctores per hoc infamant Regnum Bohemiæ, & nouas diſcordias generant.

III. Oſtendant ergo illum Clerum peſtiferum, & uerificent dictū ſuum,ſe ad pœnam talionis aſtringendo.

IIII. Falſum aſſerunt,dicentes, Papam & Cardinales, ueros & manifeſtos eſſe Petri & Apoſtolorum ſucceſſores: Nec poſſe inueniri & dari ſuper terram alios tales Petri & Apoſtolorum ſucceſſores. Cum Nemo ſciat,an odio uel gratia dignus ſit. Et omnes Epiſcopi & ſacerdotes Apoſtolorum ſucceſſores ſint.

V. Non Papa,ſed Chriſtus eſt Caput: Nec Cardinales, ſed omnes Chriſti fideles ſunt corpus Catholicæ & Ro. Eccleſiæ,ut omnis ſacra ſcrptura & ſanctorum patrum decreta clamant & affirmant.

Et

Et patet de Papa præſcito, qui non caput, ſed nec membrum VI.
Eccleſiæ Dei ſanctæ eſt, ſed Diaboli & ſynagogæ ſuæ.

Clerus Euangelicus, conformans ſe dicto Auguſtini, per eos alie- VII.
gato, iuxta ſanctiones Patrum & determinationes ſanctę matris Ec-
cleſiæ, dicit & aſſerit laudabiliter. Iniquam & iniuſtam ac temera-
riam eſſe & fuiſſe xlv. articulorum condemnationem & prohibitio-
nem. Ex eo, quia non ſolum Doctores, uerumetiam quicunq; Epiſ-
copi uel Archiepiſcopi, in cauſis maioribus, præſertim fidem tan-
gentibus (ut ſunt iſti articuli) nullam penitus habent autoritatem.
Vt patet de baptiſmo & eius effectu c. Maiores. Et in Canone
xvij. diſt. c. Huic ſedi &c.

Secunda cauſa diſcordiæ eſt falſiſsima etiam apud Laicos, Cum VIII.
fides de Eccleſia Romana totius Chriſtianitatis eſt tripartita, ſecun-
dum Tres Papas, & Quarta eſt Neutralis. Et nunquam eſt ſtandũ
ſententijs Papæ & Cardinalium, niſi de quanto ſe conformant ſa-
cræ ſcripturę ueteris & noui Teſtamenti, unde ſanctiones patrum
traxerunt originem. Vt patet de accuſationibus. c. Qualiter &c.

Item in Quarto articulo in quandam uęcordiam erumpunt, & IX.
ſibi ipſis contradicunt. Ex eo quod ſtulte repręhenderunt Euange-
licum Clerũ, qui in omnibus ſuis agibilibus ſacram ſcripturã (quæ
eſt lex Dei, uia, ueritas & uita) iudicem recipiunt & menſuram, &
poſtea ipſius allegant ſcripturã Deu. xvij. ubi docentur omnes iudi-
ces, & ſic Papa cum Cardinalibus, ſecundum legem Dei, inter le-
pram et lepram, ac omnem cauſam determinare, diſcernere, iudicare
Eccleſiaſticã. Contradicunt ſuo ſecundo articulo, dum aſſerunt. In
materia Catholica ad Papam eſſe recurrendum. Quod eſt contra
ipſorum ſtultam articulorum condemnationem.

Conſequenter tanquam Idiotæ, falſiſsime pro ſua intentione al- X.
legant Canonem ſub autoritate Hieronymi, poſitum xxiiij. q. 1. *Verba Hiero.*
Hæc eſt fides Papa. Vbi uerba B. Hierony. de fide ſua ad S. Augu- *non ad Auguſ.*
ſtinum, quem Papã beatiſsimum appellat: ad Papam Romanum *ſed ad Dama-*
applicant impertinentiſsime. *ſum ſcripta ſunt.*

Ex quo dicto S. Hieronymi patet, primum articulum præmiſ- XI.
ſum eſſe falſum. Ex eo quod alij quam Epiſcopus Romanus &
ſui Cardinales, ſunt Papæ beatiſsimi, Petri fidem & ſedem tenẽtes
& ſucceſſores Apoſtolorum, ut fuit Auguſtinus & cæteri ſancti
Epiſcopi.

Ex quo ſequitur ulterius. Ro. Eccleſiam non eſſe locum, ubi do- XII.
minus totius Eccleſiæ poſuit Principatum. Quia ſummus ſacerdos
Chriſtus ſedit in Hieruſalem, Petrus primitus in Antiochia, demũ
Romæ. Poſt alij Papæ, Bononiæ, Peruſij, Auenionæ.

XIII. Item Quintus articulus pro Tertia cauſa poſitus,ſicut Quartus eſt non ſolus. Pro quibus tanquam falſarij ſacrarum ſcripturarum & ſacrorum Canonum eſſent puniendi: Dumaſſerunt Papæ in omibus obediendum. Conſtat enim multos Papas fuiſſe hæreticos & quendam fœminam. Quibus non ſolum non obedire: ſed nec etiam communicare uel fauere permiſſum eſt, Vt oſtendunt omnes Rubricę & infiniti Canones,de hæreticis et eorum fautoribus compilati & confirmati.

XIIII. Item Sextus,Septimus,Octauus,Nonus, Decimus & Vndecimus Articuli,ſtant & fundantur ſuper falſitatibus & mendoſis perſuaſionibus ſupradictis.Ideo ſicut prædicti,merito ſunt reſpuendi & deteſtandi:Cum non ſint pacis & ueritatis,ſed diſſenſionis & falſitatis inductiui.

XV. Conſtat enim & Laicis,quod diſſenſio inter Clerum eſt propter prædicationem Euangelicam, per quam arguuntur Simoniaci & præcipui hæretici in Eccleſia Dei, qui in Curia Ro.uigent maxime, & ramos ſuos diffundunt per uniuerſum Orbem. Qui non ſolum a Clero Euangelico,ſed a Poteſtate ſæculari ſunt extirpandi. Hæc enim tria uitia, puta Simonia, luxuria & auaricia (quæ eſt Idolorū ſeruitus)ſunt cauſæ totius diſſenſionis inter Clerum in regno Bohemiæ,& non priores,cum falſe Clero Euangelico aſcribantur. Quibus ablatis, Pax & unio inter Clerum ſtatim eſt reformata.

XVI. Demum ultimus articulus eſt nimis groſſus,non ſolum iure ſed etiam Iuris colore carens : cum nimis pueriliter arguunt, dicentes, Ideo proceſsibus contra Magiſtrum Ioannem Hus eſſe parendum & obediendum,quia per communitatem Cleri Pragenſis ſunt recepti.Quia ſic Diabolo eſſet parendum & obediēdum per nos, quia parentes noſtri Adam & Eua ſibi paruerunt & obedierunt. Et patres patrum noſtrorum fuerunt Pagani, ergo & nos ſimus eis obedientes et paganizemus.

XVII. Sed dimiſſa eis ſua falſa opinione, iſtud eſt ueritas Canonica, quod proceſſus contra M.Ioan.Hus ſunt iure nulli,Ex eo quia contra cōmiſsionem Papæ ſunt obtenti,extracti,fabricati ac executi, Contra determinationem ſanctæ matris Eccleſiæ. Vt patet in c.ſacro. De ſententia excommunicationis,cum infinitis iuribus.

XVIII. Vlterius omnes dictos proceſſus ſcienter & pertinaciter defendentes,exequentes,et eis conſentientes,ſunt blaſphemi, ſacrilegi,excommmunicati & hæretici cenſendi,ut alibi dictum & ſcriptum eſt, & datum domino Epiſcopo Olomucenſi.Et adhuc deduceretur et oſtenderetur,ſi audientia in publico daretur corā omnibus doctoribus. Ad iſtas xviij.Obiectiones Huſsitarum, ita reſponſum eſt a doctoribus Catholicis.

Reſponſio ad iam dictas obiectiones.

Ad primam reſpondetur, quod falſa imponunt doctoribus. In materia enim Catholica & Eccleſiaſtica pro fundamento debent poni Veritates Catholicæ, credendæ, tenendæ, aſſentiendæ et ab ec cleſia approbatæ. Quales Domini Doctores poſuerunt Tres ueri-tates generales pro tribus articulis, a quolibet fideli Chriſtiano Ca-tholice credendas, ſentiendas uel tenendas: & ſacra ſcriptura robo ratas, ac per hoc ab Eccleſia approbatas. Subiungentes dictis uerita tibus ſingulis, quod quidam de Clero in Regno Bohemiæ talibus nolunt conſentire. Non hoc ponentes pro fundamento ſui conſilij, Cum hoc non ſit aliqua ueritas Catholica: ſed in eo Clerum quen-dam, a communitate totius Chriſtianitatis ſe extraneantem, ad con-formitatem fidei reducere cupientes. I.

Ad ſecundam ſic reſpondetur. Doctores in genere redarguunt, nullum nominando, uolentes per hoc eos, qui a ueritatibus in con ſilio poſitis peſtifere diſſentiunt, charitatiue ad conſentiendum ad-hortari, ut pax & unio reformaretur in Clero. II.

Ad Tertiam ſic. Hoc non uidetur rationabile. Si enim prædica tor inuehens & dicens, quod quidã in Regno Bohemiæ, immo par ticularius deſcendendo, in Ciuitate Pragenſi, ſunt adulteri, uſurarij, prædones, ſimoniaci &c̃ (ſicut & ſępiſsime prædicatum eſt) deberet requiri & compelli, ad oſtendendum tales, tota correctionis mate-ria prædicatoribus ſubtraheretur, ſi ad talia tenerentur. Quod ſi uti que (licet contra iuris ordinem) tales oſtendi ac nominari uolunt, primo Dominum Regem habeant ſuper hoc requiſitum, qui in ſuis literis, ante Conſilium Doctorum, ſcripſit per totam Bohemiam dirigendo, qualiter peſtifera diſſenſionis materia in Clero ſit ſubor ta, cuius prætextu Regnum ipſum & regnicolæ, in diuerſis Princi-patibus Regno Bohemiæ adiacentibus, grauiter infamantur. Et ſi tenori literæ Domini Regis nolunt fidem adhibere, exeant ad Prin cipatus Regno Bohemiæ adiacentes, & de illo Clero peſtifero ſciſci tentur, & abſque dubio eos proprijs nominibus deſignabunt. Hic autem non eſt locus tales oſtendendi, Cum & ipſis accuſatoribus & iudici, qui contra accuſatos & conuictos ſecundum Canones uellet procedere, rerum & corporum periculum immineret. Alle-garetur enim contra utroſque, & populus concitaretur in eoſdem, tanquam in eos qui terram infamare uelint, Sicut iam de facto repli cantes allegant. Si enim eſſet ſecuritas tales oſtendendi, nedum Do-ctores, Prælati, Plebani, Presbyteri, Plebeij: ſed & pueri in plateis huiuſmodi digito demonſtrarent. Alibi autem, Vbi non eſt timor, III.

nominantur & excommunicātur, Et præſertim in Curia Romana. Cur ergo ad Curiam non uadunt, ubi ſe deberent de infamia expurgare? Neque opus eſt ut per alios oſtendantur, Cum ipſi per ſe, contra conſilium doctorum in ſcripto replicentes, & tribus ueritatibus generalibus contradicentes, hoc de ſe pleniſsime fateantur.

IIII. Error turpiſſimꝰ omnia confundens.

Ad Quartam ſic. In his cauſis, quas allegant, expreſſe innuunt, quod ſi Papa, Epiſcopus uel Prælatus eſt in peccato mortali uel præſcitus, quod tūc non eſt Papa, Epiſcopus uel prelatus. Ecce groſſi Quidamiſtæ, Quia hoc eſt error maxime inſanus, qui totū regnum Chriſti & Eccleſiæ ſuper terrā perturbaret, Cum nemo ſciret quis eſſet ſuus Papa, ſuus Epiſcopus, ſuus Paſtor uel Prælatus, cui ſubeſſe debeat, eo quod de nullo tali ſciretur, an ſit in gratia, & ab omni peccato mortali alienus, & maxime an ſit præſcitus uel prædeſtinatus. Et ſic quilibet haberet dubitare de quolibet presbytero an ſit præsbyter, & ſic, an conficiat uel alia porrigat Sacramēta. Et ſic quilibet de ſeipſo, an ſit Baptizatus, & per conſequens an ſit Chriſtianus. Quod eſt nimis perturbare religionem Chriſtianam. Inſania autem huius erroris, oſtenditur ratione et autoritate. Primo ſic. Malicia uel præſcientia Prælatorum uel miniſtrorū Eccleſiæ, nō impedit effectum ſacramentorū, nec in conſecratione nec in applicatione eorundem, Ergo malicia eorum uel præſcientia, non deſtituit eos ab officio ipſorum. Preſbyter enim malus uel præſcitus conficit & uere porrigit ſacramenta, Cum ſit uerus miniſter Chriſti, ueritate ſe tenente ex parte illius quod miniſtratur, non ex parte meriti ipſius miniſtrantis. Vt patet per B. Auguſt. ſuper Ioannem ſic dicentem. Cum baptizat malus, illud quod datum eſt unum eſt, nec impar propter impares miniſtros, ſed par & æquale, propter hoc Euā-
Ioan. 1. gelium. Hic eſt qui baptizat. Et infra: Talis eſt Baptiſmus, qualis eſt ille, in cuius poteſtate datur, non qualis eſt ille, in cuius miniſterio datur. Item, dedit baptiſmum Iudas, & non eſt baptizatum poſt Iudam, Dedit Ioannes, & baptizatum eſt poſt Ioannē. Quoniam qui datus eſt a Iuda, Baptismus Chriſti eſt: qui a Ioanne, Ioannis erat: Non Iudam Ioanni, ſed Baptiſma Chriſti, etiam per Iudæ manus datum, baptiſmo Ioannis recte præponimus. Ideo quos baptizauit Iudas, & Chriſtus. Sic ergo quos baptizat ebrius, homicida, adulter, Chriſtus baptizat. Hæc Augu.

V. Quō Papa eſt caput & Collegium Card. corpus Eccleſ. Romanæ.

Ad Quintam ſic. Verum quidem eſt, quod ſolus Chriſtus eſt Caput totius multitudinis fidelium, in Purgatorio dormientium, in Eccleſia militante pugnantium, et in cælo quieſcentium: Sed ex hoc non ſequitur, quod Papa non ſit Caput Eccleſiæ ſuper terram militantis, hoc eſt, omnium fidelium ſub ſuo officio in tempo-

tempore degentium. Quemadmodum non ſequitur, Chriſtus eſt Rex ſuper omne regnum, quia habet in fœmore ſuo ſcriptũ, Rex Regũ & Dominus Dominantiũ. Ergo Carolus non eſt Rex ſuper regnum Franciæ. Eſt igitur Papa Caput, & Collegium Cardinaliũ Corpus Ro. Eccle. quæ eſt in officio Eccleſiaſtico ſuper terram, cognoſcendi & diffiniendi omnem materiam Catholicam & Eccleſiaſticam, errores circa illam corrigendi, purgandi, atque in uniuerſa illa materia curam habendi omnium aliarum Eccleſiarum & omnium Chriſti fidelium. Cæterum corpus Chriſti, quod eſt ex tota multitudine fidelium aggregatum, non eſt in officio, hic ſuper terram, ſuperius nominata exercendi. Eo quod tale aggregatum nunquam ſimul fuit collectum, nec colligi poteſt de potentia ordinata, ad exercendum ſuperius nominata. Si enim huiuſmodi aggregatum eſſet Eccleſia talis, nunquam fuiſſet aliqua determinatio ab Eccleſia huc uſque facta, neque aliquod Concilium celebratum, eo quod talis multitudo nunquam ſimul congregata fuit. Oportet ergo aliquos ueros & manifeſtos eſſe, ad quos in materia Catholica & Eccleſiaſtica debeat eſſe recurſus. Quia multitudo illa omnium fidelium, qui corpus Chriſti ſunt, non eſt ſimul congregata, nec nobis cognita. Cum nullus de alio ſciat, neque etiam de ſeipſo, an ſit in odio uel in gratia. Quum enim omnis materia diſcordiæ in humanis habeat locum & præſidentes manifeſtos, ubi & per quos illa materia debeat decidi: Non eſt rationabile, quod diſcordia in materia arduiſsima, ſcilicet fidei, non habeat locum manifeſtum & Iudices manifeſtos, ubi & coram quibus agnoſci debeat & determinari. Et ſi ſic, non dabitur nec dari poteſt alius locus quam Romana Eccleſia, Cuius Caput eſt Papa, Corpus uero Collegium Cardinalium. Sicut de hoc eſt ſcriptura plana & Canones infiniti. Sicut enim Chriſtus, recedens de hoc mundo ſua præſentia corporali, ſe nobis reliquit ſub ſacramento in ſpecie aliena, ſic nobiſcum exiſtens uſque ad conſummationem ſæculi, Matthæi ultimo. Ita etiam quando uiauit hic in præſentia corporali, fuit Papa & Epiſcopus ſupremus, & ſic Caput Eccleſiæ militantis ſuper terram, coniunctus illi corporaliter, ſicut Caput corpori ſuo. Recedẽs uero ex hoc mundo, ne corpus ſuum, Eccleſia militans ſuper terrã, eſſet Acephalum, Petrum et ſucceſſores eius ei pro Capite dedit, uſque ad conſummationem ſæculi, dicens ei. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Et tibi dabo claues regni cælorum &c. Matth. xvi. Et iterum dicens ei ter. Paſce agnos uel oues meas Ioan. ultimo. Vbi Chryſoſtomus, Id eſt, loco mei Præpoſitus & Caput eſto fratrum tuorum.

[Margin: Apoca. 19.]

[Margin: Chriſtus uice ſua Petrum tanq̃ caput conſtituit.]

Ad

VI. Ad ſextam ſic. Papa, cum ſit ſupremus Vicarius Chriſti ſuper terrã, omnes alios in officio excellẽs, Quemadmodum caput corporale ſupereminet alijs mẽbris corporalibus: ſi malus ſit aut præſcitus, nõ per hoc impeditur ab officio, quin ſit Caput, & membrum officiale ſupremum, licet nõ eſſet membrum uitale in ratione meriti. Nam et Saul Rex, a Deo proiectus iam, ob regiam poreſtatem adhuc erat & dicebatur Caput, dicente Samuele. 1 Reg. 15. Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Eſſe nanq; Papam, officij eſt, non meriti. Et ſanctitas quæ ei aſcribitur, non perſonæ, ſed officio deputatur. Quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? diſt. 40. c. Non nos. Sed diceret Quidamiſta uel Vuiclephiſta. Membrum mortuum non poteſt alijs influere uitam ſpiritualem, quia nihil dat quod non habet. Reſpondetur, quod non eſt ſimile de membro corporali & de miniſtro Eccleſiæ ſacramenta applicãte. Quia quamuis a corde animalis non deriuentur ſpiritus uitales ad membra remotiora, niſi tranſeant per membra propinquiora: Tamen gratia, quam dat Deus ſacramenta rite ſuſcipienti, non tranſit per ipſum miniſtrum, ſed immediate cauſatur a Deo, in ipſo ſuſcipiente. Ideo quamuis miniſter in ſe ſit membrũ aridum, tamen ad applicationem ſacramentorum per talẽ miniſtrum uita ſpiritualis tranſit a Deo, in ipſum rite ſuſcipientem. Nam ſecundum Auguſti. ſuper Ioannem. Sicut per canalem lapideũ tranſit aqua ad areolas aromatum, ſic ad opus factũ etiam per malum miniſtrum Deus infundit irriguum gratiarum. Et ſicut ſeruus malus non tollit utilitatem Eleemoſynæ tranſmiſſæ per bonum Dominum, quinimmo æque utilis eſt recipienti, ac ſi tranſmitteretur per ſeruum bonum. Et ſicut Medicus infirmus quandoque adminiſtrat aliqua homini infirmo, ad quorum adminiſtrationem uirtus naturæ ſanat illum hominem, Medico tamen permanente infirmo: Ita & ſacramenta per malos adminiſtrata, proſunt nihilominus rite ſuſcipientibus. Bonitas igitur miniſtri non eſt de neceſsitate ſacramenti uel officij. Quia autem dicit Auguſtinus. Iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros: Intelligi debet de oportet congruitatis, non de oportet neceſsitatis.

VII. Ad ſeptimam ſic. Sicut duplex eſt Correctio. Vna ex autoritate qua ſuperior habet corrigere inferiorem, & non econtra. De qua loquitur Apoſtolus ad Ro. xiij. Alia eſt fraterna, ex charitate, qua unuſquiſq; alium, cuiuſcunque conditionis fuerit, pro tempore & loco corrigere poteſt Matth. xviij Omnes enim hic uiantes, fratres ſunt, dicentes, uel ſaltẽ dicere debentes. Pater noſter. Sic & condẽnatio duplex eſt. Vna ex autoritate, & illa in maioribus cauſis, præ

ſertim

præſertim im materia fidei ad ſolum Papam & ſuum Collegium pertinet. Quia Eccleſia Ro. eſt prima et caput aliarum Eccleſiarum, ut ad eam, quaſi ad matrem atq; apicem, omnes maiores Eccleſiæ cauſæ & Epiſcoporum iudicia recurrant, & iuxta eius ſententiam terminum ſumant, ſicut habetur iij. q. vi. c. Dudum. Sicut & ipſi de hoc multa iura allegant, contra ſe telum expreſſe iacientes. Quia ipſi in materia fidei nolunt ad Papam & ſuum Collegium recurrere, ſed hic in Praga per ſæculares uolunt iudicari. Alia eſt condemnatio ex congruitate, quia ex facto rei: quando res in ſe digna eſt cōdemnatione. Et ſic peccator pro quolibet peccato mortali condemnatur ad mortem, iuxta illud Apoſtoli ad Ro. 1. Qui talia agunt, digni ſunt morte. Sic ergo xlv. articuli ſunt condemnati per tres co nmunitates famoſas, per Vniuerſitatem Pragenſem omnium Nationum, per Nationem Bohemorum ſingulariter, et per Doctores Theologicæ facultatis hic in Praga, non ex autoritate, cum talis condemnatio ad eos non pertineret, ſed ex facto rei in ſe, iudicati, ſunt digni condemnatione, & prohibiti ex hac cauſa, quia nullus ex illis eſt Catholicus. Quod autem aſſerunt eam condemnationem iniquam et iniuſtam, falſum aſſerunt. Quia licet in angulis muſsitēt, nunquam tamen contradictorium illius concluſionis uerificabunt: nec ſe ad uerificandum in publico exponere audebunt. Videlicet, quod aliquis ex illis articulis ſit Cathoholicus, & nec hæreticus nec erroneus nec ſcandaloſus. Sed mirandū eſt, quod a fide totius Chriſtianitatis extraneantes, ſe audēt Clerum Euangelicum nominare. Quanta præſumptio, quod in talibus cęcati, ſe legem Euangelicam ſequi, aſſertiue glorientur. Se ipſos proprio telo iterum ferientes, quia nemo ſcit, an odio uel amore dignus ſit.

Condemnatio xlv. articulorū.

Superba præſumptio Huſsitarum.

Ad Octauam ſic. Abſit hoc a cordibus fideliū. Non eſt eīm tripartita Eccleſia Ro. Secundum Tres Papas, Sed una eſt Eccleſia Ro. Dño diſponente, quæ cunctorum fideliū mater eſt & magiſtra. De ſumma trinitate & fide Ca. c. Damnamus. Et ſicut cunctis fidelibus non plures Chriſti, ſed unus eſt Chriſtus: ſic eiſdem non plures Papæ, Vicarij immediati Iheſu Chriſti, ſed unus eſt Papa. Sicut igitur omnis ſpiritus, qui ſoluit Iheſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus 1 Ioan. 4. Sic omnis ſpiritus, qui ſoluit Papam, ex Deo non eſt, & hic eſt Antipapa. Vnde omnes, qui præter Romanum, non fuerunt Papæ, ſed Antipapæ Catholicè iudicati.

VIII. Non ſunt plures Papæ ſimul.

Ad Nonam ſic. Sicut conſueuerunt ſcripturas falſe allegare: Ita truncantes hic ſcriptum doctorum, deponunt illam dictionem excluſiuam, Solam. Nam doctores in ſuo Tertio articulo poſuerunt, quod in omni materia Catholica & Eccleſiaſtica, ſtandum eſt ſententiæ IX.

cẽtiæ & determinationi ſedis Apoſtolicæ et Ro.Eccleſiæ. Subiungentes,quod quidam de Clero in Regno Bohemiæ ad hoc non uolunt conſentire,ſolam ſcripturam ſacram in talibus materijs pro Iudice habere uolentes. Ecce qualiter Doctores non repræhendunt Quidamiſtas, ſi in ſuis agibilibus ſacram ſcripturam recipiunt pro confirmatione & defenſione:ſed repræhendunt,q̃d Papæ & Collegij Cardinalium forum declinantes(Ad quos ſpectat iudicium in omni materia Catholica & Eccleſiaſtica,iuxta ſcripturam Deutero no. xvij allegatam) Eorum in talibus materijs nolunt ſtare ſententiæ et determinationi, ſolã ſcripturam ſacram pro iudice habere uolentes.

Scriptura nõ per ſe iudicat,ſed per ipſam iudicant homines.

Quod omnino ſtultum eſt & irrationabile. Quia quum ſcriptura ſacra ſit res inanimata, per ſe non loquitur, nec aliquid poterit iudicare,ſed ſecundum ipſam(cum ſit regula infallibilis,metrum & menſura omnium agibilium humanorum)Iudex Eccleſiaſticus, præſertim in materia fidei iudicare debet. Qualis Iudex Eccleſiaſticus non ipſa ſcriptura eſt,ſed Papa cum ſuis Cardinalibus.Iuxta ſcripturam,nedum per Doctores,ſed et per partem aduerſam in tertio articulo allegatam,uidelicet, De baptiſmo & eius effectu.c. Maiores,Et in Canone.xvij.diſt.Huic ſedi.iij.q.vi.Dudum.v.q.iij Aliorum.Cum alijs Infinitis iuribus ut ipſi aſſerunt.Si igitur uera reputant quę allegant,in hoc ſe Doctoribus conformantes,teneant illa, & ſubmittant ſe ſententiæ & determinationi ſedis Apoſtolicæ & Rom.Eccleſiæ iuxta allegata.Cui doctores,condemnantes xlv.articulos, in nullo præiudicant,nec ſibi ipſis contradicunt.

X. Ad decimam ſic. Videte conuitiatores, & aſpicite detractores, qui informari & emendari non quærunt, ſed calumniari & Ieſum in membris condemnare ſuis in ſermone. Qui nec rationibus conuincũtur,quia pertinaces ſunt: Nec autoritatib. corriguntur, quia non recipiunt:Nec perſuaſionibus flectũtur, quia ſuperbi ſunt. Vt uidentes non uideant,& corde cæcati non intelligant.

Quid ſedes Petri eſt.

Nunquid ſedes Petri, eſt ſedes aliqua materialis uel reſidentia localis,et non potius autoritas Vniuerſalis ſuper terram ligandi & ſoluendi,cognoſcendi et diffiniendi in uniuerſa materia Catholica & Eccleſiaſtica,et curam habendi omnium aliarum Eccleſiarum & omnium Chriſtifidelium.Quæ in lege antiqua Cathedra Moyſi, ſuper quam ſederunt Scribæ & Phariſæi,appellabatur,Matth.23.Et iam in noua lege Cathedra Petri nuncupatur.A qua ſane Cathedra Romana Eccleſia,non urbs Romana obtinet principatum. Quia ſola ipſa habet autoritatem Vniuerſalem prædictam, ſuper terram. Vt dicit Beda ſuper Apocalypſim. Angelo Epheſi, id eſt, Epiſcopo Eccleſiæ ſcribit,ſic inquiens.Sola enim.Ro. Eccleſia ſua autoritate ualet iudica-

iudicare de omnibus,de ea uero nulli permittitur iudicare. Vt habetur. ix. quæ. iij.c. Epiſcopo. Cathedra autem Petri eiuſdem meriti eſt, ubicunque Papa eſt, ut habetur xciij diſt. c. legimus. Sicut ſedes Regis Romanorum eſt,ubicunque Rex Romanorum eſt. Sic & ſedes Petri eſt,ubicunque Petrus uel eius ſucceſſor eſt.Hanc uero ſedem Petri nunquam B. Auguſtinus tenuit, eo quod nunquã habuit autoritatem Vniuerſalem ſupraſcriptam. Ideo Canon B. Hieronymi allegatus,non eſt ſcriptus ad B. Auguſt. Cum in eo ſic dicatur. Hæc eſt fides Papa beatiſsime. Et ſubditur,Qui fidem Petri tenes & ſedem.

Ad Vndecimam ſic.Certum eſt,hoc dictum Hieronymi, non ad B.Auguſtinum, ſed ad Epiſcopum Romanum ſcriptum fuiſſe, ut eſt uidere in epiſtola Originali,atque etiam ex titulo Canonis allegati. Et ex antecedentibus & ſequentibus illum Canonem xxiiij. q.1. Vt patet intuenti. XI. Papa ille fuit Damaſus

Ad duodecimam ſic.Inferentes iſtud Correlarium non intelligunt,quid ſedes uel Cathedra Petri nuncupetur. Non enim ſedes aliqua materialis aut reſidentia localis,ſed autoritas Vniuerſalis ligandi & ſoluendi,quam Chriſtus Petro et ſucceſſoribus eius dedit, Sedes Petri nuncupatur,ut oſtenſum eſt ſupra. XII.

Ad Tredecimam ſic.Si conſtaret hæreticum uel fœminam eſſe in loco Papæ,non eſſet ei obediendum,Quia illius, qui in tali caſu ponitur eſſe Papa, mandatum nullum eſſet. Cum talis eſſet excommunicatus maiori excommunicatione a iure uel a Deo. Vbi autem non conſtat de hæreſi,uel de errore circa perſonam,eſt eis obediendum in omnibus quibuſcunque:Iuxta ſententiam ſaluatoris. Matth. 23.Omnia quæcunque dixerint,ſeruate & facite. Et iuxta ſententiam B.Bernardi in epiſtola ad Adam Monachum. Et ſuper Cantica,ſermone lxvi,ſic dicentis.Super Cathedram ſederunt Scribæ & Phariſæi,& qui non obedierint eis, tanquam Epiſcopis,inobedienдо rei fiunt etiam in ipſum dominum, præcipientem & dicentem, Quæ dicunt facite, Quamuis Scribæ, quamuis Phariſæi, quamuis uidelicet maximi peccatores,propter Cathedram tamẽ Moyſi, ad eos quoque nihilominus pertinet,quod idem dicit.Qui uos audit,me audit:& qui uos ſpernit me ſpernit.Hæc Bernardus. XIII. Lucæ.10

Cum autem non conſtet neque de hæreſi, neque de errore perſonæ,neque de Manifeſta falſitate Alexandri V.ſanctæ memoriæ, uel Ioannis xxiij. in Proceſsibus datis contra Hus & ſuos complices,tenemur eis obedire,Nec aduerſarij poſſunt de oppoſito informare,cum ſint ſuſpecti in cauſa.Vnde cauillationes iſtas, ſine omni ratione & fundamẽto, populo denunciantes & in ſcriptis redigentes,

tes,quid faciunt, niſi quod a ſpiritibus erroris in hypocriſi loquenti bus mendacium perſuaſi,populum fidelem & prius ſemper obedientem,conantur inducere ad inobedientiam Prælatorum, & ad irreuerentiam erga Papalem,Epiſcopalem, ſacerdotalem & Clericalem dignitates,Ad quam iam heu in parte populum induxerunt. Ideo tanquam falſarij ſacrarum ſcripturarum & ſacrorum Canonum,eſſent merito puniendi.

XIIII. Ad Decimamquartam ſic,Doctores in articulis illis manifeſte narrant facti ueritatem in ſe, & ad pacem & unitatem populum & Clerum inducunt,per exhortationes Apoſtolicas, ut in fide unanimes,idem ſapiamus,eandem charitatem habentes, id ipſum ſentientes,Ne ſint inter nos ſchiſmata,ſed ſimus perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia.Quæ ſane dicta neque reſpuenda neque deteſtanda ſunt, ſicut aduerſarij dicunt, cum ſint uerba ſummorum Chriſti Apoſtolorum Petri & Pauli.

1.Petri.3. Philip.2. 1.Cor.1.

XV. Ad Decimamquintam ſic.Quod ponunt alias tres cauſas, cõtra Doctores,tanquam tres radices diſſenſionis,in Clero Regni Bohemiæ, ſcilicet, Simoniam, Luxurã & Auaritiam, Conſtat falſiſsimũ eſſe.Et ſi enim in aliquibus de Clero aliquando uiguerunt ea uitia, tamen nunquam talis fuit in Clero diſſenſio,ſicut iam,exorta. Conſtat etiam euidenter,quod multi de Clero hic in Regno fuerunt, & ſunt probi & honeſti uiri, ab his uitijs immunes,bona apud Deum & homines prouidentes.Qui tamen magni ſunt inimici Vuiclephiſtarum,& Vuiclephiſtæ ipſorum e contra .Etiam multi ſunt,in quibus apparet ſuperbia,ſecundum ornatum & pompam ſæculi.Quidam etiam Concubinarij,notorij & adulteri,& alij Simoniaci manifeſti:Quorum Vuiclephiſtæ ſunt fautores magni & amici,& e cõtra.Ergo illa uitia non ſunt cauſæ diſſenſionis. Sed oportet eſſe cauſas per Doctores allegatas.Quia omnium & ſingulorum, qui ueritates tres per Doctores pro fundamento poſitas,aſſerunt,tenent et affirmant.Vuiclephiſtæ ſunt inimici, quia cum eis in opinionibus falſis non concordant.Quicunque autem talibus contrariantur,illorum ſunt ipſi amici et e contra,eo quod in opinionibus,fidei & Ro. Eccleſiæ contrarijs,eis conſentiunt,uel ſaltem eos in talibus promouent & defendunt. Cum omnes deſperatiſsimi , ſpirituales & ſæculares , qui partem eorum fouent , probi & iuſti apud eos reputentur.Et ab oppoſito eis contrarij,licet probiſsimi, mali ſeductores & Machometiſtæ appellantur. Quibus iam bona temporalia auferuntur,ex cauſa per eos allegata,Quia Dominus Rex practicat iſtum articulum in malis ſacerdotibus,omnes malos ſibi contrarios aſſerentes.Vnde etiam & dicta Doctorum & ſanctorum patrum

Cauſa diſſẽſiõis in Clero.

Iniqua Huſſitarũ practica.

trum

trum & Canonum inſtituta, quæ ſunt contra eos, non acceptant, quia eis contraria. Dicta autem, quæ ſunt pro eis, & ſi non ſunt authentica, immo fabuloſa, cum magna accipiunt ſolennitate. Canones autem & inſtituta ſanctorum Patrum, quæ Eccleſia approbat, a ſe repellunt, traditiones humanas appellantes. Ex doctrinis itaq; Vuicleph & ipſius ſequacium, Regnum Bohemiæ per totam Chriſtianitatem heu grauiter eſt infamatum, & hic in terra mala plurima acciderunt, & quis poſſet ea numerare?

Ad Decimamſextam ſic. In ultimo articulo formant per ſe conſequentiã truncatam, quam Doctores non ſic formauerunt. Non enim aſſumunt Maiorem ſuperius poſitam, quam Doctores iam probatam & tanquam Catholicam præmiſerunt, ſcilicet, quod Prelatis eſt obediendum in omnibus quibuſcunque, ubi non præcipitur purum malum nec prohibetur purum bonum. Qua aſſumpta Maiori ſubſumant, Sed in proceſsibus contra Hus datis, quib. Clerus in Praga paruit, non præcipitur purum malum nec prohibetur purum bonũ. Ergo eis eſt parendum. Argumẽtum ualebit euidenter, & per hoc ceſſabunt omnes pueriles eorum cauillationes, quia ad factum in ſe nihil arguunt. XVI.

Ad Decimamſeptimam ſic. Nihil eorum, quæ ſine ratione & fundamento, per iura Canonũ impertinenter allegata, proponunt, in ueritate ſubſiſtit. Procurator enim Magiſtri Hus, qui fuit in Curia, allegans quod tales proceſſus contra commiſsionem Papæ ſint extracti & fabricati, ſuſpectus merito eſt. Cumque eodem ſit uinculo excommunicationis irretitus, per ſua nuda uerba hic in partibus nunquam faciet fidem. Cur enim, ſi ita eſt, eoſdem proceſſus, dum fuit in Curia, non procurauit reuocari? ſed quia non potuit, indeclinabile manſit. XVII.

Ad DecimamOctauam & ultimam ſic. Procurator Magiſtri Hus uacuus ex Curia rediens, furore repletus, in grauiſsimas iſtas inſanias prorumpit, uincula Eccleſiaſtica & claues Eccleſiæ paruipendens. O quanta ſtoliditas, omni carens colore Iuris & rationis. Cum per oppoſitum deberet dicere Catholicé, ſi eſset Canonum fautor & non uiolator, quod omnes qui dictis Proceſsibus moniti non paruerint, ſint prophani et excõmunicati. Et ſi in illis pertinaciter perdurauerint, hæretici cẽſendi ſint. Sic eñ B. Ioan. Chryſoſtomo ſe conformaret, ſuper Epiſtolam ad Hebræos ſic dicenti. Nemo contemnat uincula Eccleſiaſtica. Non enim homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus, qui hãc poteſtatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. Et ponitur in Canone xi. q. iij. Nemo. Sit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus, quiſquis Apoſtolicis uoluerit contradicere decretis XVIII.

Cenſuræ Eccleſiaſticæ nequaquã contemnẽdæ ſunt.

cretis. Nec locum deinceps inter ſacerdotes habeat, ſed extorris a ſancto fiat miniſterio. Sicut ſcribit S. Gregorius, & habetur in Canone diſt. xix. Nulli fas. Cui ſententiæ cōcordans Dominus Deut. xvij. ſic inquit. Qui autem ſuperbierit, nolens ſacerdotis obedire imperio: qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, cunctuſq; poplus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Redite igitur prævaricatores ad cor, & ceſſate a derogatione matris ueſtræ Rom. Eccleſiæ, eiuſdem fidei ſententiæq; & determinationi obſequentes. Sic enim habetur diſt. xxij. Omnes. Non eſt dubium, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit. Qui autem Ro. Eccleſiæ priuilegium, ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur. Et cum ille uocetur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe uiolat, qui aduerſus illam agit, quæ eſt mater fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Eccleſijs prætuliſſe cognoſcitur. Hæc eſt reſponſio pro conſilio Doctorum contra Vuiclephiſtas Pragæ facta. Quamuis uero apud optimos quoſq; honeſtior ſcripturiſq; & ſacris Canonibus longe conformior haberetur Doctorum reſponſio, quam Huſſitarum obiectio. Magnæ tamen Laicorum parti magis arriſit ſententia Huſſitarum, ob eam maxime cauſam, quod prætēdebant Reformationem Cleri, cuius uitia, utpote Simoniam, concubinatum, auaritiam, luxum faſtumq; ſecularem odioſiſſime accuſabant, crebrimis ad populum cōcionibus, et rhetoricis ampliationibus cuncta in maius adaugebant. Cumque Rex iam cœpiſſet eo prætextu (ut Clerus reformaretur) a malis ſacerdotibus cenſus Eccleſiaſticos & decimas publico Edicto auferre, Huſſitæ multos deferebant, qui reuera criminoſi non erant, ſed cum eſſent Catholici, nouis Vuiclephi dogmatibus contradicebant, & ideo ab aduerſarijs uelut criminoſi per calumnias delati, ſuis priuabantur cenſibus. Vnde factum eſt, ut eo metu multi uel ſiluerint omnino, contra Huſſitas ne hiſcere quidem audentes, uel ſi criminoſi erant, ad partem eorum tranſierint, ut ſuis ſub illorum defenſione cenſibus ſecure potirentur. Nā tranſitus ille mox omnino crimina diluebat: Nuſquam enim faciliius proficitur (ut ait Tertullianus) quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic promereri eſt. Hus igitur ſucceſſu illo, indies elatior factus, nullum ipſe amplius timens, optimis quibuſque timori & eſſe uoluit & fuit etiam: Populum enim trahebat quocunq; uellet. E Praga diſcedere iuſſus, propter excommunicationem ſuſpenſionemque & interdictum, abijt in Patriam ſuam, ibiq; a domino Villæ in natali ſolo protectus, tantum excitauit concionando populorum

Criminatio in Clerum.

Deſpoliatio Cleri.

In lib. de præſcrip. hæreti.

Hus populo confiſus neminem timebat.

pulorum concurſum,ut res non longe a tumultu populari abeſſe ui deretur,Quare nec Rex neq; Senatus illum corripuit.Ipſe enim foris,ſocij eius intus in Ciuitate populum maxime concitabant aduerſus Clerum. Sed & ſæcularem poteſtatem odioſis perſtringebant cauillis,non ſolum prædicando pro concione ad Idiotas, uerum etiam publicando ſcripta ad literatos.Hus enim in libro de Ecclesia dicebat,Perfidum eſt,aſſerere, quod ſtatus ſuperior non poteſt corripi a ſubdito inferiori in moribus,Adducebat et Moyſi exemplum,ad quem dixerat Dominus,Tolle cunctos principes populi,et ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.Docebat,eos ab officio ſuſpenſos coram Deo eſſe,ſi peccent ipſi,aut ſubditos peccantes non corrigant,aut ſi corrigant,id facerent propter auaritiam.Querebatur item,inique damnatos fuiſſe xlv.articulos Vuiclephi, Inter quos et iſti recitantur.Nullus eſt Dominus ciuilis, nullus Prælatus, nullus Epiſcopus,dū eſt in peccato mortali. Et populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.Eiuſmodi itaque dogmatibus imbuta plebs Huſsitica,parum æqua,ſubdita, reuerēs aut morigera ſuperiorib. ſuis fuit,uti experti poſtea ſunt plerique,non ſine exitio ſuo aut extremo ſaltem periculo. At omnium miſerrime uexabatur Clerus Catholicus, intus & foris,a Laicis & a Clericis,qui Euāgelicos ſeſe uocabant.Quin etiam a mulierculis & a pueris. Ex obedientiæ enim lege cogebantur ſeruare Interdictum,ubicunque præſens erat Hus:Ille uero plæruuque uenit Pragam e uilla ſua,prædicans in Bethlehem,ſua Capella ,Clero(qui undique uexatus omnia timebat)inſultans, Doctoribus exprobrans, & omne malū aduerſus eos excogitans. Miror(inquit)quare iam Doctores non docent in Prætorio,quod non practicetur articulus de ablatione temporaliū, puta iſte.Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus.Iam tacent cum Pontificibus & Phariſæis , nec congregantur ad Prætorium,ut condemnent illum articulum,practizātes.Pro certo quod timebant,euenit eis, & eueniet in poſterū. Perdent enim temporalia,ſed det Deus ut conſeruent animas ſuas. Dicebant Doctores,quod dum fuerit facta condemnatio articulorū,tunc erit pax et concordia,ſed uerſa eſt eorum prophetia in oppoſitam qualitatem.Nam gaudebant condemnantes,et lugent cenſus dantes.Condemnauerunt iſtum articulum. Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ.Et multi uenientes ad Prætorium,petebant,ut eorum cenſus,qui ſunt eleemoſynę,non tollerentur. Sed quidam Domini de Prætorio reſpondebant dicentes.Ecce uos prius condemnaſtis, quod decimæ ſint puræ eleeſymonæ, & iam dicitis quod ſunt elee

Cauilli in ſæcularem poteſtatem

Hus c.21.et 23

Num. 25.

Articuli Vuiclephi.15 et 17

Maxima tribulatio Cleri.

Inſultatio Io.Hus.

moſinæ,& ſic contra condemnationem attemptatis. Hæc Hus in ſi ne libri ſui de Eccleſia. Neq; tamen defuerunt in Clero Catholici uiri,docti & religioſi,qui conſtanter & obedierunt Proceſsibus ac mandatis Apoſtolicis,& Ioannem Hus admonuerunt ſuæ praui tatis & inobedientiæ,etiam in medio (ne dicam extremo)uitæ et re rum periculo conſtituti.E quorum numero Stephanus Paletz, cui præ omnibus infenſus & infeſtus erat Hus cum ſuis,Inter cætera ſic ſcripſit,ſpiritus libertate & charitatis uigore erectus.

Verba Stephani Paletz ad Io. Hus.

Caue(inquit)Magiſter, & diligenter proſpice, ne forte & tu cum tuæ ſocietatis diuerſorio,obedientiæ ſanctæ rebellibus, et in mirabi libus ſuper ſe ambulãtibus,corruas inſperate.Propter quod & uer bum Oſeæ præmiſi ad propoſitum. Væ eis,qui receſſerunt a me, quoniam uaſtabuntur.Et poſt.Reuerſi ſunt(inquit)ut eſſent abſq; iugo,facti ſunt quaſi arcus doloſus.Vide ergo,in quantum,& quo terrore,ſi recte ſapias,deberes concuti,dum hæc in te manifeſta cõ currunt ueritate.Craſſe ſiquidem contumax,a Sanctæ Eccleſiæ Ca tholicæ receſsiſti obedientia,& in multorum ſcandalum & pericu lum,in ſententijs plurimarum Eccleſiarum, & ſuper omnia Summi Pontificis,Chriſti Vicarij, poſitus & publice denunciatus excom municatione,timorem Dei abijcis, nec cenſuram Eccleſiaſticam ad uertis.De uerbo Dei in Cathedra ſuperbiæ tuæ, & quod amplius eſt,de diuino Miſſarum officio ,bona ſuffoſſa conſcientia,audaci et ſathanica præſumptione, plena gemitu, te audes ingerere , & cum Rege Saule contra diuinam obedientiam,non uictimas offerre:ſed ſcelus Idolatriæ perpetrare . At uero ſi dixeris,Non peccaui. Dic, ſub cuius Prælati Eccleſiaſticæ diſciplinæ iugo ſis,ne tu ipſe & actor cauſarum & iudex eſſe uidearis . En & agis cauſas, & ſolus iudicas cauſas:proponis, & decidis cauſas, teipſum pro teſtibus compro bas,non Apoſtolos poſtulas, & nequaquam Chriſti inuocato no mine,determinas ſententias & promulgas.Quis ergo tibi compro babitur?Diœceſanũ proprium cũ omnibus ſuis officialibus ordina rijs contemnis,& tanquam feſtucam reputas.Quinimmo ſummum Pontificem,abominationem & Antichriſtum publice prædicas, & omne ſanctum ſuum decretum,autoritatem & officium,maiori ar rogantia quam Dathan & Abiron,ſuperbiſsime abijcis & contem nis.Ecce quomodo abſque iugo factus es, quaſi ſolus dominus, ſo lus altiſsimus.Et infra.Vnde & auſu temerario,contra ſanctam ma trem Ro. Eccleſiam,magiſterij tui tibi collocata Cathedra, non ubi libet,ſed ibi ubi tibi tuorum ſociorum & popularis uulgi fauor & ſæculare brachium,manifeſtum præſtabat præſidium.Ad quod li berum te offerens,tuas adinuentiones & illum tuorum & tuæ de fenſionis

Margin notes: Oſee 7 (beside "bum Oſeæ præmiſi"); Contumacia Io. Hus (beside "currunt ueritate"); 1.Reg.15 (beside "Rege Saule"); Nume.16 (beside "rogantia quam Dathan").

fenſionis patronum (Vicleph dico) attollens, Sanctæ Ro. Eccleſiæ & ueritatis aduerſarium hæreticum, quem ſemper iactas, inter fideles egregie fideliſsimum, & inter Doctores magnos maximum, Sicut & te tui eſſe prædicant, publicis & falſis uocibus hactenus prædicans, prædicaſti. In omnibus enim tuis operibus et ſanctæ Vniuerſalis Eccleſiæ rebellibus prædicationibus, non quæ ſunt Ieſu Chriſti & communis pacis, diſcipulis Eccleſiæ traditæ: ſed quæ tua & tuorum ſunt, quæris undiq;, adhortando, colloquendo, ſcribendo, occulte & publice, Apoſtolos tuos hinc inde mittendo, Nobilibus, militaribus, plebeijs, mulieribus, tuorum tibi conceptuum tumultum multiplicas, et contra communis Chriſti pacis diſciplinam, etiam olim ualde inter charos diſcipulos dicta diſſeminãs gloriam propriam coaceruas. Et poſt multa. Confer ergo nunc in conſcientia tua, ex quo ſic prædicare pro hęretico Vuicleph & rebellare cœpiſti, quanta mala manifeſtiſsime ſint ſecuta. En uere prophetico *Eſaie 33* ſermone concepiſti ardorem, & ſtipulam peperiſti. Ecce qualem tri- *Tribulatio Epiſcopi et Cleri.* bulationem, primum proprio tuo Diœceſano, R. olim Patri, Domino Suinconi Archiepiſcopo excitaſti, cui uſq; ad mortem cum contemptu recalcitrans, durius rebellaſti. Deinde quali demerito conquaſſatus Clerus fuerit, ſaltem per cancellos proſpice. Quorum quidam percuſsi, alij depopulati, alij de proprijs Eccleſijs expulſi, alij male & inhoneſte tractati: immo alij de populo interfecti, & alij uſq; hodie exules & uagi, Alij autem olim ſocij & amici Chariſsimi quaſi inimici, facti ſunt alterutrum alieni. Hæccine reddere conuincitur prædicator uerbi Dei? Hæc ille Stephanus.

Et Magiſter Andræas de Broda, in ſua ad eundem Hus reſponſione. *Verba M. Andreæ de Broda.* In eadem (inquit) litera poſuiſtis, quod ex charitate mihi ſcribitis. Det Deus omnipotens, ut ſimus omnes in charitate. Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. *1. Ioan. 4* Et teſte B. Gregorio, Charitas diuiſa unit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat. Et ipſa charitas dicit. Qui non colligit mecum, diſpergit. *Matt. 12* Quod exponens Hugo ſic dicit. *Luce 11* Officium Diaboli eſt, congregata diſpergere: Officium autem Chriſti, diſperſa congregare. Ecce Magiſter Reuerende, quomodo Charitas tendit ad unitatem. Quid ergo nos dicemus ad hæc, inter quos ſunt tantæ diſſenſiones & ſchiſmata? Vt ille Iohannita, iſte Vuiclephiſta, cæteriq; Machumetiſtæ nuncupentur, & diuiſus eſt Chriſtus. Nunquid Vuicleph eſt crucifixus pro nobis? aut in nomine ipſius baptizati ſumus? Gratias ago Deo meo, quod opinio ipſius nunquam intrauit in cor meum.

Et uos in litera appellatis me fratem chariſsimum. *Qui ſunt fratres in Chriſto.* Det mihi Chriſtus Ieſus pro magno queſo munere, ut ſitis in domino frater meus.

Nam ex toto cordis affectu deſidero, uos ad unitatem Sanctæ matris Eccleſiæ iam redire, in qua inquam ſunt Chriſtiani adinuicem uere fratres. A qua (quod dolenter refero) per inobedientiam receſſiſtis. Veſtra enim patefecit litera, quam mihi deſtinaſtis, quod mori magis cupitis quam reuerti. Quomodo ergo fratres erimus, quorum non eſt una Mater, & per conſequens nec unus Pater? Et quomodo ſcribitis me chariſsimum, cum tamen tenditis ad hoc, ut me reddatis omnibus uiliſsimum & odioſum? Scribitis enim ſocio meo dilecto, Domino Petro, quod ex participatione mea uobiſcum ſum excommunicatus, prophanus et irregularis. Bene quidem multis temporibus bibi & comedi uobiſcum, & in uno lecto iacui: Sed ab illo tempore, quo proceſſus contra uos publicati ſunt, neque ego uos uidi, neq; uos me uidiſtis. Palpate ergo & uidete, utrum iſta ex charitate, an ex odio procedant. Dicitis, quod expectetis Martyrium. Quomodo uultis eſſe martyr, cum etiam locum, ubi cognoſcitur ueritas, declinatis? Legem alijs obijcitis uos una cum ueſtris, & nemo ex uobis facit legem. Parietes præceptis depingitis, quæ utinam in cordibus teneretis. Nonne lex dicit, Dijs non detrahes: Et omnes ueſtri quantis ſunt detractionibus & conuicijs pleni? Lex præcipit. Non concupiſces: Et uos una cum ueſtris diſcipulis aliena tollere prædicatis. Mihi iudicium imponitis, quod tamen mihi in ueritate aſcribere non debetis. Sed uæ qui alium doces, teipſum nõ doces, Dicit Apoſtolus. Quare uos Papam, Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, & omnes indifferenter Clericos, uituperoſe: immo iniurioſe uerius, iudicatis: & imponitis eis crimina, quæ fortaſsis, quoaduſq; uiuitis, non probaretis? Cur non ſequimini legem Chriſti, dicentis. Si uideris fratrem peccantem, corripe ipſum inter te & ipſum ſolum &c? Dicitis me colare culicem, & camelum deglutire: Verius hóc de uóbis dicerem & de ueſtris. Nam illos qui nón ſunt de ſecta Vuicleph, etiam paruulos, acriter increpatis. Sed ueſtros ſectarios, periuros, blaſphemos, homicidas, fures, & adulteros, leuiter palpatis. Hæc Andreas de Broda.

Petro de znoyma.

Exodi 22

Ibidem 20

Roma. 2

Matth. 18

Matth. 23

Hiſtõriæ

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER SECVNDVS.

DVM *hæc aguntur (inquit Æneas* Syluius) Generale Concilium apud Conſtantiam Sueuorum urbem cogitur: In quo de rebus Bohemicis ſermo habitus, Patrum mentes ingenti cura confecit, uoluentium animo, quo nam modo ſanari Prouincia poſsit. Placuitque tandem, Sigiſmundo Imperatore ſuadente, Ioannem Hus & Hieronymum de Praga ad Synodum uocari: qui tum cæteris eiuſdem Regni Doctores, tum populi ductores, ac hæreſum Principes habebantur. Venerunt ambo, non tam uerecũde aliena diſcere, quam ſua impudenter ingerere parati: docendi quippe quam diſcendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi ſunt in conſeſſu patrum, Ioannes ætate maior & autoritate habitus, doctrina ac facundia ſuperior Hieronymus. Hęc breuiter & eleganter Æneas, qui poſtea Papa Pius ſecundus fuit. Ad quæ nonnihil ex alijs ſuperaddendendum eſſe uidetur, ut lector plenius hiſtoriam rei geſtæ cognoſcat. Erat quidem Inclytum Bohemiæ Regnum grauiter apud omnes Nationes iam pridem infamatum de hæreſi Vuiclephica, uti ſupra dictum eſt. Non fuit tamẽ Concilium Conſtantienſe principaliter ob eam hęreſim uel indictum uel celebratũ. Hæreſis enim illa ſatis ſuperq; confutata & condemnata iam olim fuerat, in multis Concilijs contra Berengarium celebratis. Deinde in diuerſis Concilijs & Ro. Pontificũ decretis, ac ſanctorum Patrũ determinationibus, habitis et promulgatis contra barbariem & hypocriſim indoctæ fecis & colluuiei Vualdenſium, Leoniſtarum, Dulciniſtarum, Albigenſium &c. Denique ipſius Vuiclephi dogmata quam plurima, fuerãt iam ſæpe damnata publice, tum in Anglia per Concilium prouinciale, & per determinationem clariſsimę Vniuerſitatis Oxonienſis, in qua ferunt CCLX. articulos eius doctrinæ damnatos fuiſſe: tũ Romæ in Concilio generali ſub Ioanne Papa xxiij. et Pariſijs peralmam facultatem Theologicam, atq; etiã Pragæ nominatim xlv. articuli, & quidem multis modis ac ſeueris

Breuis narratio ex Aenea Syluio.

Concilium Conſtantiẽſe principaliter propter ſchiſma non propter Hus, indictũ fuit.

Vide acta concilij Conſtan. ſeſſione 6

eorundem dogmatum prohibitionibus & publicis interdictis, per almam uniuerſitatem Pragenſem generaliter uno omnium Nationum conſenſu, per totam Nationem Bohemicam ſpecialiter, per facultatem Theologicam ſolenniter, atque etiam per Regem, per proceres & per Senatum in Prætorio maioris urbis Pragenſis, acriter & cum terribili prohibitionis ſeueritate. Quid ergo opus erat, nouum, propter antiquitus damnatos & nuper publice præiudicatos articulos, indicere Concilium? Maxime, cum Hus & complices ſui dicerent contemptim, Conciliorum decreta humanas eſſe conſtitutiones & traditiones, De quibus dicat Saluator. Matth. xv. Quare & uos tranſgredimini mandata Dei, propter traditiones ueſtras? Non fuit igitur præcipua indicendi Concilij cauſa, hæreſis & factio Bohemorum, ex Vuiclephi doctrina exorta, utpote per tot retro ſæcula, longe lateque nota ac prædamnata, atque etiam ab ipſis met Bohemis ante paucos annos præiudicata, publice, tum in ſcholis tum in

Petitio Sigiſmundi Impe. Prætorio. Vicit tamen Patres, Sigiſmundi Romanorum & Vngariæ Regis inſtantia & perſuaſio, petentis atque orantis, ut in Concilio iam congregati, Bohemorum ſaluti conſulerent, ſi paucos eorum ſeductores & hæreſiarchas, ſcripturis & rationibus conuictos, in tam celebri doctiſsimorum hominum conuentu, ad reuocandos errores, & ad Eccleſiæ ueritatem priſtinam agnoſcendã, inducerent. Erat enim memor & pietatis paternæ, quæ ſic auxerat in Bohemia Dei cultum, & querelarum Suinconis Archiepiſcopi, qui pro conſeruanda patriæ religione, opem eius paulo ante implorauerat, Vuenceslao fratre per ignauiam cuncta negligẽte. Cęterum

Schiſma graue ac diuturnum. præcipua indicendi Concilij cauſa fuit, grauis Eccleſiæ Vniuerſalis perturbatio, per ſchiſma dedecoroſum & abominabile, quod xxx. annis pias fideliũ mentes male uexauerat, dum Cardinalium diſcordia plures eodem tempore perſonas in Ro. Pontifices eligeret. Eo enim tempore tres dicebantur Papæ a diuerſis, Longo ſane tempore durauerat ſchiſma, dum alius Romæ, alius Auinione crearetur a Cardinalibus Papa, Ad quod ab Eccleſia tollendum ſcandalum, Cardinales Piſanum indixerunt Concilium, ut inter Benedictum xiij. & Gregoriũ xij. diſcerneretur, uter eorum uerus & legitimus eſſet Petri ſucceſſor. Vtroque autem contumaciter abſente, creatus ab eis fuit Alexander. V. quo intra annum defuncto Bononiæ, electus fuit Ioannes xxiij. Cui adhæſerunt ambo fratres, Vuenceslaus & Sigiſmundus Reges, hic Vngariæ, ille Bohemię, uterque inſuper Regis Romanorum titulum gerens. Quamuis enim Vuenceslaus depoſitus eſſet per Electores, tamen quoad uixit, Regem Romanorum & Bohemię ſe ſcripſit. Pro eo igitur tollendo ſchiſmate, Sigiſmun

giſmundus Romanorum & Vngariæ Rex, nondum factus Imperator, paternæ pietatis æmulator, maximos ſubijt labores & ſumptus itinerum. Eius enim rei gratia peragrauit primo Italiam. Deinde Gallias Hiſpaniaſq; & Angliam. In Italia ſane a Ioanne xxiij obtinuit, ut Concilium indiceret Conſtantiæ celebrandum, in quo poſtea effecit, ut reiectis omnibus tribus, qui Papæ autoritatem ſibi arrogabant, unus legitime in Concilio crearetur Papa. Otho Cardinalis de Columna, dictus Martinus V. Qua de re ſic habet in uita Sigiſmundi, Baptiſta Egnatius. Illud autem nulla unquam ætas obliuiſcatur, quod Triennium magnam Europæ partem ipſe peragrarit, dum principes Chriſtianos ac Pontifices adit, quo ſchiſma, Chriſtiano nomini calamitoſiſsimum tolleretur. Nec alterius Principis opera magis enituit, in uera pietate uindicãda. Vnde et ex actis illius Concilij facile conſtat, longe plus fuiſſe negocij tũ Patribus tum Principibus in tollendo ſchiſmate, quam in confutanda Bohemorum hæreſi, quæ toties confutata fuerat prius. Quippe inter xlv. Seſſiones eius Concilij (quod Triennio durauit) Quinq; tantũ reperiuntur, in quibus de hæreſi illa tractatũ fuiſſe legitur. Etenim in ſexta commiſſa legitur cauſa Ioannis Hus quatuor Theologiæ Magiſtris, et citatus Hieronymus de Praga, In Octaua damnati leguntur articuli Ioannis Vuicleph iam pridem defuncti, In decimaquinta damnatus & combuſtus legitur Ioannes Hus, In decima nona recitatur reuocatio Hieronymi de Praga. In xxi. eiuſdem cõdemnatio, Cæteræ omnes ſeſsiones illius Concilij alias pertractauerunt materias. Anno itaq; Domini M.CCCCXIIII. Inchoatum fuit Concilium iſtud, ueniente Conſtantiam primum Iordano Cardinale, Oſtienſi Epiſcopo, Pridie Idus Auguſti. Quem e Bononia ſequutus Ioannes Papa xxiij. v. Calendas Nouembris Conſtantiam magna celebritate ingreſſus eſt, in feſto Apoſtolorum Simonis et Iudæ, Cum Cardinalibus nouem: Vt iuxta tenorem Bullæ cõuocationis Concilij Prima die Nouembris ſacra Synodus autoritate Apoſtolica inciperet de negocijs fidei & Eccleſiæ tractare. Sigiſmũdus Rex in Vigilia Natiuitatis Chriſti Vberlingam ueniens cum coniuge ſua, per lacum Conſtantienſem nauigio properauit inde ad Ciuitatem, ut intereſſet Miſſarum ſolennijs. Sub mediam igitur noctem Conſtantiam ingreſſus, primã Miſſam celebrante Papa, ipſe Diaconi habitum indutus, legit Euangelium alta uoce. Exijt edictum a Cæſare Auguſto. Nec multo poſt aduenerũt alij quoq; Principes & Prælati, in tanta ſane frequentia, ut aliquando xxx. Milia equorum uno eodemq; tempore Conſtantiæ fuiſſe tradantur. Affuerũt nanq; Patriarchæ quatuor, Cardinales xxix, Archiepiſcopi xlvij.

Inchoatio Concilij.

Ingens celebritas Concilij.

Epiſco

Epiſcopi CLX. Et cum his Abbatum, Præpoſitorum, Priorum et omnis generis Clericorum ingens numerus, Sæcularium præterea Principum, Comitum, Baronum, Nobilium & Oratorum maxima multitudo. Vnus eñ Ludouicus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ, cum CCCC. Archiepiſcopus uero Moguntinus cũ DC. equis aduenifſe legitur. Rex Sigiſmundus patriæ miſertus, & Cleri Catholici in Bohemia, per fratrem Vuenceslaũ effecit, ut Ioannes Hus ſub ſaluo conductu & fide publica ipſius Sigiſmundi Regis Conſtantiam in Concilium mitteretur. Hus itaq; a Concilio

Albertus krans in Vandalia li. 10. cap. 23

citatus (ut ait Albertus krantz) non detrectauit uenire. Non enim arbitrabatur, ſe ſuis auditoribus & clientibus ſatisfacere poſſe, ſi iudicium recuſaret Eccleſiæ. Poſteaquã uero Conſtantiæ coram Synodo comparuit, dati ſunt ei Commiſſarij a Concilio (iam enim propter unionem in Eccleſia conſtituendam, Papatui renunciauerat Ioannes xxiij. publice in Eccleſia coram Rege ac tota Patrum Synodo) in ſeſsione Sexta, Quatuor in Theologia Magiſtri, Archiepiſcopus Raguſinus, pro Natione Italica: Epiſcopus ‡ Flebbieñſis, pro Natione Germanica: Magiſter Vrſinus Taluenda, pro Natione Gallicana, & Magiſter Guillermus comes, pro Natione Anglicana. Vt cauſam eius examinarent, & in illa procederent uſque ad diffinitiuam ſententiã incluſiuè. Facta ſunt hęc Conſtantiæ xvij. die menſis Aprilis Anno Domini M.CCCC.XV. Eodem die decreta fuit a Concilio Citatio aduerſus Hieronymum de Praga. In hæc ſane uerba.

Commiſſarij a Concilio dati in cauſa Hus.

forte ‡ Leodienſis.

Citatio in Hieronymũ de Praga.

Sacroſancta Synodus, Generale Concilium Conſtantieñſe faciens, In ſpiritu ſancto fideliter congregata, Vniuerſalem Eccleſiam militantem repręſentans, Hieronymum de Praga, qui ſe Magiſtrum in artibus plurimorum ſtudiorum fore ſcribit & prætendit: Quæ recta ſunt, ad ſobrietatem, & non amplius ſapere quam oportet. Scriptum quoddam, tanquam ex tui perſona affixũ in portis Eccleſiæ Ciuitatis Conſtantienſis, alias die Dominica, qua cantabatur in Eccleſia Dei, Quaſi modo geniti, ad noſtram notitiã noueris perueniſſe. In quo tuis obtrectatoribus crimina erroris & hæreſis tibi obijciẽtibus, te aſſeris publicè reſponſurum, De quibus apud nos multipliciter infamatus exiſtis. Et præſertim de doctrina Ioannis Vuiclepħ, Nec non alijs doctrinis Catholicæ fidei obuiantibus: dum modo ad ueniendum tibi ſaluus & ſecurus conductus præbeatur. Et quia noſtrum principalius intereſt, capere uulpeculas, uineam Domini Sabaoth conantes demoliri, Idcirco perſonam tuam, tanquam de multorum errorum doctrina temeraria aſſertatione ſuſpectam, & multipliciter diffamatam, euocamus & citamus, præſentium ſub tenore, Quatenus infra terminum xv. dierũ

a data præſentium computandorum, Quorum xv. dierum quinq; pro primo, quinque pro ſecundo, & reliquos quinque dies pro tertio & peremptorio termino, ac monitione Canonica, tibi præfigimus &: ut aſsignamus in publica ſeſsione huius ſacri Cõcilij, ſi ipſo die ſeſsio fuerit celebrata, alias prima die ſequẽti, qua ſeſsionem eſſe contigerit, compareas, ſecundum tenorem prædicti tui ſcripti, reſponſurus ad ea, quæ tibi aliquis uel aliqui, in cauſa fidei uolucrint obijcere. Recepturus & facturus in omnibus iuſtitiæ complementum, Ad quod a uiolentia (iuſtitia ſemper ſalua) omnem ſaluum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt & fides exigit Orthodoxa, præſentium tenore offerimus, & etiam plenius aſsignamus, Certificantes, quod ſiue in dicto termino compareas, ſiue non, nihilominus contra te, per ipſum ſacrum Concilium uel eius Commiſſarios uel Commiſſarium, lapſo termino ſupradicto procedetur, tua contumacia in aliquo non obſtante. Datum Conſtantiæ in ſeſsione Concilij Generalis xvij die, Menſis Aprilis, ſub ſigillis præſidentium Quatuor Nationum. Cæterum de Hieronymi huius aduentu in Conſtantiam, ſic refert Teuthonice Vlricus Reichental, teſtis ocularis, qui tum Conſtantiæ fuit. Hieronymus (inquit) ualde clanculum uenit Conſtantiam, feria ſecunda poſt feſtum Paſcæ, uno comitatus ſcholari, cuncto ignorante populo, et affixa ad ualuas Ædis Sancti Stephani ſcheda, qua Ioannem Hus excuſare ſtudebat, mox abijt e Conſtantia, uſque adeo anxius, ut enſis ſui in diuerſorio fuerit oblitus, aut forſitan præ timore non fuerit auſus ſecum recipere. Tum ego Vlricus Reichental a plurimis interrogabar, quonam abijſſet, aut quo in diuerſorio fuiſſet, De hoc autem nemini conſtabat. Poſt ſex uero dies compertum fuit, eum diuerſatum fuiſſe apud hoſpitem, qui dicebatur Bonus annus, in platea S. Pauli. Cum autem perueniſſet uſq; ad Syluam Bohemicam, ac diuertiſſet in uico quodam ad Plebanum loci, qui forte fortuna multos inuitauerat ſacerdotes ad cœnam, Cœpit Hieronymus ſtatim (ut erat egregie diſertus) enarrare illis, ſe fuiſſe Conſtantiæ in Concilio, quod potius diaboli ſchola & Satanæ ſynagoga, plena iniquorum ac peruerſorum hominum dici debeat, Se uero & Magiſtrum Ioannem Hus ſummo cum honore palmam obtinuiſſe, adeo, ut nulli doctores aut Prælati ipſis reſiſtere potuerint, Cuius rei teſtes apud ſe haberet literas lxx. ſigillis munitas. Vbi hæc & id genus multa aduerſus Concilium audijſſent improperia ſacerdotes, contriſtati inierunt ſeorſum conſilium, ut ea referrent ad Vici Præfectum, qui ut audiuit, iuſsit eos rem omnem ea nocte diſsimulare. Mane altero die eduxit ſecum equites aliquot, & obuiam ſibi in itinere factum Hieronymũ

Puto Hierony. non longe abe fuiſſe a Conſtãtia, alias enim prolixior ei terminus ad cõparendum præfixus fuiſſet.

Reichental Tutho. hiſtor.

intere

intercepit. Cumq; ille ſaluum conductum obtẽderet, ait Pręfectus, ſe omnemque nobilitatem, fidelitatem iuraſſe ſacro Concilio, Quoniam uero ipſe heſterno ueſpere grauiſsime obtrectaſſet Concilio, non abſq; ſcandalo infirmorum, Ideo neceſſariũ eſſe, ut ipſum Conſtantiam in Concilium reducat. Reduxit igitur eum illuc die xxi. poſt feſtum Paſcæ. Abductus eſt autem illico inde in arcem proximam urbi, quæ Gotlieben dicitur. Vbi a doctis quotidie uiſitabatur, qui cum eo diſceptabant, ut ab erroribus ipſum in uiam rectã reducerent, quem & quadruplo doctiorem Ioanne Hus exiſtimabant. Addit idem Reichental, Ambos tandem, Ioannem Hus inquam & Hieronymũ de Praga, a doctis uiris perſuaſos fuiſſe, ut ab erroribus deſiſterent, atq; erroneos articulos reuocere uellent. Qua de re tantum fuit uniuerſis gaudium, ut ter pulſatum fuerit per omnem ciuitatem omnibus campanis, in laudem Dei. Deinde habita eſt ſeſsio generalis, In qua decretum fuit, ut ambo retinerentur in aliquo Monaſterio Sueuiæ, in quocunque remanere uellent, honorifica prouiſione, unde poſſet uterq; binos ſuſtentare famulos, Ea tamen lege, ut in Bohemiam nunquam redirent, & manu propria ſub proprijs ſigillis atteſtarentur, ſe erraſſe ac falſa docuiſſe & prædicaſſe, ut nemo deinceps ea credere aut tenere uelit. Illi autem omnia ſe libenter facturos dicebant, præter id unum, quod nollent retro in Bohemiam ſcribere ſuam reuocationem, Quia nullos uelint e regno cælorum reuocare, quos per diuinam doctrinam in illud perduxiſſent. Nullo igitur pacto uolebant ſe eouſque humiliare, ut id erubeſcentiæ in ſe ſuſciperent, quo apud Bohemos dogmata ſua reuocarent. Hæc Teuthonicus ille ſcriptor, qui omnibus præſentem

Saluus conductus. ſe interfuiſſe affirmat. Non uenit ergo Hierony. ille Conſtantiam ſimul cum Ioanne Hus, ſed poſt, uno comitatus Clerico, ſubſequutus eſt, ſiue ut Ioanni aſsiſteret, ac ſua eloquentia & eruditione doctrinam eius & facta defenderet, ſiue ut celebritatem Concilij uideret, & diſputationis occaſione Orbi notus fieret, & apud omnes Nationes ibi congregatas, eruditionis & eloquentiæ gloriam reportaret. Nam ultro ſe ingeſsiſſe uidetur per ſchedam ſuam publice ad ualuas Eccleſiæ affixam, qua petebat audiri, ſub ſaluo tamen conductu: qui ei ſic datus eſt, ut iuſtitia ſemper ſalua maneret, et quãtum fides Orthodoxa exigeret. Qualis & Ioanni Hus datus fuiſſe creditur. Quod ſi Rex Sigiſmũdus in ſuo conductu ea cautela uſus non fuit, Concilium tamen declarauit, aliter hæreticis conductum dari non debere. Quis enim hominum tantus haberi debeat, ut debeat plus ei concedi publica Principis fide, quam ſinat Iuſtitia & Orthodoxæ fidei ratio? Hus uero, ubi Conſtantiam uenit, & ui

dit

dit longe aliam ibi diſceptandi rationem eſſe.In cœtu doctiſsimorū ex omni Natione hominum,quam Pragæ In Capella Bethlehem, coram Laicis nouarum rerum cupidis,aut in Aula coram Nobilibus Eccleſiaſticorum cenſuum auidis,aut etiam in foro coram minaci & Clero infeſta plebe, Vidit item notos & ſibi iamdiu infenſos e Clero Bohemico aduerſarios, ad accuſandum paratos & inſtructos:cœpit de fuga circumſpicere,facile conſyderans,ſe Patribus,de tot excitatis in Bohemia aduerſus Clerum & omnem religionem malis,ſatisfacere non poſſe,niſi per publicam reuocationem & pœnitentiam,ubi aduerſarijs ſuis liceret libere, & abſq; omni metu & furentis plebis terrore,dicere ac teſtari cōtra ipſum,de omnibus iniurijs Clero templiſq; & uniuerſæ Catholicæ religioni per eius prædicationes illatis. Vt igitur fuga omne periculum euaderet, hāc fugiendi rationem adinuenit,Quippe conduxit currum ruſticanū, in quē clam aſcendens abdidit ſeſe,ſtraminibus undiq; tectus, atq; ita eductus,pulchre ſibi uidebatur euaſiſſe. Vbi uero comperit hoc Magiſtratus Conſtantienſis, mox aſſumpta ſatellitum caterua inſequutus eſt eum, & in fuga depræhenſum, ſecum Conſtantiam reduxit. Facto autem magno, uelut ad nouum ſpectaculum, populi concurſu,præuolante fama:Hus fugæ gnauiter intentus,facta in circūſtante populo per hinc inde curſitātes turbatiōe, ſubito e manib. reducentium elapſus,ac populo ſe immiſcens, latibulum quæſiuit. Sed mox depræhenſus,ducitur in Epiſcopium,ubi erat Ioannis Papæ xxiij.Palatium,ibiq; diebus Octo aſſeruatus ac diligenter cuſtoditus,tandem in Monaſterio ſeu Conuentu fratrum Sancti Franciſci munitiori mancipatur cuſtodiæ, De hac eius fuga Vlricus Reichental, Ciuis Conſtantienſis, in ſua Teuthonica de Concilio Conſtantienſi hiſtoria (quam mira in colligendis & depingēdis omnium Principum & Epiſcoporum aliorumq; Nobilium & Prælatorum armis diligentia decorauit)aliquanto aliter narrat. Affirmat enim Ioannem Hus,in hoſpitio ſuo ſæpe celebraſſe Miſſam,accurrēte ad miſſam eius populo. Quod ubi per Epiſcopum Conſtantienſem,uelut ordinarium loci, ei tanquam excommunicato inhiberetur, ipſe uero nihilominus celebraret, Epiſcopus uero populum Miſſæ eius intereſſe prohiberet:Hus cœpit de fuga circumſpectare. Itaq; Dominica Oculi (quę tertia eſt in Quadrageſima) ubi celebraſſet Miſſam mane,accepit panem & uaſculum uini ſecq; abſcondit in curru Domini Henrici Latzenbock, qui eo die educendus erat in rus pro apportandis ſtraminibus auena & fœno,peracto prandio. Cum igitur Hus in prandio non compareret, nec quiſquam ſciret ubinam eſſet,Latzenbock confeſtim adijt Conſulem ciuitatis,que-

Hus fugā meditari cœpit.

Qualis eius fuga fuit.

Vide Chronica Ioan. Naucleri parte 2. Generatione 48.

Qui fuit præpoſitus Tubingenſis, uicinus Conſtantiæ.

Vlricus Reichental

ſtuſque de fuga Ioannis Hus,petijt mox claudi portas urbis, Equi-
teſq; & pedites inſtrui,qui illum perſequerentur fugientem. His ita
paratis,repertus eſt in curru latitans Hus. Mox itaq; peracto pran-
dio Latzenbock impoſuit eum equo,et adduxit in Palatium ad Pa
pam. Ille uero ſaluum obtendens conductum, ait ſe uinciri non de-
bere. Cui Latzēbock reſpondit.Ita decretū eſt,ut cauſam tuā iuſtifi
ces,ne ſit hæretica,aut moriaris ni reuoces. Inter hęc dicta Hus ſubi
to de equo deſiliēs,proripuit ſeſe in circumſtantē Bohemorū multi
tudinē,(accurrerant aūt ſupra lxxx milia hominum)Quem appari
tores Papæ & Cardinalium, comprehendentes (qui deauratos
præferunt baculos)in Palatium abduxerunt. Quem Rex Romano
rum libenter propter ſaluum conductum liberaſſet,niſi a doctis ac-
cepiſſet reſponſum. Nullo iure deberi ſaluum conductum hęretico
in hæreſi ſua perſiſtenti. Poſt octo uero dies, Hus ad Prędicatorum
ductus Monaſterium, diligenter ibi cuſtoditus eſt,;quem docti ui-
ri plerumq; uiſitarunt, ut eum a ſua hæreſi conuerterent. Hæc ille.

Magiſter Ioan. Przibram De primo aduentu Ioan. Hus in cō ſtantiam.

Ne autem Huſſitæ dicant, hæc odioſe a Germanis in Magiſtrum
ſuum conficta eſſe,operæprecium fuerit, rem Bohemico confirma-
re teſtimonio. Etenim Magiſter Ioannis Przibram : qui multis an-
nis inter Huſſitas, propter eruditionem ingenijq; acrimoniam:ma-
gnæ autoritatis fuit:In libro ſuo,quem contra Vuiclephiſtas de nō
remanentia panis inſcripſit,plurima ex Ioanne Hus teſtimonia con
tra eos producens,inter cætera ſic ait. In primo aduentu eius in Cō

Didacus Magiſter theologiæ ordinis minorū

ſtantiam,uenit ad eum Magiſter Didacus,dicens, Reuerende Ma-
giſter,ego ſimplex Idiota. Et Magiſter Ioannes Hus dixit. Non es
ſimplex,ſed duplex. Et ille. Interrogo uos, an teneatis & aſſeratis,
poſt conſecrationem & uerborum prolationem factam, in Sacra-
mento altaris remanere panem materialem? Et Magiſter Ioannes
Hus reſpondit. Non teneo. Et ille,Non tenetis? Et Magiſter, Non

Ioānes de Chlū Nobilis Bohemus a Rege cū Ioan. Hus inter alios legatos cō ſtantiam miſſus

teneo. Et cū ſic ter replicaſſet, Ioannes de Chlum,ibidem ſedēs,indi
gnanter dixit ad Monachum. Qualis es tu? tamē cum mihi aliquis
ſemel rem affirmaret uel negaret, ego ſibi crederem. Et ecce hic tibi
ter replicat,Non teneo. Et tu ſemper ulterius inquiris. Et patet pla-
na huius uiri practica reſponſio, qua confeſſus eſt ter, ſe non tenere
remanentiam panis materialis in ſacramento. Hæc ille Bohemus,eo
tempore Ioanni Hus addictiſsimus pariter & familiariſsimus.

Quoniam uero Hiſtoriæ neq; Chronica,ne Acta quidem Conci-
lij Conſtantienſis,ad plenum referūt,quid Conſtantiæ in examina-
tione Ioannis Hus actum ſit, Ex ſupradicto plura referre libet, quæ
uulgo non habentur,ut lector inde conijciat & intelligat, rem lon-
ge diligentius examinatam fuiſſe,quam literis uulgo notis proditū

reperi-

repcritur,ait itaq; ſupradictus Magiſter Przibram in prædicto li- Diſpoſitio
bro ſuo.Idem Magiſter Ioannes Hus,reſpondendo ad depoſitionē nes teſtium
Prociuue, dixit.Falſe adducit mihi, quod ſubſtantia panis maneret contra Ioā-
poſt conſecrationem hoſtiæ. Et infra. Mentitur, ſcilicet me dixiſſe, nem Hus.
panem ibi remanere. Et idem reſpondit contra Beneſsium, dicens,
Quod mentitur,ſcilicet in ſimili depoſitione.Et reſpondendo ad di
cta Brodæ deponentis contra eum,quod poſt conſecrationem Eu
chariſtiæ teneret remanere panem, Reſpondit.Dixi & dico, quod
in hoſtia remanet ille panis,qui dicit,Ego ſum panis uitæ. Et Apo- Ioann.6
ſtolus dicit. Probet autē ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & 1.Cor.11
de calice bibat.De quo dicit quilibet ſacerdos in Miſſa.Panem cæle
ſtem accipiam,& nomē domini inuocabo. Et infra.Verum eſt (in-
quit)quod panis manet in hoſtia, ſed non materialis.Et idem reſpō
dit contra Magiſtrum Nicolaum de Poduuynis,et contra Nicola-
um plebanum in Vuiſſerat, deponentē, quod audiuit a Magiſtro
Hus,quod in Sacramēto altaris poſt conſecrationem remaneat ſub
ſtantia panis,Reſpōdit M.Hus dicēs.Mentiris, Itē.Idē fecit in pub-
lica audientia,arguente ſibi quodā Cardinali & dicente.Poſitis Vni Hic Card. fuit
uerſalibus a parte rei,tunc ſequitur, quod facta conſecratione manet Petrus de Elia
ibi panis materialis,quia manet ibi cōmenſiua ſubſtantia panis mate co Epiſcopus
rialis.Alioquin ad deſitionē ſingularis deſineret uniuerſale.Reſpon- Cameracenſis
dit M.Hus,Quod uniuerſale deſinit eſſe in hoc ſingulari + ſed pane uir doctiſsimus
materiali deſinente,cum ille mutatur & tranſit in corpus Domini. + ſcilicet
Sed nihilominus in aliis ſingularibus ſubſtantiatur. Et alter repli-
cabat dicēs.Per hoc quod panis materialis ibi nō annihilatur.Et reſ
pondit Magiſter Hus,quod non annihilatur ,ſed ibi ille ſingularis
panis deſinit eſſe per tranſubſtātionem in corpus Chriſti. Et ad alia
multa interrogata & argumenta reſpondebat publice. Panem ma-
terialem ibidem non remanere. Item Reſpondens ad articulos in Ad articu-
carcere ſibi oblatos,prope diem mortis ſuæ,& primo ad illū,quod los in carce
poſt conſecrationem hoſtiæ in altari,maneret panis materialis uel re oblatos.
ſubſtantia panis.Reſpondit, non eſt uerum.Et nota,quod ibidem
ſcripſit dicens.Et ego Ioannes Hus, ſemper in ſpe ſeruus Ieſu Chri-
ſti,+reſponſiones ad articulos in eorum copia,ſicut & in iſta , iuxta + reſpondi.
meam conſcientiam,De qua omnipotenti Deo debeo reddere rati-
onem.Hæc ille propria manu in carcere.De qua manu eius iſta eius
reſponſa ego modo tranſcribo. Hæc Przibram. Ex his igitur Diligentia Pa-
prudens lector facile coniiciet, non perfunctorie a patribus in Con trum in Conci
cilio cum ipſo Hus actum fuiſſe, ſed omnem ab eis nauatam operā, lio ad reducen
qua eum ad reſipiſcendum inducerent,animamq; eius lucrarentur. dum Ioannem
Quid enim diligentiæ omiſſum fuit? Adueniente eo, deputati fue- Hus ab hæreſi.

runt Quatuor Commiſſarij,qui ex teſtium depoſitione omnia exacte perſcrutarentur,Examinati autem fuere teſtes uiri graues & eruditi,ijque non pauci,ſicut ex uerbis Magiſtri Przibram intelligere licet. Inter quos cōmemoratur Andræas Broda, qui multis annis Ioanni Hus in ſtudio Cōntubernalis & quidem familiariſsimus fuerat,uti ſupra ex proprijs eius uerbis in epiſtola ad ipſum Hus relatū habetur.Et egerunt cum eo non ſolum Commiſſarij, uerum etiam plærique Cardinales & Epiſcopi. Quanquam uero ſemel aufugerat, reductus tamen adeo clementer in carcere detentus fuit, ut in eo etiam libros ſcribere potuerit,Cum ſint alioqui apud Germanos loca carceris plærumque in turribus profunda ac tenebroſa:Hus uero,nō ſolum in carcere ſuo manu propria ſcripſit ad quoſdam articulos ſibi obiectos breues reſponſiones, uti dictum eſt ſupra,uerum etiam tam liber ibi fuit,ut etiam tractatus componere potuerit.Quemadmodum teſtatur idem,qui ſupra,M.Ioānes Przibram in libro præ allegato,ſic dicens. Item, ad idem eſt Magiſter Ioannes Hus in tractatulo ſuo.Sæpe rogaſti me &c.quem in carcere ſcripſit ad quēdam Robertum,ſic dicens.Cum enim credunt homines ſimplices, quod ex poteſtate & inſtitutiōe Chriſti, ueri Dei & ueri hominis, per miniſterium ſacerdotum, eſt in Sacramento uenerabili, uerum corpus ſuum,quod conceptum & natum eſt ex Maria uirgine caſtiſsima,poteſtate Sancti ſpiritus, quod paſſum eſt in cruce, quod iacuit in ſepulchro pro triduo,quod aſcendit in cælū,et ſedet ad dexterā dei patris.Illud & non aliud,ſine noua ſubſtantiali ſui inceptione eſt in ſacramēto uenerabili.Similiter ſanguis, qui effuſus eſt in cruce,in remiſsionem peccatorum, & de eodem corpore. Et infra.

Tractatus a Ioan. Hus in carcere ſcriptus.

Dixi ulterius ſupra quod Chriſtus uirtute propria & uerbis proprijs tranſubſtantiat panē in corpus ſuum, & uinum in ſanguinē ſuum,iuxta Cantum Eccleſiæ iſtum. Verbum caro panē uerum uerbo carnem efficit &c.Verbum caro,id eſt,filius Dei exiſtēs homo, efficit uerbo per tranſubſtantionem,uerum panem carnem,& merum,id eſt,uinum fit per tranſubſtantionem ſanguis. Patet iſta materia de conſecra.diſt.2.per Sanctos Ambroſium,Euſebium & alios. Vnde cantum ſupradictum, approbatum ab Eccleſia, ab anno quo cœpi cantum diſcere,cantaui in ſcholis, & in Eccleſijs,poſt legi in officio & in miſsis,& prædicaui in ſermonibus.Et nunquam prædicaui,quod in ſacramento altaris maneat ſubſtantia panis materialis,de quo me ueritatis inimici mēdaciter accuſarunt.Et infra. Quia ſub utraque ſpecie manet totus Chriſtus, ut canit Eccleſia. Hæc ille per totum.Ex quibus patet,quod Magiſter iſte, iam pene ultimam horam uitæ expectans(quod ualidiſsimum ſolet eſſe teſtimonium)

Tranſſubſtantio panis & uini.

planam

planam & fidelem protulit ſententiam, dicens, ſe ſemper tenuiſſe & tenere, quod in Sacramēto panis tranſubſtantiatur, id eſt, a ſua ſubſtantia in aliam ſubſtantiam commutatur. Hæc Przibram. Neq; item præcipitanter cum eo actum eſt. Conſtat enim ex actis publicis illius Concilij, quod in ſeſsione ſexta die, xvij. mēſis Aprilis, dati ei fuerūt quatuor Commiſſarij. In Octaua uero ſeſsione die quarta menſis Maij, damnati fuerunt xlv. articuli Ioannis Vuicleph, de quibus & Hus infamatus erat, ut ſaltem ex aliena damnatione cogitaret ſuæ conſulere ſaluti, & alieno periculo cautior fieret. In ſeſsione deinde Tredecima, die xv. menſis Iunij, damnatus fuit nouus error Petri Dreſdenſis et Iacobelli Miſnenſis, ſociorum Ioannis Hus, De communicandis neceſſario Laicis ſub utraque ſpecie Venerabilis Sacramenti. Demum uero, ubi ad omnia immotus et obſtinatus permaneret, in ſeſsione decimaquinta, die +ſexta mēſis Iulij, damnatus eſt tanquam pertinax & induratus hæreticus, & mox eodē die ſolenniter degradatus, ac iudicio ſæculari relictus, a quo & ignibus adiudicatus, publice combuſtus fuit, Cineribus eius in Rhemū, aut ſecundum quoſdam in lacum proiectis & diſperſis, ne a ſuis in patriam ſuperſtitioſe aſportarentur. Hic eſt infœlix infœliciter docti uiri exitus, quem ei fideles quondam amici & ſocij, Stephanus Paletz & Andreas Broda, multa fideliter admonentes, Pragæ prædixerant, uidentes eum tam ſuperbo ac pertinaci eſſe ingenio, ut per appetitum uanæ gloriæ, mallet uelut Martyr mori, quam ſanis acquieſcendo conſilijs, tanquam inglorius agnoſcere aut reuocare ſæpe damnatos errores. Hæc enim ſunt uerba Stephani Paletz ad ipſum in libro ſupra ſæpius allegato. Reuera (inquit) ſi non eſſet tibi periculum, quo multipliciter contra Sanctam Eccleſiam inſoleſcis, aliud: hoc ſolum horrendæ præſumptionis ſcandalum, ad limina tibi ſufficeret dignæ ultionis & notabilē diſciplinam. Puto enim & firmiter æſtimo, quod cū tibi defecerit omnis tuæ non tā rationis quā irritationis, nō tā diſputationis q̄ diſsipatiōis concertatio: antequam humiliatus reuoces reuocanda, de tuæ ſublimitatis deſcēdens peſtilenti Cathedra, ut uel ſic tuorum lapidea corda confirmes ſequacium, Trades te potius flammis ultricibus concremandum. Et infra ſub finem. Hinc & Dominus Ieſus Chriſtus, factus homo, ſeipſum nobis exemplar exhibens, cuius imperio ſubiecta ſunt omnia, ſubijci tamen uoluit obedientiæ & imperio quorum intererat hominum, matris ſcilicet Mariæ uirginis, & Ioſeph putatiui patris. Vnde & dicitur. Deſcendit cum illis in Nazareth, & erat ſubditus illis. Super quorum ſerie Magiſter Hus memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. Et ſic hinc inde inuenies. Interoga

Proceſſus cōtra Ioan. Hus nō fuit præceps aut feſtinus

+ſeptima.

Hic exitus Ioāni Hus prædictus fuit.

Luce.2

Deut.32

ga (inquit) patrem tuum & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Quorum ordinem euertis per indirectum, & ſuperbiam
Iob 32 dirigis. Non ſolum maiores & ſeniores tuos (quo modo ille contra Iob Heliu) arroganter ampliatis ſermonibus doces & arguis, ſed & peccatores deſcribens, eos ſtylo ferreo, quantum in te eſt, uniuerſis fidelibus contemptibiles repræſentas. Quo contra le-
Apoca. 7 ge Apocalypſim, ubi ſic dicitur. Et reſpondens unus de ſenioribus: dixit mihi, Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & unde uenerunt? Vide reſponſum Ioannis cæleſtis Aquilæ. Et dixi (inquit) illi. Gloſa, ſcilicet ignorantiam propriam confitendo. Domine mi tu ſcis. Super quo Gloſa. Hoc eſt contra præſum-
Homo Præſumptuoſus ptuoſos & ſuperbos homines, ignota diſcernentes & ſe melioribus præferentes. De quibus Beatus Bernardus. Præſumptuoſus primus in Eccleſia, In conuentibus reſidet, In conſilijs primus reſpondet, non uocatus accedit, non iuſſus ſe intromittit, reficit facta,
4 recte deordinat ordinata. Quicquid ipſe non fecit aut ordinauit, nec ratione factum, nec pulchre æſtimat ordinatum. Cum tamen de-
Increpatio contra Io. Hus. beat dicere, Domine mi tu ſcis. Hæc ſi Magiſter Huſka tuis ſenioribus obediſſes, & conformis ritui Catholico, humiliatus te
Act. 9 ipſum in faciem proieciſſes, Et exemplo Beati Pauli Apoſtoli feciſces: Qui dum deiectus in terram dixiſſet, Domine quid me uis facere? Ad hominem, quæſiturus ſalutem, Ananiam uidelicet, remiſſus eſt. Dicente Domino. Ingredere ciuitatem, & ibi tibi dicetur, quid te oporteat facere. Fecit quod Dominus iuſsit, & ab homine ſibi prælato conſilium & mandatum ſuſcepit, & ſanus effectus cæcitate depoſita, glorioſum lumen Eccleſiarum, ſole ſplendidius, & doctor gentium egregius excreuit. Bonum tibi ſuper milia auri & argenti fuiſſet, ſi ſic humiliatus fuiſſes. Sed quia egreſſus de ciuitate ſancta, Vniuerſa ſcilicet ſancta Romana Eccleſia, non ſolum unum Prælatum, ſed omnes Eccleſiæ præſides damnabiliter dijudicans, & condemnans. Non hominibus, ſed Deo te dicis debere obedire, Neſciens quid diceres, neque periculum, quod tibi in foribus imminet, obuolutus caligine,
Pſalm. 81 conſyderas. Ecce, ut tibi uidetur, diuino te perſonali colloquio dignum reputas, & diuinæ ordinationi repugnas. Audiſti dictum. Ego ſum Deus, & extra me non eſt alter. Et ta-
4 excelſi men idem ipſe. Ecce dixi Dij eſtis, & filij ex Deo omnes. Et Moy-
Exodi. 7 ſi. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Item, Idem ipſe, qui Saulo rebelli (ut prædictum eſt) inuiſibilis quidem, ſed aperte uoci-
Act. 9 ferans apparuit, dicens. Vade in ciuitatem: Non tamen per ſe ipſum, ſed per miniſterium et manus impoſitionem diſcipuli Ananiæ.

Paulo

Paulo uiſum reſtituit, & baptiſmalis gratiæ innocentiam contulit. Hic idem ipſe Deus, & uiuens in ſæcula, qui Petro claues re- gni cælorum condonans, dixit. Quodcunque ligaueris ſuper ter- ram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris &c. Vis ergo Magiſter Deo obedire, & Dei decretis contraire? ut ex hac tibi facta occaſione euaſoria, excutias te ab ordinaria & ſancta uera obedientia Eccleſiaſticorum Prælatorum, & maxime ueri Iheſu Chriſti & Apoſtolici Vicarij, quibus manus tuæ & ſtu- dia tua contraria ſunt. Obedire te dicis Deo, & obedire con- temnis ſeruis Dei. Ecce etiam Chriſtus Ieſus Dominus noſter, non ſolum parentibus, ſed & inter impiorum manus factus eſt obediēs uſque ad mortem. Qua ergo cautela, tu homo uanus & fragilis & momentaneus, ſine obedientia properas ad mortem? cito & feſtinus reingredere ciuitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ uniuer- ſalis, unde ſic contumax egreſſus es eminus. Et dic, cui dictu- rus, Domine quid me uis facere? ut tui, exemplo tuo bono, quorum ruinæ cauſa es, per ſalutaris obedientiæ condignam pœnitentiam tibi conreaſſurgant, ut tandem cæleſti quæſtione & tibi dicatur cum fidelibus cæteris. Qui ſunt iſti & unde uenerunt? Reſpondeatur. Hi ſunt qui uenerunt ex magna tribulatione. Hæc Stephanus Paletz fideliter ei prædixit, priuſquam Conſtantiam ueniſſet, neq; minis neq; ullis iniurijs aut periculis a ueritate palam dicenda abſterritus fuit. Dum hæc ſcriberem, miſſus eſt ad me li- bellus quidam Teuthonicus, ex Latino translatus, qui hiſtoriam Hufsiticam (quantum ad Conſtantienſe attinet Conciliū) continet. Qui prudenti lectori haud immerito de ueritate ſuſpectus in mul- tis habebri poteſt. Nam autor nomen ſuum non appoſuit, & qui edidit Teuthonice, Ioannes Agricola Islebienſis, cum Laicus ſit, ſa- cerdotale ſibi uſurpat officium, Leoniſtis, Vualdenſibus, Pighar dis, Taboritis & cæteris id genus barbaris Romanæ Eccleſiæ con- temptoribus, impietate par, Hufsitis longe peior, qui & Ioannē Hus tanti facit, ut in præfatione ſic auſit dicere, mox in principio. Se nactum eſſe librum Latine ſcriptū, quomodo probus Dei amicus Io. Hus. Conſtantiæ propter Euangelij doctrinam a ſynagoga An tichriſti cōbuſtus ſit. Autor ueri libri, ſuppreſſo nomine ſuo prote- ſtās ait, ſe nunc ſimpliciſsime ſcribere hiſtoriā certaminis et mortis laudabilis Magiſtri Ioannis Hus, Prædicatoris ſancti Euangelij, cū tempore latius conſyderandam. Quamuis uero multa enarret, quę uulgo non habentur in hiſtorijs noſtris, omnia tamen in Ioan. Hus fauorem & in Concilij odium referre ac trahere uidetur. Et de fuga ipſius Hus e Conſtantia altum agit ſilentiū, odio ſe interim multa

Matth. 16

Hus uerbis deo obediens, re & factis inobediens fuit

Apoca. 7

Hiſtoria ab Hufsita quodā ſcripta.

Abſit iniuria uerbis, factum infectum fieri nequit.

Autor illius hiſtoriæ ſuſpectus.

commemorans de illius carcere & uiolata ſalui conductus fide. Et tamē audit ſibi tantam arrogare autoritatem in proteſtatione ſua, ut uelut alter Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, dicere non uereatur, ſe ſcriptis ea complecti, quæ ipſemet uiderit, audierit et ueraciter expertus fuerit, ſciens uerum eſſe teſtimonium ſuum. Quod ſi Magiſter Ioānes Przibram illius hiſtoriæ autor fuit, qui paulo poſt apud Huſsitas primatum autoritatis & doctrinæ diu tenuit, proprio tamen poterit conuinci & iudicio et teſtimonio, per librum reuocationis & confeſsionis ſuæ, ubi expreſſe ſalubriter reſipiſcendo ait. Item profiteor, quia ſcripta & dicta & facta ſingula Magiſtri Ioannis Hus & Magiſtri Matthiæ (non obſtantibus aſſertionibus uel dictis meis alijs quibuſcunque) de tanto probo, & non plus, de quanto ipſa probantur a Deo & Eccleſia Catholica, & de quanto ipſa a ueritate Catholica & a ſanctis Eccleſiæ doctoribus & ab Eccleſia Catholica prorſus non diſſonant nec diſcordant. Cumq; is ipſe alio in libro manifeſte dicat, in primo aduentu Magiſtri Ioannis Hus in Conſtantiam, ueniſſe ad eum Magiſtrum Didacum, et ea ibi utriuſque uerba commemoret, quę in iſta recitantur hiſtoria: haud iniuria repræhendi poteſt (ſi eſt huius Hiſtoriæ autor) quod de fuga ſui Hus tacens, tam multa contra Papam & Cardinales de carcere illius & uiolata fide publica odioſe narrat. Libet nihilominus, quędam ex hiſtoria illa recitare hic, quæ ad rerum geſtarum cognitionē facere uidentur. Etenim in exordio narrat, Sereniſsimum Principē & Dominum, Sigiſmundum Romanorum & Vngariæ Regem, poſteaquam a Ioanne Papa xxiij. obtinuerat, Concilium generale Conſtantiæ celebrandum, e Lombardia miſiſſe Nobiles quoſdam Bohemos, Conſiliarios ſuos, qui Ioanni Hus perſuaderent, ut ſub publica fide Conſtantiam proficiſceretur, ad purgandam & ſuam & totius Regni famam de hæreſi peſsimam. Et addit, Regem promiſiſſe ſcripto ſaluum conductum, ad ſecure eundum illuc & redeundum inde in Bohemiam. Verum hoc non reperitur in formula ſalui conductus, quam mox ſubiungit. Et quāquam in actis multas Ioannis Hus querelas interſerat, & propria ipſius ad Regem ſupradictum uerba, tamen nuſquam reperio illum de uiolata ſibi fide publica, aduerſus Papam, Regem aut Conciliū expoſtulaſſe. Quod autem Nobiles quidam Bohemi expoſtularunt, magis liberiati militari quam iuſtitiæ aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ tribuerim. Aut enim ignorarunt, aut diſsimulauerunt Ioannis Hus fugam & mentis obſtinationem. Sed eſto, quod promiſerit Rex etiā ad redeundū ſaluū per omnia conductum: Non erat Rex maior Deo, nec fide nec iuſtitia necq; Concilio. Fecit ergo quantū decuit aut licuit. Sæpe ab ipſo

M. Matthias Bohemus, Pariſienſis dicebatur, cuius eruditionē maximi facit M. Przibram.

Plenior ex hiſtoria illa geſtorum narratio.

Rex non eſt culpandus de uiolato conductu, ſed potius ipſe Hus.

ipſo Ioanne Hus petijt,ut ſubmitteret ſe Concilij iudicio, ut hære-ſes abiuraret,ut nolit pertinaciter ſæpe damnatos aſſerere articulos, atq; etiam prædixit,ni deſiſteret ab ea pertinacia,fore ut Concilium ſuo in ipſum iure uſurum eſſet, iuxta cenſurã ſacrorum Canonum. Quinimmo in faciem ei dixit, ſe Concilio promiſiſse, ſi ipſe perti-naciter articulos erroneos aſſereret, quod nullum hæreticum uelit manutenere: immo mallet per ſeſe & ſolus pertinacem hæreticum cõburere quàm defendere. Ideo ſæpe ſuaſit ei,ut ſe omnino ſubmit-teret Concilio in omnibus. Quod ſi faceret,gratiam inuenturus eſ-ſet apud Patres, ad honorem ipſius Regis fratriſq; eius & ipſius Re gni Bohemiæ. Si autem obſtinatus permaneret, prædixit fore , ut Concilium ſuo in eum iure ſit uſurum. Non igitur pijſsimo ac reli-gioſiſsimo Principi debet imputari, ſi Concilium(quod ſupra Re-gem erat)exigente iuſtitia,in pertinacem hæreticum ſecundum con ſueta iura ſententiam protulit. Subiectorum manus à uiolentia co-ercuit, Concilium à iuſtitiæ complemento in tam manifeſto & ani-marum & religionis periculo prohibere non debuit, nec ullo iure potuit, Quoties uerò iactitauit Hus, ſe ultro et ſua ſponte ad Con cilium ueniſſe,potuiſſe(ſi uoluiſſet) domi manere ſe tutum uel inui-tis & iratis Regibus ambobus, Vuenceslao ſcilicet & Sigiſmundo? Vſq; adeo enim & cauſæ ſuæ ſecurum & uictoriæ certum ſeſe uel uanc præſumebat uel callide ſimulabat, ut nõ ſolum in Regno Bo hemiæ:ſed etiam in Ciuitatibus Germaniæ per totũ iter publicis et ad Eccleſiarum ualuas affixis intimationibus quoslibet inuitauerit, & aduerſarios ſuos ferociter prouocauerit, ad comparendum corã Concilio Conſtantiæ, ut audirent ipſum de fide ſua rationẽ omni poſcẽti redditurum. Hac eñ intimationis formula(quantũ ex Teu thonica interpretatione aſſequi licet)uſus fuit Pragæ per oẽs Eccle ſiarũ & Monaſteriorũ portas,uti narrat iſta hiſtoria. M.Ioannes Hus,ſacræ Theologiæ Baccalaureus,uult comparere coram R.Pa. ac Domino,Domino Cõrado,Archiepiſcopo Pragenſi. Sedis Ro manæ Legato,in futura congregatione omnium Prælatorum ac to tius Cleri Regni Bohemiæ, ibique paratus erit omni poſcenti reſ-ponſum & rationem reddere,de ſua fide & ſpe quæ in ipſo eſt. Vult item uidere & audire omnes & ſingulos,quicunque uoluerint ipſi ullum pertinacem errorem aut hæreſim imputare,ut illi ſeſe ibidem inſcribant,iuxta tenorem diuinæ legis & iuris,quæ unumquẽq; ad pœnam talionis aſtringunt, qui eiuſmodi errorem pertinacem & hæreſim aduerſus accuſatum docere non poteſt & cæt. Illud totum uult & ipſe corã ſupradicto Domino Archiepiſcopo, & corã Præla tis atq; etiã in futuro Cõcilio Cõſtantiæ, iuxta inſtitutionẽ ſanctorũ Patrum

Verba Regis Segiſmundi.

Iactantia Ioannis Hus de ſuo aduẽtu.

Publica Intimatio Io. Hus Pragæ facta.

Patrum & iuris Canonici, per innocētiam ſuam in nomine Chriſti Ieſu demonſtrare. Datum die Dominica poſt Bartholomæi, Anno Chriſti M.CCCC.XIIII. Hanc intimationem tanto faſtu publicauit ubiq; in regno, ut eam ſub triplici lingua ſcriptam promulgarit, Latina ſcilicet Bohemicaq; & Teuthonica. Forſitā & in hoc uoluit Chriſto Domino aſsimilari, Cuius glorioſus titulus ſcriptus fuit Hebraice, Græce & Latine. Nec multo diſsimilem intimationē per Germaniæ Ciuitates euulgauit, niſi quod Bohemicam ibi omiſit linguā, cuius ignari erāt Germani. Quid uero iſce Intimationib. quæſiuiſſe putandus eſt, niſi uanam de doctrina ſua gloriam & ſui iactantiam, corroborationem ſibi adhærentium, ſectæ ſuæ augmentum, fauorem ſui, Odium Cleri, commotionem plebis, diſſēſionem & ſchiſma in populis, & ampliorem nominis ſui famam? Credo equidem, neq; ipſum, neque Hieronymum Pragenſem Conſtantiam ad Concilium uenturum fuiſſe, niſi ſperaſſet uterq;, nomē ſuum celeberrimum per hoc redditum iri apud omnes Nationes, quod putabant ambo, tanto ſe eſſe ingenio, eruditione & eloquentia, ut nemo ipſis reſiſtere poſsit, iuxta illud, quod Chriſtus ſuis promiſit Apoſtolis, Nolite (inquit) præmeditari, quemadmodum reſpondeatis, Ego enim dabo uobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contra dicere omnes aduerſarij ueſtri. Quod ſi hoc non præſumpſiſſent de ſe ambo, neuter profecto (ut ego puto) Conſtantiā e Bohemia (ubi prędominabantur) ueniſſet. Hus enim in Concilio publice, non ſemel dixit, Si non ueniſſet ſua ſponte & uoluntarie, quod neuter Regum potuiſſet ipſum compellere ut ueniret. Et Hieronymus, antequam eſſet a Concilio citatus, nemine cogente ultro acceſsit. & conſtantiæ in ualuis Eccleſiæ ſchedam affigi fecit, qua petijt ſe citari, & dato ſaluo conductu publice audiri, uti ſupra ex citatione eius recitatum fuit. De Huſsica uero iactantia ſic habent Acta iſtius Hiſtoriæ. Cardinalis Cameracenſis ait ad Ioannem Hus. Quādo ducebaris ad Palatium, interrogabamus te, quomodo huc ueniſſes? Dicebas te libere ac uolūtarie adueniſſe. Quod ſi noluiſſes aut non libenter ueniſſes, non potuiſſet te ad ueniendum huc cogere, neq; Rex Bohemiæ neq; Dominus noſter Rex Romanorū, nec alius quiſpiam. Ioānes Hus reſpondit dicens, fateor equidem me dixiſſe, quod libera uoluntate huc ueni. Si enim uenire noluiſſem, tot ſunt ac tales in Regno Bohemiæ domini, me amantes, In quorum arcibus latitare potuiſſem, ut neq; iſte neq; ille Rex potuiſſet me ad ueniendum compellere. Hic ira commotus Cardinalis, mouebat caput, et uultu mutato dixit in furore illo ad eos, qui in Concilio erāt. Ecce q̄ temeraria præſumptio. Tum Dominus Ioannes de Chlum

Faſtus Intimatiōis ſub triplici lingua.

Ioann. 19

Præſumptio Hus & Hieronymi

Luce 21

Verba Hiſtoriæ.

cœpit

cœpit ad circumſtantes ac murmurãtes dicere,Id ſane uerũ eſt,quod Magiſter Ioannes dicit.Ego pro parte mea pauper ſum miles auratus in Regno noſtro,adhuc tamen uelim eum ab hoſtibus ſuis protegere unius anni ſpacio,ſiue placeret ſiue diſpliceret cuicunq;. Iam uero & multi & magni ſunt Domini, ipſum amantes, qui & tales habent arces, ut ipſum facile conſeruarent,quam diu uellent, ab hoſtibus ſuis: immo & ab utroq; Rege tutum. Quantus uero fuerit ad eam profectionẽ apparatus,quanta pompa,quanta probationũ & inſtrumentorum præparatio,quanta calliditas,longum foret,ex hiſtoria iſta ſingula exacte referre. Sane de intimationibus eius iam ſupra dictum eſt, Nunc de apparatu & aſtu probationum pauca libare libet.Erat Pragæ,Dominus Nicolaus,Epiſcopus Nazarenus hæreticæ prauitatis Inquiſitor a Sede Apoſtolica ordinatus (uti habet iſta hiſtoria innominati autoris.)Ad hunc miſit Hus procuratorem ſuum,Magiſtrum Ioannem de Ieſſenitz,Iuris Canonici Doctorem, ſciſcitatum ab eo, an ſciat ullum errorem aut hæreſim Ioanni Hus imputare:ſi ſic,ut hoc publice fateatur ac ipſi denunciet. Habebat autem ✝ille ſecum Notarium publicum ac teſtes complures.Epiſcopus uero ſic requiſitus,reſpondit. Se quidem perſæpe collocutum fuiſſe cum dicto Magiſtro Ioanne Hus,nunquam tamen aliũ ipſum inueniſſe niſi tanquã legitimum Chriſtianũ.De quo ſane reſponſo Procurator mox petijt a Notario publicum fieri inſtrumentum.Deinde miſit eundem Procuratorem ſuum,ad Generalẽ Cleri Congregationem,Pragæ in Curia Archiepiſcopali conſtitutam,petens,ut uel per ſeſe,uel per procuratorem ſuum in eum cœtum admitteretur, ſciſcitaturus ex omnibus & ſingulis Prælatis Regni, an quiſpiam ex eis ſciat ipſi ullam imputare hæreſim aut errorem, ut id palam confiteretur, & offerret ſeſe iuxta ordinationem iuris. Cum uero non admitteretur in congregationem illam:neq; per ſeſe,quia excommunicatus erat:neq; per Procuratorem,propter præſens periculum,mox ea de re petijt a Notario itidem inſtrumentum fieri. Et his nondum contentus,Ipſum quoq; Archiepiſcopum Pragenſem tentans aggreſſus eſt,per ſubornatam perſonam, quæ magnæ uidebatur autoritatis, in hunc modum. Cum Pragæ in Monaſterio S. Iacobi congregati eſſent omnes Barones & Proceres Regis ✝Bohemiæ,Vbi & Archiepiſcopus aderat,curauit Hus,ut ſupradictus Epiſcopus Nazarenus ſub proprio ſigillo ſcriberet ad Regni Proceres,petens,ut dictum Archiepiſcopum interrogarẽt publice, an ullum errorem aut hæreſim de Magiſtro Ioanne Hus ſciret:ſi ſic, Hus eſſet paratus de eo etiam in Bohemia ſatisfacere:Sin minus, ut hoc literis & ſigillo ſuo atteſtaretur, illum nihilominus Conſtantiã iturum

Practica Io. Hus pro acquirendis pro ſe teſtimonijs.

✝*Procurator.*

Non fuiſſet Epiſcopo iuſtãliter dicere Pragæ

✝ *& regni*

iturum eſſe. Archiepiſcopus uero reſpondens ait, ſe non ſcire quidē ullum errorem aut hæreſim de illo, ſed ſcire quod Papa eum excommunicauerit, de qua excommunicatione debeat ſe iure, ſicut decet, exonerare. De qua Archiepiſcopi reſponſione, patentes literas cum ſigillis dederunt Ioanni Hus quidam Regni Barones, Dominus Zenko a Vuartenberg, Burgrauius Arcis Pragenſis, Dominus Botzko a Podiebrat, & Dominus Vuilhelmus a Vuartemberg.

Quale iter Ioānis Hus ad Conſtātiam. Hus igitur eiuſmodi munitus præſidijs & probationum inſtrumentis, lætus iter arripuit, eo ſane (ut mihi uidetur) cum ſplendore et pompa, quo ſolet Princeps quiſpiā ad nuptias aut epulas proficiſci. Habebat in comitatu ſuo Nobiles quoſdam Bohemos, dominū Vuenceslaum de Duba, Dominum Ioannem de Chlum, Henricū Latzenbock. Habebat patentes literas Regis Romanorū et Vngariæ commendatitias & publicæ fidei (quam ſaluum conductum uocant) teſtes, In quibus a cunctis ſacri Imperij ſubditis petebatur, ut illum cum ſuis benigne ſuſciperēt, quocunq; diuerterei, ſiue per terram ſiue per aquas, ut iter eius promouerent & adiuuarent, ut nullum ab eo uectigal exigerent, ſed libere pertranſire ſinerent ipſum cum miniſtris, equis, oneribus, impedimētis, et omnibus rebus ſuis, per omnes trāſitus †portas, pontes, terras & dominia. Habebat & ex amicis & ſectatoribus ſuis non paruum (ut eſt conijcere) numerum, qui trahebantur & deſiderio uidēdi Generalis Concilij & a‑

† portus.

Ingreſſus more Magiſtri. eius in Conſtantiam. Exiuit ergo ad iter illud peragendum feria quinta ante feſtum S. Galli. Et uenit Conſtantiam Sabbato poſt feſtum Omnium ſanctorū menſe Nouembri, Quo & Papa Ioannes xxiij. ante paucos peruenerat dies. Papa erat in Palatio Epiſcopi Conſtantienſis: Hus uero in platea S. Pauli ad uiduam quandam diuertit. Altero autem die acceſſerunt ad Papam Nobiles, qui cum eo uenerant, Dominus Ioannes de Chlum & Henricus Latzenbock, annunciantes illius aduentum ſub ſaluo Regis Romanorum & Vngariæ conductu. Petebant itaq; ut Papa quoq; uelit eiuſmodi conductum ratum & inuiolatum habere. Quibus Papa reſpondit (uti habet iſta Hiſtoria) ſe nequaquam impediturū, neq; permiſſurum impediri ſaluum Conductum illum, etiam ſi Germanum ſibi fratrē interemiſſet. Tale fuit iter Euangelici huius Prædicatoris, qui populis ubiq; prædicabat, redigendum eſſe Clerum huius temporis ad Euangelicam paupertatem Apoſtolorum. De quo paulo poſt Bohemus quidam (cuius nomē libro ſuo appoſitum non cernitur)

Inuectiua contra auaritiam Huſitarum. ſic ſcripſit aduerſus Huſsitas. Quare ergo receſsiſtis, niſi quia condēnatis Eccleſię traditionibus, articulis Vuiclephi adhęretis, ubi traditor ille tradit & ſcribit, quod Eccleſia Romana eſt Synagoga Sata‑

næ,

næ.Item, Imperator & Domini temporales ſunt a Diabolo decepti,ut Eccleſiam dotarent,hoc quidem communiter prædicatis, ſed minime facitis quæ dicitis, Qui manifeſte Eccleſiaſtica bene dotata beneficia,per phas & nephas diripitis & poſsidetis. Hinc & Vuicleph (in hoc Deus ueſter)plebanus et diues fuiſſe,abſq; alijs quæ de eo latent,comprobatur.Hus etiam ueſter,de officio prædicationis certum & ſtabilitum cenſum Laicorum xx. Sexagenas groſſes annuæ penſæ habuit,in ſua Cathedrali Eccleſia Bethlehem. Dona autem & maiora teſtamenta & oblationes, uſq; ad abundantiam, diebus ſuis,quæ & quanta habuit, quis dinumerabit?Et ſupra.Oblationes(inquit)fidelium eleemoſynas & Teſtamenta,pro Eccleſijs alijs fieri prohibetis,ſed hæc ipſa uobis & Synagogis ueſtris profutura, uigilanter & induſtrie procuratis. Exemplū capite. Ecce duo ex ueſtris, Chriſtānus & Sigiſmundus Magiſtri,quos noſtis, Cum eſſent præſentialiter circa lecturā ægritudinis,non paucis temporibus, ſed uſq; ad ultimum tandem ſpiritum, cuiuſdā olim magni et nobilis uiri,et notanter Catholici,ſed ueſtris tandem abductionib. in ueſtram partem tracti:Is ueſtris perſuaſionibus per prędictos magiſtros,nullum penitus teſtamentum pro Eccleſijs & Monaſterijs fecit, ſed nec pro propria quidem ſua fundatione (ubi etiā a multis annis præcedentibus, cum filijs ſuis a parentibus ſepeliri decreuerat)per mortem ſuam quicquam gratię fecit,ſed pro uobis Huſsitis CCX.Sexagenas Groſſarum, præſentibus illis Chriſtanno & Siſgiſmundo prædictis,legauit.Quas etiam cum auſteritate uobis exigitis perſoluendas.Nonne hic accedit dictum Apoſtoli, Qui prædicant,non furandum,furantur? Hæc ille Bohemus. Anno Domini M.CCCC.XVII. durante adhuc Concilio. Nec multum diſsimilia,priuſquam profectus eſſet Conſtantiam nouus ille Apoſtolus & Euāgeliſta, obiecit ei in publico ſcripto,intrepidus ille Catholicæ fidei aſſertor, Stephanus Paletz,ſic dicens.Attende ergo tibi nunc Magiſter,qui in tua prædicatione,Eccleſiæ Sanctæ contraria,rigorem extremum, in multorum contemptum periculumq; & turbatoinem,ſequeris: ſi hæc quæ prædicta ſunt,etiam in te ipſo rigide obſeruas,quæ rigide prædicas. Quod ſi quis publice corā tuæ ſortis partibus uel quodcunq; contra te eſſet,affirmare & dicere auderet,maiorem indignationem popularium mox incurreret,ac uitę periculum uix euadere poſſet. Verum quę de te ſunt,& foris patētia &·intus latentia,diuino & ſancto & uero iudicio uenturo quan totius commendamus.Hæc Paletz.Sciens ergo hęc Hus,ueterator callidus,domi potius quam Conſtantiæ requirebat a Prælatis & omni Clero teſtimonia, Quia domi abſq; uitæ periculo & omnium

Rapacitas corū in Teſtamentis.

Roma. 2

Hus cur domi teſtes requiſiuit.

rerum diſcrimine, dicere contra ipſum palam nemo poterat. Verun tamen ubi Conſtantiam uenit, ſubſequuti ſunt protinus aduerſus ipſum teſtes nec obſcuri nec pauci, Quorum aliquot nomina ſupra ex dictis Magiſtri Przibram recitata ſunt, & in hiſtoria iſta (cuius autor ocularem ſe geſtorum teſtem perhibet) plura commemorantur. Quippe exierunt e Praga ad teſtificandum pro ſolida ueritate, contra fucata eius mēdacia doloſaſq; tergiuerſationes, Inſignes Theologię Doctores, Stanislaus de Znoyma, qui peſte in itinere perijt antequam Bohemiæ fines egreſſus fuiſſet. Andreas de Broda, qui uel ipſi inimico uenerabilis fuit. Et Stephanus Paletz, uehemens ille fidei Catholicæ zelator: & præter eos multi alij Prælati, Paſtoreſq; & Nobiles, aduerſus eum in Concilio depoſuerunt, Non ſolū Bohemi, ſed etiam externi. Veluti Stokes Anglus, qui Pragæ aliquos Ioannis Hus libros uiderat, & Cardinalis Cameracenſis, qui e Roma profectus, obuios habuerat quoſdam e Bohemia, Prælatos, qui ab eo interrogati, quid nam afferrent noui, reſponderunt. O Reuerendiſsime Pater, Peſsime nunc agitur in Bohemia. Nam totus Clerus ſuis & beneficijs & facultatibus priuatur, ac male tractatur.

Teſtes contra Hus.

Quam impudens autem fuerit ipſius Hus, ad omnia fere obiecta, quantumuis manifeſta & notoria, tergiuerſatio, inficiatio improba, excuſatio calua, aut cauillatio callida: ex ipſis actis, tametſi a magno eius amico ſcriptis, conijcere licebit, ubi ea de re quendam textum hiſtoriæ, ut iacet, ex Teuthonico recitauerunt. Ita enim habet. Hac contentione parumper ſedata, ait Cardinalis Florentinus. Magiſter Ioannes Hus, uos bene ſcitis, ſcriptum eſſe, quod in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne uerbum. Et uidetis, quod bene xx. teſtes ſunt contra uos, Doctores, Prælati alijq; magnæ exiſtimationis uiri. Quorū nonnulli ex auditu & communi fama, atq; etiam aliqui ex propria ſcientia, omnium iuſtas indicant cauſas, & aduerſum uos teſtantur. Quomodo igitur poteſtis contra eos omnes inficiari aut negare? Et reſpondit Ioannes Hus. Cum Deus mihi teſtis ſit & conſcientia mea, quod ego ea, quæ illi aduerſum me teſtificantur, neq; prædicaui neq; docui, neq; in cor meum uenerunt unquam, etiam ſi omnes aduerſarij mei contra me teſtificentur, quid poſſum? immo ad extremum non nocebit mihi. Reſpondit Cardinalis. Nos ſecundum conſcientiam tuam iudicare non poſſumus, ſed ſecundum ea, quæ hic contra te producta & probata ſunt, et quæ tu ipſe ex parte confiteris. Arbitror uos uelle omnes eos pro inimicis habere, qui ſuper uos teſtificantur, & teſtimoniorum ſuorum legitimas cauſas oſtendunt. Illis certe nos credere oportet. Dixiſtis, Stephanū Paletz uobis eſſe ſuſpectum, qui tamen admodum benigne & amice habuit

Tergiuerſatio Hus cō tra teſtes.

Deut. 19
Matth. 18

Stephanus Paletz.

duit ſeſe in illis articulis,quos e libris ueſtris excerpſit,quos & initio res poſuit, quam habentur in libris ueſtris. Itidem fecerunt & omnes alij Doctores.Dicitis item,Cancellarium Pariſienſem ſuſpectũ uobis exiſtere, qui tamen uſq; adeo ſupercxcellens Doctor eſt,qua lis in tota Chriſtianitate uix reperiri queat.Ad Quartum & Octauum articulos,quorum is tenor eſt, Ponitur item,quod Magiſter Ioannes Hus pertinaciter Vuiclephi erroneos articulos in ciuitate Pragenſi,tum in ſcholis tum in publicis concionibus aſſeruit ac prædicauit.Ad hos reſpondit Ioannes Hus,quod neq; Vuiclephi neq; illius alterius errores prædicauerit aut ſequutus ſit, & quod nollet ullam ſequi doctrinam erroneam, quod item Vuicleph non fuerit ibi pater,neq; ſit Bohemus,An uero in Anglia ullos diſſeminaueit errores,id Angli uiderint.Cumq; ei obijceretur,quod condemnationi + xlij.articulorum Vuiclephi repugnauerit,reſpondit. Poſteaquam Doctores xlij articulos Vuiclephi damnaſſent, eam ob cauſam,quod nullus ex ijs Catholicus eſſet,ſed quilibet eorum hæreticus,erroneus aut ſcandaloſus:ipſe propter læſionem conſcientiæ ſuæ,eis in illorum condemnatione conſentire non potuerit,& præcipuè ſuper iſto articulo.Sylueſter Papa & Conſtantinus Imperator errauerunt, Eccleſiam dotando. Et ſuper iſto . Quando Papa aut ſacerdos,eſt in peccato mortali, non conſecrat neq; baptizat.Id autem loquitur cum diſcretione,Id eſt, non dignè, ſed indignè hoc facit,& eſt tunc indignus miniſter Sacramẽtorum Dei.Illi autẽ dicebant. Attamen articulus iſte ſtat in libro tuo ſimpliciter, ſine diſtinctione.Ioannes Hus reſpondit.Volo comburi, ſi articulus iſte in libro meo cum tali diſtinctione non ſtet, ſicut iam dixi.Inſpicientes ac librum eius,repererunt illum cum eiuſmodi diſtinctione, ſicut dixerat. Ita enim habebatur in Tractatu Paletz, ſeu aduerſum Paletz cap. xx.in principio.Dicebat item Ioannes Hus,ſe non potuiſſe conſentire in condemnationem huius articuli. Decimę ſunt puræ eleemoſynæ.Et poſt pauca ſubdit.Nullum tamen iſtorum articulorum unquã pertinaciter tenui,aut adhuc tenere uolo. Sed propterea eorum damnationi una cum alijs Magiſtris repugnaui, & non conſenſi, quod uolebã audire a Doctorib.bona fundamenta ex ſcripturis, et bene fundatas rationes,propter quas articuli illi damnari debeant.Vlterius poſuerunt cõtra Ioannẽ Hus, Quod Io.Hus ad decipiendum ſimplicẽ populum temerariè dixerit, quod in Anglia multi Monachi alijq; Magiſtri, conueniſſent in quadam Eccleſia. dicta S.Pauli, aduerſus M. Ioannem Vuicleph,& non potuiſſent eum conuincere,ſed ſubito ſuperuenerint fulgura & tonitrua de cælo, quæ Eccleſiam illam diruperint, adeo ut Magiſtri & Monachi

Ioannes Gerſon.

Obiectio de Vuicle.

lego 4 45. Nã omnes alij ſcriptores, & acta Concilij ponunt 45

Fabula de Vuicleph.

uix euadere potuerint, aufugientes in ciuitatem Londonienſem. Et dicebant. Hæc dixit Ioannes Hus, ut erroneam hæreſim Ioannis Vuiclephi probabilem credibilemq; faceret. Ideo in talia uerba prorupit coram populo, dicens publicè. O utinã anima mea eſſet ibi, ubi eſt anima Ioannis Vuicleph. Ad hæc reſpondit, Verum quidem eſſe, quod ante annos xij. priuſquam libri eius Theologici in Bohemia fuiſſent, maxime placuerint ſibi ij libri, quos Ioannes Vuicleph in artibus liberalibus ſcripſit, et quod aliter nõ ſciat, niſi quod prædictus Ioannes Vuicleph fuerit bonæ uitæ. Sed neſcio (inquit) ubi nam ſit anima eius, ſpero eum eſſe ſanctum, & nõ timeo quod ſit forſitã damnatus. Velim tamen in iſta ſpe, ut anima mea eſſet ibi, ubi eſt anima Ioannis Vuicleph. Cumq; hoc in Concilio dixiſſet Ioannes Hus, cœperunt omnes eum quam maxime deridere, mouentes capita ſua. Poſuerunt quoq; amplius aduerſus eum, quod ipſe ſimul cum ſectatoribus ſuis defenderit erroneos libros Ioannis Vuiclephi alijſque illorum 4 defenſoribus auxilium tulerit & promotionem. Ad hæc ſic reſpondit Ioannes Hus, quod nullũ errorẽ Vuiclephi, manu tenuerit aut defenderit, nec de cætero facere uelit & cæ.

Hus optauit eſſe cum anima Vuiclephi.

4 errorum

Longum foret, totam illius examinis contentionem recitare. Certe cordatus Lector hic facile iudicabit, æquiora dixiſſe Cardinalẽ Florentinum quam Ioannem Hus, qui uolebat ſuæ conſcientiæ (quam homo intueri non poteſt, Homo enim uidet quę parent, Dominus autem intuetur cor) potius credendum eſſe, quam tot iuratis ac fide dignis teſtibus. Quis uero non miretur, immo quis non deteſtetur hominis lubricitatem & inconſtantiam, qua ſic uertit ſe in omnem partem, uelut tortuoſus coluber & lubricus anguis, ut palliatis reſponſionibus eluderet iudicum teſtiumq; conſtãtiam? Quid autem facilius eſt, quã dicere, hic teſtis mihi inimicus aut ſuſpectus eſt, ideo contra me admitti non debet? At hoc eſſet omne iudicium eludere, ſi ſic euadere liceret. Quid autẽ ſuſpitionis aut inimicitiæ potuit probare de Cardinali Cameracenſi, de Cancellario Pariſiẽſi, de Stokes Anglo, de Andrea Broda, quem ipſemet in ſcriptis ſuis Chariſsimũ fratrem, & in Actis iudicij amicum ſuum uocabat? Quid uero impudentius aut improbius eſſe queat, quam circa obiectũ ſibi Vuiclephum, toties mutare ſententiam? Nos certe ſupra gemino Magiſtri Ioannis Przibram (præcipui quondã Huſsitæ) teſtimonio probauimus, quod Ioannes Hus a principio præſens fuerit Pragæ, & cæteris conſentiens, quando xlv articuli Ioannis Vuicleph damnati uno omnium conſenſu, & ſub grauiſsimis pœnis prohibiti publice fuerunt, non ſolum a facultatis Theologicæ Doctoribus, ſed etiam a tota Natione Bohemica ſpecialiter, atq; etiam a tota Vniuerſitate

Hus impudens & in uerbis lubricus.

1. Reg. 16

Hus inconſtans circa articulos Vuicleph.

Pra-

Pragenſi,& omnibus Nationibus generaliter. Nec ignorabat Hus eoſdẽ articulos alibi quoq; ſolenni cum examine damnatos fuiſſe, utpote Oxonij et Londini in Anglia,Pariſijs in Gallia,& Romę in Concilio generali. Tam pertinax tamẽ fuit improbitas repugnandi omnibus, & contra uniuerſam Chriſtianitatem innitendi,ſuo capi-ti & propriæ prudentiæ,ut nullis neq; perſuaſionibus neq; terrori-bus potuerit in uiã reduci, ut fateretur eos articulos merito damna-tos eſſe, quos ipſemet olim cum alijs publice damnauerat.Et tamen centies aut millies negabat, ſe pertinacem eſſe. Sed leue ſit ei pec-catum tanta omnibus contradicendi pertinacia, & tam ſuperba ſua ſcientia (dum plus ſapere ſibi uideretur, quam tota ſapit Eccle-ſia)pręſumptio:Graue certe dedecus & ſempiternum opprobrium & ſibi ipſi & omnibus ſuis peperit,dum ſibi ipſi contrarius,ſe ipſum proprio condemnauit iudicio:licet id uitij omnibus hæreticis com-mune & familiare ſit, Apoſtolo teſte,qui ait,hæreticum hominem deuitandum eſſe,quia delinquit,proprio iudicio condemnatus.Ne que enim Hus neq; ullus Huſsita negare poteſt,quod ipſemet illos articulos primo damnauit. Deinde iniquè damnatos cenſuit,nõ ſo lum diſputando & prędicando in ſcholis & in concionibus,uerum etiam ſcribendo. Nam in obiectionibus contra conſilium Do-ctorum, ſupra recitata ſunt hæc Huſsitarum uerba. Clerus Euan-gelicus dicit & aſſerit laudabiliter, iniquam & iniuſtam & temera-riam eſſe & fuiſſe xlv.articulorum condemnationem & prohibitio nem. Deinde, nemo poteſt Ioannẽ Hus a probroſo iſto libera-re æternæ damnationis iudicio(quo dorſum eius Deus ſemper in-curuat)quod iudicauit,contra Eccleſiæ ſententiam,Ioannem Vui-cleph eſſe ſanctum,et optauit,ut anima ſua eſſet cum animam illius. Niſi enim Hus fuiſſet per ſuperbiam nimiam excæcatus,et per infla-tam ſcientiam in reprobum ſenſum traditus,nequaquam tã peruer-ſo iudicio manifeſtum & obſtinatum hæreticum dixiſset ſanctum, neq; miſeram animam ſuam optaſſet ibi eſſe, ubi erat anima illius. Quæ ſine dubio æternaliter damnata, æternis cruciatur ſupplicijs. Iuxta illud Chriſti. Qui non credit, iam iudicatus eſt.Et illud Apo-ſtoli. Habẽtes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Et illud Petri. Qui ſcripturas deprauant ad ſuam ipſorum perditi-onem. Vt autem de infinitis alijs Vuiclephi erroribus & hære-ſibus taceamus aut diſsimulemus,Certe circa uenerabile Sacramen-tum altaris,adeo multos et horrendos docuit ille,& in ſcriptis poſt ſe reliquit errores,ut pia mens ne cogitare quidem abſq; horrore ta lia eius dogmata poſsit, Qualia ſane quam plurima commemorat Thomas Vualden Anglus,in ſuis aduerſus illum grandibus libro-

[Margin: Hus ſibi ip-ſi cõtrarius. — Ad Titum.3. — Obiec.7. — Hus cum Vuicleph damnatus. — Ioannis 3. — 1 Timoth.5. — 2 Petri 3. — Errata Vuiclephi infinita.]

H iij rum

rum Tomis,quę referre longũ foret.Nos hic exempli gratia,pauca referemus ex uno librorũ, magni quondã Huſsitæ Ioannis Przibrã Bohemi,qui multos contra Vuiclephi peſsima dogmata libros æ-didit.Etẽ in eo libro,qui per lxxvij.titulos, diuerſos Vuiclephi errores recitat, hos ſub octauo titulo (ut de omnibus alijs tot errorum titulis,breuitatis gratia hic taceamus, & ex uno tantum Decẽ recenſeamus,eum tamen xxv. a M.Przibram fuerint ex eodem recitati) articulos eius erroneos commemorat.

X. ARTICVLI VVICLEPHI EX MVLTIS.

I. Inter omnes hæreſes,quæ unquam pullulauerunt in Eccleſia Sancta Dei,non fuit nefandior,quam hæreſis, ponens accidens ſine ſubiecto eſſe hoc uenerabile ſacramentum. Lib. 4 Trialogi cap. 6.

II. Et reuera Papa Innocentius & eius diſcipuli,poſſent citius facere multos fideles credere,quod ipſum Sacramentum ſit caput aſini, uel quæcunq; ſubſtantia alia nominandum. In ſermone de Nauicula.

III. Hic ſæpe dixi,quod nec Deus nec homo poteſt facere accidens ſine ſubiecto. De Apoſtaſia cap.5.

IIII. Indubie ſunt omnes hæretici,qui pertinaciter defendunt hoc, ſcilicet in Sacramento altaris accidens eſſe ſine ſubiecto. De blaſphemia.cap.2.

V. Reuera nec prophetæ Baal:de quibus 3.Reg.18. nec ſacerdotes Bel:de quibus Dan. ult.fuerunt magis hæretici Idolatræ, quam ſunt tales,ſubaudi,ponentes accidentia ſine ſubiecto. De Blaſphemia cap. 2.

VI. Reuera prodeſſet Eccleſiæ, & cederet ad honorem Dei, quod tales Apoſtatæ nunquam ſuum accidens conſecrarent, quia per hoc multipliciter blaſphemant in Deum , & implicant Deum eſſe autorem mendacij. In Trialogo lib.4.

VII. Supponimus ergo quod inter omnes ſenſus extrinſecos, quos dedit Deus homini. Tactus & Guſtus ſunt in iudicijs ſuis magis certi,ſed illos ſenſus iſta hæreſis confunderet ſine cauſa, foret enim Antichriſtianum Sacramentumquod iſta faceret. In Trialogo lib.4.

VIII. Quando fidelis communicandus panem poſtulat,ſcilicet Euchariſtiam,quę eſt panis ſuperſubſtantialis, porrigit ſibi(ut falſe fingit) peius quã lapidem,Accidens ſine ſubiecto.Et peius quam ſerpẽtem uel uenenum aliquod aſsignandum.Sed laus ſit Deo,quod hæreticus iſte non poteſt mutare naturas, ſicut uerbaliter falſe fingit. In Sermone,Quis ueſtrum habet amicum.

Et inter omnes infidelitates, quæ unquam creuerunt in Eccleſia Dei ſancta, iſta ſubtilius & profundius demergit homines in uoragines errorum de fide, & plus facit apoſtatare ab Abbate Domino noſtro Ieſu Chriſto. In Trialogo lib. 4. IX.

Quicunq; pertinaciter iſta defenderit, eſt expreſſe hæreticus, In tantū, quod ſi ego ita defenderē, uellem quod eſſem combuſtus tanquam hæreticus, uel quod errorem illum properè reuocarem. De Apoſtaſia cap. 9. X.

Hos X articulos Vuiclephi, in exemplū, ex XXV. ſub eodem titulo excerpſerim, ad oſtendendum, quam graue in caput ſuum Hus ultro iudicium tulerit, quando optauit animam ſuam fore, ubi eſt anima Vuiclephi. De quo ſic habetur in Actis publicis Concilij Conſtātienſis, Seſſione Octaua. Inſuper, quia autoritate ſententię & Decreti Romani Concilij, mandatoq; Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ, datis dilationibus debitis, proceſſum fuit ſuper condemnatione dicti Ioannis Vuicleph et ſuæ memorię, Edictis propoſitis, denunciationibusq; ad uocandum eum, qui eundem ſiue eius memoriam defendere uellet, ſi qui penitus exiſterent: Nullus uerò comparuit, qui eundem ſiue eius memoriam defenſaret. Examinatis inſuper teſtibus ſuper impœnitentia finali, pertinaciaquè dicti Vuicleph per Commiſſarios, deputatos per dominum Ioan. Papā modernum & hoc Conciliū, ſeruatiſq; ſeruandis, prout in tali negocio poſtulat ordo iuris: Et de eius impœnitentia ac finali pertinacia, per euidētia ſigna teſtibus legitimis comprobata, fuit legitimè facta fides. Propterea inſtante Procuratore fiſcali, edictoquè propoſito ad audiendum ſententiam ad hanc diem, Hæc ſancta Synodus declarat, diffinit & ſententiat eundem, Ioannem Vuicleph fuiſſe notorium hæreticum, & pertinacem in hac hæreſi deceſiſſe, Anathematizando ipſum pariter & ſuam memoriam condemnando, decernitque & ordinat, corpus & eius oſſa, ſi ab alijs fidelibus corporibus diſcerni poſſint, exhumari, & procul ab Eccleſiæ ſepultura iactari, ſecundum Canonicas & legitimas ſanctiones. Acta ſunt hæc Conſtantiæ Die Sabbati, Quarta menſis Maij. In octaua ſeſſione publica. Anno Domini M. cccc. xv.

Vuicleph mortuus in finali impœnitentia.

Quis igitur dubitet, Infœlicē Vuiclephi animā ob tot pertinaciter uſq; ad mortē aſſertas hæreſes (ut de inobedientiæ eius grauiſſimis ſceleribus, quæ idolatriæ per ſcripturā cōparantur, taceamus) ſempiternis addictū eſſe ſupplicijs, quæ indies augētur. Quādoquidē ipſa per ſuos libros rea eſt & quotidie fit adhuc oīs perditionis infinitarum numero animarū, quæ apud Huſſitas & Taboritas Vuiclephi ꝓpagines, Intra C. et amplius annos per innumeras clades, cædes

Anima Vuiclephi æternaliter damnata. 1. Reg. 15

& mortes æternaliter perierunt, & pereunt (proh dolor) adhuc quotidie. Vnde & multo grauiora eſſe crediderim Vuiclephi tormenta, quam ſint apud inferos uel ſceleratiſsimorum hominum, Iudæ proditoris Chriſti, & Neronis Chriſtianorum perſequutoris. Quis ergo non inſanum & omnino excæcatum, ſubuerſum, a Deo reprobatum, et in malo penitus obſtinatum, credat fuiſſe miſerum Ioannem Hus, quando optauit animam ſuam ibi fore, ubi eſt anima Vuiclephi, quem tam magnis ſceleribus (quæ teſte Cypriano, ne Martyrij quidem ſanguine dilui queant) manifeſtè obnoxium & oppletum, pro ſancto uiro habendum eſſe cenſuit. O Rhadamātum plus quam cæcum, & Ægyptijs tenebris immerſum. Niſi enim prorſus amens & cæcus in reproba mēte ſua fuiſſet, longe profecto aliter & optaſſet & egiſſet. Non enim ignorabat, tam multas & abſurdas hæreſes in libris Vuiclephi contineri. Nam bonā partem eorum ipſemet tranſtulerat iam pridē in Bohemicam linguam, (uti ſupra dictum eſt) nominatim uero libros Trialogi, qui barbariſsimarum impietatum pleniſsimi ſunt, maximè liber quartus, contra omnia Eccleſię Sacramenta. Sed liuor & odium aduerſus Clerū ultioniſq; cupido, ſic in tranſuerſum rapuerant omnem ipſius ſenſum & cogitatum, ut prorſus excæcatus, & propheticæ maledictioni obnoxius iuſto Dei iudicio factus, ſtultiſsimè dixerit malum bonum, & tenebras lucem, Hoc eſt, hominem ſceleſtiſsimū (qui per finalem pertinaciam & impœnitentiam deceſſerat in peccato contra ſpiritum ſanctum, Quod neq; in hoc neq; in futuro ſæculo unquā remittetur) dixit ſanctum & animam eius beatam, quæ re uera cunctis Paganorum, Turcarum, & Iudæorum animabus longe miſerior, et in tormentis perpetuis afflictior exiſtit. Iuxta illud Saluatoris. Seruus ſciens uoluntatem Domini ſui, & non faciens ſecundum uoluntatem eius, uapulabit multis: Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Nā & Petrus Apoſtolus ait de talibus. Facta ſunt eis poſteriora deteriora priorib. Melius enim erat illis, nō cognoſcere uiā iuſtitiæ, q̄ poſt agnitionē retrorſum cōuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud ueri prouerbij. Canis reuerſus eſt ad ſuum uomitum, & ſus lota in uolutabro luti. Sciebat item infœlix Hus, tam impia eſſe plæraquè Vuiclephi dogmata, ut & Hus & Vuicleph ipſe illis alicui contradixerit. Quoties enim ſcriptis ac dictis publicè teſtatus eſt Ioannes Hus, firmiter ſe credere, quod ſubſtantia panis poſt conſecrationem in Sacramento altaris non maneat? Multa ſanè loca eius cōtra hanc Vuiclephi hæreſim, quæ accidentia ſine ſubiecto in iſto Sacramēto eſſe maxime negat, ſupra ex Magiſtro Przibram produximus

[Margin notes: *Cypri. in tract. de ſimp. Prel.* — Excæcata mens Ioan. Hus. — *Eſaie* 5 — *Luce* 12 — 2. *Pet.* 2 — Hus in quibuſdam a Vuiclepho diſſentit.]

imus & autor hiſtoriæ Huſsiticæ ſæpiſsime eum teſtatur affirmare, quod ſubſtantia panis ibi non maneat. Eſt igitur infœliciter doctus Hus & hac in parte fœdè contrarius ſibijpſi. Si enim hæreticus eſt Vuicleph, aſſerēs remanere ibi ſubſtantiā panis materialis, nequaꝗ̄ eſt ſanctus aut beatus, quia in ea hæreſi pertinaciſsime perdurauit uſq; ad mortē. Cūq; idē error mox circa principiū xlv. articulorū ab illo aſſeratur, per hos duos articulos, Panis accidentia non remanent abſq; ſubiecto in altaris ſacramento. Itē, Chriſtus nō eſt in eo dē Sacramēto identice, realiter & in propria præſentia corporali. *Articuli Vuicleph 3. & 2.*

Merito debuiſſet Io. Hus, ſi nolebat de eo errore ſuſpectus haberi, palā dicere, ſaltē aliquos Vuiclephi articulos iure dānatos fuiſſe. Id ſi feciſſet, meliorē inueniſſet in cōſpectu Concilij gratiā: & barbariē Taboritarū (qui Vuiclephi errorē iſtum retinent) ueritatis atteſtatione præueniendo, correxiſſet. Extat ea de re memorabilis hiſtoria, quam & Hus doloſe ꝓduxit in ſui excuſationem Conſtantiæ, et Magiſter Ioannes Pꝛzibram pie recitat, contra Taboritas. In eo libro, quem ſcripſit de non remanentia panis in Sacramento altaris. In hæc ſane uerba. Ad idem præfatus M. Io. Hus, approbando ſententiam ſupradictam, confecit & conſcripſit manu propria epiſtolam, ſummo Pontifici Romano dirigendam, In qua profitetur fidē ſuam in multis articulis in ea poſitis, ſic dicens. Ad Reuerentiam Ieſu Chriſti Eccleſiæ ſupremoq; eius Pontifici exhibendam, paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti de ea fide, quam teneo, rationem reddere, Confiteor corde integro, Ieſum Chriſtum dominū eſſe uerum Deum & uerum hominem, totamq; legē eius tā firmæ ueritatis exiſtere, quod nullum iota uel apex ipſius fallere poteſt, Domū ſuam Sanctam Eccleſiam, fundatam tam firmiter ſupra firmā petram, quod portæ inferi non poſſunt aduerſus eam quando libet præualere: Promptuſq; in ſpe ipſius capitis, Ieſu Chriſti domini, mortis die potius ſuſtinere ſuppliciū, quā electiue dicere uel aſſerere, quod foret Chriſti ſuæq; Eccleſię contrarium uoluntati. Ex his fidenter ueraciter et conſtanter aſſero, quod a ueritatis ęmulis, ſiniſtre Sedi Apoſtolicæ ſum delatus. Falſe ſiquidē detulerunt & deferunt, quod docuerim populum, quod in Sacramento altaris remaneat ſubſtantia panis materialis. Falſe, quod quando eleuatur hoſtia, tunc eſt corpus Chriſti: & quando ponitur, tunc non eſt. Falſe, quod ſacerdos in peccato mortali non conficit. Falſe, quod Domini a Clero auferant temporalia, Quod decimas non ſoluant. Falſe q̄d Indulgentię nihil ſunt. Falſe, quod gladio materiali ſuaſerim Clerū percutere. Hæc ipſe Hus. Quā quidem literam atq; profeſsionē ſuam prædictus M. Io. Hus, introgreſſus in medio Doctorum & *Quod panis ſubſtantia poſt conſecrationē non remanet.*

Magi

Magiſtrorũ Vniuerſitatis Pragẽſis,in pleno Concilio congregato rum, Cum duobus Notarijs publicis et coram multis teſtibus, pe- tijt ſibi ſigillo Vniuerſitatis præcipuo & magno eandem ſigillari. Quod & factũ eſt cum ſubſcriptione duorum Notariorũ. Quam quidem literam,Ego nuper in audientia publica manifeſte, coram omnibus aduerſarijs legi & oſtendi. Et tandem eã conſulibus Pra- genſibus,in plenum eorũ Concilium deferri & exhiberi procuraui. Vbi & uiſa eſt ab omnibus,& lecta & tranſcripta, præſentibus pe- ne omnibus ſacerdotibus Taboritarum, prædictæ profeſsioni ual- de inuidentibus, & punctis prædictis in ea animo toto & tota uita repugnantibus. Veruntamen ego ſuaderem omnibus talibus, pro eorum ſalute,pęrcipue bella moderna adminiſtrantibus,Quatenus puncta iſta Magiſtri,& alia in prædicta litera contenta præfati M. Ioannis Hus,pro quo dicunt ſe zelare, uelint ea non reſpuere, ſed

forte realiter materialiter tenere & implere. Et præcipue,panem materialem in Sacramento remanere,cum eo nolle aſſeuerare, nec docere, Sacer- doteſq; domini gladio non trucidare. Nec bona temporalia eorum & Eccleſiæ ad manus ſæculares ſacrilege conuoluere et auferre. Hęc M. Ioannes Przibram. Qui tametſi annis multis inter Huſsitas pręcipuus Doctor extitiſſet:Sero tamen conuerſus, multos errores fœ liciter agnouit ac publice reuocauit,ęditis ea de re libris. Quod uti nam prior feciſſet Ioannes Hus, quem tot Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Doctores, Reges item & Principes, maximi atq; mini- mi,toties ac tam uarijs perſuaſionibus exhortantes,a ſemel cõceptis Vuiclephi erroribus auertere non potuerunt. Cum igitur illius errorem de remanentia panis diſsimularet,nec ei palam cõtra- diceret,(uti maxime decuiſſet prædicatorem Euangelicum)in pub- licis concionibus corã populo, factus eſt miſerrime reus omniũ ani marũ, quæ errore illo perierunt & pereũt. Cumq; nec frigidus neq;

Apoca. 3 calidus, ſed tepidus circa eum errorẽ eſſet, euomuit eũ Deus,de ter- ra uiuentium,diuidenſq; illum a conſortio iuſtorum,& extra Eccle ſiæ caſtra uelut pertinaci hæreſi leproſum ejciẽs,partem eius poſuit

Matth. 24 cum hypocritis,ubi eſt fletus et ſtridor dentium. Vt etiam Sodomi

Ioan. Hus infœlicior Sodomitis. tis infœlicior, uel proprio iudicio ſuo uideri queat. Nam dũ Pragæ eſſet,per publicum inſtrumẽtum publicauit ſuam de illis determina tionem(uti dictum eſt ſupra)dicens,Deum Sodomitas igne tempo raliter puniuiſſe,ne in æternum punirentur, quia non iudicat Deus bis inidipſum. Nos tamen in hoc ei non conſentimus. Ipſe uero infe lix determinator,igne temporali Conſtantiæ exuſtus, mox in pun- cto ad inferos deſcendiſſe credendus eſt,ut æternis ignibus crucie- tur in ſæcula ſæculorum. Hoc equidem dolens refero,non inſul-

tans

tans aut improperans miſero & omnia extrema iam pridem paſſo, ſed alios infœlici huius exemplo ab omni hæreſi dehortans, ne ſuæ innitentes prudentiæ, pertinaciter uſq; in finem Prælatis ſuis & toti Eccleſiæ reſiſterēt. Per inobedientiā enim fierent conſortes Idolatrarum, per hæreſim uero diuiderentur, ut pars eorum eſſet cum hypocritis in tenebris exterioribus. Nemo igitur ad iniuriam dictum putet, quod dico, Ioannem Hus & omnem pertinacem hæreticum, ipſis etiam Sodomitis infœliciorem uideri. Nam ultra ſcripturæ locos, ad hoc ſupra contra Vuiclephi animam allegatos, ſpecialiter de Sodomitis ait in Euangelio Dominus. Et tu Capharnaum, Nunquid uſq; in cælum exaltaberis? Vſq; in infernum deſcendes. Quia Matth. 11 ſi in Sodomis factæ fuiſſent uirtutes, quæ factæ ſunt in te, forte mãſiſſent uſq; ad hanc diem. Veruntamen dico uobis, quia terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicij quam tibi. Certe per Hebraicæ uocis interpretationem, Capharnaum ſignificat agrum pinguedinis, aut uillam conſolationis, Quale profecto erat Regnum Bohemiæ ſub Carolo Imp. IIII. priuſquam Vuiclephica lues per Ioannem Hus introducta fuit. Hus autem peſte illa infectus, ita contaminauit pinguem & amœnum agrum illum, Inclytum Regnum illud (quod inter cætera Chriſtianorũ regna uidebatur uelut ſpecioſiſsimum quoddam Margaritum, omnibus bonis adauctum et omni decore ornatũ, efflorere & lucere) ut per illius intemperiẽ & infernales eius furias, prioribus terræ bonis deſpoliatum, & priſtino religioſæ uarietatis decore exutum ac denudatum, ſic uiſum eſt multis annis ex alto gloriæ & honoris ſolio (in quod a Regibus ſuis exaltatũ fuerat) in imas abyſſalis præcipitij ruinas per hæreticos deſcendere, ut ſi Carolus Rex & Imperator eius, è mortuis redijſſet, patriam illam ſuam minimè potuiſſet agnoſcere. Videant igitur Huſsitæ ueteres & noui, quam grauiter peccent, dum Ioannem Hus, pertinacem hæreticum, dicunt ſanctum, ſicut ille Vuiclephum tam ſtulte quam falſo ſanctum dixit. Per hoc enim & ipſi æternam damnationem ſibi acquirunt, niſi mutauerint ſententiam, & falſum iſtud impiumq; iudicium ſuum correxerint, Quia non ſolum is, qui hæreſim docet aut aſſerit: ſed etiam omnis qui ei conſentit, æterna dignus eſt morte, adeo ut peccatum illud ne ſanguine quidem per martyrium dilui aut expiari queat, uti ſupra ex Cypriano dictum eſt. Et efficacius ex Paulo Apoſtolo comprobatur, ubi ait. Etſi habuero prophetiam & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatē autem non habuero: nihil ſum. Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatē autem

Graue peccatũ eſt, dicere Ioan. Hus Sanctum.

Roma. 1

1. Cor. 13

autē non habuero:nihil mihi prodeſt. Hæc Paulus ad Corinthios. Iam toti conſtat Eccleſiæ,Ioannem Hus per ſchiſma & hæreſim charitatem amiſiſſe, & ab unitate corporis Chriſti (quod eſt Eccleſia Catholica) receſsiſſe. Nihil igitur ad ſalutem ei profuit omnis ſua ſcientia,etiam ſi locutus fuiſſet linguis hominum & angelorum, nihil omnis in prædicando labor,nihil aduerſitatum tolerantia, nihil denique extremum in igne ſupplicium,quia caruit charitate, & non potuit Deum habere patrem(teſte Cypriano)qui non habebat Eccleſiam matrem. Audiant ergo qualem de tali ſententiam profe-rat eloquentiſsimus Martyr iam dictus Cyprianus. An eſſe(inquit) ſibi cum Chriſto uidetur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit? qui ſe a Clericius uel plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiā portat,contra Dei diſpoſitionem repugnat, hoſtis altaris,aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis,pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus,inobſequens ſeruus,filius impius,frater inimicus. Contemptis Epiſcopis,et Dei ſacerdotibus derelictis,conſtituere audet aliud altare,precem alteram illicitis uocibus facere. Item,Nec ad Cain munera reſpexit Deus,neq; enim habere pacatum Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? An ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint,opinantur,qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiam ſi occiſi in confeſsione nominis fuerint,macula iſta nec ſanguine abluitur.Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſsione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt. Ad regnum peruenire non poterit,qui eam quæ regnatura eſt derelinquit. Hæc ille. Audiant & Irenæum, antiquiorem Cypriano Martyrem Chriſti,qualia in tales pronunciet. Iudicabit(inquit)& eos,qui ſchiſmata operantur,Qui ſunt immanes, non habentes Dei dilectionē, ſuamq; utilitatem potius conſyderantes quam unitatem Eccleſiæ. Et propter modicas & quaslibet cauſas, magnū & glorioſum corpus Chriſti conſcindunt & diuidunt,& quantum in ipſis eſt interficiunt. Pacem loquentes & bellum operātes. Vere liquantes culicē, et Camelū tranſglutientes. Nulla enim ab eis tanta poteſt fieri correptio,quanta eſt ſchiſmatis pernicies. Iudicabit autem & omnes eos,qui ſunt extra ueritatem,id eſt,extra Eccleſiam. Ipſe autem à nemine iudicatur. Hæc Irenæus, temporibus Apoſtolorum uicinus, auditor Policarpi,qui Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus fuit.

Cyp. de ſimpli. prelatorum.

Qualis Hus.

Irenæus lib. 4 c. 62.

Audiant denique aduerſus eum ſpecialiter prolatam, totius Eccleſiæ ſententiam, ex omni Natione (quæ ſub cœlo eſt Chriſtum agnoſcens) in Concilio congregato. Viſis(inquit)actis & actitatis in cau-

ſa in-

ſa inquiſitionis, de & ſuper hæreſi contra Ioannem Hus habitis & factis:habita per prius fideli & plenaria Commiſſariorum in huiuſmodi cauſa deputatorum relatione, Aliorumq; Magiſtrorum in Theologia, & Doctorum Iuris utriuſq;, de & ſuper actis, actitatis ac dictis teſtium fide dignorum & plurimorum. Quæ dicta ipſi Ioanni Hus palam & publicè lecta ſunt,coram Patribus & Prælatis huius ſacri Concilij,Per quorum teſtium dicta apertiſsimè conſtat, eundem Ioannem Hus multa mala,ſcandaloſa, ſeditioſa,& periculoſas hæreſes dogmatizaſſe in publico,& per multa annorum curricula prædicaſſe. Chriſti nomine inuocato , hæc ſacroſancta Synodus Conſtantienſis,ſolum Deum pre oculis habens, per hanc diffinitiuam ſententiam,quam profert in his ſcriptis,pronunciat,decernit & declarat,dictum Ioannem Hus fuiſſe & eſſe uerum & manifeſtum hæreticum.Ipſumq; errores & hæreſes dudum damnatas, & plurima ſcandaloſa,piarum aurium offenſiua,temeraria & ſeditioſa dogmatizaſſe & publicè prædicaſſe, in non modicam offenſam Diuinæ Maieſtatis,& Vniuerſalis Eccleſiæ ſcandalum,& fidei Catholicę detrimentum. Claues etiam Eccleſiæ & Cenſuras Eccleſiaſticas uilipēdiſſe:In qbus per annos multos perſtitit animo indurato &c. Concil. Conſtā. in ſeſsione 15.

Hanc Synodi certam & Autenticam ſententiā approbauerunt deinceps omnes Romani Pontifices, Quorum Primus (nam Hus Sede uacante damnatus fuit) qui dictus eſt Martinus Quintus,ſic habet.Proinde Synodus præfata, ad omnipotentis Dei gloriam, ipſiuſq; Catholicæ fidei ac Chriſtianæ religionis conſeruationem, augmentum & animarum ſalutem,& pręſeruationem:Eoſdem,Ioannem Vuicleph , et Ioannē Hus et Hieronymū de Praga: Qui inter cætera de ſacro Euchariſtiæ ſacramento & alijs ſacramentis Eccleſiæ & articulis fidei,aliter quàm ſancta Romana Eccleſia credit et tenet & prædicat & docet, quamplurima temerè ac damnabiliter credere ac tenere,prædicare atquè docere, pertinaciter attentabant: Veluti hæreticos & pertinaces ac obſtinatos à cōmunione fidelium ſeparatos, de domo Dei corporaliter eiecit, & ſpiritualiter eiectos declarauit.Et aliâs nonnulla,circa pręmiſſa, utilia & ſalubria ſtatuit et decreuit,per quæ alij reducantur ad ſemitas ueritatis.&c.Datum Conſtantię VIII.Calendas Martij.Anno Dñi M.CCCC XVIII. Pontificatus noſtri anno Primo. Sententia Martini V.

Eant nunc Huſsitæ, Noui & Veteres, atq; contra hæc omnia tam ſancta & publica irrefragabilis autoritatis iudicia,faciant cęca temeritate ex pertinaci hæretico ſanctum Chriſti martyrem. Quem tantis conſtat obnoxium fuiſſe peccatis, quorum reatu æternaliter ligatus tenetur, ut Sodomitis ac Turcis in die iudicij remiſsius ſit fu-

turum quàm illi. Nouit Dominus, cordium ſcrutator & renum, quod iſta, quæcunque in Ioannem Hus ſupra dixi, & infra dicturus ſum, commemorantur, non in odium perſonæ tot iam annis mortuæ, nec ad iniuriam aut infamiam Bohemicæ Nationis, quam uehementer, quatenus Catholica eſt, amo & ueneror: ſed ea potiſsimum cauſa, ut Huſsitæ ſero ſaltem ab erroribus deſiſtant, & ueritatem, Id eſt, Eccleſiam (ut Irenæus ait) recognoſcant, aut ſi obſtinati permanent in hæreſi toties damnata, alij ſaltem intelligãt, eos miſere deceptos fœdiſsimis teneri erroribus, ac non minus turpiter ac ſtulte, quam damnabiliter ac impie, tam ſceleſtum ac tot modis infamem ſequi hæreticum: quo nemo unquam fuit Inclyto Bohemiæ Regno pernicioſior, aut nocentior illius patriæ hoſtis.

Proteſtatio

Dico igitur Ioannem Hus, neque ſanctum neque beatum habendũ eſſe, ſed impium potius ac æternaliter miſerum, adeo, ut in die iudicij remiſsius habeant iudicari, non ſolum infideles Pagani, Turcæ, Tartari et Iudæi, uerum etiam flagitioſiſsimi Sodomitæ, ac impuriſſimi filiarum aut ſororum: immo & matrum compreſſores Perſæ, atque etiam immaniſsimi Parricidæ Cain, Thyeſtes, Leſtrygones alijque Anthropophagi, & famoſi Infanticidæ, Pharao & Herodes. Grandia quidem uidentur iſta & forſitan abſurda, ſed tam immane ſcelus eſt hæreſis, ut omnia illa flagitia, quantumuis impia, pudenda, impura & nefanda, longe in malicia coram Deo ſuperet, grauiorique obnoxia ſit culpæ, ex his nimirum alijſque id genus rationibus.

Io. Hus uel maximis peccatoribus infœlicior.

I. Prima. Quia ſecundum Gregorium in Moralibus, & S.Thomã in prima ſecundæ. Peccata ſpiritualia grauiora ſunt, quam carnalia, licet hæc maioris fœditatis & infamiæ, quam illa, eſſe uideantur. Atqui Hæreſis eſt peccatum ſpirituale, ſupradicta uero uitia ſunt carnalia ſeu corporalia. In corpus enim peccant, hæreſis uero in animam, igitur grauioris culpæ eſt hæreſis, quam uitia illa.

1. 2. queſt. 37 artic. 5

II. Secunda. Quia hæreſis magis nocet, quam quodcunque carnale peccatum. Ipſa enim directe necat animam, tollens & corrumpens fidem, quę eſt uita animæ: Iuxta illud Prophetę, quod allegat etiam Apoſtolus, Iuſtus ex fide uiuit. Illa autem uitia directe corpus necãt aut polluunt. At longe grauior eſt culpa, necare aut polluere animã quam corpus. Ait enim ipſe Dominus in Euangelio. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem nõ poſſunt occidere. Sed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.

Abacuc 2 Rom. 1 Matth. 10 Luce 12

III. Tertia. Quia hæretica peſtis multo latius uagatur, inficit & perdit, quam quodcunque uitium carnale. Cain unum corporaliter tantum

tantum occidit fratrem, Sodomita aut inceſtuoſus unum aut pauca polluit corpora. Herodes unius urbis Bethlehem et finitum eius infantes occidit in corpore tantum, quorum animæ uiuunt in perpetuum. Hus autem hæreſi ſua innumeras animas Chriſtianorum, per totum Bohemiæ regnum & Morauiæ Marchionatum, occidit & in æternam mortem tradit, iam ultra Centum annos continue, neq; adhuc hodie occidere morte ſecunda ceſſat, omnes quotquot in ſecta ſua per mortem primam (quæ corporalis eſt) decedunt. Quemadmodum de Arrio ait S. Hieronymus, quod ille in Alexandria Ægypti, una ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. 24.q.3. c.Reſecande.

IIII. Quarta. Longe grauior eſt culpa, a Catholica fide (quam Hus in baptiſmate per patrinos ſuos ſolenni uoto & profeſsione ſuſcepe rat) deficere & agnitam perfide relinquere: quam eam nunquam agnouiſſe. Pagani enim & Iudęi ac Turcæ, qui eam nunquam receperunt, per ignorantiam peccant & pereunt, quia Chriſtum non cognoſcunt, nec profeſsi ſunt unquam fidem eius. Hus uero per electionem ſciens prudensq; peccauit, damnatam præeligens Vuiclephi hæreſim ſequi atq; defendere, & quidem ita pertinaciter, ut nullis neq; amicorum monitis ac precibus, neq; aduerſariorum repræhenſionibus ſedulis, neq; item iudicum ac Prælatorum: immo & Regis Sigiſmnndi minis & terroribus: ab ea reuocari potuerit. Ideo longe grauior eſt culpa & iniquitas eius, quam ullius Turcæ aut Pagani. Quapropter ſurgent (ut ait Dominus) in iudicio aduerſus eũ uiri Niniuitæ, & condemnabunt eum, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce pluſquam Ionas, Eccleſia, diligentiſsime ſimul & inſtantiſsime admonuit illum Conſtantiæ in Synodo ad pœnitentiã, & noluit pœnitentiam agere. Matth.12

V. Quinta. Multo item grauior eſt culpa, per obſtinatam pertinaciam, poſt agnitam ueritatem, in ſcelere ad mortem uſq; perdurare, ſuperbe contemptis omnium maiorum & minorum, amicorum item & inimicorum monitis, ſicut Hus feciſſe conuincitur: quam carnaliter peccare ex inſtinctu aut impulſu, ſeu naturalis ſeu corruptæ concupiſcentiæ, aut ex ignorantia & tenebroſæ mentis (quę fidei lumen non habet) cæcitate, ſicut fecerunt infœlices Pagani. Quare ait in Euangelio Dominus, Vę tibi Corozaim: uę tibi Bethſaida, Quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent uirtutes, quę factæ ſunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egiſſent. At infœlix Hus maluit unus ex illis eſſe, de quibus ait Apoſtolus ad Hebręos. Impoſsibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtauerunt nihilomi- Matth.11 Heb. 6

nus bonum Dei uerbum uirtuteſq; ſeculi uenturi, & prolapſi ſunt: rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, et oſtentui habentes. Fuit ergo Hus, uelut terra (ſicut idē ſubiungit Apoſtolus) quæ ſępe uenientem ſuperſe habens imbrem non germinauit herbam oportunam, ut benedictionem a Deo acciperet, ſed protulit ſpinas & tribulos. Ideo reprobus permanſit, & maledicto proximus, cuius conſummatio in combuſtione facta eſt.

Quãtis peccatis obnoxius ē Hus. Vt igitur breuiſsime dicam, Hus pertinaci hæreſi ſua longe grauius peccauit, quam ullus corporalis adulter, Inceſtuoſus, aut etiam Sodomita ſeu Parricida, aut Infanticida: atq; etiam quam ullus Cyclops, quantumuis ferus humanarum carnium deuorator. Hus em̃ ſpiritualiter per hæreſim ea ſcelera perpetrauit, quæ illi corporaliter commiſerunt. At grauior eſt culpa peccatorum ſpirituahũ, quã carnalium aut corporalium, quanto nobilior eſt ſpiritus quam caro

Adulterator uerbi Dei. aut corpus. Hus igitur ſpirituale admiſit adulterium, per hęreſim & deprauatum ſenſum, adulterando uerbum Dei, ſocius Vuiclephi & aliorum, qui ambulantes in aſtutia, adulterant uerbum dei.

2.Cor.4 Fornicatus eſt ſpiritualiter cum alienigenis plurimis, cum Vuiclephiſtis, cum Dulciniſtis, cum Leoniſtis, Vualdenſibus, Albigenſib. & id genus alijs Rom. Eccleſiæ inimicis & Catholicæ fidei deſertoribus. Quid uero hoc aliud eſt, quam fædiſsimum quoddam adulterium ſpirituale, quo ſe maxime Vuiclepho conſtuprandum dedit,

Hiere.2 De quo ſic dicit Hieremias, Filij q; Mempheos et Taphneos conſtuprauerunt te uſq; ad uerticem. Hoc eſt, ut exponit S. Hieronymus. Magiſtri peruerſorum dogmatum, polluerunt Eccleſię puritatem ſua turpitudine. Fœdius quidem eſt corporale adulterium, ſed

Inceſtuoſ9 iſtud grauioris apud Deum culpæ. Inceſtum præterea ſpiritualem commiſit in animas plurimorum fratrum & ſororum, filiarumque ſuarum ſpiritualium, quas fœdis Vuiclephi hæreſibus adeo turpiter inceſtauit & polluit, ut facta ſit eis frons mulieris meretricis,

Hiere. 3 quod nollent erubeſcere, ſed diuiderent pedes ſuos omni tranſeunti (ſicut alius habet propheta) ad multiplicandas fornicationes ſuas

Ezech. 16 Hoc eſt, ad recipiendas diuerſas hæreſes. Antea enim nulli fuerant in Bohemia Pighardi aut Vualdenſes, nulli Adamitę: nulli Taborite, Quos per Ioannem Hus Vuiclephi doctrina peperit & inuexit.

Parricida. Quid uero dicã de ſpiritualibus eius Parricidijs, quæ ſane & maxima & grauiſsima fuerunt? Graue quidem ſcelus eſt, corporaliter occidere proprium patrem aut matrem, fratrem aut ſororem: ſed corã Deo longe grauius eſt, occidere aut impugnare illos ſpiritualiter. Nam perempto corpore, uiuit adhuc anima. At interfecta per hæreſim anima, ad quid ualet corpus? Perimitur autem anima, dum ſub

uertitur

uertitur aut corrumpitur in ea fides Catholica, ex qua Deo uiuit. Hus igitur, qui ſuperioribus ſuis repugnans, Papam, id eſt Patrem Patrum, dixit Antichriſtum, Reuerendos Patres Prælatos ſuos, Pilatos, Generale Concilium Vniuerſalem Eccleſiam, Matrem noſtram, repræſentans, uocauit (a Vuiclepho edoctus) Synagogam Satanæ: Immanis profecto coram Deo Parricida fuit. Deus enim magis animum & uoluntatem, quam manum & externū opus intuetur & iudicat. Sed & infanticida ſpiritualis fuiſſe conuincitur, & quidem Pharaone & Herode longe peior & culpabilior. Illi enim corpuſcula tantum peremerunt, eorum ſanè paruulorum, qui nondum laudare Chriſtum nouerant. Hus uero innumeras in populo & ſimplici plebe animas, quæ paruulæ erant in Chriſto, per hæreſim (uti ſæpe dictum eſt) occidit, & a laude et cultu dei auertit, quæ prius ita deuotæ ac fræquentes fuerāt ubiꝗ in templis & Monaſterijs, ut de eis, ſicut de pueris Hebræorum potuerit Christus dicere. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Denique fuit Hus ſpiritualiter etiam Cyclops & Leſtrygon, immaniſſimus hominum uorator, qui cateruatim plebes plurimas, ex ſeptis & ouilibus Chriſti et Eccleſiæ, fraude abductas, aut ui abreptas, faucibus ſuis deuorans, Orco demiſit in receſsum ſempiternum. Nam ſepulchrum patens erat guttur eius, quando in publicis prælectionibus & Concionibus lingua ſua doloſe agebat, inſufflans auditoribus ſuis fel Draconum & uenenum Aſpidum inſanabile, Et ſtylus eius erat ferreus, qui ſanguine inebriatus, deuorabat non ſolum ſpiritualiter animas, ſed etiam corporaliter carnes humanas, & eas quidem tantas et in tanto numero, quantas nullus unquam deuorauit Cyclops Æthnæus, aut Leſtrygon Formianus. Quot enim crudeliter interēpti ſunt ab Huſsitis pij caſtique ac Deo conſecrati miniſtri, ſacerdotes et monachi? Quot ex Catholica plebe Laici? quot mulieres? quot uirgines? quot pueri, etiam infantes, tum in ipſo regno Bohemiæ, tum in confinibus Germaniæ prouincijs? Ecce quantum & quam fertile ſcelerum immaniſsimorum, & grauiſsimarum culparum crimen eſt hæreſis, unum ex peccatis Ioannis Hus, quem uelut ſanctum & Martyrem Chriſti, colunt & prædicāt cęci & Dei iudiciorum, quæ in ſcripturis panduntur, ignari Huſsitæ, tum ueteres tum noui. Cui ſane peccato ſi cætera eius ſcelera connumerētur, arbitror equidem tantam coram Deo culparum molem fore, quantā neꝗ Cain aut Chā, neꝗ Iſmael aut Eſau, neꝗ Pilatus aut Herodes, ne Iudas quidē Scarioth habuiſſe legit. Quantū enim ſcelus eſt, ſchiſma in Eccleſia & populo Dei unanimi excitare? Hoc ſane tam immane eſt, ut nec ſanguine dilui, nec igni expiari queat, Quemadmodum

Infanticida

Matth. 21

Pſalm. 8

Cyclops

Pſal. 5.

Deut. 32

Quam grauis peccator Io. Hus

Peccatum Schiſmatis.

1.Reg.15 modum ſupra ex Cypriano martyre & Paulo Apoſtolo demonſtratum eſt. Quam grauis uero eſt inobedientiæ culpa? De qua diuina ſcriptura manifeſte dicit. Quoniã quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus Idolatriæ, nolle acquieſcere. Neque item leue crimen aut peccatum eſt ſeditio, cuius multipliciter reus fuit Ioannes Hus, tum uiuus tum mortuus, adeo ut etiam Germaniæ diuerſi motus & Agricolarum ſeditiones, uarijque in ſacro Imperio tumultus, & quicquid eſt malorum, quæ per libros Hußiticos apud nos excitauit Lutherus, poſsint Ioanni Hus (ut infœlici eius animæ timeo) coram Deo imputari, & eius doctrinæ accepta referri debeant. Seditiones uero & rebelliones innumerę, quæ inclytum Bohemiæ Regnum pernicioſiſsime ſupra quinquaginta annos perpetuo, uiuo & mortuo Hus, uexauerunt ac deuaſtarunt, quis dubitet ei coram Deo imputandas eſſe? Ex eius enim doctrina, quã e libris Vuiclephi mutuauerat, facti ſunt rebelles ſuis paſtoribus oues, Abbatibus Monachi, Epiſcopis Clerici permulti, quibus noua placebat libertas. Sed & Senatui Pragenſi male parebant Ciues Hußitani, & ipſis Regibus Nobiles & Barones Regni, propter ſuum Hus, pleriq; reſtiterunt. Quemadmodum in ſequenti rerum geſtarum ordine hiſtoria enarrabit. O ſanctum igitur Bohemiæ Martyrem & Patronum Ioannem Hus, qui per hęreſim ſceleſtior fuit (ut dictũ eſt) uel flagitioſiſsimis Paganis, ac tot præterea criminum publicorum reus extitit, ut rogus ille Conſtantienſis non poſsit recte cenſeri ſufficiens ſcelerum ultio, & perfidiæ pœna finalis, ſed initium potius & guſtus quidam ignis æterni, in quo miſerrima illa anima cruciabitur, & quidem quotidiano cum incremento pœnarũ uſq; in ſempiternũ. Sicut em̃ Arrij pœna indies (ut ait Hieronymus) creſcebat, ita & Vuiclephi ac Ioannis Hus reatus indies augetur, quanto plures animæ per eorum doctrinas in æternum pereunt, quarum ſanguinem Deus per ſuppliciorum iuſta augmenta de manibus eorũ exquirit. Arbitror itaq; iam non opus eſſe, priuata huius Pſeudomartyris peccata, ad confutandã & confundendã eius ſanctitatem, commemorare, quæ certe neq; pauca neq; parua fuerunt, ſi diligentius excutiantur. Qualia quidem ſunt, maledicentia in Papã & Epiſcopos, alioſq; Prælatos Eccleſiaſticos, odium & inuidia in Clerũ Catholicum, faſtus & elatio mentis, ſęua criminãdi et calumniandi libido, Doctorũ ſugillatio, amor et admiratio ſui, contemptus aliorũ, aura popularis, uana gloria, mẽdax hypocriſis, ſimulata ſanctitas, & id genus alia uitia ſpiritualia, quæ apud Deũ, ſpirituum cognitorem et iudicem, grauioris ſunt culpæ (quantacunque fuerit mundicia uitæ exterioris) quã carnalia, quæ uidet & iudi

Seditiones per Io. Hus excitatæ.

Rebelliões

Peccata priuata Ioannis Hus.

cat

populus. Nunc cordati lectoris eſto arbitrium periculo ſuo, an Eccleſiæ Catholicæ, totque Rom. Pontificum (quorum eſt iudicare de talibus) iudicio, & hiſtoricorum teſtimonio, aduerſus cæcum Huſsitarum & deceptæ plebis iudicium, de Ioanne Hus credere & acquieſcere uelit, an non. Ego quod meum eſt feci, nullius mihi in illum uel odij uel inuidiæ conſcius, ſed pro honore atque amore ueritatis, ac zelo ſalutis animarum, quantum ex ſcripturis ſacris, & fide dignis hiſtoriarum ac ueterum monumentorum teſtimonijs intelligere poſſum, ſcripſi ut ſentio: Iudicet unuſquiſque ut uelit, Ego Eccleſiæ & Roma. Ponificum Alexandri V. Ioannis xxiij. Martini V. Eugenij iiij. Nicolai V. Calixti iij. Pij ij. & Pauli ij. atque ſucceſſorum eorum omnium (ne uno quidem excepto) iudicio reuerenter & ſecurè acquieſco. Certe Huſsitis nouis apud nos in Germania, tanto minus hac de re credo, quanto magis ardent im pio in Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam ſedem odio, quã Huſsitæ ueteres: & quanto minus noui, quã ueteres, illarum rerum cognitionẽ habent. Quamuis enim uetus ille Huſsita (ex cuius hiſtoria quædã recitaui ſupra) merito habeatur ſuſpectus, ꝙ plurima in fauorẽ ipſius Hus, & in odiũ Patrũ Concilij, aſtute concinnauerit: longe tñ uerecundius loquitur, quã impudẽs in Germania Huſsita nouꝰ, Otto Brunfelſius, Apoſtata Cartuſianus, qui aliquot inſanos et infam es libellos, Ioanni Hus adſcriptos per Chalcographiã ædẽs, Vitam Io. Hus in hęc uerba deſcripſit. Ioannes Huſs, renaſcẽtis Eccleſiæ Ieſu Chriſti Apoſtolus, uir ſapientia, doctrina, uitæque incul patæ præſtantia clarus, populum Bohemicum fide inſtituit, Diſcipulus Vuiclephi, uiri item ex ęquo ingenio doctrina & prudentia præditi, Pręceptor Hieronymi Pragenſis, cuius quoque integritati, eruditioni & eloquentiæ docti ſubſcribunt: Fidem Ieſu Chriſti teſtatus eſt in Concilio Conſtantienſi, ubi damnatus ab imprijs Sophiſtis, ſpiritum Deo reddidit autori, quieſcens in Domino. Ecce qualia ſunt hæc reprobi Apoſtatę uerba: In Catholicam ſane Eccleſiam Chriſti non ſolum contumelioſa & falſa, uerumetiam impia & blaſphema. Nam quaſi Eccleſia Chriſti ad tempus aliquod mortua fuerit, uocat eam renaſcentem: aut quaſi non ſit plene per baptiſmũ renata in Chriſto, dicit renaſcentem. Et dignitatem Apoſtolatus temere abſq; omni autoritate & teſtimonio, tribuit infœlici hæretico: Quam ſane dignitatẽ neq; Chriſtus lxxij. diſcipulis ſuis, neq; Eccleſia ſanctiſsimis martyribus aut confeſſorib. tribuit, quia ſcriptũ eſt, in Aopocaly. Ioannis. Et murus ciuitatis habens fundamenta xij. & in ipſis xij. nomina, xij. Apoſtolorum & Agni. Ad quos in Euangelio Agnus ille dixit. Sedebitis & uos ſuper ſedes xij. iudicantes

Nouis Huſsitis minus credendũ quam ueteribus.

Verba Otonis Brunfelſij.

Reprobatio.

Apoc. 21

Matth. 19

Examinatis dictis teſtium & recitatis articulis erroneis, in Patrũ conſeſſu, Cardinalis Cameracenſis, Iudex cauſæ deputatus a Concilio, dixit ad Ioannem Hus. En uiæ duę propoſitæ ſunt tibi, ut ex his eligas unam. Aut enim te offeras omnino totum in poteſtatem & gratiam Concilij, eiuſq; decretis ſuper hac re acquieſcas. Ita nanque fiet, ut Concilium ob honorem Domini noſtri Regis Romanorũ nunc præſentis, ac fratris eius Bohemiæ Regis, clementer acturum ſit tecum. Aut ſi ex dictis articulis, quoſdam tenere ac defendere intendens, deſideres aliam audientiam, concedetur tibi quidem, ſed tum ſcias hic eſſe tam magnos & illuminatos uiros, qui fortiſsima habent aduerſus articulos tuos fundamenta, uerendum eſt, ne inde grauioribus inuoluaris erroribus. Id ergo conſulendo tibi dixerim, non ut iudex. Tum alij uehementer eum exhortabantur, ut iuxta Domini Cardinalis conſilium, ſeſe prorſus ſubderet Concilio ad gratiam. Ad hæc Ioannes Hus humiliter inclinato capite reſpõdens ait. Se eo ueniſſe, non ut pertinaciter quicquam aſſereret, ſed ut à Concilio informationem meliorem, ſi erraret, acciperet. Cunque nonnulli dicerẽt, ipſum callide loqui, quod uelit ſubiectus quidem eſſe informationi Concilij, ſed nõ eius ſententiæ & correctioni. Imo ait ipſe, non ſolum informationi, ſed et ſentẽtiæ et correctioni. Tũ Cardinalis Cameracenſis ad eũ dixit. Si ergo informationi Concilij te ſubdis, ſcire debes, eam iamdudũ factam eſſe a xl. Doctorib. quorũ nonnulli diſceſſerunt. Aduenerunt interea Pariſiẽſes, quorũ ſane ſententia hęc eſt, Primũ, ut ex commiſsione Cõcilij, abſq; omni contradictione, humiliter agnoſcas errorẽ tuũ circa articulos illos à te hactenus aſſertos. Deinde ut eos abiures, ita quod eos nunquam poſthac uelis tenere, prædicare aut docere. Tertio, ut eos publicè reuoces, quos hactenus tenuiſti, prædicaſti ac docuiſti. Ad hęc reſpondit Hus. Se quidem paratum eſſe, ut humiliter pareat Concilio, ſed rogare, ne cogatur mentiri, ut eos abiuret articulos, de quibus, teſte Deo & conſcientia ſua, nihil unquam ſciuerit, neq; unquam illi in cor ſuum deſcenderint, tantum abeſt, ut eos unquam prædicauerit aut docuerit, licet teſtes de ijs contra ipſum depoſuerint, præſertim de eo, quod in Sacramento altaris poſt conſecrationem remaneat ſubſtantia panis materialis. Abiurare autem eſt, ſicut quondã apud Catholicon legi (inquit) ſiquis iuret et reuocet errorem, quem quondam tenuit. Cũq; hac de re multis uerbis diſceptarent, ait ipſe Rex ad Ioannem Hus. Audi Ioannes Hus. Cur non uis omnes erroneos articulos abiurare, quos aduerſum te male (ut tu dicis) depoſuerunt teſtes? Ego tamen eos abiurare uolo & abiuro iam omnes tuos errores, quod nullum eorum tenere uolo, non quod ullum eorum tenuerim prius. Reſpondit Hus. Clementiſsime Domine Rex,

Verba Hiſtorię de Ioanne Hus.

Sententia xl. Doctorum & Pariſienſium.

Verba Regis Sigiſmũdi ad Ioan. Hus.

hoc uerbum abiurare non ſonat ad hunc caſum. Tum Cardinalis florentinus ait, Magiſter Ioannes, proponetur tibi ſufficiens & idonea formula, ſecundum quam eos abiures articulos, & tunc poteris deliberare quid ſis facturus. Et Rex. Ioannes Hus, ecce duæ (inquit) uiæ propoſitæ ſunt tibi. Nempe ut abiures & reuoces errores hic condemnatos, ſubdaſq; te gratiæ Concilij: ſic fiet, ut Conclium aliquid gratiæ tibi exhibeat. Si autem dictos errores de cætero defendere uolueris, Concilium & doctores habent iura ſua, quidnam tecum finaliter agere debeant. Et hoc altero quoq; die repetens ait, Quod tibi heri dixi, nunc iterum dico, non poſſum ſæpe repetere, ætatem habes, ſi uis percipe. Audis Dominos tibi duas propoſuiſſe uias. Primo, ut omnino commendes te in gratiam Concilio, & quanto citius tanto melius, Atq; reuoces & abiures omnes eos articulos, qui in tuis ſcripti ſunt libris, & alios quos tenuiſti, de quibus ſufficienter conuictus es teſtibus. Scimus enim ſcripturam dicere, In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne uerbum. Iam multi aduerſum te teſtificati ſunt ſuper quibuſdam articulis, & ij ſunt uiri præſtantes ac docti, Ac pro erroribus illis debes pœnitentiam corde contrito ſuſcipere, ſecundum quod tibi Concilium proponet. Et debes contra errores illos prædicare, docere & ſcribere, & iurare, q̃ de cætero nihil uelis pertinaciter tenere aut defendere, quod euiſmodi erroribus conforme eſſe queat. Si autem illos adhuc uis temerarie tenere ac defendere, Concilium aduerſus te procedet iuxta tenorem ſuorum Canonum. Hęc Rex in Concilio, uti recitat hiſtoria Innominati ſcriptoris. Quæ in Teuthonica translatione hunc habet titulum. Hiſtoria et ueracia Acta, quomodo ſanctum Euãgelium ſimul cum Ioanne Hus, In Concilio Conſtantiæ per Papã, & ſuos adhærentes publice damnatum ſit, Anno a Natiuitate Chriſti 1414. Breuis quidem eſt hic titulus, multa autem mendacia comprehendit. Primum, quando ait, ueracia acta. Secundum, quod Euangelium damnatum ſit. Tertium, quod hoc factum ſit per Papam: Cum conſtet ex actis Concilij publice approbatis, Ioannem Hus damnatũ & combuſtum fuiſſe, ſede uacante. Quartũ quod ait, anno 1414. Cum factum ſit anno 1415. Hęc ideo retulerim, ut lector hinc quoq; intelligat, quanto maligniores ac mendaciores ſunt Huſsitę noui in Germania, quam fuerunt ueteres in Bohemia, licet illis quoq; non poſsimus ſecure credere in ijs, quæ de Papa & Clero ſcripſerunt. Nam & ipſi odio accenſi, maximam in eos malignitatem & ſæuitiam exercuerunt: Et in Ioannem Hus nimio amore propenſi, recte iudicare de eo non potuerũt, ſed per hæreſim excęcati & in reprobum ſenſum traditi, dixerunt malum bonum, & tenebras

Deut. 19

Titulus hiſtoriæ cuiuſdã Huſſitę.

Reprobatio.

bras

bras lucem. Cæterum cordatus lector ac ſtudioſus ueritatis inquiſitor, ex uerbis Cardinalium Regiſq; Sigiſmundi & ipſius Io annis Hus, iam ſupra recitatis, facile intelliget: Nihil iniquum aut cō tra iuris ordinem & inſtitutū, a Rege & Cardinalibus Ioanni Hus propoſitum fuiſſe. Eum uero doloſis ambagibus & tergiuerſationi bus, non ad æquitatem iuris, neq; ad ueritatem rei reſpondiſſe, ſed ad euadendum uarios quæſiuiſſe cuniculos & prætextus, quibus nihil proficiens, maluit tandem ſuperbe mori in peccatis & erronib. quam humiliter de peccatis pœnitentiam coram hominibus agere, & errores ſuos (quos ex Vuiclephi libris hauſerat) agnoſcere, ac publice reuocare & abiurare. Quot enim technis ad euadendum uſus fuit? Etenim priuſquam e Bohemia diſcederet, præparauit ſibi uaria Inſtrumenta, ſuper reſponſis & actis quibuſdam, metu extor tis Pragæ. Deinde poſtquam Conſtantiam uenit, & uidit intrepide ſubſecutos poſt ſe aduerſarios ſuos, graues & doctos uiros, Docto res et Prælatos Bohemos, eoſq; conſtanter agere & teſtificari con‑ tra ipſum, aufugit clā in curru ſtraminibus undiq; tectus. Retractus uero ui, & munito in carcere diligenter cuſtoditus, uarijs literis & querelis per Nobiles & Comites uiæ ſuæ, odioſe contra Papam & Concilij Patres compoſitis & præſentatis, atq; etiam ad excitandum in plebe & Nobilitate murmur, publice ad ualuas affixis, quæſiuit e carcere liberari. Cum autem nec precibus ſupplicantium, nec expo ſtulationibus comitum ſuorum, de uiolato ſaluo conductu (nam per fugam uiolauerat ipſe prior) nec querulis obteſtationibus per Maieſtatem regiam, nec minacibus literis Nobilium Bohemorum quorundam, neq; etiam periculoſis (ne dicā ſeditioſis) ad publicas ualuas intimationibus & querelis, ad excitandum murmur in popu lo contra Eccleſiaſticos, poſſet liberari, aliam excogitauit, in aſtutia callidus homo, uiam euadendi. Quippe ſcripſit in carcere ua‑ rios de pietate Chriſtiana libellos, quibus ambibat & aucupabatur gratiam & fauorem Cuſtodum carceris, magno pietatis fuco, & ſi‑ mulata (ut credere par eſt de obſtinato hęretico) ad Chriſtum deuo tione, in hypocriſi loquens, ac beneuolentiam captans, ut Cuſtodes amore & miſericordia moti, ipſum clam dimitterent. Libros ergo, quos ibi ſcripſit, enumerat laudatorius ille eius hiſtoriæ ſcriptor Innominatus, quos eum abſq; librorum adminiculo ſcripſiſſe affir‑ mat. Nempe libellum in Pater noſter. Interpertationem X. præce‑ ptorum Dei. Libelllum de Sacramento corporis Chriſti, Libellum de ſtatu Matrimonij. Libellum de pœnitentia. Libellum de tribus inimicis hominis. Libellum de peccato & eius origine. Libellum de amore & cognitione Dei, & id genus multos ſalutares (ut ſcri‑ ptor

Technæ Ioa. Hus ad euadendū.

Libri Ioan. Hus in carcere ſcripti.

ptor ille ait) libellos. Mirari profecto licet, eam practicam non ſucceſsiſſe melius illi, miro caſu tam oportune pro ea tunc accidente. Erant quippe Cuſtodes illi ex familia Papæ Ioannis xxiij. Cui traditus fuerat Hus diligenter cuſtodiendus. Accidit autem, ut ipſe Papa, feria quarta ante Dominicam palmarum, mutato habitu, clam aufugerit è Conſtantia, per quatuor Miliaria, in oppidum quoddã (cui nomen Schafhuſen) Ducis Auſtriæ Friderici, quem & familia protinus eſt ſequuta. De qua ſane familia & carceris cuſtodes erãt, quibus ſupradictos libellos Hus in carcere ſcripſerat. Illi tamen, licet fugitiui, eum non emiſerunt, ſed claues carceris tradiderunt Regi & Concilio, Quod equidem ſingulari Dei nutu & prouidentia factũ eſſe arbitror, ne Hus in Bohemiam rediens, maiora perpetraret aduerſus Clerum & Eccleſiam mala, quam unquam perpetrauerat antea. Niſi enim id diuina diſpoſitione contigiſſet, Cuſtodes illi magna a Bohemis Huſsitis, præſertim a præpotentib. Baronibus, munera conſequuturi fuiſſent, ſi e carcere Ioannem Hus ea occaſione dimiſiſſent. Tot igitur attentationibus fruſtratus Hus, ubi iam de ſua cauſa cœptum eſſet agi, tum illa produxit Inſtrumenta teſtimoniorum, quæ in Bohemia, partim metu Cleri, partim fauore adhærentium, obtinuerat. Illis autem iure ac merito ſuſpectis & reiectis, cum urgeretur uiuis præſentium teſtium depoſitionibus, ad tergiuerſandum, negandum, interpretandum, excipiendum, ſimulandum atq; alias id genus artes & uafricies litigantium ſe conuertit. Tam callide enim reſpondit ad articulos dogmatum Vuiclephi, ut quouis angue aut anguilla ad euadendum lubricior uideretur. Ad articulos uero factorum & exceſſuum reſpondit, uel mitius interpretando, uel impudenter negando, aut in alios culpam reijciendo. Etenim Vlricus Reichental, teſtis ocularis & Ciuis Conſtantienſis, affirmat, & Ioannem Hus & Hieronymum Pragenſem promiſiſſe Doctoribus, qui eos in carcere uiſitauerant, uelle ſe & hæreſes reuocare, & contrarium prædicare. Ob id itaq; compulſatum fuiſſe ter omnibus in urbe campanis, in ſignũ lętitię, loco cantici, Te Deũ laudamus. Deinde cum celebraretur ſeſsio, concluſum fuiſſe, ut ambo retinerentur in Sueuia, ne unquam reuerterentur in Bohemiam, Vtrique autem prouideretur honeſte in aliquo Sueuiæ Monaſterio, ubi ſingulis daretur ſumptus pro ſenis perſonis. Ita tamen, ut uterq; manu propria conteſtaretur ſe erraſſe, & a recta fide declinaſſe, idq; ſcriberent ambo in lingua quoq; Bohemica. Illi uero dixerunt, ſeſe facturos cætera libenter omnia, Verum ſcripturam in Bohemiam nollent mittere, ne è cœlo retraherent eos, quos diuina ſua doctrina Deo lucrati eſſent. Hæc ille Reichental, qui præſens tum aſtitit atq; omnia

Fuga Papæ e Conſtantia.

Calliditas Io. Hus ad euadendũ.

omnia audiuit, ac uidit ut aſſerit. Rex ergo, uidens inſidum & uafrum eius ingenium, Inſtar Prothei aut Chameleontis, in omnē formam uertibile, ad omnem decipiendi occaſionem intentum, ad iram & uindictam pronum, & in omnem rebellionem procliuum, denicꝫ ad aſſerēda Vuiclephi dogmata pertinax et obſtinatum: hac fertur ad Patres oratione (quæ in dicta recitatur hiſtoria) rem ad finem perduxiſſe. Audiſtis Reuerendiſsimi Domini, multa ex Ioannis Hus libris excerpta, quæ & ipſe confitetur, & ſufficienter teſtibus conuicta ſunt: è quibus uel unum ſatis foret, ad condemnandū ipſum. Quapropter ſi noluerit eos errores reuocare et abiurare, poteritis contra illos decernere, ut ipſe comburatur, aut agere cum eo iuxta iura ueſtra, ſicut ſcitis. Scire quocꝫ debetis, illi, etiā ſi multa uobis promiſerit ſe reuocaturum eſſe, atcꝫ etiam ſi hic reuocauerit, credendum non eſſe, Ego ipſe quocꝫ ei credere nollem. Nam ſi rediret in Regnum Bohemiæ ad amicos et fautores ſuos, & iſtos et multos alios errores diſſeminaturus eſſet, & fierent nouiſsimi errores peiores prioribus. Ante oīa igitur interdicite ei prędicandi munus, & ne de cætero ueniat ad amicos & fautores ſuos, ne errores iſtos amplius dilatet. Et eos articulos, qui hic condemnati ſunt, mittite in Bohemiam ad fratrem meum, Atcꝫ etiam in Poloniam & in alia quocꝫ loca, ubi nunc habet occultos ſuos diſcipulos & fautores, Vt quicuncꝫ comperti fuerint eiuſmodi tenere articulos, per Epiſcopos & Prælatos illarum terrarum caſtigentur, ut uenenum iſtud penitus extirpetur. Et ſcribat Concilium Regibus & Principibus, ut eo magis faueant Prælatis ſuis, quod in hoc ſacro Concilio tam ſtrenuam nauarunt operam, ad deſtruendam hæreſim iſtam. Idcirco finem facite, etiam cum alijs occultis eius diſcipulis, Ego enim breui hinc diſceſſurus ſum. Hæc Rex Sigiſmundus ad Patres Concilij in Refectorio Monaſterij fratrum Minorum Conſtantiæ. Die viij. Iunij, Anno Domini M. ccccxv. Miſsis itacꝫ poſt aliquot dies ad Ioannem Hus in carcere cuſtoditum, quatuor Epiſcopis & Nobilibus quibuſdam Bohemis, qui eum finaliter & ad extremū interrogarent, quidnā facturus tandem eſſet, an reuocaturus et abiuraturus errores ſibi ſæpe indicatos nec ne: Vbi ille flens & magnam pietatē atcꝫ humilitatem præ ſe ferens, ambagibus ageret, nihil certi reſpondens, conſtituta eſt ei dies Iudicij, in Octauam Petri & Pauli Apoſtolorum, quæ eſt dies ſexta menſis Iulij. Eductus ergo die illa e carcere per Epiſcopum Rigenſem, & introductus in Maiorem Eccleſiam Conſtantieſem, ubi plena erat ſeſsio Concilij, præſente etiam ipſo Rege in habitu Imperiali & regali corōna, circunſtantibus ſacri Ro. Imperij Principibus Electoribus, iuxta ordinem & officium

Oratio Regis Sigiſmūdi ad patres contra Io. Hus.

Dies iudicij contra Io. Hus vi. Iulij

ſuum cum ſceptro, pomo aureo & gladio: alijſq; Principibus & Proceribus Imperij, pro more ſolenni: Admonitus eſt iterum iterumq;, ut erroneos Vuiclephi articulos, præſertim illos xlv. qui toties & in tam multis locis damnati fuerant, reuocaret et abiuraret. Ipſe uero poſt longas ambages & excuſatorias tergiuerſationes, ſtulte in perniciem ſuam fatebatur, ſe non poſſe (renitente conſcientia ſua) condemnare præſertim tres iſtos Vuiclephi articulos. Syluefter Papa & Conſtantinus Imperator errauerunt, quod dotauerũt

Vuicleph articulo 33. 4. & 19.

Eccleſiam. Item, Si Papa aut ſacerdos in mortali exiſtat peccato, nõ ordinat, non conſecrat nec baptizat. Item decimæ ſunt puræ eleemoſynæ.

a'iss ✝ Landen ſis.

His auditis, in pulpitum aſcendens Epiſcopus ✝ Londonienſis, præclarum habuit ſermonem ad Patres Concilij de hæreticis, pulchre declarans, Nihil in orbe terrarum peſtilentius eſſe hæreſi. Proinde omnes Reges & Principes Chriſtianos maxime obligari ad hoc, ut ad hæreſes extirpandas Catholicis Prælatis aſsiſtant opẽque ferant. Finito autem eo ſermone, ſurrexit Henricus de Piro, Procurator Concilij, petens, ut contra Ioannem Hus procederetur ſicut iuris eſt. Lectus eſt ergo Proceſſus aduerſus illum, longa ſerie rebellionem, contumaciam, clauiumq; contemptum, & in hæreſi pertinaciam eius complectẽs. Quo perlecto, pronunciata eſt in eũ ſententia diffinitiua Generalis Concilij. Poſtea celebrata eſt

Degradatio Io. Hus.

a ſeptem Epiſcopis ſolenniter eius degradatio, dum eſſet indutus omni ornatu ſacro, tanquam Miſſam celebraturus. Sed antequam illis exueretur, rurſus admonitus eſt, ut reuocaret & abiuraret. Ipſe uero ſuper menſam aſcendens, & ad circunſtantem populum conuerſus, alta uoce magno cum dolore proclamans ait. En iſti Epiſcopi hortantur me ad reuocandum & abiurandum, quod ego facere horreſco, metuens, ne in conſpectu Dei fiam mendax, & lædam cõſcientiam meam ac ueritatem Dei, Cum ergo articulos iſtos nunquam tenuerim, quos falſi teſtes contra me depoſuerunt, ſed contrarium tenuerim, docuerim, ſcripſerimque & prædicauerim. Hæc autem falſo & ſeditioſe, ad excitandum murmur et tumultum in populo, uociferans, iuſſus eſt ſilere & de menſa deſcendere. Incipientes ergo eius degradationẽ ſeptem Epiſcopi, primo è manibus eius tulerunt ſacrum calicem, deinde planetam ſeu caſulam, poſtea ſtolam &c. pronunciantes ad ſingula dum auferrent, ſolenni ritu quædam dira & horrifica uerba maledictionis. Quale eſt illud. O Iuda maledicte, quare dereliquiſti conſilium pacis, & iniuiſti conſilium cum Iudæis: Vti narrat innominatus ille eius hiſtoriæ ſcriptor. Qui multa ibi adiungit, in fauorem & commiſerationem depoſiti, in odium uero deponentium & totius Concilij, quibus mihi ſuſpectus habetur,

tur,uelut Huſsita & oſor Cleri. In actis uero Concilij ea non haben tur. Nominãtur autem ibi ſeptem Epiſcopi,quibus depoſitio illa cõ miſſa fuit. Videlicet Mediolanenſis,Feltrenſis✝ Aſtetenſis,Alexan drinus,Bagarenſis &✝ Vanrenſis. Deinde ſubiunguntur hæc uer ba. Hęc ſancta Synodus Conſtantienſis,Ioannẽ Hus,attento quod Eccleſia Dei non habeat ultra quod agere ualeat,iudicio ſæculari re linquere,& ipſum Curiæ ſæculari relinquendum fore decernit. ✝Aſtenſis. ✝Vuarmienſis

His peractis,Rex ait ad Ducem Bauariæ Ludouicum Electorem, qui pomum aureum tenebat. Vade,Recipe eum. Qui recipiens illũ tradidit eum lictoribus, capite tonſum & alto pileo papyraceo co ronatum,cui inſcriptum erat. Hic eſt Hæreſiarcha. Dum ergo duce retur ad locum pœnę,uidens in Cimiterio libros ſuos comburi ſub riſit, propter eam ſtultitiam, ut ait ſcriptor ille. Inter eundum uero, ad circunſtantes queribundus proteſtabatur, ſe ad mortem duci, propter errores ſibi falſo imputatos a falſis teſtibus,qui ſibi capita les fuerint inimici. Cumq; ad rogum perueniſſet,procidit in terram, & flexis genibus,leuatiſq; in cœlum oculis ac manibus,orans dixit quoſdam Pſalmos. Velut Miſerere mei Deus,& In te Domine ſpe raui. Ductus deinde ad circunſtantem populum(ut moris eſt)iterũ proteſtatus eſt,ſicut prius, obteſtans omnem populum,ne crederẽt ipſum tales articulos docuiſſe aut prędicaſſe,quos falſi teſtes contra ipſum depoſuerint. Finito eo ſermone, ſuis a lictore exutus ueſtibus ligatis poſt tergum manibus, affixo in terram palo alligatus eſt in medio rogi. Priuſquam uero rogus incenderetur,adequitarũt Dux Bauariæ Ludouicus,& Dominus de Papenheim,admonentes eũ, ut adhuc reuocaret ac ſuæ parceret uitæ. Ille autem in cœlum reſpi ciens,iterum queſtus eſt,falſo imputari ſibi erroneos articulos, cum nihil docuiſſet niſi ueritatem Euangelij, in qua iam mori uelit. His ita dictis, incenſus eſt a lictoribus rogus. Priuſquã uero ignis flam ma ad ipſum perueniret,alta uoce bis cecinit. Chriſte fili Dei uiui mi ſerere nobis. Cumque tertio canere cœpiſſet,flamma a uento appul ſa, canenti uocem intercluſit atq; eripuit. Combuſto autem toto corpore,lictores collegerunt omnes rogi reliquias,cineres cum titi onibus,& per bigam cuncta deportantes,proiecerunt ea in Rhenũ proxime præterfluentem. Hæc ex hiſtoria ſuſpecti illius ſcripto ris, in Teuthonicum a nouis Huſsitis (qui peiores ſunt prioribus) translata. Io. Hus eductus ad ignem. Exitus eius

Multa quidem ex his magnam præſe ferunt ſpeciẽ pietatis,qualia ſunt,proteſtatio,oratio,manuum oculorũq; in cœ lum leuatio, Pſalmorum pronunciatio, & nouiſsimus ille cantus. Nec auſim hęc omnia negare facta,quia rei geſtæ non interfui,neq; contrarium in approbatis actis aut hiſtorijs legi. Veruntamen au Species pietatis ſine fructu.

ſim cum Paulo dicere, hæc omnia Ioanni Hus nihil ad ſalutem pro-fuiſſe, Quia tā grauis eſt culpa hæreſeos & ſchiſmatis, ut reo cætera quæ habet bona cuncta ad ſalutem inutilia reddat. Quemadmodū 1 Corinth.13. prolixe declaratum eſt ſupra. Hic ſufficiat illud uerbum Pauli repe-tiuiſſe. Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferā, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quod autem Hus charitatem non habuerit, manifeſte patet ex eo, quia Eccleſiā (corpus Chriſti) ſcidit, & ſectam introduxit. Quid uero magis eſt charitati contrarium, quam ſecta aut hæreſis? Charitas enim ea quæ diuiſa & diſperſa erant, unit. Iuxta illud Ioannis in Euangelio. Quia Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erāt diſperſi, congregaret in unum. Et illud Pauli ad Ephesios. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unum. Et iterum. Vt duos condat in ſemetipſo in unum. Hæreſis autem ea, quæ unita erant, diuidit ac diſpergit. Iuxta illud Chriſti in Euangelio. Lupus rapit & diſpergit. Et illud Pauli in Actibus. Intrabunt lupi rapaces, non parcentes gregi. Lupus autem eſt omnis hæreticus, & quanto doctior, tanto nocentior. Quia quo doctior, eo doloſius in hypocriſi & agere & mendacium loqui & ſcribere nouit. Eſto igitur quod Ioannes Hus, omnē illam ſpeciem pietatis uere et ex animo fecerit, Attamen cum lupus eſſet atq; hæreticus, in mortem uſq; pertinax, nihil ei ad ſalutem prodeſſe potuit, tum propter læſam charitatem, tum propter alias multas rationes ſuperius ad longum commemoratas. Nam ante ipſum, erat in Regno Bohemiæ unus in Chriſto populus, Idipſum dicebant omnes, idem de fide & religione ſapiebant omnes, in eodem ſenſu de Chriſto & ſanctis eius conſentiebant omnes, idem erat per omnes Eccleſias ubiq; ritus, una fides, eædem Cæremoniæ, eadem Sacramenta. Hus uero pulcherrimam illam unitatem ita ſcidit ac diſperſit, ut in hodiernum uſq; diē miſeranda permaneat in Bohemica gente diuiſio. Eſt autem diuiſio illa, tam grande ſcelus & immanis culpa, ut uel Mille rogi aut mortes hanc maculam eluere aut expurgare nequeant. Si ergo Hus opera illa, non fictè in hypocriſi propter uanam gloriam, ſed uere & ex animo & cordis deuotione fecit: miſerabilis profecto eſt ſua infœlicitate, quod tam multa & grauia pertulit fruſtra, dum miſerè à Vuiclepho deceptus, putaret ſe bene agere in tanto diuiſionis ſcelere. Sin uero fictè & in hypocriſi ſic fecit: ſiue ut laudem & uanam gloriam captaret, ut ab hominibus uideretur conſtans uir aut ſanctus, ac Martyr Chriſti, iuſtam recepit fictionis mercedem: ſiue ut per hæc Sectam ſuā in ſua doctrina, et in odio contra Clerum confortaret,

Hus extra charitatem mortuus.

Ioann.11

Ephesſ.2.

Ioann.10.

Act.20.

Ioāni Hus nihil ad ſalutem profuit.

Senītia in Io.Hus

fortaret, dignum nequitiæ exitum inuenit. Quocunque autem fe- cit & paſſus eſt animo, culpa æternæ mortis ei ſemper adhæret. Nā ſiue uere ſiue ficte ſic fecit, pertinax in ſenſu ſuo, et in diuiſiōis ſcelere in mortem uſq; permanſit, peccans per hoc in ſpiritum ſanctum fi- nali impœnitentia. Nullā igitur ſpem ſalutis ipſe ſibi reliquit. Quia peccatum illud, neq; in hoc neq; in futuro ſæculo remittetur. Quis autem dubitet eum pertinacem permanſiſſe, qui toties rogatus, ac tot modis a maximis & minimis admonitus, Vuiclephi Articulos (quos ſciebat a tam multis & magnis in Anglia, Pariſijs item, Ro- mæque ac Pragæ: Denique & Conſtantiæ in Concilio generali, publice magno cum examine diſcuſſos, damnatos fuiſſe) neq; reuo- care neq; abiurare uoluit. Quinetiam in examine teſtium, cùm Pru- tenus quidam dixiſſet, Ioanni Hus credendum non eſſe, etiamſi re- uocaret, eo quod Bohemiam egreſſus, retro ad ſuos epiſtolam miſe rit, in qua ſcriptum fuit, etiam ſi reuocare cogeretur, ore tantum, nō corde, reuocare uellet. Hoc Hus coram audiens, neq; diluit neq; ne gauit factum: Cum alioqui callidiſsime ad quælibet obiecta excuſa tionem aliquam afferret. Cum igitur in tam graui pertinaciæ & impœnitentiæ delicto mortuus ſit, & ob id damnatus & anathema tizatus ab Eccleſia in perpetuum exiſtat, non eſt pro eo a Chriſtia- nis orandum, quia in peccatis pertinaciter mortuus, nullā ſibi ſpem ſalutis reliquit. Ideo neq; ſanctus neq; martyr dici debet, multo mi- nus Apoſtolus Chriſti aut Eccleſiæ, ut fatue dictus eſt a Brunfelſio. Quandoquidem tot modis grauiſsime in Chriſtum & Eccleſiam peccauit, uti ſupra dictum eſt. Nec ullum unquam fecit miraculum neque in uita neque in morte. Qualia ſane per multa legimus feciſſe ueros ſanctos & Apoſtolos, ac martyres Chriſti. Certe ſi innocen- ter paſſus fuiſſet, Deus eam innocentiam (ad firmandam & dila- tandam fidem eius in populis) diuino aliquo miraculo declaraſ- ſet. Non enim fuiſſet ei difficile flammarum uim cohibere, ne corpus eius exurerent, ſicut fecerat apud Babylonem tribus pu- eris in camino ignis. Et ſicut fecerat B. Teclæ, diſcipulæ Pauli A- poſtoli, cui nec fuſtes nec beſtiæ nec ignes nocuerunt. Sed non ſo- lent diuina facere miracula hæretici. Et non debemus credere plus uni homini, quam toti Eccleſiæ, In cuius medio Chriſtus eſt, quam proinde Paulus non dubitat dicere columnam & fir- mamentum ueritatis.

Hus perti- nax ſine ſpe ſaluus.

Matth. 12

Nō eſt pro Io. Hus o- randum

Danie. 3

Matth. 18
1. Timo. 3

Vlricus Reichental ſcribit, Ioannem Hus combuſtum eſſe cum omnibus, quæ apud ſeſe habebat, cum ueſtibus, cingulo, loculo, ca- ligis, calceamentis &c. Exortum autem fuiſſe ibi teterrimum odo- rem, eo quod in eo combuſtionis loco defoſſum fuerat paulo

ante cadauer muli cuiuſdam Cardinalis, cuius fœtor calefacta per ignem terra exhalabat. Cineres uero & quicquid combuſtioni reliquum fuerat, in Rhenum a lictoribus proiecta fuiſſe. Addit idem autor (qui præſens interfuit atque omnia uidit) tantam fuiſſe populi multitudinem, quæ ad ſpectaculum iſtud exibat, ut neceſſarium fuerit, circa portam conſtitui uiros, qui detinerēt reliquā multitudinem, donec pars una turmatim pontem tranſiret, ne pons ex preſſura populi rumperetur. Addit, Ioannem Hus interrogatū fuiſſe, an confiteri uellet, in eo mortis articulo conſtitutus, eumque annuiſſe ut confiteretur. Verum ubi ſacerdos prӕmonuiſſet eum. Nihil profutura ſibi Eccleſiæ ſacramenta aut claues, niſi ab hæreſi ſua reſipiſceret, illum reſpondiſſe, Non opus eſſe ſibi confeſsione cum non eſſet in aliquo peccato mortali. Deinde uoluiſſe eum Teuthonice ad populum concionari: At Ducem Bauariæ Palatinum Electorem id prohibuiſſe, & dixiſſe lictoribus, ut exequerentur iuſtitiam, eumque comburerent.

Nemo Peſtilentior fuit Bohemię quam Hus.

Non igitur hoſtis aut inimicus Bohemorum aut Inclyti regni Bohemiæ cenſendus eſt, qui zelo fidei & amore ueritatis, Ioannem Hus manifeſtum & ab omnibus Nationibus in Concilio damnatum hæreticum, negat eſſe ſanctum aut martyrem Chriſti. Conſtat enim ex hiſtoria & rerum euidentia, nullum unquam fuiſſe mortalem, regno Bohemiæ nocentiorem aut peſtilentiorem, quam Hus ille fuit. Ipſe enim Celeberrimam Vniuerſitatem Pragenſem (in qua X. immo ſecundum quoſdam XXX. Milia ſtudentum ante Huſsiticam peſtem, aliquando ſimul fuiſſe dicuntur) deſtruxit primus, ſicut & in teſtium depoſitionibus contra eum conqueſtus fuit Doctor Naſo, Conſiliarius Regis Vuenceslai, Quia Rex tribus Nationibus iam promiſerat, ſe permiſſurum, ut antiquis uterentur & gauderent priuilegijs, quæ a patre ipſius Imperatore Carolo IIII. acceperant. At Hus cum Hieronymo ſuo alijſque complicibus ſuis poſtea ſuperueniens, Regem in aliam traxit (quemadmodum & ſupra narratum fuit) ſententiam, nempe, ut Natio Bohemica haberet deinceps tres uoces, aliæ autem ſingulæ unam. Qua iniuria moti aliarum Nationum Magiſtri cum diſcipulis diſceſſerunt, Duo Milia Lipſiam, Tria Milia (ut nonnulli dicunt) Erfordiam. Hoc ergo ingens malum, deſolationem ſcilicet tam præclaræ Vniuerſitatis primus inuexit patriæ Hus, propter dogmata Vuiclephi, hominis hæretici & alienigenæ. Deinde induxit diuiſiones in populis, grandiſsimum ſane peccatum, & malum quouis bello & omni calamitate pernicioſius. Quid dicam de Infamia, quam patriæ apud omnes Nationes pepererat; ſicut Rex ipſe publice contra eum fue-

Quantum malum diuiſio in fide

rat

rat conqueſtus,& ob eam infamiam abolendam,Hus ipſe Conſtan tiam ab utroque Rege Vuenceslao & Sigiſmundo fratribus miſſus fuit.Quis excitauit tot Pragæ ſeditiones contra Clerum,contra Se- natum, & contra Regem ipſum? Quis tot ſpoliauit ac deuaſtauit templa & Monaſteria?Certe ſi Hus Vuiclephi dogmata non diſſe- minaſſet in florentiſsimo illo Regno, ea mala, & infinita alia, quæ paulo poſt(Deo dante) commemorabuntur, ſubſequuta non fu- iſſent. Si ergo ueritatem loqui,& rem ipſam recte inſpicere uolunt Bohemi,nunquam habuerunt maiorem hoſtem,qui patriæ et Reg no plus nocuerit,quam nocuit Io.Hus. Ideo iuſte ac merito pro Concluſio. hoſte Regni, & calumniatore gentis eum habere debent, qui tantã peſtem & maculam regni & gentis, pro ſancto aut martyre Chriſti colendum eſſe contendit,ſi modo pro ueris Chriſtianis haberi uo- lunt. Longe enim minor infamia eſt, Bohemum quendam fuiſſe hæreticum, quam Bohemos pro ſancto uenerari publice damna- tum in generali Concilio & combuſtum hæreticum. Hoc enim eſ- ſet uniuerſale uitium gentis, illud particulare unius hominis eſt, quod genti aſcribi aut imputari non debet. Quemadmodum igi- tur ſine iniuria & opprobrio gentis & regni Angliæ dicimus Vui- clephum Anglum fuiſſe hæreticum. Ita & Ioannem Hus Bohe- mum, citra iniuriam & opprobrium gentis & Regni Bohemiæ, hæreticum fuiſſe, pro Eccleſiæ honore & rei ueritate con- ſtanter aſſerimus, ne impie, propter unum homi- nem totam damnemus Eccleſiam, et re- ctorem Concilij blaſpheme mus Spiritum San- ctum.

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER TERTIVS.

Q*Væ apud nos Germanos uulgo refe*runtur, ſuper diſputatione Alani cum Ioanne Hus in Concilio habita, in libris nuſquam reperio ſcripta, fabuloſa igitur ea exiſtimo. Cæterum fabulã inde ortum habere ſuſpicor, quod nonnulli ſcribunt, Reuerẽdos

Duo Epiſcopi in Bohemiam ex Concilio miſsi.

Patres, Vitalem Tolonenſem, & Alanum Leonẽſem Epiſcopos, miſſos fuiſſe in Bohemiam a Patribus Concilij, ad inquirendum et examinandũ fidei negocium, per Ioannẽ Hus & complices eius importunis prædicationibus nimis in eo regno perturbatum, ut Patres de omnib. certiores facti, cauſam inter ipſum Hus & aduerſarios eius, plenius cognoſcere ac certius dijudicare poſsint. Illos ergo iniunctum ſibi laborem ſtrenue obeuntes, & mandatum diligenter exequentes, inueniſſe quam plurimos articulos hæreticos & erroneos, a Ioanne Hus & complicibus eius in Bohemia publice prædicatos & in practicam deductos. De quibus Conſtantiam reuerſi, certam relationẽ patribus inſinuauerint. Quæ mihi ſane ueriſimilia uidentur, non ſolum ex eo, quod magna erat Conſtantiæ inter Bohemos in ea cauſa diuerſitas & contẽtio, Ioanne Hus cum ſuis multa neganti bus, quæ Andreas Broda, Stephanus Paletz alijꝗ egregij & Catholici uiri, aduerſus eum teſtificabantur: uerum etiam ex alijs quibuſdam coniecturis. Nam ſupra memoratus ſcriptor hiſtoriæ narrat (ut iam ſupra commemoratum eſt) quendam Prutenum coram Patribus dixiſſe, Ioanni Hus fidendum non eſſe, etiam ſi reuocaret, eo quod in diſceſſu ſuo, retro ad Bohemos ſuos ſcripſerit, ſi cogeretur reuocare, quod ſolum ore & non corde reuocaturus eſſet. Quẽdam item Anglicum, nomine Stockes, itidem coram Patribus dixiſſe. Pragæ ſe uidiſſe libellum quendam ipſi Hus adſcriptum, in quo habeatur, in Sacramento altaris poſt conſecrationem remanere adhuc panem materialem. Si ergo Pragæ librum illũ uidit, non eſt in-

M. Ioann. Przibram.

credibile, illum cum Alano in Bohemia fuiſſe. Nam M. Ioannes Przibram Bohemus, contra hunc de remanentia panis errorẽ, alle-

gat inter nouiſsimos Doctores Alanum in Tractatu de erroribus, Poſt cuius dicta, ſubiungit contra eundem errorem dicta ſuorum Bohemorum, Vtpote Venerabilis (ut inquit) Magiſtri Mathiæ, qui dictus fuit Bohemus Pariſieſis, & ipſius Magiſtri Ioannis Hus. Vocat autem M. Mathiam Dominum ſuum amabilem, & in ſcientia & in fide diuiniſsimi Sacramenti præcellentem alios, Doctorem ſine pari. Quē ego tamen ſuſpicor non per omnia Catholicum fuiſſe. Nam idem Przibrā in ſua retractatione, ubi multos reuocat errores, ſic ait. Item profiteor, quia ſcripta, & dicta & facta ſingula Magiſtri Ioannis Hus & Magiſtri Mathiæ (non obſtantibus aſſertionibus, uel dictis alijs meis quibuſcunque) de tanto probo & non plus, de quanto ipſa probantur a Deo & Eccleſia Catholica: & de quanto ipſa a ueritate Catholica & a ſanctis Eccleſię doctoribus, et ab Eccleſia Catholica prorſus non diſsonant nec diſcordant.

M. Mathias Bohemus.

Verba autem Alani, quæ ille citat, ſic habent. Dicunt quidam hæretici, Panem non tranſſubſtantiari in corpus Chriſti. Item dicunt, Si facta tranſubſtantiatione remanerent accidentia, ergo in ſubiecto ſunt, ergo in aere uel in alio ſubiecto. Sed ſi in aere ſunt, aliqua pars aeris eſt rotunda, alba, ſapida, & ita ſoliditas eſt in aere, & ita aer erit ſolidus &c. Reſpondendo dicemus. Quod cum corpus Chriſti dicitur diuidi uel frangi, potius ad formam panis refertur, quam ad corpus Chriſti. Fractio enim illa uel diuiſio, non eſt in corpore Chriſti, ſed potius in forma panis. Nec mirum, ſi ille qui fecit omnia ex nihilo, faciat accidētia eſſe ſine materiali ſubiecto. Et infra. Videmus etiam quod quædā res mutantur in alias, & tamen quædam proprietates rei immutatæ remanent, ut quando uinum mutatur in acetum, remanet ibi liquiditas. Sic ſub forma unius rei latet alia. Vnde Angeli frequenter leguntur latuiſſe ſub humana forma, nec tamen humana forma erat in Angelo. Similiter Corpus Chriſti in altari eſt in alia forma, id eſt, humana, & ſub alia forma, id eſt, ſub forma panis: præter illa accidentia, quæ remanent ſine ſubiecto. Ille enim qui accidentia ita creauit, ut in ſubiecto eſſent, poteſt facere, ut ſine ſubiecto ſint. Quod enim hoc modo uel alio modo ſunt, à Deo eſt. Hæc ex Alano Magiſter Przibram.

Verba Alani de Trāſubſtantiatione.

Hunc arbitror Alanum illum fuiſſe, de quo in plebeia fabula ferūt uulgò, Ioannem Hus, cum ab eo uictus in diſputatione fuiſset, dixiſſe. Aut Diabolus es aut Alanus es. Quidam enim ſcribunt, Alanū xxxiiij. articulos ex uno Ioannis Hus libro, qui de Eccleſia inſcribitur, excerpſiſſe, & multos prȩterea alios ex alijs eius libellis et tractatibus. Quoniam uerò in Actis Concilij tantum xxx. articuli enumerantur, et ij multo prolixiores, operęprecīū mihi uidet, illos xxxiiij,

quos

quos Alanus extraxiſſe fertur, hic breuiter commemorare.

XXXIIII. Articuli Ioannis Hus per Alanum Epiſcopum ex uno eius libro excerpti.

1. Eccleſia Catholica ſeu Vniuerſalis, eſt omnium prædeſtinatorum duntaxat.

2. Nullus mortali crimine maculatus, eſt de Eccleſia.

3. Sicut Chriſtus non fuit palliatus temporalibus & Apoſtoli eius, Ita nec Vicarij nec ſucceſſores debent temporalia poſsidere.

4. Nulla pars Eccleſiæ unquam excidit a corpore, ſicut nec charitas ligans.

5. Paulus ſecundum præſentem iuſtitiam fuit blaſphemus, & nō de Eccleſia, Et ſimul fuit in gratia, ſecundum prædeſtinationem.

6. Paulus nunquam fuit Diaboli, nec Petrus quando negauit Chriſtum.

7. Prædeſtinatus non poteſt finaliter excidere.

8. Quemlibet prędeſtinatum, crimino ſum, plus diligit Chriſtus, quam aliquem præſcitum in quacunque gratia ſibi poſsibile fuit.

9. Prædeſtinati habent radicalem gratiam, a qua non poſſunt excidere.

10. Nimis magna foret præſumptio, quæ ſine reuelatione uel formidine aſſereret, quod ipſe ſit membrum Eccleſiæ. Nam nemo niſi prædeſtinatus tempore ſuo, ſine macula uel ruga eſt membrum Eccleſiæ.

11. Iudas non fuit uerus Chriſti diſcipulus.

12. Eccleſia eſt prædeſtinatorum, ſiue ſint in gratia ſiue non. Et illa eſt non habens maculā neq; rugam, ſed eſt ſancta & immaculata.

13. Crimino ſi ſecundum præſentem iuſtitiam, omnes ſunt infideles, Cum impoſsibile ſit, quenquam peccare mortaliter, niſi de quanto in fide deficit.

14. Verba Chriſti Petro dicta, Quodcunq; ligaueris ſuper terram &c. Ex defectu intelligentiæ & terrenæ ambitionis multos Chriſtianos ✝ut timeant. Similiter & alij decipiuntur, præſumentes de plenitudine poteſtatis.

addo ✝ terrent

15. Si Papa uel alius prætendat, ſe quouis ſigno abſoluere uel ligare omne, quod ab ipſo ſoluitur uel ligatur: habet conſequenter concedere, Papam eſſe impeccabilem, & ſic Deum.

16. Sacerdotes omne dictum ſcripturę, ſecundum quod ſonat in ſequelam Chriſti, ut paupertatem, manſuetudinem, humilitatem, tolerantiam, caſtitatem & laborem, illud ſupprimunt & gloſant ad ſui libitum: Vel expreſſe repudiant, tanquam impertinens ad ſalutem.

Pote-

Poteſtas Papæ,non imitantis uitam Chriſti,non eſt timenda. 17.

Dignitas Papalis,a Cæſaribus Romanis ortum habet. 18.

De nullo debet concedi,quod ſit caput uel Cardinalis alicuius Eccleſiæ particularis uel Vniuerſalis,niſi in uita Chriſto & Apoſtolis cõformetur. 19.

Papa,uitę Beati Petri non conformis,non debet dici Papa uel Vicarius Chriſti, ſed potius Antichriſti. 20.

Papa in uita difformis, non uerus Prælatus nec ſacerdos nec Chriſtianus eſt. Nec Cardinales tales ſunt Apoſtolorum ſucceſſores,ſed Iudæ, fures,mercenarij,& latrones. 21.

Papa eſt beſtia,de qua habetur in Apocalypſi.Et datum eſt illi bellum facere cum Sanctis. 22.

Quilibet poteſt licenter prędicare, contra inhibitionẽ Papalẽ. 23.

Papa non tenet uices Petri, ſed habet magnam poteſtatem & dominium,ideo eſt ſanctiſsimus. 24.

Papæ inſtitutio a Cæſaris poteſtate emanauit. 25.

Væ illis,qui uidentes in Papa opera,de tanto Chriſti contraria, uocant ipſum ſanctiſsimum. 26.

Chriſtus obediuit diabolo. 27.

Quilibet fidelis Catholicus debet uidere, utrum mandatum Papæ ſit in doctrina Euangelica uel Apoſtolorum: ſi ſic, obediendum eſt ei:ſi non, Non. 28.

Si homo eſt uirtuoſus,quicquid agit,uirtuoſe agit. 29.

Si homo eſt uitioſus, quicquid agit, uitioſe agit. 30.

Nulli Prælato eſt obediendum,niſi in Chriſti conſilijs uel præceptis. 31.

Licet Clericis & Laicis iudicare iuriſdictione poteſtatiua, de omnibus pertinentibus ad ſalutem,& de operibus Prælatorum. 32.

Deus ſuſpendit per ſe quemlibet criminoſum Prælatum a ſuo officio aut miniſterio, dum actualiter eſt in crimine. Quia eo facto quod eſt in mortali crimine peccat, quicquid fecerit.Et per conſequens prohibetur ne faciat, & per conſequens ſuſpenditur ab illo officio. 33.

Clerus ad ſui exaltationem populum Laicalem ſibi ſuppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & uiam præparat Antichriſto. 34.

Quamuis uerò quidam ex ijs articulis poſsint ad bonum ſenſum admitti, ut non dicantur omnes ſimpliciter hæretici aut erronei. Omnes tamen ſcandaloſi ſunt,et malo animo contra Eccleſiaſticam poteſtatem ac ordinationem ab inimico Eccleſię prolati, atq; in reprobum ſenſum detorti et à Laicis ✝ accepti fuerant,ut Ioannes Hus ✝ *Huſsitis.*

cos

eos coram Patribus in Concilio nulla iuſta ratione defendere aut excuſare potuerit. Hinc arbitror exortam in populo fabulam eſſe, quod Hus ab Alano conuictus, ſit ignibus adiudicatus & exuſtus. Hoc enim uerum eſt, quia cum pertinax eſſet & reuocare nollet, pro hæretico declaratus, hæretici pœnam ſuſtinuit. Cætera autem, quæ in fabula commemorantur, poetice conficta ſunt licentia populari. Eo igitur combuſto, Patres in Concilio uerentes, ne fautores & complices falſam ea de re famam in populis, maxime in ſubditis Regni Bohemiæ diſpergerent, ſcripſerunt epiſtolam ſeu Bullam in autentica forma, ad Epiſcopum et Clerum Vratislauienſem in hæc ſane uerba.

Epiſtola Concilij.

SAcro ſancta Conſtantienſis Synodus, Vniuerſalem Dei Eccleſiam repræſentans, In Spiritu Sancto legitime congregata, Venerabili fratri Epiſcopo, & dilectis in Chriſto filijs capitulo ac Clero Vratislauienſi, Salutem in Domino. Magnum temporibus noſtris infortunium, graue nephas experti ſumus. Si horrendi ſchiſmatis fœditatem, ſi hæreſeon pernicioſiſsimam maliciam repetimus: Et ex eis quanta clades, quanta animarum deprauatio orta ſit, plane cenſeamus. Et infra. Meminiſſe oportet quidem nefandæ deteſtabiliſq; doctrinę Ioannis Vuicleph, cuius tam ſordida, tam fœda ſententia extitit, ut non ſolum illã repetere, quotq; errores ex ea defluxerint, memorare, graue ſit: ſed & ipſius reminiſci, horrendum uideatur. Nam fidem Catholicam, non tantum improbe interpretari, ſed a fundamentis euertere conatus eſt. Nemo unquam ſub uelamine Chriſtianæ religionis, tam impie inſtituta fidei oppugnauit. Nemo Eccleſiæ tam peruerſe contradixit & ſcandaloſe. Quamobrem in Oxonienſi primum Pragenſique ſtudijs, articuli ex eius libris excerpti, damnati ſunt: Tandem Romæ Generali Concilio pridem celebrato, illa ſententia iuſte, pie, ac ſancte extitit confirmata, per librorũ eius condemnationem & combuſtionem. Et iã in pręſenti Concilio Conſtantienſi Confirmatio prædictorum excitit innouata, et memoria ipſius Vuicleph, ob nephariam eius doctrinam, condemnata, cum ſententia exhumationis oſsium ipſius a ſacro loco, ſi a fidelium oſsibus ualeant ſeparari, ac extra ſacrum locũ eorundem oſsium proiectionis. Verũ ut experientia docet, uenenoſa eiuſdem Ioannis peruerſaque opinio, mentes plurium infecit, peſte ſua damnabiliter corrumpendo. Vnde impræſentiarum improbiſsimum, ac periculoſiſsimum ſanctæ Eccleſiæ, uirum quẽdam Ioannem Hus, eiuſdem Vuicleph in multis damnatiſsimis articulis imitatorem, non ſolum ad debilitandam, ſed eneruandam quaſi militantis

[Margin: Duo maxima infortunia ſchiſmatis et hęreſis]

[Margin: Doctrina Vuiclephi ſordida & impia.]

[Margin: Hus & Hieronymus.]

litantis Eccleſiæ diſciplinam, fidem etiam Catholicam elidendam, tendere manifeſtiſsime cognouimus. Ob hoc quod gentibus præclari Regni Bohemiæ Catholicis, pro tam nefanda, tam obnoxia labe repellenda, plurimum (ut percepimus) excitatis, ac etiam maximis iurgijs & concertationibus exortis: Ingenti ſtudio & maturo iudicio tractauimus, quo pacto prædictum Regnum a talibus hominibus perditiſsimis liberare ualeremus. Et infra. Sciant igitur, ſi qui auſu temerario hanc noſtram ſententiam, Deo gratiſsimam, totique Chriſtiano populo ſalutarem, quoquo modo tentauerint impugnare, ac in eadem damnatiſsima hæreſi perſtiterint, aut perſiſtētes in ea iuuerint, aut quomodolibet defenderint: ultra diuinam uindictam (quam debent uerisimiliter expectare) nos in eoſdem debito modo iuxta ſanctiones Canonicas proceſſuros. Vt ſic talium correptio & correctio, alijs tranſeat in exemplum. Datum Conſtantiæ, Anno domini 1415. Indictione Octaua, die 26. Menſis Iulij, ſub appenſione ſigillorum Præſidentium quatuor Nationū. Hæc patres ex Concilio ad Epiſcopum & Clerum Vratislauienſem, qui ut fideles Catholici, ea reuerenter & ſuſceperunt & retinuerunt. Nec dubitauerim, conſimiles admonitiōes emiſſas a Patribus fuiſſe, iuxta Regis Sigiſmundi conſilium, ad Vuenceslaum Regem Bohemiæ, in Morauiam quoq; et in Poloniam, aliaq; uicina loca, ad quę per occultos Ioannis Hus diſcipulos, ſermo eius uelut Cancer ſerpſiſſe aut ſerpere timebatur. Sed non omnia Patrum ſcripta extant, & ex una hac epiſtola haud eſt difficile conijcere, conſimiles ad cæteros miſſas fuiſſe. Neq; incredibile eſt, eoſdem populos ſuper 303. articulis erroneis, qui ex libris diuerſis Vuiclephi excerpti fuerunt, a Patribus admonitos fuiſſe, quos nonnulli ſolerti diligentia in xl. Claſſes diuiſerunt. Ne uero prolixitas illa tædio ſit lectori, nos articulis ſpecialiter in propria forma uerborum omiſsis: In genere, quam breuiſsime fieri poteſt, rem explicabimus, numerum certum articulorum unicuique Claſsium ſeu titulorum aſsignantes. Vnde facile cognoſcat lector, uerum eſſe, quod patres ſupra ad Vratislauienſes ſcripſerunt de Vuiclepho, quod fidem Catholicam non ſolum improbe interpretari, ſed etiam a fundamentis euertere conatus ſit.

XL. Claſſes erroneorum articulorum Ioānis Vuiclephi.

1.	Contra Deum & potentiam eius, continet	articulos 10.
2.	Contra Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ.	art. 26.
3.	Contra Sacramenta in genere.	art. 4.
4.	Contra Sacramentum Baptiſmi.	art. 3.
5.	Contra Sacramentum Pœnitentiæ & Confeſsionis.	art. 7.
6.	Contra Sacramentum Matrimonij.	art. 3.
7.	Contra Sacramentum Ordinis.	art. 14.
8.	Contra Sacramentum Confirmationis.	art. 4.
9.	Contra Sacramentum extremæ unctionis.	art. 1.
10.	Contra Venerationem & reliquias ſanctorum.	art. 2.
11.	Contra Orationes.	art. 2.
12.	Contra Cæremonias	art. 2.
13.	Contra Teſtamenta.	art. 2.
14.	De peccatis mortalibus.	art. 8.
15.	Contra Eleemoſynas.	art. 6
16.	Contra Eccleſiam & eius ſtructuras.	art. 5.
17.	Contra cenſuras Eccleſiaſticas.	art. 3.
18.	Contra dotationem Eccleſiæ.	art. 26.
19.	Contra Papam.	art. 36.
20.	Contra Cardinales.	art. 4.
21.	De ſchiſmate in Eccleſia Dei.	art. 3.
22.	Contra poteſtatem, iuriſdictionem, et autoritatem Prælatorū.	ar. 7.
23.	Contra Priuilegia & Bullas Papales.	art. 5.
24.	Contra Indulgentias.	art. 3.
25.	Contra Decimas, & iura debita Prælatorum.	art. 10.
26.	Contra Clericos in communi.	art. 12.
27.	Contra Dominia in communi.	art. 12.
28.	Contra Dominos Temporales.	art. 6.
29.	Contra Miſſas & horas.	art. 4.
30.	Contra Iura & leges.	art. 12.
31.	Contra Electiones.	art. 4.
32.	Contra religioſos in communi.	art. 19.
33.	Contra Patronos religionum.	art. 2.
34.	Contra Religioſos poſſeſsionatos.	art. 3.
35.	Contra Religioſos Mendicantes.	art. 19.
36.	Contra Ius patronatus.	art. 1.
37.	Contra Vniuerſitates & Collegia.	art. 1.
38.	De futurorum contingentium neceſsitate.	art. 3.
39.	Contra Philoſophiam.	art. 10.
40.	Contra Theologiam.	art. 8.
	Summa omnium articulorum 303.	

In

In Actis uero Concilij Conſtantienſis tantum xlv. articuli, propter breuitatem commemorãtur, qui ſæpe damnati fuerunt et antea, uti ſupra dictum eſt. Cæterum multo plures & Claſſes & articulos erorum Vuiclephi commemorat Magiſter Ioannnes Przibram per integrum librum. Quemadmodum cordatus lector facile conijciet ex X. articulis illis, de remanentia panis ſupra recitatis. Nam excerpti fuerunt ex una Claſſe, quæ habebat articulos XXV. Claſſes uero erant LXXVII. Ideo numerus erroneorum articulorum Vuiclephi, In libro Przibram multo maior eſt, quam is qui hic in ſumma poſitus cernitur. Quis ergo non uidet, Ioannem Hus & Hieronymum de Praga (uiros utique diſertos & eruditos) miſere excecatos, & propter ſuperbiam (dum nimis alte ſaperent) in reprobũ ſenſum iuſto Dei iudicio traditos fuiſſe, atq; in peccatis ſuis obſtinatos ac mortuos, inæternum perijſſe, quod doctrinam Vuiclephi tot impijs & abſurdis erroribus plenam, non ſolum approbauerũt per ſeſe, ſed etiam pijs & Catholicis Bohemiæ ac Morauiæ populis eam pernicioſiſsime tradiderunt, & poſt ſe reliquerunt, hæreditatẽ ſane peſsimam ac funeſtiſsimam: cuius nunc Germaniæ quoq; populi multi per Lutherum, Apoſtatam Ordinis Auguſtinenſium, infœlici poſtliminio, participes fiunt. Non audientes Dominum, qui per Angelum in Apocalypſi de cęlo clamat dicens. Exite de illo populus meus, et ne participes ſitis delictorum eius, et de plagis eius non accipiatis. Recipient igitur & noui Huſsitæ eandem iniquitatis mercedem, quam receperunt antiqui. Nunc ad hiſtoriæ contextum reuertamur. Sumpto itaq; de Ioanne Hus ſupplicio, cœptũ eſt agi aduerſus diſcipulum & complicem atq; cooperatorem eius Hieronymnm de Praga, uirum inquietum ac uehementis ingenij, cuius ſcelera patebunt lectori ex articulis in accuſatione contra eũ productis, quos breuiſsime commemorabo.

Maximus numerus articulorũ erroneorũ.

Hus & Hierony. excęcati.

Apoca. 18

Articuli accuſationis contra Hieronymum de Praga.

I. Quamuis non latuerit Hieronymum de Praga, libros & articulos Vuiclephi, Romæ in Concilio generali a Ioanne Papa xxiij. celebrato, condemnatos, & ſub pœna fautoriæ hæreſis interdictos, Anno domini 1412. Ipſe tamen contumaciter eoſdem et in ſcholis et in templis publice docuit ac prædicauit, in contemptum clauium Eccleſiæ, & in graue Cleri diſsidium populiq; ſcandalum.

II. Nuncupauit Ioannem Vuicleph uirum ſanctum, Euangelicũq; prædicatorem, et uere fidei doctorẽ, habuitq; in cubiculo ſuo illius imaginem, cum diademate depictam, quam & religioſe ueneratus eſt.

III. Quando Archiepiſcopus Pragenſis ex commiſsione Sedis Apoſtolicæ præcepit, omnes ad ſe deportari libros Vuiclephi. Hieronymus pręcepti eius contemptor, intulit eos Collegio Caroli, ac publice intimauit, ſe doctrinas eorundem librorum defenſurum eſſe.

IIII. Alios quoq; Magiſtros ad defendendum docendumq; uetitos illos libros induxit, non ſolum in Collegio Caroli, & in nigra Roſa: uerum etiam alibi, quaquauerſum in Vniuerſitate Pragenſi.

V. Exquiſitos modos defendendæ illius doctrinæ, nequiter excogitauit, ui ac fraude graſſans in eos Magiſtros atq; Clericos, qui cōdemnationem xlv. articulorum Vuiclephi comprobarent. Nam per incarcerationes ac bonorum direptiones, aliaſq; graſſaturas eos deterrere ſatagebat a Vuiclephi reprobatione.

VI. Quendam honeſtum uirum, Cultellificem Pragenſem, fecit capi, incarcerari, in mediaſtino uerberari, atq; illic ligatum crudeliter uexari, putridis ouis, peponibus, luto lapidibuſq; immiſsis, & in eū proiectis, tanta ſane proiectorum ui ac multitudine, ut ille proiectionibus illis obrutus interierit ac mortuus ſit.

VII. Fratrem Nicolaum, Ordinis Carmelitarum, Concionatorem Monaſterij Sanctæ Mariæ in arena, ob eandem cauſam, manu uiolenta fecit extrahi ſimul cum duobus alijs è Monaſterio, et captiuos abduci ad iudicem Nouæ ciuitatis Pragenſis: qui duos illos haud ſecus ac fures in publico detinuit carcere. Nicolaum uero domi in priuato carcere tenens, diuerſis tormentis excruciauit.

VIII. Cum non poſſet Nicolaum illum ad reuocādum ea, quæ contra doctrinam Vuiclephi dixerat, compellere, fecit eum educi ad flumen ut ſubmergeretur. Proiectus itaq; ille è naui in Multauiam, ſubmerſus utique periſſet, niſi clientis cuiuſdam auxilio ereptus fuiſſet.

IX. Eam Vuiclephi hæreſim de pane materiali in Sacramēto, quod non tranſſubſtantietur, nec corpus Chriſti ſit ibi præſentialiter, ſecundum corporalem & realem exiſtentiam, ſed ſolum ſignificatiue, ſicut ſignatum in ſigno, uarijs ſcripturis & rationibus praue concinnatis, maxime aſſeruit.

X. Docuit publice, Neminem ad Confeſſorum Virginumue, aut etiam Martyrum aureolam peruenturum eſſe, niſi corde crederet, confiteretur q; ore, fidem & doctrinam Vuiclephi.

XI. Quo latius Vuiclephi hæreſim propagaret, uerba Canonis per cantilenas Bohemicas inuulgari fecit, ut etiam ruſtici credant ſe, ſi uerba conſecrationis pronuncient, ſe conficere poſſe corpus Chriſti, non minus quā ſacerdotes, idque ſingulis horis, quando libet.

XII. Effinxit & alias diuerſas cantilenas in vulgari Bohemico, è Bibliæ

bliæ & Euangeliorum uerbis ſenſuque contextas, pro confirma‑tione ſuæ hæreſeos, ut per eas Laici ſui ſacram ſcripturam melius noſſe & intelligere uiderentur, quam cæteri Chriſtiani.

Docuit, Laicos ſectæ ſuæ, utriuſque ſexus, poſſe conficere, con‑feſsiones audire, ac quæcunq; alia Sacramenta (prolatis modo ap‑tis uerbis) efficere atq; conferre, eaq; maioris eſſe uirtutis & effica‑ciæ quam illa, quæ a presbyteris Ro. Eccleſię conficerentur. XIII.

Pragæ & in diuerſis locis publice inuulgauit, nullam Excom‑municationem timendam eſſe, niſi quis reſciuerit ſe prius a Deo ex‑communicatum eſſe. XIIII.

Interdictum Pragę propter et contra Vuiclephiſtas poſitum, iuſsit fortiter contemnere, quia nemini, ne Papę quidem, data ſit po‑teſtas a Deo', quempiam excommunicandi aut interdicendi. Ob quod Clerus Pragenſis ui compulſus fuit celebrare, tempore Inter‑dicti, etiam ſub necis interminio. XV.

Docuit Præterea, Nullam eſſe Papæ autoritatem indulgentias concedendi. Quare perſequutus eſt indulgentiarum prædicatores, per ſæculare brachium. In oppido itaq; Nouæ domus duos presby‑teros, indulgentias publicaturos fecit capi & incarcerari: qui ta‑men fuga elapſi fuerunt, ope Catholicorum. XVI.

Anno Domini 1411. Poſt Octauas Pentecoſtes, quendam in‑dulgentiarum prædicatorem captum, currui cum meretricibus (ad quarum mammas indulgentiarū literas ſuſpendit) impoſuit Pragę, eumque toti Ciuitati illudendum circumuexit, ac tandem illius lite‑ras publice combuſsit, annitētibus armatis Vuiclephiſtis plurimis, & currum ſtipantibus, nequis ſuppetias ferret. XVII.

Inuulgauit item, Cuiq; Laico licere, uerbum dei prædicare, ubi & quando uſui eſſe crederet. Quemadmodum ipſemet, Laicus ex‑iſtens cum promiſſa barba, per Bohemiam Morauiamq; & Vnga‑riam fecit, etiam in Regis præſentia. Ob id uero Rex captum miſit Archiepiſcopo Strigonienſi, qui interpellantibus, immo compellen‑tibus Nobilibus Vuiclephiſtis, illum poſt Quindenam ē carcere di‑miſit. XVIII.

Dehortans homines a ueneratione imaginum, Cum Chriſti ſal‑uatoris Crucifixi imaginem, Pragæ e regione domus dictæ Kreiſſe, pictam uidiſſet, quæ in ueneratione deuoti populi erat, eam non ſo‑lum irriſit, ſed etiam deiecit & ſtercore humano inceſtauit: dicens, nequaquam pingendas eſſe imagines. XIX.

O ſanctū uirum qui Vuiclephi imaginem uenerabatur in cubiculo, et Chriſti imaginē in publico omni contumelia affecit impijßime.

Reliquias quoq; ſanctorum contempſit, iniurijſq; plebi deridē‑das expoſuit. Extractis quippe de altari reliquijs in Monaſterio S. Mariæ, in arena Pragę, eas luto inſtrauit & pedibus calcauit.

 Dixit, XX.

XXI. Dixit, quod non minori ueneratione obſeruandus eſſet, quem Chriſtus equitauerat, aſinus, quam peplum uelumque Mariæ uirginis, quod in eodem habebatur Monaſterio.

XXII. Cum Pragæ ob hæreſim & ſeditionem quidam Vuiclephiſtæ capite plexi fuiſſent, ipſe adiunctis ſibi ſocijs corpora eorum ſuſtulit, & in proceſsione, nõ Abſolue, ſed Iſti ſunt ſancti, decãtauit, et in Miſſa, non Requiem, ſed Gaudeamus cecinit, habens illos pro ſanctiſsimis Martyribus. Excitata igitur per hoc ſeditione, Senatus populusque Catholicus per xv. dies in periculo fuerunt.

XXIII Idem in Ruſsiam profectus, Cum Vuitoldus, frater Regis Poloniæ, publica pompa introduceretur in oppidum Vitebeck, progreſsis ei obuiã cum reliquijs, tum Catholicis Chriſtianis, tum Ruthenis ſchiſmaticis: ipſe relicto Chriſtianorum cœtu, ad Ruthenos publice tranſijt, eorum tabulas & reliquias ueneratus.

XXIIII. Niſus deniq; fuit prædictum Vuitoldum cum ſua Chriſtianorum caterua, a fide Catholica auertere, & ad Ruthenorum ſectam inflectere. Ideo & in ſynagogas Ruthenorum iuit, eorumq; Sacramenta publice genu flexo adorauit.

De his igitur & id genus pluribus articulis accuſatus, teſtibusq; & rerum euidentia conuictus Hieronymus ille de Praga, quum arcte cuſtoditus, nulla poſſet fraude aut fuga euadere, ad gratiam Cõcilij (quam Hus neglexerat) callide confugit, offerens ſeſe paratum & uoluntarium, ad reuocandum & abiurandum omnem hæreſim, præſertim uero Vuiclephicam, de qua ſuſpectus erat. Formulam uero reuocationis, a Iudicibus deputatis conceptam, ipſe manu propria ſcripſit, & ex ſcheda publice in decima Nona ſeſsione pronunciauit, quæ & in Actis Concilij habetur. Priuſquam tamen eam recitaret, hac uſus eſt ad Patres præfatione (ſicut in uetuſto quodam exemplari legitur) poſtea quam a Cardinale Cameracenſi interrogatus fuerat, An reuocare uellet hæreſim, de qua ſuſpectus & diffamatus eſſet, & poſtea eandem abiurare.

Præfatio Hieronymi Pragenſis ante reuocationem ſuam habita.

Reuerendiſsime in Chriſto Pater, huius ſeſsionis Præſidens, Reuerendiſsime & Gratioſiſsime mi Domine, paritercq; Reuerendiſsimi in Chriſto Patres, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, atq; Patriarchæ, Reuerendi quoq; Patres et domini Venerabiles, Omnes Archiepiſcopi Epiſcopi et Abbates: Magiſtri quoq; uariarũ facultatum doctiſsimi atq; præſtantiſsimi, dominiq; diuerſorũ ſtatuum & graduum, ſinguli & uniuerſi, & ut neminẽ excipiam, ſed breui iſto compendio totum iſtum glorioſum cœtũ, in unum ſtringam conuolutum, Totum præſens Generale Sacroſanctum

ctum Concilium. Cum ex ſacræ Bibliæ hiſtoria conſtet uere atq; ueraciter, quod in templo domini non omnes offerunt æqualiter, ſed unuſquiſq; quod poteſt, Vt alij aurum, alij argentum, lapidemque precioſum, alij Coccum, Purpuram, Byſſum atq; Hyacinthum: Ego cū abiectioribus e plebe, In hoc ſacro templo dei, ſi Deo grates, & uobis pelles piloſue caprarum obtulero, ſatis me feciſſe putabo. Quoniam & mulier paupercula, templo præbens duo minuta † ęrea, plus regibus, ligna Cedrina & lapides Onychinos, aurum & argentum, pro ſtructura templi præbentibus, Saluatoris ſententia fertur contuliſſe. Nec mirum, quoniam non res data aut oblata in talibus, ſed animus donantis penſandus eſt. Et ſuper eſt, quod uulgari corroboratur prouerbio, Ardorem ſolis & iniuriam imbrium, ea quæ uiliora ſunt, prohibent. Templum autem domini ſanctum, uoco præſens Sacroſanctum Generale Concilium. Nec puto immerito. Quoniam Apoſtolus Paulus ad particularem ſcribens Eccleſiā, ait. Templum Domini ſanctum, quod eſtis uos. Vos igitur Præcellentiſsimi uiri, uobiſque conſimiles, tanquam ueri Salomonis Principes, in hoc ſacro templo, ueſtræ fulgidæ ſapientiæ aurum, Vobiſque minores diuinorum eloquiorum argentum, cæteriq; inferiores per uarias uirtutum ſpecies, uarias & diſtinctas operationes, tanquam Coccum, Byſſum, Purpuram & Hyacinthum, ad faciendum ſpecioſa uaſa templi, ad reformandum militantis Hierarchiæ ſartatecta, diu iam eſt quod offertis atq; obtuliſtis. Ego per uos tot, tantos taleſq; glorioſos uiros, qui in comparatione ueſtri nihil ſum, omni genere uitiorum habens caput fere abruptum, quid offeram? Ne tamen in hoc ſacro templo conſtitutus, coram Domino & uobis, totaliter uacuus appaream, ſaltem pelles beſtialium actionum mearū, & fœdarum operationum hiſpidos pilos, cum procinctu libere ex animo offeram, Multo genere precario obſecrans uos ſingulos atque uniuerſos, ne deſpiciar totaliter aut contemnar. Neq; cum his oblegijs a templo Domini (quod eſtis uos) expellar aut eijciar. Nā & iſta ſuis in horis & ſuis temporibus Tabernaculo Domini ſubſeruiunt, Et utputo ueſtra comprobatur ſententia, quod & Domini Sabaoth uineam, nedum Botri, uerum & folia reddunt non modo ſpacioſam, ſed & ſpecioſam. Et tantam præfatiunculam pro dicendis, quaſi per abrupta & † perruptam gradiens, cenſueram prædicendam. Poſt hunc dictum introitum, ſequitur hoc meum

Varię diuerſorum oblationes Exodi 35.

† æra

Lucæ 21. Marc. 12

Concilium dici templū Domini. 1. Cor. 3

forte † praerupta.

Offertorium, quod uoluntarie offero pro honore Dei & ſanctæ fidei.

Reuocatio eiuſdem Hieronymi, Quæ facta eſt in Seſsione XIX. Anno Domini M.CCCC.XV. Indictione VIII. Die Lunæ. XXIIII. Menſis Septembris.

EGo Hieronymus de Praga, Artium liberalium Magiſter, cognoſcens ueram Catholicam Eccleſiam & Apoſtolicam fidem, Anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizauerūt & tenuerunt Ioannes Vuicleph & Ioannes Hus in ſuis opuſculis, libellis ſeu ſermonibus, ad Clerum & ad populum. Propter quam cauſam prædicti cum ſuis dogmatibus & erroribus damnati ſunt, ab hac Conſtantienſi Synodo, tanquam hæretici, Et eorum doctrina prædicta ſimiliter damnata, maxime in nonnullis articulis expreſsis in ſententijs, per hoc ſacrum Concilium contra ipſos latis. Conſentio autem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, & huic ſacro Concilio, & ore ac corde profiteor, in omnibus & per omnia, & præſertim de clauibus, Sacramentis, Ordinibus, officijs & cenſuris Eccleſiaſticis, Indulgentijs & Reliquijs Sanctorum, & Eccleſiaſtica libertate, Ac etiam de Cæremonijs & alijs omnib.
Conſentiēs Ro.Eccleſ. ad religionem Chriſtianam pertinentibus, pro ut ipſa Romana Eccleſia & Apoſtolica Sedes, & hoc ſacrum Concilium profitentur. Et ſpecialiter quod prædictorum articulorum plures ſunt notorie hæretici, & dudum a ſanctis Patribus reprobati. Quidam uero blaſphemi, alij erronei, alij ſcandaloſi. Quidam uero etiam piarum aurium offenſiui, & ipſorum nonnulli temerarij & ſeditioſi. Et pro talibus fuerunt prædicti articuli, per hoc ſacrum Concilium nuper condemnati. Et inhibitum omnibus & ſingulis Catholicis, ſub Anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos, ſeu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, uel tenere præſumeret.

Vniuerſalia Realia. Idem ego Hieronymus antedictus, quia in nonnullis actibus ſcholaſticis, ad perſuadendam opinionem de Vniuerſalibus realibus, & quod una communis generis eſſentia, eſſet plures eiuſdem generis ſpecies, & quælibet earum ut homo, aſinus, bos &c. Quodque una eſſentia ſpecifica eſſet, plura eiuſdem ſpeciei ſuppoſita, & quodlibet eorum, ut Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & ſic de ſingulis.
alias 4 manuducendum. Et ad hoc † inducendum, uelut exemplo ſenſibili, deſcripſi quandā Triangularem figuram, quam ſcutum fidei nominaui. Ideo ad excludendum intellectum erroneum & ſcandaloſum, quem fortaſsis aliqui ex hac accipere potuerunt, Dico, aſſero & declaro, quod dictam figuram non feci, nec eam nominaui ſcutum fidei, ea intentione,

ne, quod uellem dictam opinionem de Vniuerſalibus extol-
lere ſuper opinionem contrariam, ſic, quaſi eſſet ſcutum fidei, quod
ſine eius poſitione non poſſet fides aut Catholica ueritas protegi &
defendi, Cum nec dictæ poſitioni uelim pertinaciter adhærere. Sed
hoc ideo dixi, quia in dictæ figuræ triangularis deſcriptione, po-
nebam exemplum, quod diuina eſſentia eſt tria diuina ſuppoſi-
ta, & quodlibet eorum ſcilicet Pater & filius & Spiritus Sanctus.
✝ Cuius quidem Trinitatis articulus, eſt præcipuum ſcutum fidei, *alias ✝ Qui*
& ueritatis Catholicæ fundamentum. Præterea ut cunctis Contra Io. Hus.
pateat, quæ fuerunt cauſæ, quare fui reputatus adhærere &
fauere dicto quondam Ioanni Hus, notum facio per præſen-
tes, quod cum multotiens audiuiſſem eum in prædicationibus &
ſcholis, credidi eum uirum bonum eſſe, nec in aliquo obuiare
traditionibus ſanctæ Matris Eccleſiæ ac ſanctorum Doctorum:
Immo etiam, cum nuper in hac ciuitate, mihi fuiſſent oblati arti-
culi per eum poſiti, & per hoc ſacrum Concilium damnati, pri-
ma fronte non credidi, ſuos eſſe, ſaltem in ea forma, Cumque
ab aliquibus egregijs Doctoribus & Magiſtris in ſacra pagi-
na audiuiſſem affirmari, quod ſui erant, poſtulaui pro mea
plena informatione, mihi oſtendi libros manus ſuæ, in quibus
dicti articuli contineri dicebantur. Quibus mihi oſtenſis, manu
propria eiuſdem ſcriptis, quam ut meam propriam bene cog-
noſco, dictos articulos omnes & ſingulos in ea forma, qua
damnati ſunt, reperi eſſe conſcriptos. Vnde non immerito com-
præhendi & compræhendo ipſum, & ſuam doctrinam cum eo-
rum ſequacibus, per hoc ſacrum Concilium damnatam & re-
probatam fuiſſe, tanquam hæreticam & inſanam. Et hæc om-
nia ſupradicta, dico pure & ſine conditione, Vt iam plene &
ſufficienter informatus de prædictis ſententijs, latis per hoc ſacrum
concilium, contra doctrinas dictorum quondam Ioannis Vui-
cleph & Ioannis Hus, & contra ipſorum perſonas. Quibus ſen-
tentijs tanquam deuotus Catholicus, in omnibus & per om-
nia humiliter conſentio atque adhæreo. Item, Ego idem
ſupradictus Hieronymus, qui alias coram Reuerendiſsimis Patri-
bus, Dominis Cardinalibus, & uenerandis Dominis Prælatis
& Doctoribus, & alijs uenerabilibus perſonis huius ſacri Con-
cilij, in iſto eodem loco, uoluntarie, libere & ſpontanee exponens
& declarans intentionem meam, inter alia loquens de Eccleſia,
eam trifarie diſtinxi. Et ut percepi poſtea, tunc a quibuſdam in-
tellectum eſt, quod uellem dicere, quod in Eccleſia Triumphan-
te eſſet fides: Cum tamen credo firmiter, quod ibi ſit beatifica
uiſio,

uiſio,ænigmaticam cognitionē excludēs.Nunc dico,aſſero & decla
ro,quod nunq̄ fuit intentionis meę,quod ibi eſſet fides,ſub ratione
fidei ſed cognitio fidē ſubęquiualenter excedēs.Et generaliter,quic
quid ibi uel antea dixerim,refero & ſubijcio humili corde,determi-
Abiuratio. nationi huius ſacri Concilij Conſtantienſis. Inſuper iuro et per
ſanctam Trinitatem,& per hæc ſacro ſancta Euangelia, me in ueri-
tate Eccleſiæ Catholicæ ſemper & ſine dubio permanſurum,& om
nes qui contra hanc fidem uenerint, cum dogmatibus ſuis æterno
anathemate dignos eſſe pronuncio. Et ſi ego ipſe aliquando(quod
abſit)aliquid conſentire aut prædicare præſumpſero,Canonum ſe-
ueritati ſubiaceam,& æternæ pœnę obligatus inueniar. Hanc
autem Confeſsionem & profeſsionis meæ paginam,coram hoc ſa-
cro Concilio Generali,& uoluntarie porrigo, & eidem me pro-
Chirographum contra ſeipſum pria manu ſubſcripſi,& hæc ſingula conſcripſi. Hæc eſt reuocatio
& abiuratio Hieronymi de Praga, qua miſer ille præiudiciale atq;
infame dedit Chirographum,tum contra ſe ipſum,tum contra om-
nes Huſsitas,Teſtimonium ſane indelibile.De quo dicere poſsit in-
fœlix ille, in æternum ſuum & omnium Huſsitarum opprobrium,
Ouid. In fine 15.lib.Metam. quod in ſempiternam laudem nominis ſui dictum uoluit Ouidius.

Iamq; opus exegi,quod nec Iouis ira,nec ignes,
Nec poterit ferrum,nec edax abolere uetuſtas.

Non eſt ſane Chirographum hoc, de quo Pauſus ait. Delens
Coloſſ.2 quod aduerſum nos erat Chirographum decreti, quod erat contra
riū nobis. Chriſtus enim hanc maculam nunq̄ delebit. Hoc enim
Chirographo cauteriatæ & inuſtæ ſunt ignominioſis notis indeli-
biliter omnium Huſsitarum frontes, ut cum Propheta Hieremia
Hierem.17 cuilibet Huſsitæ uere dicere poſsimus. Peccatum Huſka ſcriptum
eſt ſtylo ferreo in ungue Adamantino,exaratum ſuper latitudinem
cordis eorum. Tergiuerſentur ergo Huſsitæ, tum ueteres tum
noui,ut lubet,Nos Chirographo iſto frontes eorum facile confun-
demus urenti ac flammeo rubore,quotieſcunque Ro. Eccleſiæ do-
ctrinis & Cæremonijs contradicunt. Nam præcipuus eorum Mer
Mercurius Huſsitarū. curius,& alter eorum Pſeudo Apoſtolus, Pragenſis iſte Hierony-
mus,hoc Chirographo ſuo,in conſpectu totius Eccleſiæ, omnem
eorum hæreſim publice damnauit,& omnes qui contra Ro. Eccle-
ſiæ fidem uenerint, æterno dignos eſſe anathemate pronunciauit.
Neq; ipſe aut ullus Huſsitarum negare iſtud poterit,Quia erant ibi
uiri religioſi ac docti ex omni Natione,quæ ſub cælo eſt,qui Bohe-
micum iſtum Oratorem:immo beſtiam(ut Demoſthenē uocabat
Æſchynes)bilinguem,ſua uerba reſonātem,proprijs auribus audi-
uerunt,

uerunt, & Chirographum eiuſdem proprijs oculis conſpexerunt. Proprio igitur huius noui Martyris ſui iudicio condemnati ſunt, (ut Paulus in Spiritu Sancto prædixit) omnes Huſsitæ, & in hoc & in futuro ſæculo. Hoc enim Chirographum in frontibus eorum nunquam delebitur, quia per æternam ueritatem Trinitatis diuinę, & Euangeliorum atteſtatum & iureiurando confirmatum, permanet in ſæcula ſæculorum. Amen. Tit. 3

Cum uero Hieronymus iſte, ob hanc reuocationem & abiurationem peſsime audiret ab Huſsitis, quibus longe aliter prædicauerat antea, maxime uero indigne ferentibus eam iniuriam Baronibus & Nobilibus Bohemiæ & Morauiæ, Vuiclephicæ ſectæ per Ioannem Hus atque etiam per ipſius Hieronymi prædicationes addictis: ille mente confuſus (quandoquidem cor eius non erat rectum cum Deo) fluctuare cœpit. Memor enim priſtinæ ſuæ apud ſuos autoritatis et gloriæ, ac præ oculis habens, animoque reuoluens recentem reuocationis ignominiam & graue ſectæ opprobrium, iniuriamque Magiſtri: ſibimetipſi uehementer ob hæc diſplicens, mœſtis cogitatibus ſecum deliberabat, quidnam facere deberet. Graui enim conflictabatur intus conſcientiæ pugna, & foris detractionibus uexabatur Huſsitarum & contemptu, priori exiſtimatione per reuocationem amiſſa. Euentus enim rei teſtatur, ipſum non ſyncera mente in reuocatione loquutum fuiſſe, ſed metu pœnę uerbis damnaſſe foris quod animo comprobabat intus. Fluctuatio mentis.

Cumque eſſet uir elati & acris, non abiecti aut ſeruilis animi, ſpiritu ferox, ſcientiæque & eloquentię dono ſuperbus, atque honoris & gloriæ auidus, inquietus item et nouarum rerum cupidus: uideret autem ſibi poſt reuocationem nondum plenam a Catholicis fidem haberi, ſed ſuſpectam adhuc eſſe Patribus conuerſationem ſuam, & callide obſeruari ſua colloquia, cœpit de fuga meditari. Nactus itaque effugiendi oportunitatem, aufugit, & longum iter emenſus per Germaniæ prouincias, peruenit uſque ad Bohemiæ confinia. Explorato autem ipſius itinere, captus & retractus a Duce Bauarię Ioanne, Conſtantiam eſt reductus, ibique tanquam relapſus, carceri mancipatus, nullis Patrum & Doctorum perſuaſionibus induci potuit, ut reuocationem prius factam comprobaret denuo, ac ratam haberet. Qualis Hieronymus ille.

Dolebat quidem Patribus, uirum tam præclaræ eruditionis & eloquentiæ acriſque ingenij, tam miſere a Diabolo captum, & in erroribus obſtinatum teneri. Quare nihil omittebant eorum, quæ ad dehortandum a pertinacia facere uiderentur. Vbi autem uiderunt eum, ad omnes pias & ſalubres admonitiones ſurdum & immobilem, cōſtituerunt ei tandem diem Iudicij. Ipſe uero ſuæ confiſus eloquentiæ, petijt, ut publica ſibi præ- Patrum diligentia in dehortādo.

bi præſtaretur audientia, in qua poſsit aduerſarijs ſuis ad obiecta crimina palam reſpondere: Quam cum impetraſſet, miro dicendi artificio, & crimina ſibi obiecta diluere, & Vuiclephi doctrinam probare, ſuumque præceptorem Ioannem Hus laudibus in cœlum extollere curauit, non ſine magna auditorum admiratione. Patres igitur uidentes eum penitus induratum, omni reſipiſcendi ſpe abiecta, conceperunt aduerſus eum ſententiam in xxi. ſeſsione pronunciandam. Ea autem ſeſsio celebrata eſt die penultima Maij, Anno domini M.CCCCXVI. Præſidente in ea Domino Ioanne Epiſcopo, Oſtienſi Cardinali. In qua ſanè celebratis de more Miſſa & Lætania, ſermo ad Clerum, atq; adeo ad ipſum Hieronymum, uelut nouiſsime admonendum, et à pertinacia dehortandũ, habitus eſt à Reuerendo Patre, Magiſtro Iacobo, Epiſcopo Laudenſi. Quem referre operæ precium fore arbitror, eo quod multa in eo recitantur de hoc Hieronymo, quæ uulgo in hiſtorijs non habentur.

Dies Hieronymo dicta.

Sermo Reuerendi Patris, Domini Iacobi Epiſcopi Laudenſis. In ſeſsione XXI. habitus Conſtantiæ, aduerſus Hieronymum de Praga. Anno M. CCCCXVI. die XXX.. Menſis Maij.

SVpremæ Trinitatis nomine inuocato, pro præſenti propoſito occurrit mihi Thema merito proponendum, uidelicet. Exprobrauit incredulitatem eorum & duriciam cordis. Marci ultimo cap. Et in Euangelio occurrentis Octauæ. Reuerendiſsimi Patres, & Orthodoxi Domini, Cęteri quoque fideles Catholici, Quoniam teſte Aurelio Auguſtino, perverſis & obſtinatis hominibus non leuia uerba, ſed magis aſpera obijcienda ſunt. Quoniam ſepius contingit, ut ubi lenis correctio ſpernitur, acris aut acerba plaga, maiori attentione ſuſcipiatur. Et ideo qui uerbo blando non †corripitur, neceſſe eſt, ut acrius arguatur. Cum dolore quidem abſcidenda ſunt uulnera, quæ leniter ſanari nou poſſunt, ut inquit Iſidorus de ſummo bono. Certe etiam ſicut uidemus, quod grauiſsimus nodus in ligno nequit expelli, niſi grauiſsimo appreſſorio. Teſtatur Ambroſius. Vbi nanq; fuerit peſtilentior morbus, oportet medelam apponere meliorem & fortiorem, & maius uulnus cautiore eſt ligamine conſtringendum. Durior quoq; ferri materia, dum ad formam facile non flectitur, oportunum eſt, ut ei acrioris flammæ incendium & groſsioris mallei tunſio adhibeatur. Propterea Hieronyme, uiſa tua obſtinatione diutina,

Octaua aſcentionis domini.

Duri aſpere corripiendi ſunt.

†corrigitur.

diutina, & attenta pertinaci contumacia, & audita tua ultima reſponſione tam improba: certe poſſum id, quod ſcribitur Iſaię xlviij. de te dicere. Scimus, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Sed attende, quia cor durum male habebit in nouiſsimo, & qui amat periculum, peribit in illo. Eccle. iij. Conſydera tu quoq;, quod licet foris mea ſonet terribiliter increpatio, intus tamen † iacet dilectio charitatis. Et ſicut non debeo tibi uerbo aut opere parcere, ſic etiam intendo bona uoluntate te delinquentem & pia charitate corripere. Non quippe malis aſſentiendum eſt, ut approbentur, ſicut etiam negligenda non ſunt, ut non arguantur. Quare nõ putes me afflictionem uelle afflicto addere, neq; ignem gladio † confouere. Non enim intendo recalcitrantem bis pungere, ſiue incredulum obruere, aut induratum confundere: ſed ut uerius cognoſcas, quanta charitate corriperis, quanta dilectione repræhenderis, & quàm longa piaq; benignitate, ut reſipiſceres, hortabaris & adoptabaris, propoſitum thema duxi eiſdem uerbis reſumendum, uidelicet. Exprobrauit incredulitatem eorũ, & duriciam cordis eorum. Sacrum quippe præſens Concilium, exprobrauit incredulitatem eorum, illorum ſcilicet perfidorum hominum Iohannis Vuicleph & Iohannis Hus, & eorum ſequacium. Sic quoq; tuam exprobrat incredulitatẽ, & tui cordis duriciam. Tua quidem incredulitas mala eſt, quæ hæreſes nutriuit atq; perfidiam: ſed multo peior tui cordis duricia, quæ tuam obſtinationem oſtendit & pertinaciam. Nam ex errore incredulus repræhenditur, ſed ex cordis duricia hæreticus conuincitur. Quoniam qui ſuam ſententiam, licet falſam, nulla pertinaci obſtinatione † mentiri, ſeipſos emendare parati ſunt, nequaquam inter hæreticos ſunt computandi: ſed ſolum ij, qui maiorum patrum contempta ſententia, ſuorum errorum perfidiam contendunt citò poſſe defendere, parati magis mori quàm corrigi. Verba ſunt B. Auguſtini contra Fauſtum. Nam ex diſpoſitione nullus nominatur, ſed ex habitu perfecto. Vnde non quicunq; incredulus, ſed ſolum qui pertinaciter deuiat, hæreticus eſt. Quoniam error in ratione, eſt hæreſis initium: ſed pertinacia & cordis duricia in uoluntate, eſt hæreſis complementum: falli quippe & fallere, humanæ fragilitatis conditio eſt.

Increpatio contra duriciam cordis.

† latet

† confodere

Nõ error, ſed pertinacia hæreticum facit.

† tueri

Quare uidemus, quod qui, non dico meliori aut ſaniori, ſed acriori uigent ingenio, præ alijs deſipiunt. Quoniam noſtrum ingenium, de ſui natura non eſt ocioſum. Et ideo quando neſcit tenere ueritatis tramitẽ, in labyrinthum præcipitatur erroris. Nam aliter ſapere quàm res ſe habet, humana tentatio eſt: ſed mendacijs iuuare ſententiam, ſanctorum patrum decreta cõtemnere, & uſq;

Docti & ingenioſi pręalijs hęretici fiunt.

in hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt. Inquit Auguſtinus contra Donatiſtas. Sunt igitur errores & increduli ſimul extirpandi, ſed magis cordis duricia condemnanda. Virus ſiquidem tranſmittit in poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit: Et bonis nocet, qui malis parcit. Sic ait Moralis Seneca. Iniquitas quippe mortalium, in noſtri perniciem, more putredinis, ſine fine uagaretur, ſi eam medicinalis correctio minimè reſecaret. Nempe malum cum perſeuerat augetur: Remediale bonum eſt, in peccato accelerata correctio. Occurrendũ eſt itaqꝫ malis, occurrendum eſt ſcandalis, ne tractu temporis impunita malitia cõualeſcat, & uires in iniquitate diſsimulatio ſubminiſtret: ſed debita correctio imperitiam doceat, & cõtumaciam atqꝫ cordis duriciam ſeuera diſciplina compeſcat. Manifeſta ſiquidem crimina, non occulta correctione purganda ſunt, ſed palam arguendi ſunt, qui publicè peccauerunt. Vt dum aperta obiurgatione ſanantur, ij qui eos imitando deliquerũt, corrigantur. Dum enim corrigitur unus, plurimi emendantur, & melius eſt pro multorum ſalute quod + reus puniatur, quàm quod pro unius licentia multi periclitẽtur: Inquit Gregorius in Regiſtro. Et etiam Iſidorus III. de ſummo bono. Quamobrem ſunt hæretici publicè extirpandi, ne ſuis malis exemplis, falſa doctrina ac contagione peſtifera, plurimos perdant. Sunt enim nonnulli (inquit Gregorius) qui dum plus exquirunt contemplando quàm cupiunt, uſqꝫ ad peruerſa dogmata erumpunt: & dum humiliter eſſe diſcipuli ueritatis negligunt, magiſtri erroris fiunt. Sicut enim approbanda eſt uera & docta ſimplicitas, ſic reprobanda eſt falſitas accuratè compoſita: quæ hominem ſuis erroribus illicit, & per linguæ ornamenta, laqueos deceptis expandit. Et licet quiſque incredulus, ſit pro ſua perfidia meritò exprobrandus, intereſt tamen multũ, quibus rebus & quantum erretur, & quàm facile ſe quiſqꝫ corrigat, uel quanta pertinacia ſuum defendere conetur errorem. Incredulitas, ubi correctionem accipit, meretur ueniam. At duricia & pertinacia, non niſi finali exterminatione extinguenda eſt. Nemo igitur obduratus & contumax, nemo de ſua inani phantaſia confidat. Aduerſa nanqꝫ eſt duricia, quæ uitã ſuam pro certa commendat: & lubrica ſpes, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat. Incerta eſt uictoria, inter hoſtilia arma pugnare, & impoſſibilis eſt ſaluatio, flammis ardentibus circundari & non ardere. Nimium enim præceps ſui eſt, qui intrare audet, ubi alios uidet cecidiſſe. Et uehementer interritus, cui non incutitur timor alio pereunte. Culpa enim defendendo geminatur, & peccatum peccato adijcit, qui malè geſta inuerecũdè pertinaciterqꝫ defendit. Deteſtanda

+ unus

Hæretici publicè corripiendi ſunt.

ſtanda eſt igitur cordis duricia, & præcipuè illa, quæ nec cōpunctione ſanatur, nec pietate mollitur, nec precibus cōmouetur, quæ minis non cedit, & flagellis amplius indurat. Vnde inexcuſabiliter culpabilis, & letaliter criminabilis eſt, quia remediū pœnitētiæ non admittit, & conceptum ſuperbiæ non euomit. Duo quidem quæ in erroribus hominum difficillimè tolerantur, uidelicet præſumptio, antequam ueritas pateat, Et cū patuerit, præſumpta defenſio falſitatis. Sicut enim incredulitas ex ſuperbia naſcitur, ſic etiā cordis duricia ex propria præſumptione nutritur. Nullus enim præſumptuoſus culpam ſuam confitebitur, quia ſe culpabilem non æſtimat. Damnatiſsima eſt igitur præſumptuoſa ſuperbia, & uperba præſumptio, quæ ubi nulla æquitas eſt, ſibi cupit fictā iuſtitiam arrogare, et de propria nō deſinit ſcientia ſuperbire. Hieronyme, timeo, quod iſta taliſq; præſumptio et exterminatio, quam tu ubi fingis de te ipſo, ſit totius tuæ cauſa duriciei. Hic latet tuum præcipitiū, hic eſt tuus labyrinthus erroris, hæc tua obſtinatio parauit † intentum. Licet enim ſciolus ſis, & didaſculus fueris, tua tamen (ut mihi apparet) nimia præſumptio decepit te, et error errori gradū multifariè præparauit. Deliberaui itaq; Hieronyme, te tuāq; frontē percutere, ſemper tamen cū debita charitate, quæ dum uulnerat, ſanat: & dum pungit, lenit, ſi non præbeas mihi faciem tuam ut petram duriſsimam, ſed potius iuxta Euangelicū documentum, Si quis percuſſerit te in unam maxillam, præbe ei & alterā. Percutiam igitur te, & utinam ſanem. Debuiſſes quidē emolliri ex recordatione criminum commiſſorum, aut uiſa tanta benignitate tuorū dominorum iudicum. Primo quidem proijcio ſtercus, non alienū, ſuper faciem tuam, ſed proprium: ut tua poſsis ad tui emendationē crimina intueri: quibus utinam poſsit tanta tua duricia emolliri. Attendite quæſo Catholici Domini, quāta fuit horū uirorum, ſcilicet Ioannis Hus & Hieronymi huius, præſumpta temeritas, ut homines uiles, plebeij, infimi, ortuq; ignoti, auderēt nobile Regnū Bohemiæ totū cōcutere: Barones & Principes ad lites & diſſenſiones incitare, milites prouocare, regimina antiqua immutare, conuocare cohortes, diuidere populos, inter ciues diſſenſiones maximas cōmouere, cateruas ducere, ſatellites habere, armatos tenere, homicidia perpetrare uel procurare: ſpoliare Eccleſias, & altaria prophanare. O beatū Regnū Bohemiæ, ſi natus nō fuiſſet homo iſte. Valde quippe deteſtandū eſt, quod homines Eccleſiaſtici, ſub cuiuſdā † præcepto ſanctitatis, qui deberēt Deo uacare, die noctuq; precibus inſiſtere: pro peccatis populi (cuius bona comedunt) orare, tempus ſuū orationi impendere: Non uerentur, Regum & Principum curias infeſtare,

Deteſtādā cordis duricia.

† *interitum*

Matth. 5.

Seditioſi Ioannes Hus & Hiero.

prætextu. †

lites cõmouere, decreta Regnorũ uelle pro libitu immutare, litibus inſudare. O quanti mali radix fuit, horum duorum ruſticorum præſumptio: Ex qua tot ſunt ab utraq; parte occiſi, quot ſolennes Clerici detruſi, quot exilio relegati, et uiolẽter expulſi, quot ſpoliati, quot uerberibus cæſi, quot deſolatæ Eccleſiæ, quot prophanata altaria, quot deſtructa Monaſteria? Etſi uolebas, Hieronyme, malos perſequi Clericos, Cur bonos afflixiſti? Quæſo te, quia pridie uſus fuiſti, Hieronyme, exemplo eodem, & nunc uelles uti & dicere. Væ mihi mater mea, cur genuiſti me? uirum rixæ, uirum diſcordiæ in uniuerſa terra, uti ſcribitur Hieremiæ 15. Non pigeat te meminiſſe illorum ſanctorum uirorum de Praga Carmelitarum, quorũ prædicatorem capi, & Monaſteriũ ſpoliari uos, in animarũ ueſtrarum perniciem, procuraſtis. In unã te percuſsi maxillam, præbe mihi & alteram, in qua benignitatem tuorum dominorum iudicium, ut perpendas, attende. Sciunt aliqui, ſed non omnes. Debeo & ego ſcire rigorem & modum, quid circa hæreticos uehemẽter de hæreſĩ diffamatos, debeat breuiter obſeruari. Nam debẽt diligẽter inquiri & capi, ac carcere mancipari. Debent cõtra eos articuli recipi, & teſtes quicunq; contra eos admitti, Etiã ſi ſint infames & uſurarij, Ribaldi, & publicę meretrices. Debent de ueritate dicẽda iuramento aſtringi. Quam ſi præfati hæretici dicere contempſerint, debent eculeo torqueri, et uarijs tormentis extendi. Non debent aliqui ad eos, niſi magna neceſsitatis cauſa, intromitti. Non debẽt quoq; publicè audiri. Si reſipuerint, debet eis miſericorditer uenia impendi. Si autem pertinaces extiterint, debẽt condemnari, & tradi brachio ſæculari. Certe non iſto rigore tecũ actũ eſt, licet fueris de hæreſibus permaximè diffamatus. Quia nõ tantũ Arrius, nõ Sabellius, nõ Fauſtus, non Neſtorius, non quiſq; alius fuit hæreticus in uita ſua, tantũ quantũ tu diffamatus. Quia in Anglia, in tota Bohemia, in Francia, in Vngaria, in Polonia, in Lituania, in Ruſsia, in Italia & in tota Alemania, de hęreſi tua peruolauit infamia. Fuiſti captus (ut debent ſimiles) ad Cõciliumq; deductus, & ſola neceſsitate urgente reduſus. Super qua reduſione Reuerendiſsimi domini mei Cardinales, de Vrſinis, Aquilegienſis, Cameracenſis, Florentinus, perſonaliter quæſierunt, ſi poſſes alio magis commodo loco collocari. Et ſi tuam fugam non fuiſſent ueriti, (quia ſępius fugeras) ne dum in eorum domo, ſed menſa & camera te unuſquiſq; eorum beneuole pertractaſſet. Contra te non fuerunt niſi probi teſtes admiſsi, utputa ſacræ Theologiæ Magiſtri, & ſacrorũ Canonũ Doctores, Baccalaurei quoq; plurimi, Solenniũ Eccleſiarũ curati, & omnes alij uenerabiles uiri: Qui corã te iurauerũt, & quorũ neminẽ reprobaſti.

Qualis in hæreticos proceſſus.

Quam clemẽter actũ eſt, cũ Hieronymo.

Reduſus, id eſt, iterum incluſus.

reprobaſti. Articuli quoq; contra te adducti fuerunt, pro maxima parte de ueritate probati. Tortus non fuiſti, & utinam fuiſſes, Quia uel ſic humiliatus, omnes errores tuos penitus euomuiſſes. Pœna illa tuos aperuiſſet oculos, quos culpa præcluſerat. Ad te etiam quicunq; uenire uoluerunt, ad tui conſolatioem fuerunt intromiſsi. Recogita, quàm benignè, quàm dulciter, Reuerendiſsimi Domini Cardinales, quàm plures alij te fuerint exhortati, & tibi ex corde compaſsi, ut uelles reſipiſcere, Quoties ſupplicarunt? Audientia quoq; publica pluries tibi ad † tui conceſſa eſt libitum. Quam utinam non habuiſſes. Timeo nanq;, ne illa audientia tibi nimiam præſtiterit audaciam. Sex enim incommoda tibi per te, in illa audientia irrogata ſunt. Primum, quia omnium, te pie excuſare uolentium, ora obſtruxiſti. Quia quadam pietate conuicti, ut te defenderēt, te delirum, ſtultum ſiue inſanum dicebant. Sed quæſo, quis te inſanum aut delirum diceret, niſi † eſſes delirus, hominem ſic ornate orantem, & ſic accurate dicentem? Oportet amplius, ut hi tui excuſatores ſileant, & penitus conticeſcant: Quia loquela tua te manifeſtum facit. Secundum incommodum tibi in tua irrogatum oratione fuit, qui te ſeditioſum, & homicidia procuraſſe, minime denegaſti. Tertio, quia teſtes contra te deponentes, per multas hiſtorias longaq; exempla, mētitos fuiſſe probare conabaris: Quos tamen cōtra te uraciſsimè dixiſſe, unico tuo teſtimonio approbatum eſt. Quartum fuit, quia apparuit, ut neſcires inter Logicam Rhetoricamq; diſtinguere: Cum dixeris, Dicta teſtium contra te demonſtratiuum argumentum minime facere. Noſti quippe quod demonſtrationis genus aliud eſt in Logica, & aliud in Rhetorica. Logica quidem demonſtrat per propoſitiones immediatas & Syllogiſmum expoſitorium. Rhetorica uerò demonſtrat per laudes & uituperia. Aliter nanq; demonſtrat Phyſicus Naturalis, & aliter Ethicus Moralis. Vnde Legiſta, Canonicus uel ciuilis non demonſtrat, niſi per allegata & probata. Itaq; contra te demonſtratur per allegata legitima, & probata de ueritate ſufficientiſsima: Rogo te, quis magis cōtra te poteſt demōſtrare q̃ tu ipſe, & aduerſum temetipſum demonſtraſti? Tu ſolus tibi ipſi inimicus exiſtis, Tu ſolus tibi aduerſus, Tu ſolus magis tibi cōtrarius. Omnes nos tibi compatimur, Tu ſolus tibi crudelis penitus comprobaris. Omnes tibi pij aſsiſtunt, ſed tu ſolus tibi inimicaris. Quintum fuit, quia Ioannē Hus, quem prius tuo teſtimonio ac iuramento anathematizaueras, poſtmodū laudare non fuiſti ueritus. Quæſo te, qua fronte, qua audacia, qua quoq; inuerecundia, potuiſti attollere uirum ſeditioſum, hæreticum & homicidia procurantem?

[Margin notes: † tuum — Sex incommoda per audientiam publicam. — I. — † eſſet — II. — III. — IIII. — Duplex demonſtratio. — V. Inuectiua in Io. Hus.]

Memini te aliquando dixiſſe, illum non fore ebrioſum uel fornicarium: ſed quid prodeſt, Pijſsimi Domini, uinum non bibere, & ira, odio, ſuperbia & contentione inebriari? Quid eſt uinum ſeruare, & ſanguinem effundere non uereri? Aut quid eſt, non inebriari uino, & dentibus delationum ſanguinem ſpargere, & proximorum carnem immaniter laniare, & inceſſabili perſecutione interimere? Dixiſti illum non fornicarium, utinam dixiſſes non hæreticum. Nulla enim maior fornicatio quam illa, qua hic fuit Ca-

VI. tholica fornicatus à fide. Sed ultimo in hac publica audientia,

Turpe contra ſeipſum teſtimoniū. temetipſum tuo proprio teſtimonio condemnaſti. Vtinā ſiluiſſes. Quæ nanque contra te maior poteſt autoritas quàm ea, qua te mendacem, periurum: immò deierantem, & hæreticum relapſum eſſe affirmas, reuocaſque quæ ſanctè iuraſti, & in fortiorē ac peiorem recidiuaſti errorem. Quamobrem ſacrum præſens Concilium, cui in terra eſt collatum omne iudicium, iudicabit te iuxta uias tuas. Ezechielis vij. Licet qui non credit, iam iudicatus ſit, ut ſcribitur

Triplex cauſa puniendi. Ioan. iij. In iudicando ſiue corripiendo (ut teſtatur Seneca de clementia ad Neronem) hæc tria lex ſecuta eſt, quæ quilibet Princeps aut Iudex ſequi debet. Vt aut eum quem punit, emendet: aut pœna eius cæteros meliores reddat: Aut ut ſublatis malis, ſecuriores cæteri uiuant. Quamobrem hæc ſancta Synodus, de te nunc intendit ſumere iudicium. Et utinam reſipiſceres, & duriciam tui cordis confringeres. Iudicabit itaque te ſecundum recti iudicij æqui-

Luc. 1. tatem, & ſacrorum Canonum ſanctiones. Et licet (quod abſit) conuerti nolueris, tamen ſic debet utique iudicare, ut conuertat incredulos ad prudentiam, id eſt, ad ſcientiam fidei, parare Domino plebem perfectam. Quod eidem ſancto Concilio concedere dignetur fœliciter, uiuorum & mortuorum Iudex iuſtiſsimus, Chriſtus Ieſus, benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen. Finito hoc ſermo-

Sententia in Hieronymum pronunciata. ne, Hieronymus ille de Praga, in medio conſtitutus, quendam Bancum aſcendens (ut in Actibus Concilij legitur) replicauit contra dictum Dominum Iacobum & ſermonem eius, aliaque multa & diuerſa dixit & allegauit. Quibus auditis, Reuerendiſsimus Pater, Dominus Patriarcha Conſtantinopolitanus, unus de Commiſſarijs ipſius Synodi, dicto Magiſtro Hieronymo præſente & audiente, ſententiam diffinitiuam contra eundem, alta & intelligibili uoce, in ſcriptis legit & promulgauit. Qua quidem ſententia lecta, & per Synodum uniuerſaliter approbata, & per deputatos Nationum, Antonium Concordienſem, Vitalem Tholonenſem, Nico-

alias † Carragenſem. laum Merſeburgenſem & Patriciū † Carthaginenſem Epiſcopos, ac ſupra dictum Dominū Oſtienſem, confirmata per uerbū Placet:

Idem

Idem Hieronymus traditus eſt poteſtati ſæculari, per quam combuſtus eodem die fuit. Ne uerò nimium prolixa fiat narratio, diffinitiuę illius ſentētiæ, principiū tantum & finem recitabimus, quandoquidē cætera, quæ ibi repetūtur, enarrata ſunt prius. Initium igitur ſententiæ ſic habet. In nomine Domini Amen. Chriſtus Deus & ſaluator noſter, uitis matura, cuius pater agricola eſt, diſcipulos cæterosq́ꝫ fideles ſuos in illis inſtituens, inquit. Si quis in me nō manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet. Cuius ſummi Doctoris & Magiſtri doctrinā ſequens, & præcepta exequens, hæc ſancta Conſtantienſis Synodus, in cauſa inquiſitionis hæreticæ prauitatis, per eandem ſanctam Synodum mota, fama publica referente, & clamoroſa inſinuatione demonſtrante: Contra Magiſtrum Hieronymū, dictum de Praga, dictum Magiſtrum in artibus, Laicum. Ex cuius cauſæ actis & proceſsibus conſtat, eundem Hieronymum tenuiſſe, aſſeruiſſe, & dogmatizaſſe nōnullos articulos hæreticos & erroneos, dudum à ſanctis Patribus reprobatos: Quoſdam uerò blaſphemos, & alios ſcādoloſos, & alios piarū auriū offenſiuos, temerarios & ſeditioſos: Dudum per damnatę memorię uiros, Ioannē Vuicleph & Ioannē Hus aſſertos &c. Et infra ſub finem. Poſt quas profeſsionem & abiurationem, multis diebus tranſactis, ſicut canis ad uomitum rediens, ut uirus peſtilentiſsimū, quod in ſuo latitabat pectore, publicè euomeret, audientiam publicā ſibi dari petijt, & in eadē ſancta Synodo publicè congregata, aſſeruit, dixit & profeſſus eſt in effectu, quod præfatę ſententiæ damnationis dictorum Ioannis Vuicleph & Ioannis Hus, iniquè conſenſerat, & illam ſententiam approbando mentitus fuit. Nec uerebatur ſe confiteri mentitum: Quinimmò confeſsionem, approbationem & profeſsionem ſuas, ſuper illorum damnatione, reuocabat nunc & inæternum, aſſerens ſe in libris Ioannis Vuicleph & Ioannis Hus, nullam unquam hæreſim uel errorem legiſſe: Licet ante fuerit confeſſus, & probatum ſit euidenter, ipſum libros eorum diligenter ſtuduiſſe, legiſſe, & dogmatizaſſe, in quibus conſtat plures errores & hæreſes contineri. Verum idem Hieronymus de Sacramēto altaris, & tranſubſtātiatione panis in corpus Chriſti, profeſſus eſt, ſe tenere & credere quod Eccleſia tenet, Dicens, ſe plus credere Auguſtino & cæteris Eccleſiæ doctoribus, quàm Ioannis Vuicleph & Ioānis Hus damnatis erroribus adhærere. Illorum tamen ſe fautorem fuiſſe & eſſe. Propter quæ eadem ſancta Synodus, eundem Hieronymum, palmitem putridum, aridum, in uite non manentem, foras mittendum decernit, ipſumq́ꝫ hæreticū, & in hæreſim relapſum, excōmunicatum, anatematiza-

Verba ſententiæ diffinitiuæ.

Ioan. 15.

Turpis Hieronymi relapſus.

Diſcrepantia eius à Vuiclepho

tum pronunciat & declarat atq; damnat. Hęc ibi ex actis publicis. Hieronymus itaq; poteſtati ſæculari traditus (non degradatus ut Ioannes Hus, quia Laicus erat) & ad locũ ſupplicij eductus, forti & infracto mortem pertuliſſe uiſus eſt animo. Qua de re elegans extat epiſtola Poggij florentini, qui ſe uidiſſe affirmat rem geſtam. De qua quidem epiſtola multum glorientur Huſsitæ, & Priſci & Moderni, eò quod uiro huic plurimum laudis tribuere uidetur. Equidem Bohemo huic, quemadmodum & uniuerſæ Bohemorum Nationi, ego nullum laudis titulum inuideo, ſalua in omnibus ueritate & fidei Catholicæ aſſertione. Ne tamen fucatis laudibus, uanè contra nos Catholicos glorientur Huſsitæ, in fidei noſtræ præiudicium, atq; in Concilij iniuriam ſanctiq; ſpiritus blaſphemiam: pro ueritatis honore dicã quod res eſt, ut mihi uidetur. Etenim non nego, ſed facile cõcedo, atq; etiam affirmo, Hieronymũ iſtum excellenti præditum fuiſſe ingenio, præclara eloquentia, multifaria eruditione, uiuaci memoria & id genus reliquis oratoriæ laudis ornamentis, pluribus etiam quàm quæ à Poggio commemorãtur. Sed ſpecioſa illa Dei dona, non ſunt ueræ uirtutes, quæ uirum bonum reddant, quia malis iuxta & bonis dantur, quibus & bene ac male uti quis poteſt. Non enim ſunt ex gratia gratum faciente, ſed ex gratia gratis data. Et communia ſunt Paganis nobiſcum, Turcisq; & Iudęis. Non enim pauci ex Paganis in ijs bonis longe præcelluerunt Hieronymum iſtum, nec puto ullum Huſsitam, ſeu ueterem ſeu nouum tam impudentem exiſtere, ut auſit eum in hac laude præferre priſcis illis Paganis, Socrati, Xenophonti, Platoni, Ariſtoteli, Demoſtheni, Ciceroni, Hortenſio, Plinio & cæteris eruditionis & eloquentiæ luminibus clariſsimis. Ad fidei igitur & iuſtitiæ ac ſalutis æternæ cauſam, bona illa nullam firmam aut ſolidam probationem afferunt: Nec de uana iſta laude, cum hæreticis contẽdimus. Non enim negamus doctiſsimos & eloquentiſsimos uiros fuiſſe pleroſq; hęreticos, ut Valentinum, Nouatum, Paulum Samoſatenum, Arrium, Neſtorium: Quibus & Hieronymus iſte longe inferior fuit. Sed negamus eos fuiſſe uiros bonos, aut ulla uera uirtute præditos. Omnes enim hæretici carent charitate & recta fide, ſine quibus cætera bona cuncta ad animę ſalutem nihil omnino proſunt. Quantumuis igitur doctus & eloquens fuerit iſte Hieronymus, tamen uir pius aut uir bonus nec fuit nec dici potuit, quia per hæreſim a fide, per ſchiſma à charitate excidit. Ideoq; particeps eſt omnium peccatorum, culparũ, criminum ac ſcelerum, quę ſupra de Ioanne Hus enumerata ſunt, Niſi forte in hoc uno remiſsius ei ſit in iudicio Dei quàm illi, quod Vuiclephi hæreſim non prior

Epiſtola Poggij de hoc Hiero.

Gratiæ gratis datæ in Hiero.

Eloquẽtes ac docti hæretici.

Hiero. nec pius nec bonus uir fuit

prior ipſe diſſeminauit in Bohemia,ſed eam à Ioanne Hus accepit. In nonnullis autem culpabilior ac deteſtabilior fuit Ioanne Hus. Nam in XXIIII. articulis, qui in accuſationem eius ſupra producti fuiſſe narrãtur,longe minus reprehenſibilis(ſaltem in quibuſdam) fuiſſe uidetur Ioannes Hus,quam Hieronymus iſte. Quemadmodum enim iſte erat ætate iunior, ita erat & ingenio feruentior & oratione uehemẽtior, atq; ad procurãdas cædes & ſeditiones concitatior,& ad quęuis facinora illo audacior. Deniq; cõtra ſanctam Eccleſiam magis uiolentus & impius. Nam in reliquias ſanctorum & in Chriſti,ac diuorum imagines,atrociores legũtur Hieronymi huius,quam Ioannis Hus iniurię, & propenſiora contra honorem & unitatem Eccleſiæ ſtudia. Non enim legitur Hus excurriſſe,ſicut Hieronymus fecit, ad Ruthenos & Vngaros, aut publicè ad antiquos Ruſsiæ ſchiſmaticos tranſijſſe:aut Pragę tam ſeditioſe ac uiolenter tum libros Vuiclephi, tum ſupplicia peremptorũ in Prætorio Huſsitarum uindicaſſe,ꝗ̃ fecit Hieronymus. Poſtremo una Hieronymi ficta & perfida reuocatio,& eiuſdem longe ſceleratior retractatio, tam immane ſcelus ac deteſtabile facinus uidetur, ut mihi perſuadeam,tam generoſos eſſe animos Baronum & Nobilium eorum,qui adhuc hodie in Bohemia et Morauia Huſsitarum ſectam fouent,aſſeruntq; aut tolerant ſaltem,ut ſi ſcirent, Hieronymum iſtum ita egiſſe,adeoq; turpiſsimè deliquiſſe Conſtantiæ,tanto in nomen eius odio inſurrecturi eſſent, ut memoriam eius ex omnibus ſuis libris et Eccleſijs,ſeu Cõuenticulis potius,penitus delerent. Quid enim turpius & bono uiro indignius facere potuiſſet, ſecundum omnes Huſsitas & Vuiclephiſtas, quàm quod in reuocatione illa fecit? Ecce in præfatione uocat damnatores Magiſtrorum ſuorum,Vuiclephi & Ioannis Hus, (quos amabat & pro ſanctis habebat in corde ſuo) Reuerendiſsimos Patres, doctiſsimos ac præſtantiſsimos uiros,glorioſum cœtum,ſacroſanctum Concilium, Templum Domini ſanctum, ueri Salomonis Principes, & quid non? In reuocatione autem atrociſsimis iniurijs, publicè coram toto mundo,affecit illos præclaros (ſi dijs placet) Magiſtros ſuos,& quidem ſua ſponte id fecit ac uoluntariè,ſicut ipſemet affirmat,tum in præfatione,tum in reuocatione. Quæ autem ſunt illæ iniuriæ? Anathematizo (inquit) omnem hæreſim,præcipue eam, de qua hactenus infamatus fui,& quam pręteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vuicleph & Ioannes Hus in ſuis opuſculis &c. Item,Conſentio autem ſanctæ Rom. Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi,& huic ſacro Concilio, & ore ac corde profiteor, in omnibus & per omnia. Et ſpecialiter, quod prædictorum articulorum

Hieron. facinoroſior Ioãne Hus.

Turpe facinus eius in reuocatione.

Iniurę Hieron. contra Hus.

culorum Ioannis Vuicleph & Ioannis Hus plures ſunt notoriè hæretici. Quidam uerò blaſphemi, alij erronei &c. Item, Non immerito compræhendi & compræhendo ipſum Ioannem Hus, & ſuam doctrinam, cum eorum ſequacibus, per hoc ſacrum Concilium, damnatam & reprobatam fuiſſe, tanquam hæreticam & inſanam. Ne autem dicerent Huſsitæ, ipſum hæc metus cauſa coactè & inuoluntariè dixiſſe & ſcripſiſſe: Ipſe hanc euaſiunculam præueniens, mox ſubiungit. Et hæc omnia ſupradicta dico purè & ſine conditione, ut iam plene & ſufficienter informatus, de prædictis ſententijs latis per hoc ſacrum Concilium, contra doctrinas dictorum quondam Ioannis Vuicleph & Ioannis Hus, & contra ipſorum perſonas. Quibus ſententijs, tanquam deuotus Catholicus, in omnibus & per omnia humiliter conſentio & adhæreo. Item, Omnes qui contra hanc fidem uenerint, cum dogmatibus ſuis æterno Anathemate dignos eſſe pronuncio, &c. An non ſunt iſta uerba Primi & Maximi Huſsitæ, graues contumeliæ & atroces iniuriæ in ipſum Hus & in omnes Huſsitas, merito cenſendæ? Quid enim grauius aut contumelioſius dicere poſſet, quàm æternum Anathema, in ipſum, in eius doctrinam, in eius perſonam, & in omnes ſequaces eiuſdem? Nec leuis item iniuria eſt, dicere, plures articulos eius eſſe hæreticos, blaſphemos, erroneos, ſcandaloſos, ſeditioſos &c. Item, doctrinam eius meritò damnatam ac reprobatam à Concilio fuiſſe, tanquàm hæreticam & inſanam. Quid obſecro cuncti Catholici uel Mille libris, grauius aut iniurioſius contra ipſum Hus & omnes Huſsitas dicere, aut pronunciare queant?

Huſsitarũ damnatio per Hiero.

Nec poſſunt ulli Huſsitæ uerecundè dicere, eundem ſuum Hieronymum friuolè & inconſyderate, aut per uinolentiam, aut ui metusúe cauſa ſic pronunciaſſe. Nam eiuſmodi tergiuerſationes cauilloſas, proprijs ipſe uerbis reijcit & excludit. Quandoquidem affirmat ſe omnia illa pronunciare uoluntariè, ſpontaneè, liberè, purè, ſine conditione, ex animo ac toto corde & ore, atque etiam proprio Chirographo. Et adeò non temere aut friuolè, ut etiam egregijs Doctoribus & Magiſtris contra Ioannem Hus crediturus non fuiſſet, niſi erroneos ipſius articulos uidiſſet propria eius manu ſcriptos, quam ut ſuam propriam bene cognoſcebat. Denique adeo conſtanter & ſerio ſic pronunciauit, ut non ſit ueritus ea confirmare terribiliſsimo iuramento, per ſanctam Trinitatem & per ſacroſancta Euangelia, & ſeipſum præterea deuouere non ſolum Canonum ſeueritati, ſed etiam æternæ pœnæ, ſi fallerét. Ecce quomodo perplexi ſunt (ut ait Iob) nerui teſticulorum huius Bohemici Behemoth: quibus infœlix ita cõſtrictus tenetur, ut à culpa,

Iob. 40.

nullo

nullo ingenio, nulla dicendi arte ſe poſsit extricare, neq; coram Deo, neq; coram hominibus. Coram Deo enim conſtrictus tenetur iuramento æternæ ueritatis, quod impia præuaricatione tranſgreſſus, reus periurij in æternum permanet, & propria deuotione æternæ pœnæ obligatus tenetur. Nam ſicut Iudas proditor, immani proditionis delicto, longe grauius ſcelus deſperationis ſuperaddidit: Ita & Hieronymus iſte, ſcelerato periurij reatui, lōge grauiorem culpam finalis impœnitentię, & relapſus in abiuratam hæreſim, ſuperadiecit. Coram hominibus prętereà miſerè item confuſus & conſtrictus tenetur: Coram Catholicis quidem multipharie. Reus enim habetur hæreſeos & omnium aliorum grauiſsimorum criminum, quibus & Iohannem Hus conſtrictum ſupra oſtendimus. Reus prætereà tam grauis periurij, & infamiæ multipliciter, conuictus item de ſeditione & homicidio, grauius etiam quàm inſignis ille Barrabas, qui unius homicidij reus legitur, iſte autem multarum cædium & ſeditionum reus in ſæcula manet. Non igitur ut innocens, ſed ut ſceleratiſsimus malefactor, multis legum publicarum ſententijs illaqueatus, perfidiæ, ſchiſmatis, periurij, & aliorum maximorum criminum pœnas in igne luit, & propter impœnitentiam & obſtinationem finalem in æternum luet. Tantum abeſt, ut pro ſancto aut Martyre haberi aut coli debeat. Coram Huſsitis deniq; ſuis multipliciter accuſari, repræhendi atque confundi potuit, poteritq; ſemper, propter atroces illas iniurias, quas in famoſa & perfida reuocatione ſua, coram toto Concilio, ex omnibus ſub cœlo Nationibus Chriſtianis cōgregato, publicè in Ioannē Hus & Ioannē Vuicleph eorumq; ſequaces pronunciare, & cum iuramēto cōfirmare nō erubuit. Sunt igitur & Huſsitarum teſticuli per Hieronymum iſtum perplexi & conquaſſati. Nam ſi fateantur, eum in reuocatione ex animo & uere ſuam pronunciaſſe ſententiam, ſeipſos protinus condemnant, & æterno Anathemate dignos agnoſcunt. Si uero dicant, eum non ex animo, ſed ficte & contra mentem ſuā ſic pronunciaſſe & iuraſſe, maximè ſeipſos confundūt, tanquàm eos, qui propter ſchiſma fouendum, nullam habeant rationem honeſtatis, grauitatis, ueritatis & pietatis: Vtpote qui hominem tam ſceleratum & perfidum, pro ſancto habeāt, & uelut Martyrē Chriſti uenerentur, non ob aliud, niſi quia pertinaciter mortem propter hæreſim ſuam ſuſtinuit, cum conſtet eum prius illam publicè damnaſſe & abiuraſſe. Inhoneſtus ergo erat, quia duplex animo, & inconſtans (ut ait Iacobus) in omnibus uijs ſuis, doctrinā, quam antea Pragæ et per omnē Bohemiam Morauiamq; publicè prædicauerat: Conſtātiæ poſtea libere

Marginalia: Hiero. in culpa perplexus & cōſtrictus. — Quantorū criminum reus Hiero. — Perplexi Huſsitæ per Hiero. — Inhoneſtus & inconſtans Hiero. Iac. 1.

berè ac uoluntariè corā omnibus Nationibus reuocauit, damnauitq́ & abiurauit, & paulo poſt multo inhoneſtius eandē rurſus approbauit, laudauit & iuſtificauit, adeo inconſtans publicè, ut uix

Perfidia cius. ulla meretrix priuatim tā impudēter fallere auſit promiſſam ſcortatori noctem. Nam ſi diligētius quis diſcutiat hanc rem, inueniet Hieronymū iſtum circa Vuiclephi doctrinā terq; quaterq; (ut ait Poëta) perfidum. Primo quidem Pragę, quādo ipſe anno domini 1408. XLV. articulos Vuiclephi ſimul cū cæteris publicè damnauit, tum ut Magiſter Vniuerſitatis, tum ut membrū Bohemicæ Nationis. Bis igitur aut ter eam doctrinam ſub initium damnauit Pragę, ſcilicet in Collgio Caroli, in Nigra Roſa & in Prætorio. Taceo de ea damnatione, quæ in profeſſoribus Theologicæ facultatis facta fuit, quia non reperio eum illius facultatis membrum fuiſſe. At paulò poſt maximè aſſeruit & prædicauit ſeditioſsime eandem doctrinam, nec puduit eam cum ſocijs ſuis contra Doctorum conſilium in articulis obiectionis ſuæ dicere, Iniquam & iniuſtam, ac temerariam eſſe & fuiſſe XLV. articulorum condemnationem & prohibitionem. Vbi uerò Conſtantiam uenit, eandem rurſus condemnauit, atq; etiā diris deteſtationibus & obligationibus abiurauit, in maximam ſane demortui Hus contumeliam & omnium Huſsitarum confuſionem: nullis adactus tormentis, nulla compulſus ui, ſed liberè ac uoluntariè. At non longe poſt, tertiā perfidiam quarto periurio dedecoriſsime fefellit, eandem rurſus aſſerens, quam toties dānauerat. Vt non immerito potuerit dici ac uideri homo impudentiſsimus, & leuiſsimus transfuga, nunc harum nuc illarū partium. Qui aliud ſtans, aliud ſedens de fide ſentit, ut iure necq; in hac

Hiero. ſimilis Gnatoni neq; in illa parte fidem habeat. Sicut in Ciceronem dixit Saluſtius. Vnde & leuiſsimo Gnatoni potius, quam uiro forti & conſtanti aut Euangelico Prædicatori comparari debet, ſi res ipſa & nuda ueritas expendatur. Quemadmodum enim Gnato Terentianus, impudens ille paraſitus & menſarum aſſecla, dicebat, Aiunt Aio:

Matth. 5. Negant Nego. Ita & Hieronymus iſte (immemor doctrinæ Chri-

1. Cor. 1. ſti, ubi ait, Sit Sermo ueſter Eſt Eſt, Non Non. Et Pauli, dicētis, Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud uos, non eſt in illo Eſt & Non, ſed eſt in illo Eſt) aliud dixit apud Huſsitas Pragæ, aliud apud Patres in Concilio: & rurſus mutata per diabolicum ludibrium ſententia, aliud apud eoſdem Patres dixit poſtea quam prius. Idcirco Patres in ſentētia diffinitiua exprobrant ei, tanquam maximum improperium dedecus & infamiam, quod non uerebatur ſe cōfiteri mentitum: Sed adhuc grauius erat ſcelus, quod mentitus fuerat, nō hominibus tantū, ſed etiā Deo, quod ſumma impie-

tate

tate ac extrema cum deſperatione auſus fuerit mentiendo iurare per ſanctam Trinitatẽ, & per ſacroſancta Euangelia, ac ſeipſum æternæ obligatum facere pœnæ, idq; liberé ac ſpontaneé,ut ipſemet dixit. Quæ obſecro impudentia eſt, quæ inſania, quæ impietas,talem hominẽ, uſq; adeo falſum ac fraudulentum, in bono lubricum,in malo pertinacem:qui non ueritus eſt tam impié peierare, ac Deo hominibuſq; publicé mentiri, atq; etiã in grauiſsimis peccatis & ſceleribus,ſine cõfeſsione & pœnitẽtia,pertinaciter mori:talem inquam uirum,ſic perditum ac deſperatum in ſemetipſo, dicere ſanctum, eumq; pro Martyre Chriſti colere ac uenerari? Scribit ſané Æneas Syluius, quod Ioannes Hus & Hieronymus iſte,apud Bohemos Martyrum honores meruere: Nec minores quam Petrus & Paulus apud Romanos habiti, Quodq; diſcipuli eorum ex eo ſolo terram abſtulere,in quo ignis combuſtionis eorum fuit, eamq; ueluti ſacram ſecum attulere in patriam. Nolim ego hanc ſtultitiam & grãde iſtud dedecus, nefaſq; & ſcandalum, inclytæ Bohemorum genti generaliter adſcribere, ſed ſpecialiter potius miſere ſeductis per mendacia, & ſpõtanea malitia excæcatis Huſsitis,Quibus impia et ſeditioſa doctrina Vuiclephi,per mẽdaces ác ſeditioſos Magiſtros,Ioannẽ Hus et Hieronymũ de Praga, nequiter in hypocriſi ſub ficta pietatis ſpecie prędicata, merũ Euangelium erat,ea maximé ratione, quod Clericorum crimina Laicis punienda committebant illi Magiſtri nequitiæ atq; diſcordiæ,& Clericorum bona Nobilibus diripienda tradebant: eo nimirum Euangelij prętextu,quod Chriſtus & Apoſtoli pauperes fuerunt, & nulla prædia,nullas domos aut agros poſſederunt,ſed omnia reliquerunt, ut liberius uacarent Euangelio. Sed nequiſsime reticebant alteram, quæ de Laicis eſt, Euãgelij partem,uidelicet,quod omnia eis erant cõmunia, nec quiſq; eorũ quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed agrorum ac domorum poſſeſſores omnia uendentes, ponebant precia ante pedes Apoſtolorum. Iam ſi Luſci ac Strabones iſti,odij ac diſcordię Magiſtri,non hirquis,ſed rectis oculis Euangelium inſpexiſſent, facile uidiſſent,primã illam Euangelicæ paupertatis uitam, non magis á Laicis quam á Clericis hodie prætermitti ac minimé ſeruari, eamq; tolerabiliorem fore Clericis quam Laicis,ſi reduceretur in effectum,Quia Laici deberent omnia ſua uendere, & precia ante pedes Clericorum ponere. Huſsitę autem,ad hanc Euangelij partem ſurdi ac cæci,& ſua retinebant,& aliena rapiebãt iniquiſsimé:ea ſane obtenebrati amentia,ut in ſceleratiſsimis Eccleſiarum ac Monaſteriorum direptionibus,deuaſtationibuſq; & ſacrilegijs, putarent,ſaltem ficto corde,

Hiero.ille nec ſanctus nec Martyr eſt.

Nequiſsime ſeducti Huſsitæ á Magiſtris mendacib.

Act.4.

Euangelicá paupertas.

Hiero. bonis Dei donis abuſus eſt.

ſe obſequium præſtare Deo. Fruſtra igitur laudantur in iſto Hieronymo (quemadmodum & in Magiſtro eius) eruditio & eloquentia, ingeniῇq; & memoriæ uigor atque præſtantia. Nam ῇſce bonis, & in ſuam & in multorum perniciem ſcelerate abuſus eſt: Quæ & Poggius putabat ei in peſtem ſuam à natura conceſſa fuiſſe. Ego tamen potius dixerim, illa dona ei à Deo & natura in bonum conceſſa, ab ipſo uero per propriæ uoluntatis prauitatem, in malum deflexa ac peruerſa fuiſſe. De quibus ſanè ingenῇ dotibus & ueteres Pagani, Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus &c. confeſsi ſunt, quod ſint res nocentiſsimæ, & Reipublicæ pernicioſiſsimæ, ubi per cordis malitiam & prauę uoluntatis nequitiam, in malum conuertuntur uſum. Sæuiſsima eſt enim iniuſtitia, (ut inquit

Ariſtoteles in Politicis lib. 1.

Propter abuſum ſui talenti Hiero. repræhenſibilis fuit.

Ariſtoteles) quæ habet arma: Homo autem arma tenet per innatam prudentiam atq; uirtutem. Hieronymus igitur iſte, ſi uerè & Chriſtianè loqui uolumus, adeo non eſt laudandus propter illa ingenῇ ſui ornamenta, quantumuis præclara & eximia, ut propter eorum abuſum maximè ſit uituperandus: & eo grauius condemnandus, quo præclariora in eo dona illa fuerunt. Quia multo peius erit ei in nouiſsimo iudicio, quàm ſeruo illi nequā, qui talentum ſuum repoſuit in ſudario, nullam faciens uſuram. Quia melius, hoc

Matth. 25.

Luc. 19.

eſt, minus malū eſt, non uti quàm abuti. Melius nihil lucrari quàm perdere, melius retinere ſortem in ocio, quàm facere fœnus pernicioſum. Si ergo Dominus iuſsit inutilem ſeruum eῇci in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium: nunquid parcet ſeruo pernicioſo, qui talento ſibi liberaliter dato, peſsimè abuſus eſt, ad diſsipandam Domini ſui hæreditatem? O quàm exactam reddet Domino rationem. Nam quanto plus à Domino accepit, tanto grauius exigetur ab eo ſors cum uſura. Quādo enim augentur dona, (inquit Gregorius) creſcunt etiam rationes donorum.

Fortitudo animi ad mortem.

Cæterum, quod animi eius fortitudinem, qua mortem iucunda fronte & alacri uultu (ut ait Poggius) non ſolū perpeti, ſed etiam appetiuiſſe uiſus eſt, plærìq; admirantur & laudant, nihil moror. Erat enim Bohemus natione, ex fortiſsima ſane gente, quæ & animi uigore & corporis robore nulli facile cedit. Sed peſtifera hæreſis hanc quoq; uirtutem ei reddidit, nō ſolum inutilem, ſed etiam pernicioſam: immò & in uitium conuertit. Amiſſa enim per hære-

1. Corin. 13.

ſim fide, & per ſchiſma (uti ſæpe dictum eſt) charitate, nihil ei prodeſſe potuit, quod corpus ſuū ignibus tradidit, ita ut arderet. Non enim uera animi fortitudo fuit, ſed animæ ſuæ nimis pernicioſa obſtinatio, ac damnabilis pertinacia, qua infœlix ac nimium ſtultus maluit, & temperali & æterna morte perire, per uanæ gloriæ

deſiderium

deſiderium ac fictæ fortitudinis fucum, quàm inglorius errorem agnoſcere, & per ſalubrem reuocationem humilis aut deſpectus uiuere. Iam enim expertus fuerat, quantũ ignominiæ prior (quam ficte fecerat) reuocatio ſibi pepererat. Non eſt igitur, quod de hoc fortitudinis fuco, ſibi placeant aut glorientur Huſsitæ, fucata hæc laus nimis magno precio conſtat infœlici illius animæ, quæ per eam pertinaciam perijt in æternum. Et non ſolum æquauerũt, ſed etiam ſuperauerunt, cùm in hac uirtutis ſpecie multi Pagani & Iudæi, atque hæretici, qui ultra in ardentem rogum, non ligati, ut hic Hieronymus, inſiluerunt. Vt taceam de ſtulta Empedoclis ambitione, qui ut Deus haberetur, peracto cum amicis poſt ſacrificium cõuiuio, clam in Ætnam montem aſcendens, in medios ignis crateres deſilijt. Sed reiecta flammarum ui, ex intimis una crepidarum eius ærea, prodidit uanam & ſtulte incineratam eius diuinitatem. Nõ glorientur igitur de pertinaciter incineratis Pſeudoapoſtolis ſuis Huſsitæ. Nam in ea gloria etiã à fœminis Paganorum & hæreticorum uincuntur: Quippe Hus multis mendacijs tergiuerſationibusq́, ac precibus euadere cupiebat, & rogũ lachrymans ligatusq́ ingreſſus eſt. Hieronymus antea turpiſsima reuocatione eam mortem effugere quæſiuit, quam poſtea pertinax, ad abolendam priorem ignominiam, ficta fortitudine pertulit. At multę repertæ ſunt fœminæ, (de ſanctis Virginibus, quæ pro Chriſti gloria longe atrociora paſſæ ſunt tormenta, nihil hic dico, ne iniurioſe uideantur comparari cum hæreticis) tum apud Ethnicos, tum apud hæreticos, quę longè glorioſius & animoſius ignes perpeſſę ſunt, quàm uiri iſti Bohemi, qui ex fortiſsima alioqui Natione oriundi erant. Scribit etenim Solinus nobilis autor, (cui & Geographi plærią conſentiunt) apud Indos multas uxores in unius uiri matrimonium coire, uiro autem decedente, magnum eſſe inter uxores certamen, apud grauiſsimos iudices, quænam earum, hoc palmę referat præmium, ut arbitrio ſuo aſcendat rogum coniugis, & ſupremis eius ſemetipſam det inferias. Ecce mulieres Ethnicę inter ſeſe de ſpontanea morte pro gloria certabant. At uiri iſti hæretici adeo non ſponte paſsi ſunt, ut multis tergiuerſationibus euadere, & dicta teſtium eludere tentauerint, quamuis etiam factorum euidentia manifeſtè conuicti eſſent. Aliud exemplum memorabile refert Valerius Maximus, de uxore Aſdrubalis, quæ Carthagine capta & incenſa, dextra leuaq́ tres filios, mortem non recuſantes, ſecum trahens, incendio ſe flagrantis patriæ obiecit. Quippe in arcis faſtigium cum liberis aſcendens, inde præcipitem ſe in urbis incendium dedit, longe fortior uiro ſuo, qui à Scipione

Fucus fortitudinis fictæ.

Empedocles.

Vide Diogenem Laertium.

Fœminarũ fortium animoſitas ad mortem

Solinus de mirabilibus mundi, c. 65.

Val. Max. lib. 3 tit. de fortitudine.

uitam ſuam pactus, deditionem fecerat, uxoris liberorumq; impiè oblitus. Ne igitur uanè glorientur Huſsitæ, uident hic pſeudomartyres ſuos, fortitudine in contemnenda morte, non ſolum à muliere Pagana, ſed etiam à pueris uictos, qui ultro, neq; damnati neq; ligati, in ardentes flammas deſiliuerunt, libertatem præferentes huic uitæ. Quædam præterea exempla refert Baptiſta Fulgoſus, uir nobilis & Genuenſis, de quibuſdam fœminis, quæ hac in re uiris iſtis minimè ceſsiſſe uidentur, ſed addit (quod ego ſupra dixi) nobilem uirtutem patientiam, in hæreticis, mutata appellatione, tranſire in uitium obſtinationis & pertinaciæ. Ne igitur iuſtè ac piè uideantur Huſsitæ, Martyrum honores tribuere damnatis hæreticis, ob id quod fortiter in ſpeciem & ad oculum paſsi ſunt ſupplicium ignis, referam unum aut alterũ de fœminis exemplum, quæ hæreſim ſuam nihilo ſegnius quàm uiri iſti, in mortem uſq; pertinaciter aſſeruerunt. Nam in eadem gente Bohemica poſt Huſsitarum ſectam, exorta eſt per quendam Gallum Picardum ſecta turpior Adamitarum, in qua promiſcuus erat fœminarũ uſus, & abiecto naturali pudore, nudis corporibus degebatur. Quam ſectam Ioãnes Ziſca perſequutus, miſeram illorum hominum colluuiem in Iyſmini amnis inſula deleuit, exceptis duabus fœminis, quibus quod grauidæ eſſent, propter partum parcere uolens, deliberandi ſpacium dedit, ut reſipiſcerent. Illæ autem neq; ante partum neq; poſt partum perſuaderi potuerunt, ut ab illo inſtituto deſiſterent. Cum itaq; ignibus adiudicatæ piram intrarent, carmina modulantes non ante deſierunt canere, quàm eas uita defecit. Aliud item ſubiungit exemplum, de muliere quadam Tridentina, nomine Margarita, quæ uxor fuit Dulcini hæreſiarchæ, ſub Bonifacio Papa VIII. Nam & illa crudeliter comburi maluit, quàm hæreſim ſemel conceptã deſerere. Si ergo ſancti habendi eſſent Hus & Hieronymus Bohemi, eò quod ſupplicium ignis propter hæreſim ſuam fortiter pertuliſſe dicuntur: Non minus ſane, immò magis ac potiori ratione ſanctæ haberi ac dici deberent Bohemicæ illæ mulieres Adamitarũ, quas Ziſca combuſsit. Illæ enim mulieres per ſimplicitatem & ignorantiam ſic errauerunt, Viri autem iſti, cum eſſent egregiè docti, longe malitioſius erraſſe, & innumeras animas in errorem & æternam damnationem miſiſſe conuincuntur. Et longe certior eſt eorum damnatio, quæ per ſpiritum ſanctum à Concilio legitimè cõgregato facta creditur, quàm illarum mulierum damnatio, quæ nõ à Concilio neq; à Catholicis Doctoribus, ſed à Ziſca homine militari & hæretico facta eſt: licet reuera damnabiles eſſent, Sed earũ damnator Ziſca, damnandi ius non habebat,

Bapt. fulgoſus lib. 3. c. de patientia.

Adamitæ à Ziſca deleti.

Remiſsius eſt fœminis, quàm uiris hæreticis.

habebat, cum & ipſe hæreticus exiſtẽs, in eadem damnatione eſſet. Cui proinde poterant illud Apoſtoli ad Romanos obijcere. Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis, Non mœchandum, mœcharis? &c. Quamuis igitur Hieronymus iſte mortem, magna animi fortitudine, foris ad oculum & ſecundum externã ſpeciem, pertuliſſe uiſus ſit: ſuſpicor tamen, eum intus in cõſcientia maximo pauore concuſſum, ac ſumma triſtitia afflictum, ne dicam abſorptum, fuiſſe. Primum, propter grauem in conſcientia pugnam accuſantium cogitationũ aut etiam defendentium, Sicut idem ait Apoſtolus. Deinde, quia mens eius male ſibi conſcia, miſerè cruciabatur (ut credere par eſt) retroacta uerſans ac reuoluens crimina, ſi non hæreſeos (quam agnoſcere nolebat) certe ſeditionis, homicidijꝗ; & multorum in populis Bohemiæ tumultuum, quorum autor & ſuſcitator in prædicando fuerat. Tertio, Quia maxima angebatur intus pudore, propter priorem reuocationem: in qua & Deo & hominibus promiſſa nequiſsimè fefellerat, & ſuos Magiſtros Ioannem Vuicleph & Ioan. Hus publicè condemnauerat, atque etiã anathematizauerat. Quarto, Quia uel in extrema ipſius obſtinatione adhuc fluctuabat animus eius in dubio, & adeo quidem uehementer, ut ne uerbis quidem fluctuationem illam tegerè aut diſsimulare potuerit. Quid ita? Quia cum in plurimis reliquiſſet Eccleſiæ ſenſum & ueritatem, ſtulte adhærens incertis, immò falſis & erroneis Vuiclephi opinionibus: In magno tamen illo articulo, qui eſt de tranſubſtãtiatione panis in corpus Chriſti, uehementer à Vuiclephiſtis impugnabatur. Cõfeſſus eſt ultimo (quemadmodum teſtatur diffinitiua Patrũ ſententia) ſe tenere & credere, quod Eccleſia tenet: dicens, ſe plus credere Auguſtino & cæteris Eccleſiæ Doctoribus, quàm Ioannis Vuicleph & Ioan. Hus damnatis erroribus adhærere. Quis iam non uidet, quàm miſera mors & infœlix exitus eius fuerit? Etenim foris uexabatur ignominioſis probris & pœnis. Declarabatur infamis, relapſus, excommunicatus & anathematizatus, publico totius Cõcilij decreto ac cõſenſu, & una omnium Nationum uoce. Recitabãtur plurima ab eo perpetrata & teſtibus conuicta crimina, ac famoſa ſcelera, in cõſpectu & auditu maximæ multitudinis, ex omni Natione, quæ ſub cœlo eſt, congregatæ. Exprobrabãtur ei in faciem, tum ab Epiſcopo Laudenſi in ſermone ad Clerum, tum à Patribus in diffinitiua ſententia, publicè corã omnibus gentibus, turpiſsimæ & nunquàm abolendæ maculæ leuitatis, inconſtantiæ, perfidiæ, periurij & quæ non? Quid enim fœdius aut inhoneſtius, quàm ore proprio confiteri, quod ſeditiones & homicidia procurauerit: quod Ioannem Hus,

Rom. 2.

Non uere fortis, ſed pauidus ac triſtis in morte fuit Hiero.

Dubia mẽs in morte.

Miſerã mors.

quem prius anathematizauerat, poſtea laudauerit, quod ſemetipſum proprio iudicio publicè condemnauerit, ut mendacem, ut periurum, ut hæreticum relapſum. Quis igitur uir bonus aut mentis compos, talem hominem, tot probris obrutum, tot ſcelerum & impietatum & ſuo & omnium Nationum iudicio reum & conuictum, credat inter tot miſeræ conſcientiæ accuſationes, & ab intus & à foris inflictas atq; ingeminatas tribulationes, ex animo lętum fuiſſe, quantumuis geſtu, uoce & uultu lætitiam ſimulauerit?
Quis deinde talem, ſic publicè & ſuo & aliorum teſtimonio, de tot criminibus ac nefandis ſceleribus conuictum, atq; in tot peccatis, ſine confeſsione & pœnitentia, obſtinatum, in hæreſibuſq; pertinacem uſq; ad mortem, & in his omnibus abſq; omni pœnitentiæ ſigno, aut contritionis indicio mortuum: dicat aut credat fuiſſe uirum bonum, aut deceſsiſſe ut ſanctum, cœlo dignum, aut ut martyrem Chriſti, annua memoria ac diuorum ueneratione colendum? Quis (inquam) hoc dicat aut credat, niſi prorſus amens, inſanus & impius, ac planè ſimilis illi? Nam uirum iſtum uſq; adeo criminoſum & in peccatis obſtinatum, ac ſine fide & charitate defunctum, inter diuos referre, aut Martyribus Chriſti connumerare, ſumma mihi uidetur eſſe blaſphemia, totius ſcripturę ſacrę illuſio, omniſq; rationis & ueritatis ſubuerſio, ac uniuerſæ religionis Chriſtianæ exterminatio, omnium deniq; Martyrum ac Diuorum, qui in cœlis cum Chriſto regnãt, publica contumelia & irriſio. Nec multum diſsimilis à uaniſsima illa Ethnicorum Apotheoſi, qua etiam flagicioſiſsimi homines in Deos relati fuerunt, adulteri, ſtupratores, Catamitæ, Cinædi, Latrones, Parricidæ, periuri, fures, Incendiarij &c. Quales in Apologeticis ſuis commemorant Doctores noſtri contra Gentiles. Quales & in uitis Cæſarum enarrant Hiſtorici. Quemadmodum igitur Septimius Seuerus Imperator Commodum Imperatorem, qui flagicioſiſsimus ac ſęuiſsimus homo fuerat, in odium Senatus & populi Romani, iratus inter Diuos retuliſſe legitur: Sic mihi uidentur Huſsitę, in odium Papæ & Cardinalium totiuſq; Cleri & Eccleſiæ, hos Pſeudomartyres inter Diuos retuliſſe, ut in deſpectum Concilij pro Martyribus colerentur ab Huſsitica plebe, ueritatis & geſtorum ignara. Si enim diſcipuli eorum, qui Conſtantiæ cum illis fuerant, domi rem uere, ut geſta fuit, denarraſſent. Nulli (credo) Barones, aut Nobiles, Senatoreſuè, ac alij uiri graues, hæreticos iſtos, tot criminum reos & conuictos, pro ſanctis ac Martyribus habere aut uenerari dignati eſſent? Præſertim uerò Hieronymum, qui Huſsitas per ſuam reuocationem tam graui & iniuriæ & infamiæ apud cunctas Nationes expoſuerat.

Apotheoſis falſorũ Deorum.
Vide Tertulli. Iuſtinum, Athanaſium.
Vide Spartian. & Herodianũ in uita Seueri.

poſuerat. Qualia uerò probra, & quas infamię nunquam abolendæ notas, ipſe palam coram cunctis Nationibus in faciem acceperit, iam dictum eſt ſupra. Nec leuibus uexatus fuit pœnis, dum pertinax in malo perſiſteret. Nam ipſe (ut Poggius recitat) apud Patres in Concilio conqueſtus dixit, Se CCCXL. diebus in duriſſimis fuiſſe carceribus, in ſordibus, in ſqualore, in ſtercore, in compedibus, in rerum omnium inopia. Quod mihi tamen non uidetur eſſe uerum. Nam Epiſcopus Laudenſis in ſermone ait, tanta benignitate erga eum affectos fuiſſe Dominos Cardinales Florentinum, Cameracenſem, Aquilegienſem, & de Vrſinis, ut niſi fugam eius ueriti fuiſſent (ſæpius enim fugerat) unuſquiſ eorum in domo & menſa atq etiam camera ſua, eum beneuole pertractaturus fuiſſet. Neque ex Actis publicis tantus dierum numerus, quibus in carceribus ſe fuiſſe dixit, facile colligi poteſt. Nam anno 1415. die 17. menſis Aprilis, primum citatus fuit, ad comparendum infra Quindenam. Quo autem die comparuerit aut captus ſit, neq in Actis, neq in hiſtorijs aut Chronicis reperio. Cæterum eodem anno, die 23. menſis Septembris, ipſe hæreſim publicè reuocauit & abiurauit, ſicut ſupra ex Actis narratum fuit. Ex ſententia item diffinitiua conſtat, quod poſt eam reuocationē & abiurationem multi dies tranſacti ſunt, antequàm ipſe, ſicut canis ad uomitum rediens, in priorem hæreſim relapſus fuit. Diffinitiuam deinde ſententiam & ultimum ſupplicium excepit anno 1416. die 30. menſis Maij. Si ergo quis excipiat ab illo dierum numero, dies fugarum eius, dies item intermedios à die reuocationis uſque ad diem relapſus, dies præterea medios inter Citationem emiſſam & eius comparitionem, miror ſi poſsit reperire adhuc CCCXL. dies. Qui ſanè plus quàm XI. menſes conſtituunt. Sed eſto, fuerit tot diebus continue in carceribus, in ſtercore & inopia, Quid hoc miſero profuit? nihil omnino. Nam neq melior inde effectus eſt, neq remiſsius habuit in iudicio, neq apud Deū neq apud homines. Non apud Deum ſane, Quia Paulus ait: Et ſi corpus meum tradidero, ita ut ardeam, charitatem autem nō habeam, nihil mihi prodeſt. Et Dominus in Euangelio ad tales ouium diſsipatores & diſcordiarum ſeminatores ait, Nunquàm noui uos, Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Non nouit igitur neq reſpexit Dominus in bonum, omnes ærumnas, dolores, confuſiones & cruciatus illius, quia membrum erat propria iniquitate reciſum, aridum, & coram Deo mortuum. Ergo nihil ex omnibus illis aduerſitatibus & tribulationibus, ei ad ſalutē prodeſſe potuit. Neq item apud homines profuit ei, diuturnum ſuſtinuiſſe carcerem in compedibus,

Diuturnus carcer Hiero.

Dierū ſuppputatio.

Pœnalis carcer & ſupplicium ignis nihil profuit.

1. Corin. 13.

Matth. 7.

Nõ potuit impune dimitti Hiero.

ſqualore & ſtercore: ſed magis nocuit, quia euidentius indicauit obſtinatam in malo mentem ſuam, & in hæreſi pertinaciam ſuam. Quamuis igitur omnes Patres optarent tam nobile ingenium, & tam præclaram in eo eruditionem atq; eloquentiam, conuerti ad meliora, in ædificationem ſcilicet & non in deſtructionem Eccleſiæ. Attamen cum ipſe pertinaciter in hæreſi obſtinatus perduraret, atq; ad omnes pias Patrum & Doctorũ admonitiones durus & ſurdus perſiſteret, Non potuerunt pij Patres, lupũ adeo ſæuum, ac multis ad dilaniandum & diſpergendum gregẽ Domini dentibus per eruditionem & eloquentiam armatum, impunè dimittere inter oues Chriſti. Non igitur accuſanda eſt Patrum in eum ſeueritas, quia maluiſſent ei parcere ſi licuiſſet, ſed ipſe ſolus (niſi fortè Magiſtrum ſuum & Ioannem Vuicleph accuſare uelit, tanquàm perditionis ſuæ autores) omnium ſibi malorum cauſa fuit. Quemadmodum dixit ei in faciem, Epiſcopus Laudenſis in ſermone, quod ipſe ſolus fuerit ſibi inimicus, aduerſus, contrarius & crudelis. Quia contra ſcripturam ſuæ innitens prudentiæ, plus uolebat ſapere quàm oportet, in malo pertinaciter obſtinatus, & ad omne bonum propria malitia inutilis factus. Quemadmodum in Euangelio Dominus ait, Si ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum ualet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, Neq; enim in terram neq; in ſterquilinium utile eſt, ſed foris mittetur.

Prouerb. 3. Rom. 12. Matth. 5. Mar. 9. Luc. 14.

Hiſtoriæ

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER QVARTVS.

EXuſtis Conſtantię pertinacibus hęreticis: cineribusq́ eorum in aquas proiectis. Diſcipuli eorum, ex eo ſolo, in quo ignis fuerat, terram abſtulerunt, eamq́; ueluti ſacram, ſecum in patriã attulerunt. Et ne omnino uacui redirent, plena mendaciorum & calumniarũ plauſtra domũ reuexerũt, omnia in maius adaugentes, nimiumq́ inuidioſe conquerentes, de uiolata ſalui cõductus fide, de diuturnitate & duricia carceris, de crudelitate Patrum, de falſis ac ſubornatis teſtibus, & id genus alijs grauaminibus, quæ Patribus Concilij & omni Clero odium: Magiſtris uero exuſtis commiſerationem ac laudem apud ſuos parere poterant. Domum igitur reuerſi, conuocata in capellam Bethlehem plebe, memoriam in primis Martyrum nouorum conſecrantes, dies feſtos quotannis celebrandos decreuerunt. Ridiculi profecto ſuorum Deorum cõſecratores, qui uere ſanctos Chriſti Martyres & confeſſores, qui miraculis coruſcabãt & uirtutibus, colere ac eorum reliquias uenerari prohibebant: Publicos autem Chriſti hoſtes, & in peccatis ſuis mortuos hæreticos, maxima ueneratione cultuq́ diuino dignos cenſuerunt: & terram eius ſoli, in quo illi combuſti fuerant, uelut ſacrã, pro uenerandis reliquijs habendam, miſeræ plebi perſuaſerũt. Publicos, inquam, Chriſti hoſtes non iniuria dixerim eos, qui Eccleſiam (quæ corpus Chriſti eſt) impugnantes, inconſutilem Chriſti tunicam ſcelerata hæreſi diſciderunt, peiores etiam crucifixoribus Chriſti, qui tunicam eius diſcindere noluerunt. Tantum uero erat inter Huſſitas de laudibus ſui Magiſtri certamen, ut non ſolum presbyteri crebris eum concionibus laudauerint in publico, ſed etiam Laici & Idiotæ, ut Pelliſices, Sartores, Sutores & alij uulgares (uti ſcribit quidam Bohemus) Mechanici, atq; etiam Beguttæ illius Sectæ, certamina ſacerdotibus partis Romanæ iniecerint. Sed & mulier quædam librum in defenſionẽ eius ædidit. Cuius ſane libri proœmium in hæc uerba (Quemadmodum refert quidam minime ſpernendus Theologus Bohemus) incipit,

Mẽdaciorum plauſtra.

Hoſtes Chriſti.

Liber Mulieris Huſſitæ.

ex Bohemico in latinum translatum. Iſtud ſcriptum & digeſtum mitto uobis, quod antea miſeram ad quoddam Monaſterium: ſed mittens uobis aliquid adſcripſi & appoſui de Antichriſtis, qui ſe oppoſuerunt parti noſtræ, & maximè Magiſtro. Et nota (inquit) hoc, quod dicit Magiſtro. Per quam prolationem ex omnibus Doctoribus non intelligũt alium, niſi Magiſtrum ſuum Hus: more ſcripturæ, ubi nos dicimus. Hæc dicit Apoſtolus, id eſt, Paulus. Vel, Hæc propheta, id eſt, præcipuus prophetarum ſanctus Dauid. Sic enim ſecta illa eundem Hus attollit, ut non ſolum præcipuum Doctorem ſurrexiſſe, ſed etiam poſt ſuam combuſtionem, ſupra omnium Martyrum paſsiones, eſſe Martyrem: Quinimmò ſolius Chriſti in Martyrio eſſe comparem mentiantur. Super quo, dum in Cathedrali Eccleſia Huſsitarũ, in Bethlehem dicta, in Praga, contra ritum ſanctæ Eccleſiæ, per illos magni faſtus exequiæ, quaſi ſancti Martyris illius agerentur: quidam de illis Huſsitis ſacerdos, faciens ſermonem tunc infra Miſſarum ſolennia declamatorium ad populum, cunctis audientibus qui aderant, Clericis, plebeijs multis & Nobilibus: quanquàm ab aliquibus etiam ſuæ ſortis, ſtolidæ ſuæ aſſertionis repulſam habuerit, impudentiſsimè tamen hæc, quæ dicta ſunt, publicè proclamauit, dicẽs. Quod ex omnibus Martyribus Chriſti qui præceſſerunt, nequaquàm alicuius Martyris, ſed ſolius Chriſti Paſsio, paſsioni Ioannis Hus poſsit eſſe æqualis. Hæc ille Magiſter ac Theologus Bohemus, teſtis ocularis, anno Domini 1417. durante adhuc Concilio, qui & iſta ſuperaddit. Hæc ideo protuli, (inquit) ut fideles animaduertant & uideant Ollam Hieremiæ ab Aquilone ſuccenſam, & poſitã per illos ad irritandum Dominum. Idolum zeli in templo Domini. Iuxta quod Ezechiel. viij. dicitur. Fili hominis, leua oculos tuos ad uiam Aquilonis, & leuaui. Et ecce ab Aquilone portæ altaris Idolum zeli in ipſo introitu &c. Idem ille in prologo libri ſui ſic habet.

Magiſter

Quantus apud Huſsitas Martyr eſt Hus.

Cathedrali, nõ uere ſed per ironiam.

Hiere. 1.

Idolũ zeli.

Ne ergo garrulum ſit os meum, emitte Domine ſapientiam à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & laboret mecum: ut cum omni reuerentia & alacritate cordis mei, ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Loquar ergo in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo, Vſq; quo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te uim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem, prædam & iniuſtitiam contra ſanctam tuam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam? Quare reſpicis contemptores ex Vuicleph Huſsitas peruerſi generis, & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe? Ecce quanta audiuimus & cognouimus ea, quæ illi in damnationis ſuæ ſortem nephariam fecerunt & faciunt.

Querela cuiuſdam Bohemi.

Sapien. 9.

Abacuc. 1.

Sanctuaria

Sanctuaria tua prophanauerunt. Famoſam urbis Pragenſis Eccleſiam Metropolitanam, cum Monaſterijs & Parochias deſertas fecerunt, & ſublato iugi ſacrificio, offerunt de fermento laudem. Et euntes in adinuentionibus ſuis, uelociores lupis ueſpertinis, gregem Chriſti, nepharijs prædicationibus decipiunt, ut ſedeant cum principibus & præcipuis terræ. Quorum præſidio (ut cernitur) tabernacula non ſua diripiunt & poſsident. Et ſuis non tam Magiſtralibus quam Magicæ artis deceptionibus, homines ſexus promiſcui decipiunt, ut dum pro pace picem, & pro ſalute obduratæ ceruicis ſilicem proferunt, interficiant innocentem. Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum. Veruntamem iuſte loquar ad te. Quare uia iſtorum iniquorum proſperatur, ut forte ſerues eos in diem ultionis. Bene eſt eis, quia diſsimulas dum præuaricantur, & ideo fiducialius iniquè agunt. Ecce plantaſti eos, & radicem miſerunt, perficiunt et faciunt, ſed acerbum fructum ſuum. Et tu Domine noſti eos, et probaſti cor eorum. Prope es tu ori eorum, et longe à renibus eorũ. Congrega eos, quaſi gregem ad uictimam, & ſanctifica eos in die occiſionis, & factum eſt. Ecce enim ut Hus & Hieronymus, capita Draconum horum, exigentibus eorum demeritis, in uia hac, qua extento collo & oculorum nutibus ambulabãt, dicentes in ſuperbia cordis ſui. Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus. Dum nõ eſſet illis commutatio à uia ſua mala & peſsima, ut uanam ſibi gloriam acquirerent, ac ſic nomina ſua poſteris ſectæ ſuæ, & paruulis celeberrima dimitterent, ſpe ſalutis & Eccleſiaſticæ puritatis ſocietate deperdita, prauæ nobilitatis exhæredati diuitijs, ultro ſe flammis ultricibus hæretici tradiderunt. Hæc in prologo Bohemus ille Theologus eximius, cuius nomen non libro ſuo appoſitum reperio, ſed libro uitæ aſſcriptũ eſſe ſpero.

Deſolatio Eccleſiarũ. anno Domini 1417.

Quare Deus iauta eis permiſit.

Hus et Hieronymus ſuperbi.

Barones autem & Nobiles, qui ſectæ huic adhærebant, poſteaquam à ſuis audierunt, iniquè & crudeliter actũ fuiſſe in Concilio contra Hus & Hieronymũ, atroces ac minaces ſcripſerunt literas ad Concilium, & inito inter ſeſe fœdere iniquitatis, coniurauerunt, ad defendendam illorum doctrinam uſq; ad ſanguinem. Quemadmodum licet conijectare ex literis, quas ad eos ſcripſit Imperator Sigiſmundus, in lingua (ut conijcio) Bohemica: Quandoquidem & ipſe Bohemus natus erat.

Coniuratio Huſsitarũ.

Copia literarũ Regis Sigiſmundi, ad Barones Regni Bohemiæ fouentes memoriã Hus. Sigiſmundus Romanorũ et Vngariæ etc. Rex, Nobilibus Latzkoni de Crauuarn, Capitaneo Marchionatus, Botzkoni de Cũſtat, aliâs de Podiebrad, Czẽkoni de Vuartenberg, & ſingulis alijs Baronibus, Militibus, Clientibus, per

Regnum

Regnum Bohemię & Marchionatum Morauiæ, ad hanc partem colligatis, fidelibus nobis dilectis, Gratiam Regiam & omne bonũ. Nobiles fideles dilecti, bene noſtris memorialibus inſidet, qualiter ante tempora Regnum Bohemiæ & terra Morauiæ, guerris aggrauatæ fuerũt. Etiam uos bene notatis, quomodo circumcirca uicini ſupradictis terris, non multum boni fauent, & ſi fortaſsis aliqualis ipſis daretur occaſio, libẽter in ipſas & in ipſos uiceuerſa manus emitterent. Deniquefideles dilecti, audiuimus & quotidiana relatione audimus (quod ædepol dolenter ſcribimus) quomodo uos domini in Bohemia & in Morauia diuiſiones facitis, partes † fouentes & diſponitis, neſcimus tamen quare. Et fortaſsis ſi uicini circumſedentes bene uellent, Vos tamen inter uoſmetipſos diſponitis et cogitatis, illas terras guerris deſtruere. De quo ſumme dolemus, Quia intelligimus, immo cognoſcimus, in iacturam & præiudiciũ dignitatis Sereniſsimi & Chariſsimi fratris noſtri uergere.

Odioſa uicinis Bohemia.

† fouetis.

Verum antiquitus ſic deductũ eſt, quod nullus dominorum in Regno, præter uoluntatem Regiam, deberet aliquas ligas ſeu fœderationes inire neq; facere. Sed ſi unus ad alterum aliqualem actionem ſe habere prætenderet, hoc deberet coram Regia Maieſtate & iuris tramite, ſed non guerris, diſcuti & diſcerni. Si uerò hoc facitis propter Magiſtrum Ioannem Hus (Nam, ſicut percipimus, alij partem Hus fauetis, alij uerò non) ſcire uelitis, ut cum Hus primo in Bohemia nominatus fuit, noſq; intelleximus, quod propter ipſum partialitates incœperunt tenere, ſtatim nobis diſplicuit, quaſi præſciuimus, quod exinde error multus ſequeretur, & quod non facile deduceretur ad bonum finem. Et ſacrũ Conciliũ in Conſtantia inchoatum fuit, & nos perſenſimus, quod Hus ibi etiam uellet intereſſe, fuimus plurimũ gauiſi, & ſperabamus, quod propter ipſius aduentũ † quodq; de omnibus his, in quibus incuſatus fuerat, ſe expurgare deberet, & quod propterea omnes ſcrupuli in Bohemia ceſſare debuiſſent. Interea nobis adhuc in partibus Rheni exiſtentibus, peruenit ad Conſtantiam, & ibi fuit arreſtatus, ſicut de his iam ſufficienter eſtis informati. Verum ſi prius ad noſtram Celſitudinẽ applicuiſſet, nobiſcũq; ad Conſtantiã proceſsiſſet, fortaſsis negocia ſua aliũ habuiſſent progreſſum. Et Deus nouit, quod tanto dolore fuimus attriti propter caſum ſuũ, quod etiam uerbo bene exprimi non poteſt. Sed etiam omnes Bohemi, qui tunc temporis nobis aderant, bene perpenderunt, quomodo noſtram ſolicitudinem pro ipſo interpoſuimus, quod pluries furore permoti de Concilio exiuimus: Immo uerius ipſius parte de Conſtantia receſsimus, quouſq; nobis intimauerunt, dicentes, Si noluerimus admittere

Fœdera propter Io. Hus.

addo † omnis diſcordia tolli.

Io. Hus Cõſtantiæ arreſtatus.

Excuſat Cęſar ſeipſum

admitterre, quod iuſtitia proſequatur in Concilio, quid tunc in hoc loco facere debeant? Sic cogitauimus, quod in hac parte iam nihil facere poteramus. Neque etiam licuit nobis ulterius pro hoc negocio loqui, quia exinde Concilium totaliter fuiſſet diſſolutum. Etiam ibi in Conſtantia non ſunt duntaxat unus uel duo Clerici, uerum ſunt & erant de tota Chriſtianitate, Regum & Principum Ambaſiatores, Præſertim ex quo iam Reges & Principes, Petri de Luna obedientes, nobiſcum uniti ſunt, tunc omnino aliud non tenemus, niſi quod hoc ſacrũ Concilium, bono & recto ordine procedit & gubernatur. Et ſi uelletis ita ſerioſe & rigide partem Hus fouere & defendere, hoc eſſet uobis nimis difficile, quod deberetis uos totius Chriſtianitatis cõgregationi opponere. Et ſicut audiuimus, tunc iam taliter incepiſtis, cum deſtinatione cuiuſdam literæ ad Concilium, multis pendentibus ſigillis ſigillatæ, confundentes & calumniantes Concilium propter Hus ſupradictum, quod ꝗ Concilium contra uos taliter prouocaſtis, quod eſtis iam de facto citati pro oppoſitione ſupradicta. Et fortaſsis rigore iuris contra uos procedetur. Et ſi non obtẽperabitis, ſicut obedientes filij, etiam fortaſsis & Crucem contra uos obtinere poteritis. Ex quibus præmiſsis maiora diſcrimina & ſcandala ſequi poſſent & oriri, De quo cordialiter doleremus. Et ſi tunc ad tollendũ hoc, libenter uellemus partes noſtras interponere, timemus, ne fortaſsis ueniremus nimis tarde. Ideo affectuoſe à uobis omnibus, & à ueſtro quolibet deſideramus, rogantes, quatenus conſyderetis, quilibet ſub conſcientia & honore, utrum hoc ſit congruum & honeſtum, quod propter pręmiſſa inter uos debeatis diſponere, quod ꝗ propter hoc, Regna & terræ periculis & deuaſtationibus debeant ſubijci, Et deſiſtatis à talibus ligis et conſpirationibus. Nam ualde indignum arbitramur (ſicut pręmittitur) quod aliquis cum aliquo, pręter ſui Domini uoluntatem, quoquo modo ligas inire & diſponere debeatis. Ex quibus quidem ligis partialitates oriuntur, deſtructiones & deuaſtationes terrarum poſt ſe trahentes. Et unus quiſq; ueſtrum, in ſupradicto fratre noſtro Chariſsimo, Domino ſuo, & in iure, ſi alter ad alterum aliquam actionem habere prętenderet, contentetur. Præterea ſi iſta cauſa propter diuiſionem ſupradictam, eſſet ita grandis & ardua, quod noſtra ad hoc interpoſitio eſſet oportuna, ſciatis, quod onus huiuſmodi laboris, gratanter uolumus aſſumere, & cauſam ueſtrę diuiſionis ex utraq; parte libenter examinare: Et ſperamus, quod inter uos bonũ medium tangeremus. Et quod ex tali medio, uos & terræ ſupradictæ permanebitis in bona pace. Deniq; de ſtatu Clericorum, ſcimus, qualiter tempore Prædeceſſorum

Literæ multorum ſigillorũ ad Cõciliũ miſſæ.

Cruciata

Dehortatio

Catholica proteſtatio

Non putaſtis habere | *Fraudati eſtis uere*
7 *Sunt ſigna magna ſatis* | 8 *Nam auſu temerario,*
Hæc ueſtræ fatuitatis | *Friuolo, nefario,*
Egiſtis inconſulte. | *Damnabiliter ſtulte.*
9 *Pro libro decreuiſtis* | 10 *Sub ſpecie hic utraq;*
Præſumptuoſe diffiniſtis | *in Regno circumquaq;*
Vt populus Laicalis | *Vt ſtatus Clericalis,*
11 *Debet communicare.* | 12 *Rami præciſi, putridi*
Hoc feciſtis præconizare | *A ſtipite uiuo uiridi*
Patent ubiq; plane, | *Vos iam eſtis utiq;.*

Conſilium ergo eorum, quod ab Huſsitis Laicis approbatum, & loco Generalis Decreti, inſtar legis Euangelicæ, receptum fuit, hic recitare libet. Ex quo intelligat lector, quam miſerè ac nequiter ſubtili Diaboli aſtu, ac uafre adornato pietatis prætextu, ſeducti fuerint indyti Barones, uiri alioqui fortiſsimi, et Chriſti gloriæ fauentiſsimi, ſed peſsime ſeducti, habebant zelum non ſecundum ſcientiam. Quos Diaboli ſatellites, & animarum uenatores truculenti, ſub ſpecie pietatis & Euangelij, in funeſta impietatis & hæreſeos retia præcipites egerunt. Sic igitur habet illorum conſilium. Conſilium Vniuerſitatis.

Vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, Ioannes Cardinalis, Magiſter in artibus & Baccalaurius decretorum, Totusq; cœtus Magiſtrorum Almæ Vniuerſitatis Studij Pragenſis.

Hic Ioannes, cognomento Cardinalis, Rector Vniuerſit. eo tẽpore fuit.

Salutem & agnitioni ueritatis inſtanter inſiſtere, animoſeq; diuino obſequio ardenter & ex animo inſudare.

QVia plurimorum Chriſti fidelium tam Magnatum & Nobilium, quam aliorum conditionis promiſcuæ hominum, crebræ petitionis urgemur inſtãtia: Quatenus ipſis in materia uenerabilis Sacramenti Euchariſtiæ, an illud ſub utraq; ſpecie à cunctis Chriſti fidelibus, de lege Euangelica noſtri Redemptoris & Præceptoris, uelut ſaluti expediens, licenter ſumi poſsit, atque à Clero eiſdem miniſtrari expediat: noſtræ confeſsionis fidem plenam faciamus. Cum autem his intendere, quæ proximorũ ſalutem promouent, quilibet iugiter aſtringatur: ij tamen præcipue, qui Generalis præeminentiæ ſpecula ad hoc ſunt præditi, ut communis incommodi uitentur pericula, quæ ex præfectorum negligentia cuipiam poſsint accidere: ad illa inuigilare ſtudioſius tenẽtur. Nos igitur, pro ut ex debito Magiſtralis Propoſitio

Doloſa in hypocriſi proteſtatio officij aſtringimur, nihil temerè, præſumptuoſè aut quauis pertinacia friuola, contra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam diffinire, aut aliquam nouitatem inducere intentantes: ſed fideli & Orthodoxa proteſtatione prehabita, de ea duntaxat quæ in nobis eſt fide, parati omnibus poſcentibus reddere rationem, congruis eorum & honeſtis rogatibus inclinati: ne fideles meticuloſis diſtracti inſultibus, ambiguitatis quoque languore inter ſalutaria uacillent fluitantes. Ne quoq; nos ex rubore aut timore ueritatis enunciandę liberè, de eius proditione durius arguamur, aut uerbo ſapientis obruamur, dicentis.

Eccle.4. Pro anima tua non confundaris dicere uerum, Præſertim cum etiam (ut dicitur) præſens Conſtantienſe Concilium, prædictam formam communionis ſub utraq; ſpecie, aſſerat fuiſſe à Chriſto inſtitutam & miniſtratam, atq; ſic in primitiua Eccleſia diutinè & Catholicè practicatam.

Inſtitutio Sacramenti Euchariſtiæ. Ipſis inquam eo licentius circumſpectæ prouidentiæ iudicio reſpondentes, fideliter profitemur, Quod ſaluator noſter in humana adhuc mortalitate in terris conuerſatus, de hoc mundo ad patrem, parare terræ promiſsionis regnum, tranſiturus, Typis omnibus ac figuris legalibus conſummatis, inter cætera ſalutaria, nouiſsimè ſuum condens Teſtamentum, ſuæ glorioſæ paſsionis uelut memoriale ſignum, & in profectum noſtræ fidei ac bonorum operum, pro attingendo terræ promiſſæ regno, ne laſſati deficiamus: hoc nouum Paſcha, myſterialeq; Manna, tremendum ſcilicet & admirabile grauiſsime inſtituit Sacramentum. Tradens illud ſua liberaliſsima munificentia omnibus Chriſti fidelibus, nedum ſub una ſpecie:

Sub utraq; ſpecie. Quamuis totus Chriſtus ſub alterutra eſſe credatur, in refectionis tamen ſuæ cœnæ magnificæ plenitudinem, augmentumq; meriti, ſub utraq; panis & uini ſpecie, pro loco & tempore ſumendum: Et ipſos ſuo aſtringens iuramento,

Ioan.6. ſub pœna non habendæ uitæ regniq; cœleſtis, digne impulit ad fruendum.

alias + myſterialiter. Imperiali quoq; uerbo ſuis diſcipulis dixit + miniſterialiter diuidendum: Quatenus ſic mors Domini continue, donec ueniat, annuncietur. Pro ut hoc in ſacri Euangelij paſsibus, eſt luce clarius irrefragabiliter exaratum, & ſanctorum Doctorum

Perſuaſiones. ferè omnium, præſertim ueterum, ſententia concorditer approbatum, ita ut non ſit timor ad oppoſitum, eſt commendatum firmatumq; ſolidiſsimis + munimentis.

alias + monumentis. alias + ſalutifera. Quapropter ſi quos Chriſti fideles uera & utilia erudiunt, ſi + ſalutaria promouent, & honeſta ſi delectant: Deniq;, ſi qui ſalutiferum Antidotum, pro humanæ fragilitatis infirmitate effuganda, appetunt: ſi ardore cordis dominicæ incarnationis conuerſationem ac ſaluificam eius paſ-

ſionem memorari, ſibiq́ compati dulcoroſè deſiderant, aut ſe de uitæ diuinæ regniq́ cœleſtis exortes nolunt experiri finaliter.

Equidem bos per uiſcera miſericordię Ieſu Chriſti obnixius deprecamur, Quatenus ad hoc uiuificum duplicis ſpeciei, unius tamen fidei Sacramentum: In quo omnis animæ ſpiritualis frugalitas, & omnis prærogatiua gratiæ, augmentumq́ fidei, cum omni eo, quod animam beatificè delectat, aut immortalitatem pręſtans ædificat, ex altitudine diuini conſilij mirabiliter ſunt incluſa, humanæq́ rationi imperſcrutabiliter congeſta: ſtudeant uelint & affectent præ alijs omnibus, ad hoc unicum bonum tractandum, ſumendum & fruendum, ſummopere properare, Et ad properandum ipſumq́ percipiendũ frequẽtius, ſe totis uiribus (quantum humana ipſis permittit facultas) ſemper adaptare, probare & diſponere, Et iſto beato ac ſalutari, non tam graui quàm delectabili, nec tam utili quàm fœlici, ſic labore ſtudioſe ac ſolicite exercere. Quo ſaluberrimo Mannæ cœleſtis cibo, meraciſsimoq́ de petra (quæ Chriſtus eſt) fluente poculo refecti, deificam terræ promiſſæ uitam poſsint conſequi fœliciter & mereri. Si autem de anteceſſoribus noſtris aut coexiſtentibus nobis, non ſolum ægris, quin etiam ſanis, uel ignoranter uel ſimpliciter hoc obſeruatũ non fuerit, ſeu neceſsitas ægritudinis aut alio caſu, nequaquam caute aut commodoſe obſeruari quiuerit: poteſt (ut ſperamus) à Domino ſimplicitati eorum aut neceſsitudini, miſericorditer indulgeri. Quod ſi huic ſacratiſsimæ Chriſti conſtitutioni, noſtræq́ fideli profeſsioni, humana quæuis obſtet conſtitutio, quæ pridem in ſacris Canonibus nondum eſt reperta, nec de poſt (ut credimus) affutura, aut cuiuſcunq́ poteſtatis inſidians, aut ab hoc bono quomodolibet retrahens terrifica comminatio, Etiam ſi nos in futurum (quod abſit) aut Angelus de cœlo, à prædicta ſolida ueritate, quenquàm niteretur aliquo dogmate, ſeu euidenti aut ſimulata fraude abducere: Quoniã ſic aliud doceretur, quàm quod præceptor noſter Ieſus Chriſtus, huius ſacrificij autor & doctor, inſtituit & tradidit, fecit & docuit: Huiuſmodi itaq́ humanæ inuentionis dogma, tanquàm ſuſpectum & à ueritate Euangelica prorſus alienum, eſt nullatenus aduertendum: Quin potius ueritati Chriſti autoris (quę omnium iuſſa præponderat, cui etiam + contrarians conſuetudo aut inuentio debet cedere) eſt ſtudioſiſsimè inſiſtendum. Datũ Pragæ, Anno Domini M.CCCCXVII. die decima, menſis Martij. In plena Magiſtrorum congregatione, Vniuerſitatis ſigillo ſubappenſo.

Adhortationes ad utrãq́ ſpeciem.

Contra humanam cõſtitutionẽ.

alias + contraria queq́.

Hic eſt uiſcus aucupantium, hic laqueus uenãtium hæreticorum,

quo iam ſupra Centū annos infinitæ animæ captæ & irretitæ, perirent & prohdolor adhuc pereunt inæternum: Et hodie quidem tanto plures, quanto maior eſt Regno Bohemię tot prouinciarum ampliſsimarum capax Germania. Noui enim Huſsitæ Germaniæ, dogma iſtud à ueteribus Bohemiæ Huſsitis pernicioſsimè mutuatum, ubiq; præmittūt, uelut āteſignanum: Quo cętera contra Eccleſiam dogmata, quę magis impia & minus probabilia ſunt, ſubintroducunt, ut hoc dogma ſit uelut oſtium & patens ianua, per quam omnes ſchiſmaticorum & hæreticorum articuli, quātumuis impij & abſurdi, in Eccleſiæ turbationē, ad fideles intromittuntur. Non enim eſt dogma iſtud ſecundum ſe impiū et erroneū, quando quidē in manu Papæ & Eccleſiæ eſt, Laicis uenerabile Sacramentum, aut ſub utraq;, aut ſub altera tantū ſpecie porrigendum decernere. Hæreticum uerò eſt & erroneū, dicere aut diffinire, quod Eccleſia erret aut peccet, Laicis alteram tantum ſpeciem præbens: aut quod de neceſsitate ſalutis ſit, ut Laicis utraq; ſpecies detur. Hic enim error publicè damnatus fuit in Generalibus Concilijs, Conſtantienſi, Baſilienſi, & nouiſsime Lateranenſi. Et aduerſus hanc hæreſim tot extant ſcripti egregij tractatus & libri, contra ueteres & nouos Huſsitas æditi, ut ſuperuacaneum uideri queat, hac de re plura ſcribere. Quoniam uerò decretum iſtud Vniuerſitatis Pragenſis (quæ iam pridē à primęua fide, & puritate Catholica, expulſis Germanis, in luem & labem Huſsiticam degenerauerat) magno pietatis fuco & Euangelij prætextu, per Rhetoricum artificium, ſimplices ab una ſpecie deterrere, & ad utranq; trahere conatur: Neceſſariū ſane & operæprecium uidetur, ut paucis de hoc diſſeramus, ne quis Catholicorum ex eius lectione ſcandalizetur, aut male dubitare de Eccleſiæ conſuetudine incipiat. Primū igitur uideat lector, ne circumueniatur procœmio, in quo Thema fertur eſſe legis Euangelicæ: Quod nos ſanè non concedimus. Quandoquidem lex Euangelica nuſquam pręcipit, Laicos ſub utraq; ſpecie communicari debere. Deinde cōſyderet, aliter in procœmio proponi, & in fine concludi. Proponitur nanq;, An licenter ſumi poſsit, Concluditur uerò, neceſſario ſumi, ſcilicet ſub utraq; ſpecie. Poſthæc animaduertat, proteſtationem facto contrariā eſſe. Proteſtatio enim dicit, Nihil contra Romanam Eccleſiam diffinire, nec ullam nouitatem inducere: factum uerò & determinatio, penitus contrarium continet. Nam et nouū erat & uſui Romanæ Eccleſiæ contrarium: Laicis utrāq; dare ſpeciē, Quod nulla tamen Eccleſia Latinorum facere ſolebat. Quarto, uideat, quam fraudulenta ſit excuſatio, quę neceſsitatem prætendit & dicendi uerū & explicandi dubia: Cum ſatis

Vtraq; ſpecies facta eſt laqueus uenantium

Error de utraq; ſpecie.

Conſtan. ſeſſ. 13
Baſilieſ. ſeſſ. 30

Admōitio contra dolos Decreti ſcholæ Pragenſis.

ſatis conſtaret, uſum unius ſpeciei in Laicis, antea non fuiſſe reprobatum, neq; in Bohemia, neq; in Morauia, neq; ullos Catholicos de uſu unius ſpeciei dubitaſſe prius. Quinto bene expendat lector, omnia argumenta de fructu & uſu huius adorandi Sacramenti, nihil contra nos facere. Quicquid enim boni ex perceptione huius Sacramenti nobis prouenit, non ſpeciebus & accidentibus panis & uini, ſed potius ipſi rei contentæ (utpote corpori & ſanguini Ieſu Chriſti) tribuendum & accepto referendum eſt. Iam uero ipſimet Huſsitæ confitentur, re ipſa contineri, etiam ſub altera tantū ſpecie, totum Chriſtum. In nullo igitur defraudantur cōmodo huius Sacramenti Laici, quicunq; digne alteram ſpeciem accipiunt. Nam reipſa nihilo plus ſub utraq;, q̃ ſub altera ſpecie eſſent accepturi. Sexto, Intelligat lector, ſcripturæ loca, quæ citantur, non de ſpeciebus panis & uini, ſed de rebus potius contentis, hoc eſt, de corpore & ſanguine Chriſti, mentionem facere. Iam uerò conſtat etiam ex Huſsitarum confeſsione, totum Chriſtum ſub alterutra ſpecie cōtineri. Reuera igitur percipit Laicus ſub ſpecie panis, uerum corpus & ſanguinem Chriſti, haud ſecus atq; ſacerdos in Miſſa ſub utraq; percipit ſpecie. Septimo, ſciat pius lector, omnes illas adhortationes ad ſumendam utranq; ſpeciem, fraude diaboli concinnatas eſſe, ut ſub prætextu pietatis, impietatis reos faciat omnes, qui propter utranq; ſpeciem, ab unitate Eccleſiæ recedunt, & Epiſcopis ſuis rebelles fiunt, atq; per hoc indignè & ad iudicium Sacramentum unitatis ſumunt. Pijs enim Laicis, qui iuxta communionem et uſitatum Eccleſiæ ritum, ſub una ſpecie totum Chriſtum in Sacramento digne accipiunt, omnia cooperantur in bonum (ut ait Apoſtolus) et nullus deperit huius Sacramenti fructus. Impijs uerò Huſsitis, qui propter externas ſpecies panis & uini, ab unitate Eccleſiæ impie deficiunt, & Eccleſiæ Prælatis rebelles fiunt, omnia huius Sacramenti bona uertuntur in uenena, atq; in æternum animarum exitium. Qui enim indignè manducat & bibit (inquit Apoſtolus) iudiciū ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Id quod maximè faciunt Huſsitæ, Quia Sacramēto unitatis abutūtur ad ſchiſma & rebellionē, ſumētes corpus Domini ſchiſmaticè, corpus Domini myſticū (quod eſt Eccleſia) nō dijudicant, ſed impiè ſcindūt. Etenim unus panis et unū corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus. Ideo & Chriſtus ijs rebus hoc unitatis Sacramentū inſtituit, quæ ex multis unū faciunt. Ex multis quippe granis fit unus panis, & ex multis uuis unū confluit uinum. Quid ergò faciunt Huſsitæ, qui ſub utraq; ſpecie contra conſtitutionem & conſuetudinem Eccleſiæ, Euchariſtiæ Sacramentum accipiunt?

Non plus ſub utraq; ſpecie quā ſub altera ſumitur.

Rom. 8.

Huſsitis cibus iſte in uenenum uertitur.

1. Cor. 11.

Octo peccata Huſſitarũ in cõmunicãdo. O Deus bone, quantis per hoc peccatis ſeſe inuoluunt, & æterni iudicij reos faciunt? Primũ, Quia Eccleſiam non audiunt, Ethnicis & publicanis comparantur ab ipſomet iudice, ſaluatore noſtro. *Matth.18.* Secundo, Quia Ro. Pontifici & ſummo ſacerdoti in hoc reſiſtũt, ex lege diuina digni ſunt morte. *Deut.17.* Tertio, Quia Epiſcopis & præpoſitis ſuis non obediunt, peccatum ariolandi (uti diuina teſtatur ſcriptura) & ſcelus Idolatriæ per hoc incurrunt. *1.Reg.15.* Quarto, Quia pane uitæ abutuntur ad mortem, dum nouitate & rebellione ſua plurimos fidelium, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ſcandalizant, Væ igitur eis, per quos ſcandalum iſtud uenit. Expediret enim eis, ut ſuſpenſa ad collum mola aſinaria demergerentur in profundum maris. *Rom.14. Matth.18.* Quinto, Quia Sacramento cõmunionis & unitatis abutuntur ad diuiſionem & diſcordiam, & per hoc fiunt deteſtabiles & odibiles Deo. *Prouer.6.* Ait enim ſcriptura, Sex ſunt quę odit Dominus, & ſeptimũ deteſtatur anima eius. Hoc autem ſeptimum eſt is, qui ſeminat inter fratres diſcordiam. *1.Corin.11.* Sexto, Quia in peccatis indignè accipiunt, utpote in ſchiſmate, in rebellione, in deſpectum ſuperiorum, in contemptum Eccleſiæ, &c. Ideo iudicium ſibi manducant & bibunt. Septimo, Quia per hoc in hæreſim multos ſeducunt, qui inde opinantur & credunt, plus contineri ſub utraq; ſpecie, quàm ſub altera, Chriſtum impiè diuidentes in duas partes, quarum altera corpus, altera ſanguinem eius contineat. *1.Ioan.4.* Octauo, Quia per hoc multiplicem Venerabili Sacramento irreuerentiam irrogãt, maximè circa Domini calicem, uti docet experientia: Non obſeruantes illud Apoſtoli ad Hebrǫos. *De conſecra. diſt.2. c.ſi per negligentiam. Heb.12.* Per gratiam ſeruiamus placentes Deo, cum metu & reuerẽtia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt. Longum eſſet omnia ſcelera & delicta referre, quæ Huſſitæ circa hoc Sacramentum, diuiniſsimum impiè commiſerunt, & adhuc hodie cõmittunt, contra certas & manifeſtas ſcripturas diuinas. Ipſi uerò pro utraq; ſpecie Laicis danda, ne unum quidem certum & manifeſtũ ſcripturæ locum indicare poſſunt. Quotquot enim adducunt, non de ſpeciebus panis & uini, (ſuper quibus contra Eccleſiam perfide contendunt) ſed de corpore & ſanguine Chriſti loquuntur. At ipſimet fatentur, ſub altera quoq; ſpecie realiter contineri corpus & ſanguinem Chriſti, atq; adeo totum Chriſtum. Vanè igitur contendunt de ſpeciebus & ſignis, cum de rebus & ſignatis nobiſcũ conueniant.

Barbaries Huſsitarũ circa hoc Sacramentum. Pulchra quidem uerba de hoc Sacramento poſuerunt mendaces Magiſtri in ſuo conſilio, ſed facta Huſsitarũ demonſtrãt, nullam gentem fuiſſe contra diuiniſsimum Sacramentum iſtud magis impiam, barbaramq; & irreligioſam. Qua de re duo ex Vandalia Alberti Krantz exempla

exempla recitabo, ex quibus lector facile intelliget, qualis fuerit reipſa Huſsitarum erga Euchariſtiam reuerentia & religio. Hæc igitur ſunt uerba illius Hiſtorici.

In Bohemia iam creſcentibus malis, in id temeritatis hæretici peruenerūt, ut confuſis ordinibus in Eccleſia, Laici ſe adminiſtrandis Sacramentis ingererent. In ipſa urbe Praga inuentus eſt hæreticus, ordine Laicus, artificio ſutor, qui non cedens ſacerdotibus, cœpit attrectare Dominica Sacramenta. Vuenceslaus Rex, aliàs ignauiſsimus, cū hoc audiſſet, magno lethargo excitatus, aliquando ſe commouit. Nam captum ſacrilegum, igne iuſsit concremari. Mons eſt Bohemiæ, † Cuduuis uocant, in cuius oppidum uenerat miles, hæretica ſorde maculatus, Eccleſiā ingreditur ad ſacrum myſterium, ut magis irrideret q̃ ueneraretur. Sacerdos ſacro ſanguine iam accepto, calicem cōſtituit in cornu altaris. Accedit miles, calicem aufert, & cum turba famulorū tabernam gratulabundus ingreditur, lucratus aliquot dierū impendium. Primus hauriens de calice, ſocios inuitat inidipſum, ita ludibrio ſacra uaſa habuere, irridentes. Sequutus mœrens presbyter, obuium habuit germanū fratrem ſuū, ſciſcitatur ille, quid mœſtus eſſet? Audit Dei cōtemptum, & militis inſolentiā. Conſolatur fratrem, nō ſe guſtaturū panem, priuſquàm Dei iniuriam uindicarit. Socios laboris interpellat, qui in fodiendis mineris operantur, durū à ſtirpe genus. Spontaneos ad ulciſcendum Dei & Eccleſiæ contemptum habet. Obſeruant militis exitum de taberna. Adoritur primus ſacerdotis germanus, Cur de altari deq́ue Eccleſia ſacrum calicem, in Dei contumeliam, & germani fratris iniuriam, abſtuliſſet? Ille nec reſpondere dignatur ſeruili homini. Corripit mox inuaſor gladium, & militem obtruncat, famuli necem Domini uindicare conati, ad unum omnes, uiri uiginti opprimūtur. Hæc ille. Et multo atrociora, quæ poſtea contigerunt, ab alijs referuntur. Patres autem in Concilio Conſtantiæ ab his, qui rerum Bohemicarum gnari erant, rogati & informati de factis Huſsitarum, ut Regnum inclytum ab ea labe purgaretur, XXIIII. articulos conceperunt illis proponendos, Quos referre libet, ut lector pleniorem ac certiorem hiſtoriæ cognitionem inde accipiat.

Albertus krātz in Vandalia lib. 10. c. 27.

† Cuttenberg, ſeu Cuthnae.

Miles hic nomen dignitatis eſt, quē Equitem auratum dicimus.

Miles à fodinarijs occiſus.

XXIIII. Articuli à Patribus Concilij Conſtantienſis præſcripti, ad reducendos ab Huſsica hæreſi Bohemos.

Vt Rex Bohemiæ † iuret, Eccleſiam Rom. & alias Eccleſias ſuæ ditioni ſubiectas, in ſuis libertatib. † cōfirmare, & nō imponat moleſtias Clero & Religioſis, per Vuicleph uel Huſsitas introductas. I

† curet

† conſeruare

Vt

II Vt omnes Magiſtri & ſacerdotes, qui hęreſes et errores dogmatizando uel prædicando in prædicto Regno ſeminauerunt, & cæteros ibidem infecerũt: Errores ipſius Ioannis Vuicleph & Ioannis Hus, in hoc ſacroſancto Cõcilio comdemnatos, abiurent, Et quos prædicauerunt uel dogmatizauerunt, reuocent. Ac ipſam condemnationẽ doctrinæ & perſonarum, publicè in ambone approbent & iuſtam pronuncient.

III Vt ij, qui in materia fidei non comparuerunt, nec comparere curauerunt, ſed in ſententijs ſorduerunt, abiurent. Et contra quos eſt proceſſum ad annum uel plures, qui Cenſuras non curauerunt, poteſtatem clauium + condemnantes, pœna condigna puniantur.

+contẽnentes.

IIII Vt ipſi ſæculares, qui Vuiclephiſtis & Huſsitis adhæſerunt, ipſos defenderunt & protexerunt, iurent, eis amplius non adhærere, ac eos perſequi, nec eos amplius fouere. Et geſta Concilij ſuper condemnationem articulorum Iohannis Vuicleph & Iohannis Hus approbent & rata habeant. Et idem de condemnatione perſonarum.

V Vt ſæculares, qui Clerum ſpoliauerunt, ad reſtituendum compellantur, Quia peccatum non dimittitur &c. Et quod obligent ſe & iurent, amplius libertatem Eccleſiaſticam non impedire.

VI Vt expulſi à beneficijs, ad ſua beneficia reſtituãtur, & intruſi expellantur & puniantur.

VII Vt prophani omnes & ſinguli, ſiue in fauore Vuiclephiſtarum, ſiue propter temporalia, puniantur iutxa legitimas ſanctiones, ne contemptus clauium approbetur ſeu approbari uideatur.

VIII Vt omnes, qui cauſam fidei in Curia promouerunt & extra, ad ſua beneficia reſtituantur, & ſecuritatem habeant in Regno permanendi. Quod ſi facere recuſauerint, & cum effectu non fecerint, ſignũ eſt, quod non intendunt reuerti: Cum illos ad reuerſionem inducentes, ſi ueri eſſent pœnitentes, tales fouere deberent, & ſe erraſſe & ſeductos fateri.

IX Vt reliquiæ ablatæ, & alia Eccleſiaſtica, & Theſauri Pragenſis reſtituantur ex integro, & bona alia mobilia ſiue redditus eiusdem Eccleſiæ uel alijs Eccleſijs ablata uel ablati, per Regnũ Bohemiæ & Marchionatum Morauiæ.

Reliquiæ

X Vt Vniuerſitas Pragenſis reformetur, & Vuiclephiſtę qui eam deſtruxerunt, realiter puniantur & amoueantur. Quia aliàs Vniuerſitate non reformata, & Vuiclephiſtis atq; Huſsitis in ea dominantibus, illi errores non ceſſabunt.

Vniuerſitas Pragen.

XI Vt Hæreſiarchę principales, & doctores illius ſectę, ad Curiam

&

& ſedem Apoſtolicam uenire compellantur. Et ſunt hÿ, Ioannes Ieſſenitz, Iacobellus de Miſna, Symon de Tyſna, Symon de Rockinzano, Chriſtānus de Brachatitz, Ioannes Cardinalis, Zdenko de Loben, Prępoſitus omnium ſanctorum, Zdislaus de Suiertitz, & Michael de Czisko.

Vt omnes ſæculares, qui communicauerunt ſub utraq; ſpecie, uel alios compulerunt, & præſertim poſt inhibitionem ſacri Conciliÿ, abiurent illam hæreſim. Et iurent, illam communionem non promouere, ſed pro poſſe impedire. XII

Vt presbyteri uel aliÿ ordinati per Dominum Hermannum, ſuffraganeum Archiepiſcopi Pragenſis, captum per Dominum †Zenkonem de Vuartenberg, Cum eis non diſpenſetur, ſed ad ſedem Apoſtolicam remittantur. XIII † Zdenkonem

Vt Tractatus Ioan. Vuicleph, trāslati in uulgare per Ioannem Hus & Iacobellum, atq; aliÿ per ipſos in uulgari æditi, in quibus errores ſuos poſuerunt: omnes & ſinguli reponantur ad manus Legati uel Ordinariÿ, ſub pœna Excommunicationis. Quia illis non ablatis, errores non ceſſabunt. XIIII Libri Vuiclephi.

Vt Tractatus Ioan. Hus hæretici, condemnatus in hoc ſacro Concilio, ſub pœna Excōmunicationis, reponatur apud eoſdem. XV

Vt omnes tractatus Iacobelli ſub compoſitione de utraq; ſpecie, & de Antichriſto, in quo Papam uocat Antichriſtum, reponantur & comburantur. Et ſimiliter tractatus æditus per ipſum, de remanentia panis poſt conſecrationem in altari. XVI Libri Iacobelli.

Vt omnes cantilenæ, introductæ in præiudicium ſacri Conciliÿ, & uirorum Catholicorum cuiuſcunq; ſtatus, qui Vuiclephiſtis obſtiterunt & Huſsitis, uel cantilenæ in commendationem Ioannis Hus uel Hieronymi hæreticorum condemnatorum, prohibeantur in omnibus ciuitatibus, uillis & oppidis, & quibuſcunque manſionibus decantari, ſub pœna grauiſsima. XVII Cantilenæ.

Vt prohibeatur, ne paſsim per Clerum ſine miſsione Ordinariÿ prædicetur uerbum Dei, & ſine autoritate Plebanorum. Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur? XVIII Rom. 10.

Vt Ordinariÿ & aliÿ Prælati, iuriſditionē habentes, in ſua iuriſditione per quempiam ſæcularem non impediantur, ſub pœna Excōmunicationis. Si enim illa hæreſis maledicta, debet exterminari, oportet, quod liberè exerceatur contra ſpirituales & ſæculares, de hæreſi uel erroribus ſuſpectos, aut de fautoria perſonarum condemnatarum. XIX Iuriſdictio.

Vt mandetur omnibus & ſingulis de ſubdita obedientia ſub pœna Excommunicationis, Quicunq; aliquem Huſsitam uel Vuiclephiſtam XX

dephiſtam uel ipſorum doctrinam promouerit, uel perſonas cognouerit, & libros ipſos ſuſpectos ſciuerit, Diœceſano uel ſuis Officialibus denunciet, qui contra eos ex officio procedat iuxta Canonicas ſanctiones.

XXI Conſpiratio. Vt colligatio, quam fecerunt ſæculares cum ſæcularibus & ſpiritualibus, in præiudicium ſacri Concilij, ſedis Apoſtolicæ ac Eccleſiæ Romanæ, in fauorem iſtorum hęreticorum condemnatorum, Ioannis Hus & Hieronymi, & prædicatorum iſtius ſectæ: ſub pœnis grauiſsimis diſſoluatur. De qua colligatione per literas patet euidenter à ſacro Concilio decretas.

XXII Vt ritus & Cæremonię religionis Chriſtianæ, circa cultum diuinum, imagines, & uenerationes reliquiarum, obſeruentur. Et talium tranſgreſſores puniantur.

XXIII Vt omnes & ſinguli, ſpirituales & ſæculares, qui errores uel hæreſes Ioãnis Vuicleph & Io. Hus, in ſacro hoc Cõcilio Conſtantienſi condemnatos, prædicant, dogmatizant uel defendunt. Et perſonas Ioannis Hus & Hieronymi Catholicas uel ſanctas pronunciant uel tenent, & de hoc conuicti fuerint, Tanquam hæretici +lapſi puniantur ad ignem. +relapſi

XXIIII Contra relapſos. Vt omnes ſæculares, per Ordinarios moniti & hortati, contra exorbitantias in prædictis, ſub pœna fautoriæ hæreſis teneantur auxilium præbere & fauorem.

Inſolentia Huſsitarũ ſub rege Vuẽceslao. Ex his facile intelligit prudens lector, quanta fuerit in Bohemia religionis turbatio, & omnium ordinum ac ſtatuum diſcordia, ſub ignauo Rege Vuenceslao, qui inerti ſocordia ſtertens, principijs tanti mali non obſtitit: ſecta uerò iam pręualente, obſtare amplius non potuit. Fecerũt ergò ſub eo Huſsitæ quicquid libuit facere, colligauerunt ſeſe nouis fœderibus. De quibus arguit eos (ut ſupra relatum eſt) Sigiſmundus Cæſar. Expulerunt de beneficijs Eccleſiaſticis presbyteros Catholicos, ac ſuos intruſerunt pro illis, Proſcripſerunt & extorres egerunt multos egregios uiros, Prælatos & Doctores, quicunq; aduerſus Ioannem Hus & complices eius egerant, uel in Curia Ro. uel in Concilio Conſtantienſi. Quod ſi licuit eis, Metropolitanam Eccleſiam Pragenſem (quę in medio arcis poſita, undiq; circummunita eſt) Theſauris & reliquijs ſpoliare, quid obſecro in alijs templis & Monaſterijs ab eis tutũ eſſe potuit? Nacti deniq; perfidum Epiſcopum, Archiepiſcopi Suffraganeum, ordinauerunt per eum Clericos ſectæ ſuæ quotquot uoluerunt. De quo ſane ſuffraganeo, ſupra fit mentio in articulo XIII. Et extat quædam epiſtola Archiepiſcopi, qua illum ab ordinandi officio ſuſpendit, in hæc ſane uerba.

Conradus

Conradus Dei gratia Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus &c. Apoſtolicæ ſedis Legatus.

Vniuerſis & ſingulis Dominis Prælatis, Plebanis, Eccleſiarum & Capellarum Rectoribus, cæteriſq; Chriſti fidelibus per ciuitatem Diœceſim, & prouinciam noſtram Pragenſem conſtitutis, ad quos pręſentes peruenerint aut peruenire contigerit, ſalutem in Domino.

Hic Conradus Vueſephalus fuit, ac tandem ab Imp. Sigiſ. ad Hußitas defecit. anno 1421.

MAnifeſtum & in facto notorium exiſtit, qualiter, poſtquàm Reuerendus in Chriſto Pater & Dominus Hermannus, Epiſcopus Nicopolenſis, noſter in Pontificalibus Vicarius Generalis, nuper tranſiuiſſet, ad exercendum officium ſuum prope † Lippnitz, ibidem contra noſtram uoluntatem, autoritate propria, officium ſuum Pontificale, circa conſecrationem Clericorum & in alijs, in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ pręiudicium & contemptũ, dinoſcitur exercuiſſe & exercere. Vnde ex cauſis præmiſsis & alijs animũ noſtrum mouentibus, præfatum Dominum Hermannum, ab officio noſtri Vicariatus in Pontificalibus amouimus & amouemus, & ipſum præſentibus ab eodem officio reuocamus, omnem poteſtatem ſibi per nos traditam, ab ipſo in totum tollentes, ordinatosq; per eundem Epiſcopũ ab executione ordinum per ipſos ſuſceptorum ſuſpendentes: Eidem Domino Epiſcopo officiũ in Pontificalibus in noſtra Diœceſi & prouincia interdicentes, omneſq; actus per ipſum factos & faciendos annullantes, irritantes, & annihilantes. Quam reuocationẽ & alia ſuperius deſcripta, ad uniuerſorum noticiam deducimus & deduci uolumus per pręſentes. Mandãtes nihilominus omnibus & ſingulis Clericis, & alijs Chriſti fidelibus, ut à præfato Epiſcopo ordines minores ac maiores non recipiant, nec † ad aliquos actus admittant, ſub pœna Excommunicationis. Quam in contrarium facientes, tempus currens pro monitione Canonica ſtatuentes, ſcrimus in his ſcriptis. Datũ Rudnitz. Annó Domini M. CCCCXVII. die XV. menſis Martij.

† *lignitz.*

Amotio ſuffraganei ab officio.

addo † ordinatos ab eo.

Dum hæc agerẽtur in Bohemia, Patres in Concilio Conſtãtię, cum uiderent ſua Decreta & iudicia ab Huſsitis contemni ac repręhendi, & audirent uarias practicas & colligationes ab eis fieri, petierunt à Sigiſmũdo Cæſare fidem publicam, quam ſaluũ conductum uulgo dicunt, pro ſecuritate Concilij renouari. Qua de re extat Monumentum publicum, quod propter antiquitatem lectu dignum, & pro rerum geſtarũ pleniore intelligentia hic recitandum uidetur, licet difficile ſit illud ex carioſo codice deſcribere, ubi & ſcriptura barbara eſt & mendoſa. Sic igitur habet.

Literæ ſecuritatis Concilio datæ

Sigiſmundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus ac Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, ad futuram rei memoriam, notum facimus per pręſentes quibus expedit uniuerſis. Sanè cum facta huic ſacro Concilio (ſpiritus ſancti gratia cooperante) unione & incorporatiõe obediẽtię Petri de Luna, Benedicti Tredecimi à nõnullis nominati, pro fœlici cõſummatione unionis Eccleſiæ ſacroſanctæ, & præſentis ſchiſmatis extirpatione totali, in noſtra Conſtantienſi ciuitate, in qua præſens Concilium celebratur, ſuo tẽpore, iuxta eiuſdem decreta Cõcilij, reſtẽt aliqua peragenda, uidelicet dicti Petri eiectio, Eccleſiæ reformatio, ac Ro. Põtificis electio, atq; hæreſum extirpatio: Nos tanq; Ro. Eccleſię Aduocatus, et dicti Concilij Defenſor, præfatæq; ciuitatis Conſtantienſis Dominus naturalis, Deſiderantes præmiſſa & alia, per ipſum Concilium in eo peragenda, in plena libertate plenaq; ſecuritate, autore Chriſto, dici fieri & impleri: Ac omnes qui ratione Concilij prædicti, ad dictam ciuitatẽ noſtrã conuenerũt & conuenerint, in pleniſsima libertate ac ſecuritate exiſtere et permanere: Securitatẽ aliàs ſuper hoc per nos datam continuantes, ac (inquantum opus eſt) ex ſuperabundanti renouãtes, Præfato ſacroſancto Cõcilio, & ſuppoſitis eiuſdem ac perſonis prędictis, cuiuſcunq; ſtatus aut conditionis exiſtant, plenam ſecuritatem ac indubitatam libertatem, ad prædicta omnia & ſingula peragenda, concedimus. Guerris & diffidantijs † conſyderationibus, Repreſalijs ac ligis cum quibuſcunq; factis aut fiendis, non obſtantibus. Nec non ueniendi, ſtandi, et recedendi cum bonis ac rebus, plenam libertatem plenamq; ſecuritatem & facultatem damus & concedimus per præſentes, Et omnes illas inuiolabiliter obſeruare, fide Regia promittimus. Ac nihilominus per pręmiſſorum efficaciam, omnibus et ſingulis Principibus, Vaſallis & ſubditis ſacri Imperij, Et præſertim ciuibus & Incolis dictæ noſtræ ciuitatis Conſtantienſis, fidelibus noſtris dilectis, diſtrictè præcipimus & mandamus, Quatenus dictum ſacrum Concilium, ac omnia & ſingula ſuppoſita eiuſdem, in pura, ſyncera, pacificaq; libertate manuteneant & defendant: Non ſolum uſq; ad electionem & profectionem futuri Romani Pontificis incluſiue, ſed etiam poſtea per totum tempus, quoad dictum ſacrum Concilium durauerit, & circa præmiſſa perficienda uel aliquid pręmiſſorum, & ad alia quæcũq;, ad dictum Generale Concilium pertinentia, intenderit. Ac etiam ipſo Concilio finito, per Sex menſes immediate ſequentes, infra quos quilibet prædictorum poterit liberè & ſecure, cum perſonis & rebus ſuis omnibus, quo uoluerit remeare. Et ulterius, quando ſacrum Concilium deliberauit ad electionem

† confœderationibus.

Romani

Romani Pontificis fore procedendum, omnem curã, diligentiam, ſolicitudinem & operam efficaciter impendant, Quas & omnia prædicta nos ſimiliter impendere, eadem fide Regia promittimus. Quod Electo huiuſmodi & alia præmiſſa dicto Concilio, ut præmittitur, peragenda, in plena libertate & ſecuritate defendantur, fiant & compleantur. Per † præmiſſarum & eorum à quibuſdam, *lego † premiſſa tamen et eorum aliquot.* non intendimus (ſicut nec debemus) Decretis, ſtatutis ſeu ordinationibus huius ſacri Concilij, factis uel fiendis, in aliquo derogare: ſed ea omnia & ſingula, quantum ad nos ſpectat, pro uiribus defenſare. Quicunq; ergò ſubditorum noſtrorum iſtam libertatem, tutelam aut ſecuritatem †aliquantis impedierit, uiolauerit, fraudem *† aliquatenus.* contra eam fecerit, aut quantũ in eo fuerit, non obſeruauerit, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus præeminentiæ aut conditionis exiſtat, omni ceſſante priuilegio, eo ipſo ſentẽtiam Imperialis Banni incurrat, perpetuo ſit infamis, nec ei unquam pateant portę dignitatum, nec ad aliquod officium publicum admittatur. Quinimmò omnibus feudis & alijs bonis, quę à Romano tenet Imperio, ſit ipſo iure priuatus. Ciuitas autem ſiue Vniuerſitas Conſtantienſis, niſi Conſules & Rectores eiuſdem prædicta obſeruauerint, aut ſi cõtra ea, aut aliquod eorũ uenerint, eo ipſo Banno Imperiali ſubiaceat, & omnibus priuilegijs & libertatibus Imperialibus ſiue Regalibus, ſit penitus deſtituta, præſentium, ſub noſtræ Maieſtatis ſigilli appenſione, teſtimonio literarum. Datum Conſtantiæ, Anno Domini M.CCCCXVII. Decima Indictione, Die uerò nona, menſis Iulij. Regnorum noſtrorum Anno Vngariæ &c. Trigeſimo primo. Romanorũ autem Electionis ſeptimo, Coronationis uerò Tertio.

Et ad maiorem præmiſsorum firmitatem, Nos Fridericus Marchio Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperij Archicamerarius & Elector, Ludouicus, Arneſtus, Vuilhelmus, Henricus & Ioãnes Comites Palatini Rheni ac Duces Bauarię: Et Ioannes Comes de Goritia, ſacri Rom. Imperij Princeps, Necnon Ludouicus Comes de † Orchingen Imperialis Curię Magiſter. † Emterus Comes de Zuuarſtburch, prædictæ Curię Imperialis Iudex. Magiſter quoq; ciuiũ & Conſules præfatæ ciuitatis Conſtãtienſis: pro omnibus & ſingulis præmiſsis, ſupraſcriptum Sereniſsimum & Inuictiſsimum Principem & Dominum, Dominum Sigiſmundum, Dei gratia Romanorum Regem ſemper Auguſtũ, ac Vngariæ &c. Regem, Dominum metuendiſsimum, in fide Regia, præfato ſacro Concilio, mera ſua libertate promiſsis, inconcuſſe obſeruandis. De ſpeciali ipſius Domini noſtri Regis beneplacito & cõſẽſu, fideiuſſoriam

Teſtes & fideiuſſores.

fortè † Othingẽ
fortè † Gũterus

prꝍſtamus cautionem. In cuius rei teſtimonium, fidem & robur, Sigilla noſtra prꝍſentibus ſunt appenſa. Datū loco, anno, Indictione, Menſe, die, Regnis, quibus ut ſupra.

Inuaſio et deiectio Ecclesiarum.

In Bohemia uero indies magis ac magis inualeſcebat ſecta Huſsitarum, impetratis, immo extortis à Rege pluribus Eccleſijs, in quibus plebi ſuę et prædicare & Sacramenta ſuo ritu miniſtrare liberè poſsint. Cappella enim Bethlehem, quantumuis ampla, omnes capere modo non poterat, licet prima fuerit illius peſtilentiæ Cathedra. Fratres Ordinis Prædicatorum, qui per ſolidam Sancti Thomæ Aquinatis Theologiam, hæreticis acerrrimè reſiſtere ſolent: præ cæteris inuiſi erant Huſsitis. Cumq; apud Sclauoniam (uti refert Æneas Syluius) nobile haberent Monaſterium, extra mœnia oppidi ſitum, primum illi fecerunt in illud impetum, & à fundamentis deiecerunt. Hæc prima fuiſſe fertur Eccleſiarum ruina. Inde in nobiliſsima quæq; templa & Monaſteria à furente plebe graſſari cœptum eſt. Poſtquam uerò Eccleſas quàm plurimas deiecerunt, ac Monaſteria incenderūt, petierūt caſtellum, cui + Bechingne nomen eſt (ut ait Æneas ſupra dictus) octauo ferè Miliario ab oppido, quod nunc Thabor appellant: Quo ſane circiter XXX. Milia hominum conuenerunt, atq; ibi CCC. menſas in patentibus campis erexerunt, ex quibus populo Sacramentum calicis miniſtrarunt.

+ Bohemi Bechyniam uocāt

Coranda presbyter à periculo regem libe rauit perſua ſione.

Terruit ea congregatio Vuenceslaum Regem, uerentem, ne tumultu facto in ſe arma conuerterent, Regnum ſibi adimerēt, Necq; longe aberat à periculo. Verum Vuenceslaus cognomento Coranda, ſingulari facundia præsbyter, & in plebibus auditus, ſaluti fuit Regi. Nam is pro concione populum ſic tumultuariè congregatum, de Republica admonēs, inter cætera in hunc modum locutus eſt. Viri fratres, quanquam ebrioſum atq; inertem ſortiti Regem ſumus. Si tamen cæteros expēdere Principes pergimus, nemo eſt, quem Regi noſtro anteferamus. Quem rectè omnium Regum ſpecimen dixerim, quietum, benignū, noſtri amantē. Nam quis eo regnante nos laceſſere audet? Licet nos ex uoto uiuere noſtro, ſi nō eſt eadem ſibi, quæ nobis, de religione ſententia: ritū tamen noſtrū necq; ipſe perturbat, necq; alios perturbare ſinit. Quibus par eſſe arbitror, preces pro eo ad Deum fundamus, atq; ſinguli uitam ei rogemus: Cuius deſidia, noſtra ſalus, noſtra quies eſt. Quod cum ab exploratoribus Rex cognouiſſet, quieto animo fuit, & factus ex tepido frigidus, Corandam inter amicos habuit.

Poſteaquam uerò Conſtantiæ à Concilio legitimè electus, confirmatus & coronatus fuit Papa Martinus, huius nominis V.

dictus

dictus antea Otto Cardinalis de Colũna: Ipſe priuſq; Romã proficiſceretur, paterna exhortatione per literas admonuit Bohemos, ut relicto ſchiſmate, ad Eccleſiæ unitatem redirent. In hæc ſane uerba.

Martinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorũ Dei, Dilectis filijs, uniuerſis Baronibus & armigeris Regni Bohemiæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Grauis admodum flebilis & horrenda querela, noſtras aures quotidianis clamoribus pulſat. Quod etiam dolenter referre cogimur. Quomodo relictis + peruerſis dogmatibus, per olim damnatæ memoriæ Ioannem Vuicleph & Ioannem Hus, & per ipſorũ ſequaces ſuperſtites, damnabiliter inſeruientes, ipſum Regnum Bohemiæ huiuſmodi peruerſis doctrinis & erroribus adeo infecerunt & peſtifere impleuerunt, quod iam fides Catholica, & Euangelica diſciplina ibidem (ubi hactenus ſumma ueneratione, & excellentiſsima deuotione colebatur) ferè famatur extincta. Imagines Crucifixi, Beatę Marię Virginis, & aliorum ſanctorum, irreuerenter franguntur & comburuntur, et impudicè defœdantur. Ritus & Cæremonię, & alia ad cultum diuinum pertinentia, penitus contemnuntur. Diuina heu prophanantur, & ad prophanandum Clerici Catholici compelluntur. Excommunicati & interdicti ad contemptum clauium tolerantur & fouentur. Rectores Parochialium Eccleſiarum & alij Beneficiati de beneficijs ſuis, Laicali potentia & crudeli ſæuitia opprobrioſe expelluntur. Nonnulli etiam ex ipſis uiris Eccleſiaſticis uarijs iniurijs laceſsiti, per Laicos captiuãtur, exactionantur, & crudeliſsimè cruciantur. Spolia ubiq; per regnum ſupra Clerum cõmittuntur. Cenſus & redditus ipſorum, de quibus ſtatum ſuum tenere deberent, uiolenter auferuntur. Et (quod horrendum dictu eſt) Catholici prædicatores, & etiã certi Magiſtri Catholicam fidem prædicantes & docentes, per cruciatus & tormenta, Neronica perſequutione, fidem Catholicã, quam prædicauerunt & docuerunt, abiurare coguntur. Prædicatores & Doctores errorũ prędictorum per eos fouentur, & Laicali potentia defenduntur. Imagines prædictorum Ioannis Hus & Hieronymi hæreticorum condemnatorum, & feſta celebrantur & uenerantur. Conſtitutiones friuolæ contra determinationem & decreta ſanctæ matris Eccleſiæ, & præſertim ſuper communione ſub utraq; ſpecie, temerariè promulgantur. Et nonnulli Laici Catholici, ad huiuſmodi cõmunicationem ſub utraq; ſpecie ſuſcipiendã, manu ſæculari ſæpius cõſtringuntur. Aliæ quoq; moleſtationes, oppræſsiones, perſequutiones, & abominationes: quas lingua carnis exprimere, aut certe calamus uix poſſet deſcribere, Quales nec tempore Pharaonis, nec tempore Paganorum, per-

Epiſtola Martini Papæ V. ad Bohemos.

addo + ſanis doctrinis.

Catalogus exceſſuum Huſsitarum.

ſecutorum Eccleſiæ, auditæ fuerunt, Clero & populo Catholico inferuntur. Quas & audire aures piæ perhorreſcunt, & referre ſingula: ueluti fama & relatione crebra ad nos perducta didicimus: non ualemus. Et quoniam nonnullos ex uobis (pro ut audiuimus) eadem peſte nephanda laborare cognouimus, grauius in animo conſeruamus, Dum tales ac tanti uiri (quorum progenitores ſemper ueri pugiles fidei Catholicæ, ac Eccleſiarum & Cleri fortes defenſores fuere) ad tantos errores & tyrānidem peruenerunt. Nos igitur, qui ex iniuncto nobis curæ paſtoralis officio, ſaluti cunctorum Chriſti fidelium prouidere diſponimus, præcipue tamen ad fidem Catholicam Chriſti, cuius (licet immeriti) in terra uices gerimus, ſanguine dedicatam: ad defendendam etiam uſq; ad ſanguinem tenemur: Ad extirpandum huiuſmodi errores, & ad defenſionem fidei accurata ſolicitudine uolebamus procedere, ut tenemur. Sed aſsidua atq; importuna Chariſsimi in Chriſto filij Sigimundi, Romanorū &c. Regis (qui pro unione ſanctæ matris Eccleſiæ, multos & grauiſsimos labores pertulit) interuentione permoti: Potiſsime uerò cōſyderatione ac intuitu Regni inſignis Bohemiæ (quod hactenus primum ac Eccleſię Romanæ ſemper obedientiſsimum extiterat)+ profitemur à proceſſu: Expectantes paterna pietate ipſorum reditum ad obedientiam, et errores ſuos corrigere, ad quod tenebantur. Quare Vniuerſitatem ueſtram ex ſuperabundanti requirimus & hortamur, Quatenus ab eiuſmodi erroribus & doctrinis peruerſis, ac per Eccleſiam damnatis, in antea recedentes, in gremium ſanctæ matris Eccleſiæ, & fidei Catholicæ ad obedientiam redire quanto citius feſtinetis, Necnon à perſecutionibus & iniurijs Eccleſiæ Dei, & eius miniſtris Catholicis per uos irrogatis, abſtinentes: huiuſmodi prædicatores peruerſos & doctores peſtiferos, amplius fouere & defenſare nō uelitis. Sciturí attamen, quod in uirtute Dei, ſcutum & arma fidei aſſumētes, omnino ad extirpandos errores prædictos, ad comprimendam proteruiam huiuſmodi, omnibus uijs, remedijs & auxilijs Apoſtolicis, etiam cum brachij ſæcularis auxilio inſurgemus. Datum Conſtantiæ VIII. Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

Dehortatio ab ijſce malis.

+ prohibemur.

Hoc eſt Anno Domini 1418.

Verum hæc pia noui ac recens electi Pontificis exhortatio, adeo non flexit aut emolliuit duras Huſsitarum ceruices, ut indies fierent audaciores, magiſq; impij & ſacrilegi. Per idem enim fermè tēpus ſurrexit alius pſeudopropheta apud Pragam, Ioannes quidam ex ordine Præmonſtratenſium, impius ſanè Monachus & ad omne ſcelus audax. Qui cum prædicaret apud S. Stephanum in Piſcina, neq; bene ſapere uideretur, inde amotus, Monaſterium Carmelitarum

Ioannes Monachus Huſsita.

melitarum inuaſit. Ergò ut ſuam potentiã hæretici oſtentarent, ſingulis fermè diebus ſacram Euchariſtiam per ſuas Eccleſias circumuectabant. Quas cum paucas eſſe dicerent, ductore Nicolao, uiro nobili (qui erat eius loci Dominus, unde Ioannes Hus traxit originem) in Regiã tumultuariè prorumpentes, Vuenceslaum Regem orauerunt, ut ampliores ipſis aſsignaret Eccleſias, quia iam populi maiorem partem obtinerent. Rex Nicolaum pro multitudine loquentem, benignè audiuit, atq; in poſterum diem redire iuſsit. Deinde, miſſo populo, ad Nicolaum (qui remanſerat) conuerſus ait. Tu orditus es telam, qua me regno eijceres: At ego laqueum inde efficiam, quo te poſtea ſtrangulem. Ille autem è conſpectu Regis abiens, populum magis ac magis incẽdit. Rex in arcem Vuiſſegradenſem, urbi uicinã, paruoq; tantum fluuio diſiunctam, ſeſe recepit. Et paulò poſt in Caſtellum nouum (quod ipſe conſtruxerat) quinto diſtans lapide, cum paucis abijt, miſsis ad fratrem Oratoribus, qui eius auxiliũ implorarent. Conſulibus aũt nouæ ciuitatis Pragenſis imperauit, ne ſinerent ulterius, ab hæreticis Dominicum corpus in pompa circumferri.

Nicolaus de Hus nobilis.

Hæretici uerò, eo magis furentes & in uetitum nitentes, Pridie Calendas Iulij apud Eccleſiam Carmelitarum (quæ dicebatur S. Mariæ in arena, nouæ ciuitatis Pragenſis) conuenerunt, ac ſacram Euchiriſtiam inde ad ædem S. Stephani, per plurimas plateas atq; Eccleſias, armati circũtulere, Ibiq; domum ſacerdotis, ſuis ineptijs non conſentientis, diripuere. Et ſublato clamore ingenti, furentes prætorium petiere. Conſules XI. metu perculſi, fuga ſaluati ſunt. ſeptem, qui remanſerant, & cum his Iudex urbis, atq; alij nonnulli ciues, raptim intercepti, ex altiſsimis feneſtris in forum præcipitati, lanceis ac uerubus irati populi excepti, dirum ſpectaculum dilaniati præbuerunt: ſtante in foro Ioanne Monacho, & ſacrum Chriſti corpus ſanguinario populo oſtentãte. Camerarius Regni, qui cũ CCC. Equitibus ad ſedandũ tumultũ accurrerat, ubi furentem plebem animaduertit, de ſua uita ſollicitus, fuga ſibi conſuluit: Sicut refert in hiſtoria ſua Æneas Syluius. Quũ iſta Regi nunciarentur, cunctiq; circumſtantes attoniti, facinus deteſtarẽtur, ait Pincerna At ego futura hæc præſcierã. Quẽ Rex indignatus correptũ, repẽte ante pedes ſuos proſtrauit, & arrepto pugione, conatus eſt interficere, ſed impeditus à circumſtantibus, ægre illi uitam dimiſit, Nec mora Paralyſi correptus, ægrotare cœpit, atq; infra XVIII. dies, ſignatis nominibus hæreticorum, quos neci deſtinauerat, uita exceſsit, antequam ulla fratris & amicorum auxilia adeſſent.

Furor hæreticorum, contra Senatum.

Hi Conſules nouæ ciuitatis fuerunt, uti habetur in Chronicis antiquis.

Et pro ſenatoribus accipiuntur, qui Reipublicæ conſulunt

Ecce qualis deuotio et religio populi ſub uiraque ſpecie communicantis.

Hiſto. c. 37.

Obitus Vuenceslai Regis.

Hic eſt exitus Vuenceslai Regis Bohemorũ duodecimi, ſtirpis quidẽ nobiliſsimæ ſed igno-

biliſsimæ uitæ. De quo poſsis illud Saluſtij dicere. Ventri atque ſomno deditus, indoctus atq; incultus, uitam ſicuti peregrinans tranſegit. Cui ſane contra naturam, corpus uoluptati, anima oneri fuit, cuius & uitā mortemq́ iuxta æſtimare queas. In uetuſto quodam codice de eo ſcriptum reperio, quod iuſſerit cocum quendam, qui ſibi cibum petenti denegauerat, ueru transfigi, & in modum aſſaturæ torreri. Quendam uerò ſacræ Theologiæ doctorem ſubmergi, eo quod dixerat, eum Regis nomine dignum eſſe, qui bene regnaret. Verum hæc crudelia uidentur. Additur in eodem libro, quod canem quendam habuerit ſibi charum & precioſum, ob id maximè, quia mordendo inuaderet, quemcūq; ille digito demonſtraret. Et quod lictorē ſemper ad latus habuerit, ut alijs timorem incuteret., quem & compatrem ſuum uocauerit, eo quod leuaſſet ei puerū de Baptiſmo. An hæc uera ſint, neſcio: parua tamen & leuia uidentur, præ maximis & grauiſsimis malis, quæ per eius ignauiam inclytum regnum (quod ipſe à patre florentiſsimum acceperat) inuaſerunt, hæreſes, ſeditiones, ſacrilegia, bella, cædes & quid non? Certè unicū illud malum (quod tamen præ cæteris paruum uideri queat) deſolatio celeberrimę Vniuerſitatis ſtudij Pragenſis, odioſum ſatis ad poſteros nomen eius redderet. Quamuis grauior longe fuerit culpa, circa illud malum, Ioannis Hus quàm Regis, quem ille malitioſe decepit. Ea tamen fuit Rex iſte generoſitate animi, ut à priſca fide & religione maiorū ſuorum, nullis potuerit hæreticorum technis & machinationibus auerti. Mortuus eſt autem anno Domini M. CCCCXIX. die XVI. menſis Auguſti. Ætatis ſuæ anno LVII. cum regnaſſet in Bohemia annis LV. Et nō eſt ſepultus cum ſolennitate, ut ait quidam Chronographus Bohemus, ſed occultè de nouo caſtro ad caſtrum Pragenſe. Et inde ad aulam Regiam (ſic uocatur Monaſterium ordinis S. Bernardi, non longe à Praga, ad Multauiam flumen poſitum) deportatus, & occultè propter Vuiclephiſtas ibi ſepultus eſt. Et paulo poſt exuſto ab illis Monaſterio, exhumatus & indecēter tractatus fuit.

Mala, ſub eo exorta in regno.

Sepultura Regis.

cap.37. Qua de re ſic habet in hiſtoria Æneas Syluius.

Vetus circa funera Regum ſolennitas.

Conſueuerunt (inquit) corpora Regū apud Bohemos, priuſquàm ſepelirentur, octo diebus, aromatibus condita, per ſacraria urbis circumferri plangiq́;, & ſequētibus amicis ac Baronibus conclamari. Hoc in Vuenceslao neglectum eſt, non audente Regina ingredi nouam ciuitatem. Delatum eſt cadauer ad Eccleſiam S. Viti in arce, & inde ad aulam Regiam, ibiq́; conditū in ſepulchro, quod ipſe ſibi delegerat. Sed poſtea, cum Monaſterium ipſum ab hæreticis diriperetur, & ſepulchra Regum effringerentur, cadaueraq́;

raq́ꝫ abijceretur: piſciculos quiſpiam, nomine Muſcha, Vuenceslao uendere ſolitus, Regis quem amauerat corpus, clam collegit, & in loculo apud ſe domi condidit. Intericcto deinde tempore, rebus in meliorem formam redactis, cum Vuenceslai corpus inquireretur, acceptis XX. aureis, illud reddidit, tumq́ꝫ circumgeſtatio ex more facta eſt, & iuſtũ Regi funus exhibitum. Fuit inter cætera Monaſterium Aulæ Regię, apud ripam Multauiæ, qua Moſa fluuius illi iungitur, ſitum: In quo Regum corpora condebantur, ſingularis excellentiæ. Nã præter ædem magni & memorabilis operis, amplum dormitorium, cæterasq́ꝫ monachorum officinas magnificè conſtructas, habuere circuitum, qui non paruum concluſit hortum, ambitum uocauere. In huius parietibus uetus nouumq́ꝫ Teſtamentum, ab initio Geneſis uſque ad Apocalypſim Ioannis, literis maiuſculis in tabulis ſcriptum, continebatur, notis quo altius irent paulatim creſcentibus: ita ut à ſummo uſq́ꝫ deorſum facilis lectio præberetur. Sed hoc decus, poſt Vuenceslai mortem, Huſſitarum rabies deleuit. Poſt obitum ergò Regis, in Craſtino (ut habent uetuſti quidam codices Bohemorũ) Pragenſes tum antiquæ tum nouæ ciuitatis Huſſitæ: quorum ductor erat Ioannes Barbatus, Magiſter ciuium antiquæ ciuitatis: uiolenter inuaſerunt Eccleſias & Monaſteria, in omnibus ciuitatibus Pragæ (hoc eſt, in noua, antiqua & parua ciuitate Pragenſi) frangentes ubiq́ꝫ imagines in eiſdem. Vbi autem peruenerunt ad Cartuſiam Pragæ uicinam, monachos illius Monaſterij captos eduxerunt inde in Prætorium antiquæ ciuitatis, Monaſterium ipſum omnibus & ſingulis rebus ſpoliantes, Altero autem die ipſum exuſſerunt & omnino deſtruxerunt. Monachos uerò illius Monaſterij & ordinis, tanquàm populo inutiles, qui ueluti ſues in clauſtro ſaginarentur, alio migrare iuſſerunt.

Aula regalis inſigne Monaſterium.

Sacrilegia Pragenſiũ poſt obitũ Regis.

Hiſtoriæ

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM

LIBER QVINTVS.

Abſentia Sigiſmũdi Cæſ. pernicioſa regno.

Sigiſmundus Cæſar & Vngariæ Rex, ad quẽ Bohemiæ Regnum, mortuo ſine liberis fratre, pertinebat iure hæreditario, cum eſſet bello Turcico implicitus, nec fratri uiuenti, nec relictæ eius coniugi Sophiæ, ex nobili domo Ducũ Bauariæ progenitæ, opẽ celerẽ ferre poterat, licet crebris eſſet nuncijs ac literis excitus, & rogatus, ut auxilio ueniret. Interim uerò Huſsitę, ſemper in peius proficientes, uires ſuas indies augebant. Quia obærata plebs, uidens opulentiſsima quæq; templa & Monaſteria impunè diripi ac ſacrilege ſpoliari, ſpe prædæ illecta, in maximã undiq; confluebat multitudinem. Cui ſanè colluuiei ac turbæ (ne quid mali deeſſet) præbuit ſe ducem Ioannes Ziska. De quo ſic habet hiſtoria

Cap. 38.

Bohemi ſcribũt + de Botznau.

Æneæ Syluij. Recens obierat Vuenceslaus, cum Ioannes Ziska, nobilis genere, ex loco cui + Troſnouia nomen, cẽſu tenui, in Curia Regis à puero enutritus, & bellicis exercitatus, uno carens oculo, quem ſtrenue pugnans iampridem amiſerat: Infectus Huſsitarum ueneno, & rapinarum auidus, collecta perditorũ hominum multitudine, in Eccleſias quæ reſtabant, impetum fecit, ſimulachra ſanctorum, & imagines magni Dei perfregit. Et poſt pauca. Venere per idem tempus ex montibus Pragam CCCC. circiter uiri, cum mulieribus, lepra Huſsitarum infecti, atq; in foro ſedentes, cibum ex Magiſtratibus petiere. Cõſulatus metu plebis, quæ aduenarum miſerebatur, cibaria eis publicitus miniſtrauit. Ziska hos ſibi adiunxit, arcem Vuiſſegradenſem, quæ negligenter cuſtodiebatur, inuadere cupiens, ad locum, quem Cruces appellant, profectus eſt. Ibi ſupra XL. milia uirorum ex hæreticis cõuenere, qui ſuam multitudinem conſpicati, animum ad omne facinus audacem ſumpſere. Multa ibi aduerſus Sigiſmundum Cæſarem, quem Regium hęredem ſuis conatibus infenſum norant, excogitata atq; decreta. Exin Ziska, duce Coranda, Pelzinam, ubi cõplures eſſe ſuæ factionis amicos non ignorabat, ualido pręſidio munijt. Qui apud Cruces remanſerant, arcẽ Vuiſſegradenſem inuaſere. Sophia interim

Ziska Capitaneus multitudinis conuenarum.

anxia,

anxia, quo ſe pacto tueretur, crebris nuncijs ac literis Sigiſmūdum uocare, uicinorum auxilia petere, atq; in omnes partes mentem dirigere: cum ſerum eſſet Cæſaris auxilium, Regina cum Zenkone Vuartenbergenſi Regnum gubernans, ex theſauro Regio copias comparauit, arcem Pragenſem & minorem ciuitatem, quæ arci adiacet, præſidio firmauit. Ponti Multauiæ, ne tranſitus illac eſſet hæreticis, ligneas turres ac ianuas appoſuit. At illi paſsim per Regnū conuentus agitare, ſollicitare populos, hos minis terrere, illos blandicijs allicere, implere nouam ciuitatem ſuis hominibus, dies noctesq; conſultare, quibus modis ſummā ſibi rerū acquirerent. Cum quibus Petrus Sterenbergius apud inſulam Benedicti confligens, æquo marte prælium diremit. In Praga uerò, aucta hæreticorum colluuie, pro ponte pugnatum multisq; utrinq; cadentibus, pons denicq; in poteſtate Huſsitarum factus eſt. Decliuioris partis Pragæ minoris fideles, in altiorem ſeſe partem receperunt, atq; inde conuerſi, acribus animis inſtaurauere certamen. Pugnatum eſt die noctuq; continuis quinq; diebus, ſæuiſsimis ac crudelibus auſibus, multi utrinq; cæſi, magnificæ domus exuſtæ. Prætorium infimo loco ſitum, incenſum atq; deletum. Cum hic eſſet rerum ſtatus, Legati Sigiſmūdi ſuperuenere, qui Regni gubernationem accipientes, cum ciuitate Pragenſi ea lege inducias fecere, ut arce Vuiſſegrædenſi reddita, liceret ciuibus ad Sigiſmundum Oratores mittere, deq; re ſua cum eo tranſigere: Ziska Pelzinam, Pieſtā & alia quæ occupauerat loca reſtitueret. Conditionibus acceptis atq; completis, externi hæretici urbem reliquere. Conſulatus ex priſco more gubernationem inijt, quietior reddita ciuitas. Non tamen Catholici qui exceſſerant, redire auſi: expectabant autem aduentum Sigiſmundi, cuius præſentia ſeſe tutos arbitrabantur. Sed interruperunt ſpem literæ ab eo miſſæ, in quibus ſcriptum erat, ipſum breui uenturum, Regnumq; eo modo gubernaturum, quo pater ipſius Carolus, prouinciam gubernaſſet. Quibus ex uerbis intellexerunt hæretici, ſectam ſuam excluſum iri, quæ regnante Carolo nondum ortum habuerat. Proindè magis ac magis indignari. Sigiſmundus autem ad feſtum Natiuitatis Dominicæ, Brunnam (quod eſt Morauiæ oppidum) petijt, ibiq; Pragenſibus, ueniam petentibus, ea lege pepercit, ut cathenas & repagula tota ex urbe deponerent, ſuos magiſtratus acciperent. Paruit attonita ciuitas, cum primores regni eleuatis in cœlum manibus, aduentum noui Regis gratulabundi expoſcerent, eiuſq; rectores ſine controuerſia reliquæ urbes admitterent: Nec dubium uidebatur, quin tota Bohemia labes Huſsitarum exceſsiſſet, ſi ex Brunna Sigiſmundus recta uia ſe Pragam contuliſſet

Copiæ à Regina cōparatæ.

Pugna ad pontem & in arcis cliuo.

Pax per Legatos Sigiſmundi cōpoſita.

Cæſar Brūnam uenit, & Pragam male neglexit.

tuliſſet. Sed diuertit ille (ut fortaſſe fati ſui erat) Vratislauiamq́ Sleſiæ caput acceſsit. Quo in loco populus urbanus, non diu anteà Conſulatum à Vuenceslao fratre ſuo conſtitutum, per ſeditionem obtrūcauerat, cuius ſceleris autores ſecuri percuſsit. Quod ubi Pragæ renunciatū eſt, diffiſi de uenia ciues, exēplum Vratislauienſium ueriti, manifeſtè deſciuerunt, & in totum Regnū literas dederunt, ne quiſpiam Sigiſmundo aditū præberet, qui Dalmaticæ (hoc eſt Bohemicæ) linguæ hoſtis eſſet, nec alia cura teneretur, quàm Regni perdendi. Hæc Æneas Syluius in hiſtoria Bohemica. At ſtudium meum eo tendit, ut ex antiquis codicibus, qui uulgo non extant, eruam monumenta quædam publica, quæ hiſtoricæ narrationi pleniorem & fidem & lucem ſuperaddant. Cumq́ Æneas in hiſtoria raro ſupputet annos, ego ut rerū geſtarū ordo ex temporis ratione, & annorum ſerie certius ac iucundius cognoſcatur, reliquum hiſtoriæ, ſub annorum annotatione Chronagraphica proſequi ac explicare intendo.

Pragenſiū à Rege defectio.

Anno igitur Domini M. CCCCXX. Zenko de Vueſſelo, Baro, Capitaneus regni, & caſtri Pragenſis Præfectus, præmio allectus à Pragenſibus Huſsitis, arcem eis tradidit, poſt peractū Paſcha ſub feſtum Diui Georgij. Qua ſane traditione grauia & irrecuperabilia damna, tum ſecularibus tum Eccleſiaſticis hominibus, qui precioſiſsima quæq́ in ea arce, uelut in tutiſsimo loco depoſuerant, intulit, atq́ multa alia mala in regno procurauit. Cum & ipſe Huſsita eſſet, tanto ſanè nocentior, quanto tectius, dum in poteſtate & regimine eſſet, diſsimulabat. De hac eius traditione aliter narrat Albertus krantz, quam Æneas, & codex quidam uetuſtus habet, omnes tamen arguunt cum grauiſsimæ proditionis & perfidiæ, qui etiam ſacrilegia proditioni ſuperaddidit, ut affirmat Albertus ille. Nam exuſtis ſacris reliquijs, aureas & argēteas thecas et uaſa conſecrata, ueſteſq́ ſacras in prophanum uſum conuertit, & inter ſuos diſtribuit. De recuperata uerò arce, uariat à cæteris idem Albertus. Ait enim recuperatam eſſe aſtu inſigni per Ioānem Polentz ex Luſatia, qui ut fraudem fraude compenſaret, cum ſciret ex arce abijſſe Zenkonem, armis, ueſtibus, equis ac ſignis militaribus ſe per omnia illi ſimilauit, atq́ ita Zenkonem mentitus, arceq́ potitus, eam Regi reſtituerit. Æneas uerò, ait Zenkonem à Rege magnis ſponſionibus allectum, arcem ei reddidiſſe. Cui aſtipulatur codex antiquus, qui teſtatur Zenkonem poſt tres ſeptimanas arcem ad Regis poteſtatem, uiceuerſa, Baronibus Bohemiæ reſtituiſſe. Huſsitæ autem Pragenſes, accerſito Ziſka cum ſuo exercitu, mox arcem arcta obſidione cinxerunt. Nam cum eſſet locus naturâ

Scelus Zēkonis Capitanei arce prodita.

In Vandalia lib. 10. c. 31.

Arx Regi reſtituta.

natura munitus,non ui aut oppugnatione,ſed mora & fame capiendus eſſe uidebatur. Sigiſmundus Cæſar cum Ducibus Sleſiæ, Bohemiæ fines ingreſſus, Græciam primo, deinde Cuthnam petijt, et inde quatuor Milia Equitum miſit in ſubſidium obſeſſorũ in arce, qui Huſsitas foris laceſſerent. Nec diu poſt, accerſitis ex Imperio auxilijs, non ſolum ab arcis obſidione Huſsitas depulit, Verum etiam urbem ipſam obſidere cœpit, Sabbato poſt feſtum Corporis Chriſti uſq; ad feſtum S. Iacobi. Fuerũt autem in caſtris eius Marchiones Miſnenſes & Brandenburgenſes, Duces Saxoniæ, & Albertus Dux Auſtriæ, gener Cæſaris. Vrbs uarijs locis per ſex hebdomadas ualide oppugnata eſt fruſtra, quia Ziska ingens induxerat præſidiũ, & Marchio Miſnenſis magnam ſuorũ militum partem amiſit circa ęditum montem, qui imminet urbi. Nam ualido illũ præſidio præmuniuerat Ziska, à quo Miſnenſes, qui cacumen occupabant, ad partẽ præruptam compulſi, & alij cęſi ſunt, alij per abrupta deturbati lapſu perierunt. Sigiſmundus dominica poſt feſtũ S. Iacobi in Eccleſia Metropolitana, quę in arce ſita eſt, à Conrado Archiepiſcopo Pragẽſi (qui paulò poſt in hęreſim lapſus, cum Huſsitis ſentire cœpit) peractis Miſſarũ ſolennijs Regni Bohemici coronam accepit, & ſoluta obſidione, firmatiſq; præſidio arcibus, Pragenſi & Vuiſſegradenſi, Cuthnam reuerſus eſt. Dedit autem Capitaneis & eorũ Stipendiarijs, pro ſeruandis arcibus, in ſtipendium (uti legitur in uetuſto quodam codice) Clenodia Eccleſiæ, & tumbam S. Vuenceslai, quę ex puro erat auro. Soluta obſidione Ziska, qui ciuitatem cõſeruauerat ne caperetur à Rege, male perſuaſus à ſacerdotibus ſuis, urbem à ſe conſeruatam, ipſe pulcherrimis ædificiorum ornamentis deſpoliauit. Nam uno impetu inſignes Baſilicas & ampla Monaſteria, quę in honorem & memoriam Beatæ Mariæ uirginis aut cuiuslibet ſancti, dedicata erant, diſiecit ac diruit, tanquàm nõ ſit fas alteri, quàm ſoli Deo baſilicas aut templa conſecrare. Magnificum templum S. Iacobi, quod ad Monaſterium Minorum pertinet, defenſum fuit à Lanſijs ne deſtrueretur. Pragenſes aũt ægre ferentes tot ædificiorum decora deperdi, obiurgauerunt Ziskã. Ille orta diſſenſione, cum ſuis abijt, & ad Thaboritas reuerſus, multa fidelium loca expugnauit, maxima crudelitate in deuictos ſæuiens. Quippe oppidum Præpoſiti Vuiſſegradenſis (quod Æneas Pragatinũ, uetuſtus codex Pratensko uocat) diripuit et exuſſit, cunctoſq; ibi ſacerdotes ac religioſos, atq; etiã ſęculares, & cũ his mulieres, infãtes, uirgineſq; ac innocuos pueros, in Eccleſia cõcluſos, immiſſo igne cõbuſsit: Brodã Teuthonicam ui captam ac direptã, interfecto pręſidio, ſic deuaſtauit et ex-

Praga à Rege obſeſſa.

Regis coronatio in arce & Eccleſia Prag.

Templorũ deſtructio Pragæ per Ziskam.

Crudelitas eius extra Pragam in Regno.

Pragatinum.

Broda Theutonica.

exuſsit, ut XIIII. poſtea annis ſine habitatore deſolata permãſerit. Comitauiam quoq; non parui nominis (ut ait Æneas) oppidum ui cepit, & in eo populares cum ſacerdotibus ædibus ligneis inclu-

Pilzina ſos, ac fruſtra ueniam petẽtes, exuſsit. In territorio Pilzinenſi, cum urbem egregie defenſam expugnare deſperaret, quinq; Monaſteria, opibus & ſtructuris inſignia, combuſsit. In Claronenſi autem (quod erat munitius) præſidium contra Cæſarem impoſuit, & Sigiſmundum inde fugauit &c. Ex his coniiciet lector, quantum damni, unius anni ſpacio, ab uno hoc hęretico, in Regno Bohemię datum ſit. Qui procul dubio, ſi labe hæretica non fuiſſet infamis & abominabilis, clariſsimis haud dubie bellorum ducibus comparari

Arx Vuiſſegradenſis à Pragenſibus obſeſſa poſſet, adeo ſtrenue ac fortiter geſsit omnia. Pragẽſes quoq; Huſſitæ, poſt ſolutam obſidionẽ animoſiores facti, tanquàm in æmulanda uirtute bellica cum Ziska certarẽt, Vuiſſegradenſem arcem, poſt feſtum Aſſumptionis B. Mariæ, obſidere cœperunt, in qua obſeſsi aliquãdiu, cum cætera deeſſent, equinis carnibus ueſceban tur. Ad extremum, niſi Rex ad certam diem auxilium ferret, deditionem pacti ſunt. Quas quidem inducias ea lege admiſerũt Pragenſes, ut obſeſsi, adueniente Sigiſmundo, prorſus quieſcerẽt. Rex ante diem aduenit, ſub feſtum omnium Sanctorum: at conditionis pactæ ignarus, locũ arctum ſub arce ingreſſus eſt, in quo facile ab obſeſsis defendi poſſet. Illi uerò pacta ſeruantes, quieuerũt. Rex itaq; à Pragenſibus repente inuaſus, atq; ingentem perpeſſus cladem, re infecta retro abiit, nec multo poſt Bohemia exceſsit. Ceciderunt enim in ea ſtrage XIIII. proceres ex Morauis. Ex Vngaris quoq; & Bohemis, aliisq; gentibus Barones & nobiles nõ pau-

Rex utranq; arcem perdidit. ci. Arx ſecundum pacta Pragenſibus eſt dedita. Vt intelligere poſsit Rex, infœliciter datam fuiſſe Capitaneis auream S. Vuenceslai tumbã, cum reliquis Eccleſiæ Clenodiis in ſtipendium. Nam & arx Pragenſis paulo poſt à Capitaneis tradita fuit Pragenſibus,

Victoriæ Pragenſiũ. nullo rerum defectu, nec ulla neceſsitate conſtricti. Sed & nouum caſtrum, quod Vuenceslaus frater eius conſtruxerat, non longe poſt, à Pragenſibus Huſsitis expugnatum atq; deſtructum eſt: Peronam præterea urbem, in qua magnum erat Sigiſmundi præſidium, ui ceperunt Pragenſes cum adiunctio ſibi Ziska, ubi non ſolum ſacerdotes ac monachos, (quibus præ cunctis infeſti erant) ſed etiam Barones ac nobiles quoſdam, aliquos item Magiſtros ſcholæ Pragenſis cremauerunt, & puberes utriuſq; ſexus occiderũt.

Vrbes à Pragenſibus captæ. Obtinuerunt & alias ciuitates multas, quæ Sigiſmundo parebant, Brodam Bohemicam, Lytomericium, Nymburgũ, Cuthnam, Coloniam, Mutam, Græcium, Politz &c. (Exceptis duobus oppidis.

oppidis, Pilzna & Buduuiſs) & in illis quæuis bona ſpiritualia & Deo dedicata, uſurpauerunt in prophanos uſus, & diſtraxerunt inter ſeſe. Perſonas uero Eccleſiaſticas, quotquot capere potuerũt, quæcunq; in eadem ſecta ipſorum ſtare noluerunt, morte turpiſsima (ut antiquus habet codex) peremerunt. Cum ad ſedem Apoſtolicam fama tantam ubiq; in regno crudelitatem & inſolentiam hæreticorum retuliſſet: Martinus Papa V. Bullam Indulgentiarum (quam uulgo Cruciatam uocabant) contra eos promulgauit, in hunc ſane uerborum tenorem.

Bulla cruciata cõtra Huſsitas promulgata.

Martinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei.

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs, Electis, Adminiſtratoribus, Abbatibus, Prioribus, alijsq; Eccleſiarum ac Monaſteriorum Prælatis, necnon Chriſtianæ religionis profeſſoribus ubilibet conſtitutis: Ad quos præſentes literæ peruenient, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

OMnium plaſmatoris Domini: qui ſe pro Dominici ſaluatione gregis, & ut illum ſuæ hæreditatis faceret participem, in precium immolare non abnuit: uices (quanq; immeriti) gerentes in terris, circa ipſius excubias, ut in plaſmatoris eiuſdem exardeſcentes beneplacitis, ouiculæ euocentur ad caulam, uigilijs nos congruit uacare ſollicitis. Ne reproborum ad præcipitium trahentium diſtentis laqueis contagio depaſcat, ſed illum ipſi Domino lucrifacere, ſua nobis cooperante gratia, ualeamus, firmiter perſiſtentibus ex eis condignis remuneratione elargitis impendijs, Ipſos, quorum mentes diuinum propulſarũt timorem, debitæ animaduerſionis aculeis coërcere etiam geſtimus: Myſticæ diſpenſationis theſauris ueros ad id Chriſti pugiles & athletas, mirificæ crucis charactere inſignitos, de uenerabilium fratrum noſtrorũ Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium conſilio, feruentius excitantes. Sanè chariſsimus filius noſter in Chriſto, Sigiſmundus Romanorum Rex illuſtris, prout tam fide dignorum relatione plurimorum, quàm fidem celebri increbreſcente fama didicimus, ſicuti inſpiramine fulciente diuino, in uniuerſalis tunc ſciſſuris ſuppoſitæ reintegrationem Eccleſiæ, non ſine grauium ſarcina expenſarum, immenſos, fructuoſiſsimos quoq; non abnuit labores. Ita fidei zelo, deuotionis ardore, & compaſsionis pietate ſuadentibus, ulteriorem Chriſtianæ religionis propagationem, intimis attendens affectibus, cupienſq; ſibi à Rege ſupremo collatam, in glorioſi exaltationem nominis, & aduerſus prophanæ

Laus Sigiſmundi à pietate.

 malignitatis

Expeditio cōtra Huſſitas paranda.

malignitatis & iniquitatis reprobos homines Vuiclephiſtas Huſſitaſq́ꝫ et reliquos, quibus intelligentiæ obſcurato lumine, tenebrarum alumni, ſuperſtitioſis eorum aſſertionibus & doctrinis, uæſaniſq́ꝫ dogmatibus, erroribus ac hæreſum fomentis, Catholicam Eccleſiam comprimere, Orthodoxamq́ꝫ fidem ſubuertere, & gregem dominicum huiuſmodi errorū ſcrupulis in deuium ductum, primi Gehennæ mancipij faucibus ligare ſatagunt, conſouere potentiam; Illos eorumq́ꝫ fautores, receptatores & defenſores, niſi ab eiſdem reſipiſcant erroribus, & ad cor reducti, ſanctiorum traditionibus patrum ſe ſubmittant, etiam ſuarum excidijs perſonarū, pro ut ſibi uirtus aſsiſtat diuina, ad eradicandum animarum uirus tam mortiferum, ab eo autoritate ipſius Eccleſiæ, præſidialis fuerit inuocata manus in brachio extento, de fidelium finibus ſubmouere. Et cuius cauſa complectitur, dirigente Domino, confundere penitus acceptat. Noſtras ad id & ipſius Eccleſiæ Catholicæ (quæ congregationem eorundem comprahendit fidelium) pro tam fœlicis conſummatione negocij, partes humiliter implorando. Nos itaq́ꝫ tam ſalutare præfati Romanorum Regis (qui etiam Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ Croatiæq́ꝫ Rex fore dinoſcitur) propoſitum in maximis laudibus extollentes, pro eiuſdem ſucceſſu directis in cœlum oculis, & cuius negocium geritur, immenſas exinde gratias exoluentes, omnes & ſingulos Reges & duces, Marchiones, Principes & Barones, Comites, Poteſtates, Capitaneos, Magiſtratus, & quoslibet alios Officiales, & eorum loca tenentes: Cōmunitates quoq́ꝫ ciuitatū, oppidorumq́ꝫ, Vniuerſitates caſtrorū, uillarum & aliorū quorumq́ꝫ locorū, exhortamur, & per aſperſionem ſanguinis eiuſdem glorioſiſsimi redemptoris, paternis affectibus obſecramus, ſuorum eis peccaminum remiſsionem ſuadentes: Vt ad Vuiclephiſtarum, Huſsitarum, & cæterorum hæreticorum fautorum, receptatorum, defenſorum, eorundem exterminium, & ad impendenda per futura ſuffragia, quibus huiuſmodi negocij proſecutio fœliciter adiuuetur, potenter & uiriliter ſe accingant.

Christi fidelium requiſitio pro ope præſtanda.

Quocirca uobis & cuilibet ueſtrum, Fratres, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & filij Electi, Adminiſtratores, Abbates, Prælati, per hæc Apoſtolica ſcripta cōmittimus & mandamus: Quatenus uos & quilibet ueſtrum, quotiens Regem Romanorū prædictum huiuſmodi negocio intendere, & aduerſus hæreticos, fautores, receptatores & defenſores, exercitus inſtruere & ordinare cōtigerit, ſuper hoc quoq́ꝫ uigore præſentium fueritis debite requiſiti, ad præmiſſum tam pium tamq́ꝫ ſalubre negocium exequendum: Veluti Præcones fortes, exaltantes ipſo nomine uoces ueſtras, in ſingulis ciuitatibus,

ciuitatibus, Diœceſibus atque locis, ubi congruere perſpexerit: per uos aliasq; perſonas ſæculares & regulares ordinũ quorumcunq;, quas ad hoc idoneas duxeritis eligendas, iuxta datam uobis & illis à Deo prudentiam, Chriſti fidelibus quibuſcunq; ad id audiendum confluentibus, & accedere uolentibus. Quibus uerè pœnitentibus & confeſsis, ut ad id eo libentius inducantur, pro uice qualibet acceſſus huiuſmodi, centum dies de iniunctis pœnitentijs, per uos autoritate Apoſtolica relaxentur. Verbum Crucis eiuſdem ac ipſius mirabile ſignum publicè proponere & prædicare curetis. Illud quoq; fidelibus ipſis deuote ſuſcipere uolentibus, ueſtris & eorum eligendorum exhortationibus ac oportunis monitionibus præuijs, ut cum reuerentia debita ſignũ huiuſmodi recipiãt, & illud contra peruerſa dictorũ Vuiclephiſtarũ, Huſsitarum cæterorumq; hæreticorũ, fautorũ, receptatorũ & defenſorum eorũ, conatus atq; molimina, ſuis cordibus imprimant, & negociũ ipſum fideli ac feruenti animo proſequantur, liberè concedatis, eorumq; humeris affigatis. Nos enim ut fideles ipſi ad id feruentius animẽtur, quo & uberiorẽ gratiã exinde ſe nouerint percepturos: De Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli autoritate confiſi, & illa, quam nobis (licet immeritis) Deus ligandi atq; ſoluendi cõtulit poteſtatem: eiſdem fidelibus, qui Crucis huiuſmodi ſigno ſuſcepto, præfatis exercitibus in perſonis proprijs interfuerint, pariter & expenſis, quiq; ut illis intereſſent, ſine fraude iter arripuerint, ſi in ipſo itinere fuerint uita functi, plenam ſuorum peccaminũ, de quibus corde contriti & etiam confeſsi fuerint, ueniam impartimur, & in retributione ſanctorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eisq; qui non in perſonis proprijs acceſſerint, ſed eorum duntaxat expenſis, iuxta ſuarũ facultatum qualitatem & exigentiam, idoneos bellatores deſtinauerint, ac illis, qui licet alienis expenſis, proprijs tamen adiuuerint in perſonis: plenam ſuorum concedimus ueniam peccatorum. Cæterũ, ut ipſius uiuificæ Crucis ſigno muniti, eo facilius reddantur huiuſmodi remiſsionum & indulgentiarum participes, quo ſe liberius eximere poſſe conſpexerint ab onere delictorũ, Romano Regi præfato ac illius, quos eius uice exercituum huiuſmodi Duces ſiue Capitaneos eſſe contigerit, tot ex uobis fratres, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, filij Electi, Abbates & Prælati, de quibus pro tempore uiſum fuerit, qui ac alij ſacerdotes, ſæculares uel regulares, ad id per uos aſſumẽdi omniũ pro huiuſmodi deductione negocij, Cruce ſignatorum confiteri uolentium confeſsiones audire, & huiuſmodi confeſsionibus diligenter auditis, pro peccatis ſuis & exceſsibus omni-

Signũ crucis affigendum militantibus.

Veniarum diſtributio.

Ordinandi Confeſſores pro exercitu.

bus per illos commiſsis, etiam ſi manuum iniectores in Clericos & Religioſos, necnõ incendiarij & ſacrilegi fuerint, iniunctis ipſis pro modo culpę etiam cum aggrauatione congrua aduerſus illos, ex ipſis, qui (quod abſit) in progreſſu Exercituum prędictorũ, aciebus quoq; aduerſus Vuiclephiſtas Huſsitasq;, & reliquorum hęreticorum fautóres & defenſores, eiuſdem inſtruendis ductu Romanorum Regis & illorum, qui exercituum, (ut præmittitur) duces extiterint, eorũ ordinationes & mandata temere tranſgredi præſumpſerint, pœnitentia ſalutari ac alijs, quæ de iure fuerint iniungenda, debitæ abſolutionis beneficium eadem autoritate impendere poſsitis, quotiens oportunũ fuerit, eligere ac deputare. Verum, cum difficile uideatur, præſentes literas ſingulis exhibere, uolumus, quod unus, Duo ſiue tot ex uobis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & filij Electi, Abbates & Prælati, De quibus Ro. Regi pręfato uidebitur, huiuſmodi literarũ tranſſumptũ, publica manu cõfectum, eorumq; ſigillis munitũ, perſonis & locis ſingulis, ubi expedire uidebitur, tranſmittere & inſinuare procuret: Cui quidẽ tranſſumpto, ueluti originalibus, dari uolumus atque decernimus plenam fidem. Datum Florentiæ Calendis Martij, Pontificatus noſtri anno III.

Facienda literarum tranſſumpta.

Anno Domini M.CCCCXXI.

Hanc Rom. Pontificis Bullam, fecit Sigiſmundus Cæſar per omnem late diuulgari Germaniam: In qua ſanè tunc ita uiguit religio & contra omnem hæreſim zelus populorũ, ut facile potuerit ingens multitudo militum hac uia conquiri. Bohemi autem Huſsitæ, ut eam infamiã & inuidiam, odiumq; publicũ de hæreſi, auerterent à ſeſe, uarijs technis cœperũt & ſe purgare, & Imperatorem, Regem ſuum accuſare. Crimen ſane hæreſeos per Conciliũ prouinciale conabantur à ſe repellere: Rebellionis uerò ſcelus ipſi Regi acceptum referri uolebant, culpam omnem in eum reijcientes. De utroq; ſanè publica habentur documenta: quæ, ut dolus hæreticorum, mendacium in hypocriſi loquentium, lectori pateat, referre operæprecium fuerit.

Huſsitarũ adinuẽtiones hypocriticæ.

Concilium Pragenſe Huſsitarum.

In nomine Domini Amen. Incipit Sancta Synodus, habita & rite celebrata, de anno Domini M.CCCCXXI. die VII. menſis Iulij, in inclyta ciuitate Pragenſi, Sub Conrado Archiepiſcopo eiuſdem ciuitatis Pragenſis, & ſub poteſtate & mandato Magnificorũ & Nobilium Dominorũ, Magnatorũ, Comitum, Baronum, necnon Magiſtrorũ, ciuium & cõmunitatum eiuſdẽ ciuitatis Pragenſis,

genſis. Ac militū, Clientum, ciuitatū et aliarum cōmunitatum Chriſtianiſsimi Regni Bohemiæ, & Marchionatus Morauiæ, conuenientibus ad illā, fere ex uniuerſis diſtrictibus, Clericis eiuſdem Regni Bohemię, & Marchionatus Morauiæ: Et præſidentibus in ea Magiſtris, Ioanne de Przibram, Procopio de Pilzna, Iacobo de Miſna, & Ioanne de noua ciuitate: Statuentibus & exponentibus cōmuni Conſilio totius Cleri, et conſenſu uniformi, has ſalubres et Eccleſiaſticas regulas. Vt omnes Clerici prædictarum, ciuitatis & diœceſis nouerint, quid debeant in futurum obſeruare.

Quatuor præſidentes in Conciliabulo.

Hic Ioannes Premanſtratenſis erat Apoſtata, qui plebem in Senatū concitauerat.

Explanatio fidei ipſius ſanctæ Synodi.

I In primis pio & fideli corde credimus, & integra mente credendum & aſſeuerandum affirmamus, omne uerbū ſacræ ſcripturæ noui ac ueteris Teſtamenti ſanctum & Catholicum: ac ab uniuerſis Chriſti fidelibus uenerandum & tenendum toto corde, aſſeueramus & nunciamus. Item Symbolum Apoſtolorum, Symbolum magni Nicæni Concilij, Symbolum Athanaſij, unà cum omnibus alijs Symbolis Catholicis, in Eccleſia primitiua tentis et promulgatis, fideliter & ex integro credimus, & credendum ab omnibus aſſeueramus. Omniaq́; decreta, ſtatuta ſancta, rationabilia & Catholica Apoſtolorum & Eccleſiæ Primitiuæ: Quam pro matre & Magiſtra fidei Catholicæ honoramus, & à qua diſcedere nephas putamus: tenenda & obſeruāda decernimus & mandamus, ita ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoq; ſeruemus & cuſtodiamus.

Scriptura.

Symbola fidei.

Eccleſia primitiua.

De Gubernatoribus & Directoribus Vniuerſi Cleri Diœceſum Pragenſis, Olumucenſis & Lythomislenſis.

II Item pro uniuerſo ordine, & honeſtate totius Cleri noſtri cuſtodienda & retinenda, omniq́; præſumptione in Clero huius regni compeſcenda, dignū duximus, eligere quatuor uiros idoneos, ſcientia & uita cōprobatos: Principales & Capitales, ſupræmosq́; Cleri gubernatores, directores & miniſtratores in ſpiritualibus: cum conſenſu Reuerēdiſsimi in Chriſto Patris, Archiepiſcopi Pragenſis, ſcilicet Magiſtrum Ioannem Przibram, Magiſtrum Procopium de Pilzna, Magiſtrum Iacobum de Miſna, & Ioannem Prædicatorem de noua ciuitate. Quorū directioni, diſpoſitioni & uocationi, in omnibus licitis & honeſtis parere & obedire, ſyncere promittimus & ſpondemus: dando & cōcedendo plenā & omnimodam ſuper nos poteſtatē, omnes iniuſtos & rebelles caſtigādi, puniendi, dirigendi, deponendi, mutandi uel alienandi, & quomodolibet aliter, exigente ordine & iuſtitia, peragendi.

Hic Iacobus, uulgo Iacobellus dicitur, inuentor ſchiſmatis de utraq; ſpecie: Quem Bohemi Iacobū de Miza uocabant.

De habenda ab omnibus lege Domini ſcripta, diſcenda & promouenda.

III Item, quod omnes ſacerdotes totam legem Domini ſcriptam ex integro, aut ſi nullatenus poſſunt, ad minus nouam legem habeant, & ipſam tota ſollicitudine legant & diſcant, & in ſe & normam & uitam Euangelicam & Apoſtolicam, necnon in aliȷs ſtudioſe promoueant: Verbum Domini iugiter prædicando, & conſtanter promulgando.

De nouitatibus abſq; ratione non inueniendis.

IIII Item, quod nullus Clericorum aliquam nouitatem inconſuetam, contra Euangelium aut antiqua ſanctorum patrum pręcepta & decreta rationabilia, audeat incipere & docere, aut prædicare. Sed ipſam ad prędictos Regni gubernatores & directores, aut ad Synodum prouincialem deferat, & ipſam approbet aut oſtendat. Et præſertim articulos contra ſacratiſsimam Euchariſtiam, & alia concomitantia, & per Vniuerſitatem & Clerum Pragenſem prohibita. Quæ & nos prohibemus, ut nemo tenere præſumat aut docere.

De fide Euchariſtiæ & eius promotione.

V Item, quod omnes ſacerdotes in diuiniſsimo Euchariſtiæ Sacramento & corde fideliſsime credant, & ore ſynceriſsime confiteantur, tam ſub forma panis, quam ſub forma uini totum Dominum Ieſum Chriſtum, uerum Deum & hominem, cum ſuo proprio corpore & ſanguine, nobiſcum eſſe ſua præſentia reali. Sicq; ab omnibus tenendum fideliter populo nuncient & credendum. Eiuſq; ſacratiſsimæ Euchariſtiæ cõmunionem diuiniſsimam, ſub utraq; ſpecie uini & panis, quotienſcunq; ſpiritus Domini ſuggeſſerit, ſanè ſemel tantum quotidie, aut aliàs dierũ interuallo Chriſti fidelibus uniuerſis, tam ſanis quam ægris, tam adultis quam infantibus, cum ingenio & pietatis conſilio effectualiter exequendum, promoueãt, & uelut donum omnium gratiarum ardentiſsime populo recommendent.

Totus Chriſtus ſub forma panis.

De ordine & ritu Miſſæ, iuxta Decreta ſanctorum obſeruanda.

VI Item, quod ordo & officium ſacræ Miſſæ, in omni ritu & geſtu ab Eccleſia primitiua + euacuato & exemplato, & à ſanctis primitiuæ Eccleſiæ approbato, tento & in habitu communi, quem aliȷ + Horarium, aliȷ ornamenta appellant: Circunſcripta ab eis omni ſuper-

forte + emanato

+ *Orarium*

ſuperfluitate, ſemota & precioſitate, ab omnibus & ſingulis ſacrificantibus, niſi neceſsitas ineuitabilis præpediat, diligenter obſeruetur.

Quod circa omnia Sacramenta Euchariſtia eſt conferenda.

Item ſtatuimus, quod circa miniſtrationem omnium ſex Sacramentorum, Sacramentū Euchariſtiæ, uelut uirtus & confirmatio eorundē, non deſeratur ſed concurrat et miniſtretur. Quia teſte B. Dionyſio, nullum Sacramentum ritè celebratur, in quo Euchariſtia non ſumitur. VII

Dionyſ. de Eccle. Hierarch. c. 3.

Quod nullus ſacerdos debeat ciuiliter & ſæculariter dominari.

Item, quod nullus ſacerdos Chriſti, ſuper prædijs, agris, domibus, cenſibus, aut quibuſcunq; alijs prouentibus & poſſeſsionibus, ciuili & ſæculari iure, dominetur: ſed uerius & ad normam Euangelicæ paupertatis & uitæ Apoſtolicæ, uictu & amictu moderato contentetur. Ipſas autem eleemoſynas & facultates Eccleſiæ appropriatas, & dotationes tēporales ſiue perpetuas, nemo ſæcularium dominorum per ſe uſurpare debet aut auferre. VIII

De conductoribus & + conuentibus. +conuentorib.

Item, Quatenus à modo nullus Clericus audeat res Eccleſiæ quaſcunq; in mercede conuenire: propter auaritiam & damnoſam ſollicitudinem annexam. Sic nec ſollicitudinem circa patrimonialia exercere, Nicæno Concilio hoc ſtatuente. IX

De omnibus peccatis mortalibus deſtruendis & cohibendis.

Item ſtatuimus in Domino Ieſu Chriſto, & ſub æterna damnatione denunciamus, Quatenus quilibet Chriſti ſacerdos omnia peccata mortalia, publica lege Dei prohibita, toto conatu & abſq; omni deſidia, in ſe & in omnibus alijs, diligenter & pro poſſe, euitare, deſtruere, euellere, diſperdere & diſsipare debeat: Nec aliquid huiuſmodi malum, per omnia pericula rerum & corporum ſuorum, in ſe & in ſuis ſubditis negligens permittere, ignorare aut tolerare. X

De nihil accipiendo & exigendo, + à ſeptem Sacramentis. 4de

Item, Quod nullus ſacerdotum Chriſti, à ſeptem Sacramentis, XI

aut

aut pro ſeptem Sacramentorum miniſterio: Immò nec extra miniſterium omnium Sacramentorum, & alijs omnibus ſpiritualiter annexis, pecuniam aliquam aut dona accipiat aut exigat. Nec ſub obtentu religionis cuiuſcunq; pro orationibus recipere audeat.

De non cohabitando mulieribus.

XII Item, Quatenus nullus ſacerdos cum mulieribus, maximè iuuenibus, nedum cohabitationem, ſed nec conuerſationem habeat, nec colloquia aliqua miſceat, nec domus earum, niſi ſalubris cogat neceſsitas, ex Apoſtoli præcepto uiſitet, ſed deuitet.

De Clerico in fornicationem lapſo.

XIII Item, Siquis ſacerdos in fornicationem lapſus fuerit, quod ad unum annum in carcere detentus puniatur. Quod ſi pluries lapſus fuerit, quatenus degradetur, & ab officio perpetuo ſuſpendatur.

De Clerico in ebrietatem lapſo.

XIIII Item, Siquis ſacerdos in ebrietate aliquotiens repertus fuerit, aut tabernis aut + alijs inſeruierit, Quatenus in carcerem detrudatur.

lego + alεis.

De hoc, quod ſacerdos debet differre á Laicis ueſte tonſura & geſtu.

XV Item, Clericus profeſsionem ſuam etiam habitu & tonſura à communi populo differenti, geſtu & inceſſu probet. Sed nec ueſtimentis nec calciamentis decorem, ſed tantum religionem quærat.

De Clerico ſcurrili aut Maledico.

XVI Item, Clericum ſcurrilem aut maledicū, & uanis & turpibus ioculatorem aut maleficū, ab officio dicimus remouendum.

De Clerico Percuſſore.

XVII Item, quod Clerici ſeditionarij nequaquam ordinentur. Et ſi in ordinibus fuerint, degradentur.

De Confeßione auriculari non prohibenda.

XVIII Item, Nemo homines uerè pœnitentes, humili corde peccata ſua confiteri præsbyteris affectantes, quauis temeritate ab eodem præſumat repellere, aut prædictam confeſsionem uelut illicitam: aut uim clauium, quibus peccata uere pœnitentibus à Domino Ieſu Chriſto + myſterialiter remitti creduntur, ſatisfactionis quoque remedia ſaluberrima, quoquomodo audeat prohibere.

lego + per ſacerdotē miniſterialiter.

De

De fonte Baptiſmi & Chriſmate in Eccleſia retinendis.

Item, Quod Eccleſiarum directores fontem Baptiſmi tempo- XIX
ribus licitis conſecratū, Oleum quoq; ſacrum cum Chriſmate in Eccleſijs ſuis habeant, & habenda prouideant. Et ſolitis modis ungendi, interrogandi, & reſpondendi, & exorcizandi Infantes baptizent, & baptizatos mox, ſi idonei ſunt & cibi capaces, Sacramento corporis & ſanguinis Domini communicent.

De Clerico adiudicando à Laicis non defendendo.

Item, Siquis cuiuſcunq; honoris Clericus, iudicio Epiſcopi, XX
aut illornm electorum, quocunq; crimine fuerit damnatus, Non licet eum cuicunq; Laico quouis modo defenſare, ſed Eccleſiaſtico iudicio obtemperare.

De modo orandi & legendi Clericorum,

Item, Quod quilibet Chriſti ſacerdos, cui tempus & locus fa- XXI
cultatem dant, ad horas Canonicas ſit obligatus: Niſi meditatione aut ſtudio, & legendi aut alia utiliore inevitabiliter ſit præpeditus neceſsitate. Quod ſi quis ocio uacauerit, tempus, per quod aut orare aut ſtudere potuit, uanè conſumpſerit, ſit Anathema.

De quibuſdam rationabiliter omiſsis.

Nunciamus, propter pericula aliqua futura euitanda, quod cir- XXII
ca ritus Eccleſiaſticos, illa quæ ſunt rationabiliter ex certis cauſis omiſſa in communitatibus Pragenſium, quod hæc habeantur & teneantur pro omiſsis. Niſi magis rationabilis & magis utilis cauſa interueniret pro tali ritu reſumendo. Hæc ergò ſancta & rationabilia ſtatuta & decreta ſtatuimus: Immò potius antiqua ſtatuta + Concilia, & ſanctorum præcepta renouamus: Proteſtan- + Conciliorum
tes in his omnibus, quod per illa in nullo fidei Orthodoxæ Domini noſtri Ieſu Chriſti intendimus derogare. Sed ſi de contrario aliquo eorundem melius docti fuerimus, parati humiliter ſumus emendare. Hæc in Synodo.

Decreta iſta loco reformationis erant Huſsitis antiquis. Quia plerię; Apoſtatæ multas ex Vuiclepho enormitates docuerant, & in praxim perduxerant, de quibus peſsimè audiebant apud exteros Bohemi. Ad abolendam igitur illam infamiam, huiuſmodi decreta uerbis quidem ſtatuerunt, ſed factis maxima ex parte non tenuerunt, neq; hodie tenent Vualdenſes & Thaboritæ. Ex eo itaq; tempore permanſit, perpetua diſcordia inter ſacerdotes Thaboritarum & Magiſtros atq; Clericos Pragēſes. Nec ullis tractatibus aut

Diſcordia inter Pragēſes & Thaboritas.

aut congregationibus publicis, in concordiam reduci potuerunt: licet à plurimis Baronibus & ciuitatibus regni id ſæpe attentatum fuerit. Qua de re prolixa ſcripta eſt hiſtoria, à Ioanne Lukauuitz ſacerdote Thaborita: qui aduerſus Magiſtros Pragenſes, (inter quos nominatiſsimi erãt Iacobellus de Miſna, Ioannes de Rokyzan, Ioannes de Przibram, Vuenceslaus de Drachou, & Procopius de Pilzna) ubiq; tuetur partes Vuiclephi & Thaborenſium. Quamuis negare non potuerit, Pragenſes Magiſtros, datis arbitris, ubiq; pro ſua parte ſententiam obtinuiſſe: Quandoquidem ad Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ ritus & inſtituta, multo propius accedebant quàm Thaboritæ. Pragenſes enim aſſerebant cum Rom. Eccleſia ſeptem Sacramenta, & conſuetos circa eorum adminiſtrationem ritus & Cæremonias, In Euchariſtia uerum corpus Chriſti, In Miſſa ornamenta & uaſa ſacra, in Baptiſmo exorciſmum, unctionẽ, chriſma, ſal, patrinos & id genus alia, In pœnitentia confeſsionem auricularem & ſatisfactionem: per ieiunia Eleemoſynas, orationes & alia pietatis exercitia, Extremam unctionem pro infirmis, Purgatorium ignem & ſuffragia uiuorum pro defunctis, Conſecrationes & dedicationes templorum & altarium, ſacros ordines Clericorum, feſta & ieiunia Eccleſiæ, & id genus alia permulta, quæ antiquo ritu obſeruant Catholicæ Eccleſiæ filij. Quemadmodum ex ſupradictis Synodi ſuæ capitulis, & ex articulis eorum (quos in hiſtoria ſua in modum epilogi, recitat ille ipſe Thaborita) liquido cognoſcitur. Operæprecium itaq; fuerit, eos hic commemorare, ut uideant noui Germaniæ ſectarum duces, quanto propius acceſſerint aut potius redierint, Huſsitæ Pragenſes ad Eccleſiæ inſtituta, quàm ipſi faciunt.

Pragenſes Ro. Eccleſiæ confor miores.

XXIII. articuli Magiſtrorum Pragenſium, contra Thaboritas, primus: De ueritate corporis Chriſti in Euchariſtia.

1 In primis credimus & tenemus, ad quod ſingulos Chriſtianos adhortamur, ut credant & teneant, Quod Chriſtus uerus Deus & uerus homo, eſt in Sacramẽto uiſibili Euchariſtiæ, ſecundum ſuam propriam naturam & ſubſtantiam corpoream, & ſecundum eius naturalem eſſentiam, eandem penitus in numero, quam ſumpſit de uirgine Maria, & ſecundum quam reſidet in cœlo, in dextera patris. Cui in eodem Sacramẽto honor, cultu, genu flexione, adoratione, luminum accenſione, & aliarum uenerationum exhibitione, debet exhiberi.

Secundus,

Secundus. De ſeptem Sacramentis.

Credimus & tenemus, quod ſeptem Sacramenta, uidelicet, Baptiſma, Confirmatio, Pœnitentia, ſacroſancta Euchariſtia, Ordo, Matrimonium, unctio ſacra, ſunt ex fide Catholica neceſſaria, ac ſalubria Antidota animarũ, ab omnibus promouẽda & tenenda. II

Tertius. De Baptiſmo.

Item tenemus, quod Sacramentum Baptiſmatis more Eccleſiæ, cum Exorciſmis, & cum Patrinis, cum chriſmate & oleo ſacris, ac cum trina immerſione in aqua benedicta, ac alijs ritibus conſuetis, eſt exercendum: dum ad iſta adeſt congrua oportunitas loci, temporis, & perſonarum. III

Quartus. De Confirmatione.

Item credendum & tenendum & inſtandum eſt, quod Baptizati, à proprio Epiſcopo, iuxta formam & ſtatuta Eccleſiæ primitiuæ, cum chriſmate ſunt confirmandi. IIII

Quintus. De Pœnitentia & Confeßione.

Item tenemus, quod pro remedio animarum lapſarum & labentium, ac pœnitere uolentium, confeſsiones auriculares idoneo ſacerdoti ſunt exercendæ, & remedia ſalutifera, ſcilicet ieiunia, Eleemoſynæ & orationes, ac cætera opera ſatisfactionis, pro modo culpæ, ſunt eis iniungenda. V

Sextus. De Sacramento ordinis.

Item credendum & tenendum eſt, quod Sacramentũ ordinis, duntaxat ab Epiſcopo uel Epiſcopis eſt conferendum. VI

Septimus. De clauibus ordini annexis.

Item tenendum eſt, quod Sacramento ordinis ſoli duntaxat annexæ ſunt claues Eccleſiæ, & poteſtas ſoluendi & conficiendi, & uaſa ſacra contrectandi: Sic quod non alteri ſtatui uel perſonæ. VII

Octauus. De Sacramento Matrimonij.

Item credendum eſt & tenendum, quod Sacramentum Matrimonij uſq; in finem ſæculi libertatum & libertandum eſt, & exercendum in perſonis idoneis & capacibus, iuxta ſtatuta ſanctorum & Eccleſiæ Catholicæ, & regulas ab illa traditas & ordinatas: Excluſis circa hoc erroribus & cæteris exorbitantijs, & ſignanter hoc errore, quod filia in annis diſcretionis, & in ætate puellari exiſtente, & abſq; conſenſu parentum cuipiam Matrimonium uouente, VIII

ſit diuortianda, propter diſſenſum parentum uel propinquorum.

Nonus. De Sacramento extremæ Vnctionis.

IX Item credimus & tenemus, quod Sacramentum extremæ Vnctionis, poſcentibus ægris & infirmis, iuxta formam & ritum Eccleſiæ ſanctæ, eſt miniſtrandum & exercendum. Et nos hortamur omnes, & de poſt uolumus adhortari, ut cum in grauem infirmitatem inciderint, illud Sacramentum non omittant, aut quouis modo contemnant. Quia contemptores illius & aliorum Sacramentorum ſunt caſtigandi, & iuxta cenſuram Eccleſię corrigendi.

Decimus. De Præceptis Dominicis.

X Credimus & tenemus, quod decem præcepta Dominica & cætera puncta Euangelica, ſunt à cunctis fidelibus, ſub obtentu ſalutis æternæ, obſeruanda in ſenſu uero, quem ſpiritus ſanctus flagitat, et ſanctorum ſententia concors ſpiritui ſancto differit & explanat: Potiſsimè attendendo ad matrem et Magiſtrā omnium noſtrum Eccleſiam primitiuam, ſpiritu ſancto regulatam, & praxes eius ac executiones eorundem præceptorum.

Vndecimus. De puniendis reis.

XI Tenendum eſt & obſeruandum, quod in occiſione reorū non eſt lex uetus in ſingulis ſuis iudiciarijs exequenda et alleganda. Nec ipſa occiſio à quoquàm eſt in propria cauſa aut uindicta exequenda. Nec in quenquàm niſi in eum, qui aliter corrigi nullatenus ualet. Nec unquàm aliter, niſi magna urgente neceſsitate, lex noua occidere licentiat, & per Poteſtates legitimas ſuadet & autorizat. Hoc autem ut fiat, cum magna compaſsione, & cum conditionibus ſedecim charitatis, & ipſa regula legis naturæ obſeruetur. Quod tibi non uis rationabiliter, alteri ne facias.

Duodecimus. De rebus alienis non inuadendis.

XII Credendum eſt & tenendum, quod res alienæ à quantumcunque iuſtis, de communi lege non ſunt auare inuadendæ nec concupiſcendæ, nec nociue tangendæ: & plebs fidelium in bonis ſuis
Rom. 3. non eſt opprimenda, iuxta documentum Pauli. Mala non ſunt facienda, ut bona eueniant.

Tredecimus. De inuocatione ſanctorum.

XIII Credimus, & ex ſcriptura comperientes tenemus, quod ſancti in cœlis, Chriſtianis hoc fidelibus ſuis orationibus & charitatiuis auxilijs, pro capacitate ſine eorum diſpoſitione ſuffragantur, quos fideles poſſunt licite poſtulare, & exorare pro auxilio & interceſſione.

ſione. Circa hoc tamen cultum Latriæ ſoli Deo debitum,eis non impendentes,ſed in moderamine,pro ut decet ad ſanctos ſe habere,ad eoſdem habentes:Et quicquid deordinati foret reſpectus ad ſanctos,& ſuper menſuram poſtulationis,hoc abijcientes.

Decimus Quartus. De Purgatorio & de orationibus pro defunctis.

Item tenemus,& ex multis ſcripturis ſanctorum comperientes, XIIII in lege Domini fundatis credimus,quod animarũ à corpore exutarum locus purgatorij poſt hanc uitam eſt ponendus,quę non ad plenum hic in uia pro peccatis ſatisfecerunt, poſt hanc uitam purgatæ ſaluabũtur: Quodq; fideles hic in uia, talibus propter uinculum charitatis & ſpiritus, poſſunt & debent ieiunijs & orationibus, eleemoſynis & ſanctis operibus pie ſuffragari. Circa hoc tamen ſemotis & deteſtatis omni auaritia, lucris deordinatis ſacerdotum, qualibet Symonia: Quæ olim ſacerdotes auari & Symoniaci,immò hodie,exercebant & exercent.

Decimus Quintus. De Ritu ſacrificandi & orandi.

Item tenemus & firmiter obſeruare intendimus, quod ritus & XV ordo ſacrificandi in Miſſa & ueſperis, & circa alia officia diuina, in ſignis & habitu conſuetis, eſt legitimus & debitus: pro ut circa miſſationem eſt Humerale, Alba, Stola, Mappula, Cingulus, & ornatus more ſanctæ Eccleſiæ ordinatus. Qui ritus abſq; notabili neceſsitate & circumſtantia debita & magna, in Miſſa & alijs diuinis officijs,à ſanctis in honorem & laudem Dei diſpoſitis & ordinatis, à ſacerdotibus Chriſti non debet omitti, ſed facto teneri & obſeruari.

Decimus Sextus. De ieiunijs Eccleſiæ.

Item ieiunia in uigilijs ſanctorum ipſi Deo facienda, & alia ie- XVI iunia debita, in Eccleſia ſancta huc uſque legitimè obſeruata, ipſi uolumus obſeruare, & nobis ſubiectos ad obſeruandum tenere.

Decimus Septimus. De Feſtiuitatibus ſanctorum.

Item tenemus,quod feſtiuitates ſanctorum,præſertim Domini XVII noſtri Ieſu Chriſti:& quæ ſunt beatæ Virginis Mariæ,Apoſtolorum Chriſti Ieſu,Martyrum ſanctorum & cæteræ antiquæ in Eccleſia Dei,in celebratione ab antiquo obſeruatę modo debito,non ſolum ab opere ſeruili corporalis laboris,ſed & abſtinendo à peccatis, uelut ebrietatibus & cæteris deordinationibus,feſtiuandæ. De alijs uerò feſtiuitatibus minoribus,ex unanimi conſenſu Clerus

congregatus, ſibi iuxta Deum propoſitis, quid concluſerit, illas diminuendo uel ſecus de eiſdem ex inſtinctu ſpiritus conſtituendo, uolumus contentari.

Decimus Octauus. De Eccleſijs non deſtruendis nec prophanandis.

XVIII Item tenendum eſt, & diligenter obſeruandum, quod Eccleſias ſiue Baſilicas exurere ſiue deſtruere, abſq; ineuitabili et ſtricta neceſſitate, aut ipſas quomodolibet uiolare, aut cõtemptibiliter prophanare: Altaria ſacra ſubuertere, aut loca alia cõſecrata quouis modo polluere, eſt grande ſacrilegium & nefas, à cunctis fidelibus execrandum.

Decimus Nonus. De ſacris uaſis & ornamentis.

XIX Item tenendum eſt, et firmiter obſeruandum, quod res Eccleſiæ & Deo dedicatas, ut ſunt ornamenta, & Pallæ & uaſa ſacra, in miniſterium Domini deputata, & alia cætera auferre, abſq; ineuitabili & pia intentione & neceſsitate: & illa in alios humanos uſus conuertere & commutare, eſt ſacrilegum & prophanum.

Viceſimus. De ſpeciali habitu Clericorum.

XX Item, Clericus profeſsionẽ ſuam etiam habitu & tonſura, à communi populo differente, geſtu & inceſſu probet. Nec ueſtimentis nec calceamentis decorem, ſed religionem quærat.

Viceſimus Primus. De horis Canonicis.

XXI Item, quilibet Chriſti ſacerdos, cui tempus & locus facultatem dant, ad horas Canonicas ſit obligatus: Niſi meditatione aut ſtudio in lege diuina, aut alio utiliori ineuitabiliter ſit præpeditus. Quod ſiquis ocijs uacauerit, & tẽpus, pro quo aut orare aut ſtudere potuit, uanè conſumpſerit, ſit Anathema.

Viceſimus Secundus. De Eccleſiarum dedicationibus.

XXII Item, placuit omnibus, quod in proxima generali congregatione ſæcularium, petantur Domini Barones, & omnes Communitates regni, de conſenſu dando ad tranſlationem dedicationum Eccleſiarum huius regni, ad unum certum diem Dominicum, quod ipſo die omnium fiat celebratio ſimul uniformis.

Viceſimus Tertius. De obedientia Epiſcopis præſtanda.

XXIII Item tenendum, & fideliter obſeruandum, pro unitate & ſocietate Catholica in nobis perpetuo conſeruanda, & pace Eccleſiæ cuſtodienda, iuxta decretum Clementis: Omnes ſacerdotes & alij

Chriſti

Chriſti fideles ſubiecti teneantur Epiſcopis, etiam diſcolis, & alijs præpoſitis, in omnibus præceptis licitis & honeſtis obedire. Etiam ſi ipſi aliter (quod abſit) agant quàm debeant, Iuxta præceptum Domini, quod dicit. Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Et quod tales Epiſcopi non leuiter ſunt arguendi, ſed potius ſupportandi, niſi in fide errauerint. Matth.23.

His XXIII. articulis oppoſuerunt totidem alios Thaboritæ, quos longum eſſe referre, quia ſunt iſtis multo prolixiores. Super huiuſmodi igitur articulis, longiſsimo contentionis fune certauerunt inter ſe inuicem diuiſi Huſsitæ Pragenſes, & Thaboritæ. Quibus ſanè contentionibus, multas Baronibus & Communitatibus regni moleſtias, in generalibus Statuum regni congregationibus, pepererunt. Quamuis enim honeſtiores haberent articulos Pragenſes, quàm Thaboritæ, illi tamen ne pilo quidem aut lato ungue eis cedebant, confiſi armorum potentia, & ſophiſticis argutijs. Bellicoſiſsimos enim habebant in parte ſua Capitaneos, Ioannem Ziskam, Procopium raſum, Procopium paruum &c. Sæpe igitur congreſsi ſunt cum illis diuerſis tractatibus & diſputationibus, uerbo & ſcripto propoſitis: nunc Pragæ, ibíq; iam in Prætorio, iam in Collegio Caroli, iam in arce, iam in domo Generoſi domini Petri de Suueyſsin: nunc in montibus Cuthnis, nunc in caſtro Conopiſſe. Sed & inter ſeſe ipſi Thaboritæ, multas fecerunt conuocationes in oppidis partium ſuarum, in Picska, in Thabor, in Slatouia &c. Quamuis uerò ubiq; ſuccumberent, prolatis per arbitros ſententijs: pertinax tamen ſemel concepti erroris aſſerendi ſtudium, ſophiſticis importunitatibus eos ubiq;, tanquàm inuictos, argutos & loquaces reddidit. Quales adhuc hodie perdurant. A parte aũt Magiſtrorum Pragenſium, ſtabat dominus Conradus, Archiepiſcopus Pragenſis, Natione Vueſtphalus, qui iam defecerat à Ro. Eccleſia. Et tantum de ijs, quę ad Clericos pertinent. Quantum uero ad Laicos & ſtatus regni attinet, multas ad uicinos Principes Germaniæ, atq; etiam ad Poloniæ Regem, & ad Vuitoldum Lituaniæ Principem, epiſtolas miſerunt: Quibus & facta ſua excuſabant, & Regem Sigiſmundũ, naturalem & hæreditarium dominum ſuum, criminabantur & incuſabant. Quarum unam in Teuthonico ad Illuſtriſsimum Principem, Dominum Fridericum, Marchionem Miſnæ ſcriptum reperio, in hunc ſanè tenorem & ſenſum.

Diuerſæ cõuocationes diſputantium.

amicus, proſpicite uobis in hoc: Si non indiguiſſet ope ueſtra contra nos, nunquam factus eſſet uobis amicus. Datum feria ſecunda poſt feſtum S. Procopij. Anno Domini M.CCCCXXI. *Id eſt, ſexta die Iulij.*

Proteſtatio autem publica de Quatuor articulis eorum ſic habet.

Nos Capitanei Magiſtriq; ciuium, Cōſules & Scabini, totaq; Communitas ciuitatis Pragenſis, capitalis Regni Bohemiæ noſtro & aliorum fidelium nomine huius Regni.

NOtum facimus uniuerſis Chriſti fidelibus, quod fideles in Regno Bohemię inſtant, & Deo iuuante inſtare proponūt, ſiue per mortem ſiue per uitam, quantū eſt poſsibile, pro articulis infra ſcriptis, niſi de oppoſito per ſacram ſcripturam ac rationem uiuacem erunt edocti.

Articulus I.

Quod uerbum Dei per Regnum Bohemiæ, liberè & ſine impedimento ordinatè à ſacerdotibus Domini prædicetur & nuncietur. Iuxta ſententiā Saluatoris, Matthæi & Marci ultimo. Euntes in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturę. Nam ſecundum Apoſtolum, Verbum Dei non eſt alligatum, ſed enitendum eſt, ſecundum eundem, ut ſermo Dei currat et clarificetur ubiq;, 2. Theſſ. 3. Et loqui linguis in Eccleſia Dei, nemo debet prohibere, ut dicitur 1. Cor. 14. *2. Thimo. 2.*

Articulus II.

Quod Sacramentum diuiniſsimæ Euchariſtiæ, ſub utraq; ſpecie, ſcilicet panis & uini, omnibus Chriſti fidelibus, nullo peccato mortali indiſpoſitis, libere miniſtretur.

Iuxta ſententiam & inſtitutionem Saluatoris, qui dixit. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et iterum. Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Matth. 26. Mar. 14. & Luc. 22. Vbi dat etiam prœceptū Apoſtolis, cum dicit. Hoc facite. Gloſa Interlinealis. Accipite, & alijs date in meam commemorationem. Et Ioan. 6. Saluator omnes fideles obligat ad ſumptionē huius Sacramēti, dicens. Amem Amen dico uobis, niſi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitā in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam. Similiter et Paulus ait. 1. Cor. 11. probet autē ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat &c.

Articulus III.

Quod Dominium ſæculare, ſuper diuitijs & bonis temporalibus, quod contra præceptũ Chriſti Clerus occupat, in præiudicium ſui officij & damnum brachij ſæcularis, ab ipſo auferatur & tollatur. Et ipſe Clerus ad regulam Euangelicam, et uitã Apoſtolicam, quam Chriſtus uixit cum ſuis Apoſtolis, reducatur.

Iuxta ſententiam Saluatoris, Matth. 10. dicentis, Et conuocatis duodecim Apoſtolis, miſit eos & præcipiens dixit. Nolite poſsidere aurum & argentum, neq; pecuniam in zonis ueſtris. Et Matthei 20. Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter uos. Et Lucæ 22. quod idem. Et 1. Petri. 5. Non dominantes in Clero &c.

Articulus IIII.

Quod omnia peccata mortalia, & ſpecialiter publica, aliæq; deordinationes, legi Dei contrariæ, in quolibet ſtatu, ritè & rationabilter, per eos ad quos ſpectat, prohibeantur & deſtruantur. Rom. 1. Quia qui talia agunt, digni ſunt morte: Non ſolum qui ea faciunt, ſed & facientibus conſentientes. Vt ſunt in populo fornicationes, commeſſationes, furta, homicidia, mendacia, periuria, artes ſuperfluæ, doloſæ, & ſuperſtitioſi quæſtus, auari, uſurarij, & his ſimilia. In Clero autem Simoniacæ hæreſes, & exactiones pecuniarum à Baptiſmo, à Cõfirmatione, à Confeſsione, pro Euchariſtiæ Sacramento, pro oleo ſacro, á Matrimonio, à Triginta Miſsis taxatis, & ab alijs Miſsis emptis aut foriſatis, à Miſsis defunctorum, orationibus, Anniuerſarijs & alijs, à prædicationibus, à ſepulturis, à pulſationibus, à conſecrationibus Eccleſiarum, altarium & Capellarum. Pro præbendis, beneficijs, prælaturis, dignitatibus, perſonatibus &c. Ex quibus multæ inſurgunt hæreſes, & Eccleſiæ Chriſti polluuntur. In alijs autẽ mores impij & iniuſti, ut ſunt impudicicia, concubinatus, cum augmento prophano filiorum & filiarum, aliæq; fornicationes, iræ, rixæ, contentiones, ſpoliationes, munera incõſueta, & illuſiones falſæ. Quæ omnia & ſingula quilibet Chriſti fidelis, Chriſti ſeruus, & filius uerus matris ſuæ Eccleſiæ, teneatur in ſe, & in alijs perſequi, & ut ipſum diabolum odire & deteſtari: Seruato tamen in omnibus ordine, & ſtatu ſuæ uocationis: Quia iuxta ſententiam Apoſtoli Gal. 5. Tales Regnum Chriſti non poſſidebunt. Et ſi aliquis ultra hanc noſtram ſententiam piam & ſanctam intentionem, aliqua nobis aſcribat impudica & enormia uitia, tanquàm falſus & iniquus teſtis, à Chriſti fidelibus habeatur. Cum non ſit aliud in corde noſtro, quã totis uiribus & toto poſſe placere

Peccata populi.

Peccata Cleri.

Proteſtatio Pragenſiũ.

placere Domino Ieſu Chriſto, ciuſq; legem & præcepta, et hæc pūcta Catholica Quatuor, fideliter exequi & implere. Cuilibet autem nos pro his impugnare uolenti, et contra Deum et iuſtitiam auertere conanti & perſequenti: In defendendo ueritatem Euangelicam, ad quam quilibet obligatur ex debito, iuxta uocationem noſtram, poteſtate etiam nobis conceſſa brachij ſæcularis, eidem uelut Tyrāno & Antichriſto crudeliſsimo, uſq; ad ultimū reſiſtere oportebit. Et ſi per quenpiam multitudinis noſtræ aliquid ſcandaloſi aut ſiniſtri actum fuerit, cum mentis noſtræ ſit, omne crimen extinguere, hoc præter intentionem noſtram omnino accidere proteſtamur. Si uerò alicui perſonæ uel Baſilicæ damna à nobis inferri rerum uideantur uel corporum, hoc aut ineuitabilis in hoc neceſsitas, aut oportuna legis & noſtri tutela, aduerſus uiolentiam Tyrannicam nos excuſet. Veruntamen proteſtamur, quod in his omnibus, ſi cuiq; in uobis quæuis etiam ſpecies mali appareat, ſemper nos de ſcripturæ ſacræ informatione parati ſumus exhibere. Datum Pragæ Anno Domini M. CCCCXXI.

Hi ſunt illi quatuor articuli, de quibus deinde poſt XII. annos latiſsimè tractatum ac diſputatum eſt in Concilio Baſilienſi. Anno Domini 1433. habent quidem aliquam ſpeciem pietatis, ſed in facto uirtutem eius maximè abnegant hæretici. Cum igitur in Regno iam ubiq; præualerēt Huſsitæ, oppreſsis per arma Catholicis, iſtorū Quatuor articulorum colore, uolebant etiam externos & uicinos in partem ſuam trahere: aut ſaltem placatos ſibi reddere, ne arma contra ipſos ſumerent. Quantis autem criminationibus Regem ſuum accuſauerint apud externos & uicinos Principes & populos, unius epiſtolæ exemplo breuiter declarabimus.

Epiſtola Huſsitarum ad quendam Principem & ad Luſatiæ populos.

Conradus Pragenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, Zenko de Vuartenberg, aliàs de Vueſsle. Henricus Berka de Duba, Vlricus de Hardetz, Hyneck Cruſsina de Lichtenberg, Alzo Scopeck, Ioānes de Kalsko, Mikes de Sampach, Henricus de Vuartenberg, Victorinus de Cunſtat, Hinko de Cunſtat, Hermānus de Broten, Ioannes de Lichtenberg, alias Cruſsina. Henricus Latzenbock de Ochlim, Vuenceslaus de Suueyretitz, Ioannes de Opotzna, Gnual de Sternberg, aliàs de Holitz. Ameſtus de Richenberg, Ioannes de Chlum, Vuenceslaus de + Gentſenſteyn, Nicolaus de Valſtein, Nicolaus de Monachu, Zdenick Modeck de Teynitz: Magiſtri ciuium atq; Communitates inclytæ ciuitatis, & inuictæ in ueritate urbis Pragenſis, Ioannes Ziska de Botznau. Ciuitas et communitas de montibus Cutnis, unà cum alijs nobilibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, ciuitatibus & communitatibus Regni Bohemiæ.

Nomina Baronū & ſtatuum Regni Bo.

+ Gutenſteyn.

Illuſtri

Illuſtri & Magnifico Principi, necnon Terrigenis ciuitatibus Budiſsin, Gorlitz Sittauiæ, Lobauiæ, Luban, & Camentz, fautoribus noſtris, ſeruitutem paratam cum deſiderio omnis boni. Illuſtris Princeps, Necnon Nobiles Barones, Milites, Clientes, Cæteriq́ꝫ ciuitatum communitates, noueritis, qualiter inclytum Regnum coronæ Bohemiæ, innumeras & atroces iniurias, & iniurioſas calumnias, uaſtationem & exuſtiones uillarum & oppidorum, inhumanasq́ꝫ & crudeles occiſiones uirorum pariter & mulierum & paruulorum, una cum alijs innumeris detrimentis (Quæ gemebundum cor abſq́ꝫ lachrymis nec uidere nec narrare poteſt) hactenus ab inuaſoribus & crudelibus exterarum gentiū hoſtibus perpeſſum eſt & patitur, proh dolor, in pericula atque damna omnium noſtrorum pariter & detrimenta: Ideoq́ꝫ ueſtram Illuſtrem Magnificentiam & Generoſas Nobilitates, prouidasq́ꝫ Prudentias ueſtras, nos omnes unanimi deſuper compaſsione ex intimo corde†commoniti, conſtanter petimus: Immo, pro ut de iure debemus, requirimus & monemus, Quatenus non ueluti uiri Deum & famam negligentes, ſed ueluti uiri ſtrenui, memores ueſtrorum iuramentorum, quibus iure feudi & Homogiali, coronæ Regni Bohemiæ præcipuo eſtis obligati, et ad ipſam protegendam, & ab omnibus inuaſoribus & hoſtibus tuendā, prorſus de iure aſtricti: Cōtra ipſam amplius nō inſurgatis, Immo inſurgere quoslibet, uelut fideles ipſius coronæ tutores, pro poſſe prohibeatis, pro ut honoris ueſtri puritatē, & iuramenti præſtiti integritatem, diligitis firmius obſeruare. Alioquin contra uos & quemlibet huiuſmodi ſecus facientem, uelut contra honoris neglectorem, & iuramenti præſtiti corruptorem, iuxta iura Regni, remedio oportuno durius procedemus. Significamus inſuper uobis graues exceſſus & culpas Sereniſsimi Domini Sigiſmundi &c. Regis, quas ab ipſo paſsi præſentibus incluſas, uobis deſtinamus. Datum in plena congregatione Baronum, terræ Bohemiæ & Morauiæ, & Dominorum Inclytæ ciuitatis Pragenſis, necnon Militarium & Clientum, ciuitatum & communitatum in Gaslauienſi ciuitate. Anno Domini M.CCCCXXI. Sabbato poſt Marcelli. Scheda autem incluſa ſic habet.

† commoti.

s. ſexta Iunij.

Articuli Exceſſuum & culparum contra Regem Vngariæ, Quos intulit Regno & Coronæ Bohemiæ: Oblati eidem per Barones ac ciuitates Bohemiæ.

1 In primis, Quia Magiſtrum Ioannem Hus, ſub ſaluo conductu duplici lingua deſcripto, damnari ad mortem permiſit: Immo ipſum

ipſum primus ore proprio, in Maieſtate ſedens, condemnauit, in grauem iniuriam & offenſam ac linguam Bohemorum.

Quamuis omnes ſchiſmatici, & obſtinati hæretici, ab Eccleſia II
habuerint plenam libertatem in Conſtantienſi Concilio: Ipſe tamen malum malo accumulans, contra honorem Regni noſtri & omnem ordinem, & contra ſaluum conductum Papæ atq; ipſius ✝Regni, uniuerſis datum & conceſſum, alterum, ſcilicet Magiſtrum + Ioannem Hus, comburi fecit & damnari.

✝ Regis
+ Hieronymũ de Praga &

Quia in prędicto Concilio, Chriſtianiſsimum Regnum Bohemiæ pro hæretico iniuſte damnari permiſit, & cruciatam plenã iniuria, contra Regnum prædictum erigi, ad ipſum deſtruendum & delendum. III

Quia his non cõtentus, nuper in Vratislauia, iuſsit eandem publicari & proclamari, uniuerſo Regno Bohemiæ in intolerabile dedecus, damna plurima, et offenſas. IIII

Quod omnes circumſitas regiones & Principes, cum prædicta cruciata & damnatione iniuſta, cõtra dictum Bohemiæ Regnum conuocauit & irritauit, & in propria perſona ipſos deſtructores et deuaſtatores Regni induxit, & induci demandauit. V

Quia prædicti Principes & exercitus, ſic in Regnum Bohemię inducti per ipſum Regem, iniurias exercuerunt, combuſtiones uillarum, ciuitatum uaſtationem, & hominum utriuſq; ſexus, ſcilicet uirorum & mulierũ ac paruulorũ fecerunt, exuſtiones uirginumq; dolendas ſtuprationes, & mulierum intolerabiles deuaſtationes. VI

Quia conſtitutus nuper in Vratislauia, quendam ciuem Pragenſem, propter ſolam Venerabilis Euchariſtiæ ſub utraq; ſpecie communionem, iuſsit equis trahi & comburi, in dedecus Regni Bohemiæ innocentis. VII

Quia plurimos ciues Vratislauienſes, propter culpas in pię memoriæ Regem Vuenceslaum commiſſas & dimiſſas, decollari fecit, & multos expelli & taxari. VIII

Quia Marchionatũ Brandeburgenſem, graui labore Imperatoris & Prædeceſſorum noſtrorũ uirorum ſanguine conquiſitum, à Regno Bohemiæ alienauit, & Marchiã, abſq; noſtro conſenſu, in magnum damnum & debilitationem Coronæ & Regni, prædictis alienigenis obligauit, atq; liberaliter donauit. IX

Hinc conſtat, hãc Marchiã à Sigiſ. Cæſ. donatã eſſe Burgrauijs Nurenbergẽſibus, qui eã adhuc poſſident.

Quia Coronã, qua Reges noſtri coronantur, in maximũ damnũ, & dedecus Regni Bohemię, ſine cõſenſu cõmunitatis Baronũ,
& ciuitatis Pragenſis, Militũ, Clientũ & omniũ cõmunitatum, in- X
iurioſe abſtulit, contra ſuũ promiſſum et ordinẽ Regni ſupradicti.

Quod Theſauros innumerabiles Regni, quos prædeceſſores XI
noſtri,

noſtri, deuotione pia, ad honorem Dei & ſanctorum Patronorum Bohemiæ, & ad profectum Eccleſijs deditos & attributos: & præſertim à Caſtro Pragenſi & Karlſtein, & uarijs clauſtris & Eccleſijs per Regnum, abſtulit. Et theſauros plurimos in Caſtro comportatos, uiolenter rapuit, & extra Regnum educi procurauit, in damnum intolerabile Regni Bohemiæ, & iniuriam eius & debilitationem.

XII Quod ipſum Regnum Bohemiæ per libellos famoſos, plenos falſitate & iniuria, contra Regnum ſcriptos et deſtinatos, iniuſtè & iniquè maculauit & dehoneſtauit: dicens falſè et impudice, fratrem cum ſorore, filium cum matre, & uirum cum uiro, &c. nefanda dictu et cogitatu indigna, turpiter commiſceri, in infamiam & dedecus omnium noſtrum importabile. Cuius occaſione fictæ infamiæ, quàm plurimæ gentes & prouinciæ, contra Regnum ſunt atrociter excitatæ.

De Adamitis non omnino falſum erat, quos poſtea deleuit Ziska.

XIII Quia coram Principibus et Baronibus exteris, Regni Bohemiæ Barones, ſæpe deturpauit et dehoneſtauit, dicens, eos omnes eſſe proditores, & nullum fidelem, in iniuriam omnium noſtrum & graue præiudicium.

XIIII Quod multos Barones et Milites Bohemiæ, et Morauiæ, coram Vuiſſegrado ad mortem ire compulit et coëgit, et improuidentiſsima ordinatione ad mortem deſtinauit, in damnum Regni irrecuperabile atq; grauamen.

De Vuiſſegrado Bohemiæ circa Pragam, non de Vuiſſegrado Hũgariæ hic loquuntur.

XV Quod Tabulas Regni, abſq; conſenſu Regnicolarum, abſtulit & abſcondit, et omnes pecunias pauperum, orphanorũ, et uiduarum, circa tabulas depoſitas, contra ius et Regnum et ordinem Regni, abſtulit et collegit.

XVI Quod libertates Regni et iura noſtra, et Marchionatus, ab antiquis Regum Prædeceſſoribus, liberaliter condonatas et conſeruatas, infregit et per omnia uiolauit.

XVII Quod iniuſtas exactiones, uſq; ad extremam exterminationem ciuitatum, uillarum, et omnium quaſi ſubditorum, crudeliter et diligentiſsimè exercuit: Vt in una ciuitate Montanorum, minus quàm in anno medio, plus quàm XXX. milia Sexagenarum extorqueret.

hoc eſt, in Cutna ſeu Cuttenberg.

Quid à Sigiſ. petitur. Nos igitur his iniurijs læſi et offenſi, optamus à prædicto Rege, Quatenus primum omnem iniuſtam iniurioſiſsimeq; extortam, atq; iniquæ infamię confictam damnationẽ & dehoneſtationem, quam Chriſtianiſsimo Regno Bohemiæ iniuſtè et iniurioſè intulit, aut inferri procurauit et permiſit: tollat, deſtruat, reformet & emendet, Nec amplius damnari nec dehoneſtari à quoq; patiatur.

Item

Item, Quatenus Marchionatũ Brãdeburgenſem et Marchiam Coronæ Regni Bohemiæ reſtituat, Coronamq́ꝫ Regni, qua Reges noſtri coronari ſunt ſoliti, ablatam à nobis noſtroq́ꝫ Regno reddat, una cum auro et argento, à monumentis ſanctorum et Reliquiarum acceptis, ac theſauro Regni uniuerſo: Tabulas Regni & pecunias pauperum, uiduarum et orphanorum, more terræ iuxta tabulas depoſitas, & ablatas, cum uniuerſis alijs iniuſte ablatis, reponat uiceuerſa. Regnaq́ꝫ et prouincias, quas contra nos prouocauit, quietet et tranquillet. Iuraq́ꝫ terræ Comitum, Baronum, & omnium ſtatuum, cum libertatibus, priuilegijsq́ꝫ cuſtodiat & obſeruet: Sciens noſtram finalem intentionem, quod in Quatuor articulis, quibus unanimiter conſenſimus & uniti ſumus, uolumus finaliter reſidere. Niſi fuerimus (quod non credimus) ex ſacra ſcriptura melius informati: Videlicet quod corpus & ſanguis Domini, ſub utraq́ꝫ ſpecie, cunctis fidelibus per ſacerdotes Domini publicè miniſtretur. Secundo, quod uerbum Dei ſine impedimento ubiq́ꝫ liberè prædicetur. Tertio, quod dotatio ſacerdotum ſuperflua, à Clero debite abſcindatur. Et Quarto, quod omne peccatũ mortale, in quolibet ſtatu, legitimè tollatur & deſtruatur, & quilibet in ſtatu ſuo, iuxta legem Dei, reformetur & reguletur. Quorum articulorum concluſio facta eſt, per nos in plena congregatione Baronum terræ Bohemiæ et Morauiæ, et Dominorum inclytę ciuitatis Pragenſis, Militum, Clientum, ciuitatum et Communitatum, in Czaslauienſi ciuitate, Anno Domini M.CCCCXXI. ſabbato poſt Marcelli. Quatuor Huſsitarũ articuli pręcipui.

Quid uerò ad iſta reſponderit pius ac religioſus Princeps, Rex & Cæſar Sigiſmundus, nuſquàm ſcriptum reperio. Ne autem lector temerè credat, ſupra dictos articulos uerè et iuſtè fuiſſe ab hæreticis illi obiectos, paucis mihi admonendus eſt, ne cito ulli credat hæretico, quantumuis magno aut potenti. Maximè enim de hæreticis (teſte S. Hieronymo) intelligitur illud Pſalmiſtæ. Quoniam non eſt in ore eorum ueritas: cor eorum uanum eſt, Sepulchrum patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſè agunt. Quid enim ueritatis apud eos eſſe queat, qui Eccleſiam, columnam & baſim ueritatis (ut ait Apoſtolus) derelinquunt atq́ꝫ etiã impugnant? Ecce Huſsitæ, qui antequàm Cæſar Bohemiã intraret, Eccleſiarum & Monaſteriorũ theſauros, & precioſiſsima quæq́ꝫ ſacrilega rapacitate abſtulerant, inuidioſe queruntur, Cæſarẽ eiuſmodi bona abſtuliſſe: Impij pariter & impudentes hypocritę, qui prædicãtes non furandum eſſe, furabãtur, atq́ꝫ in hypocriſi men dacium loquentes, ueritati reſiſtebant, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, Expurgatio & defenſio Cæſ. Sigiſ. Pſal 5. 1.Tim.3. Rom.2. 1.Timo.4. 2. Timo.3.

quibus meritò nulla fides cõtra laudatiſsimum Regem haberi debet. Eum enim contra omnes illorum calumnias tueri poteſt apud graues & eruditos homines, breue illud teſtimonium Egnatij Veneti, dicentis. Huic Principi religionis ac pietatis augendę ſtudium incredibile fuiſſe. Prudens igitur lector, nihil hic credet perfidis hęreticis contra Catholicum Principem: præſertim Conrado Archiepiſcopo, qui recenti defectione perfidus, Sigiſmundum paulo ante manibus proprijs in Regem Bohemiæ coronauerat. Quis autem ferat ęquo animo, pium Regem à Ziska ſacrilegiorum argui, cum nemo fuerit illo rapacior circa Eccleſiarum bona, aut magis immanis & impius? Si tamen reuera Rex aſportauit quædam, utp ote Coronam Regni, Tabulas Regni, pecunias pauperum depoſitas, aut reliquos Eccleſiarum theſauros, id non furandi aut rapiendi propoſito, ſed conſeruandi potius & reſtituendi animo feciſſe credendus eſt. Quid enim tutum uſquam in Regno à rapaciſsimo Ziska eſſe poterat? Niſi enim talia reſtituiſſet, nunquam poſtea fuiſſet à Bohemis tam honorificè in Regem receptus. Fuit eo anno duplex aduerſus Huſsitas expeditio, excitatis per Bullã Apoſtolicam (quam Cruciatam uocant) in militiam quàmplurimis mortalibus. Sanè Cæſar Imperij Principibus præſcripſerat diem cõueniendi, feſtum S. Bartholomei, ut ab occidente Bohemiam cum exercitu intrarent: Ipſe ab Oriente intraturus eſſet, ſub idem tempus, ſed utraq; expeditio infœliciter ceſsit. Germaniæ enim Principes, Bohemiam ingreſsi, cum obſediſsent fruſtra munitiſsimã urbem Sozium uſq; ad feſtum S. Galli, uaſtatis agris, re infecta, domum reuerſi ſunt, eò quod Rex ad eum diem nondum fuerat Regnum ex condicto ingreſſus. Qui poſtea ualido cum exercitu, ex Vngaris Auſtralibuſq;, & Morauis undiq; collecto, in media hyeme, ſub Natalem Domini Bohemiam ingreſsus, Cum oppida quædã ui cepiſſet, & Cuthnam per deditionem recepiſſet, adueniente Ziska mox ad fugam reſpexit. Ne tamen inultus abiret, Cuthnam exuſſit: At perſequente Ziska, multos Nobiles ſimul cum impedimẽtis, unius diei perſequutione amiſit. Aliud quoq; damnũ incurrit circa Iglariam, ubi Magiſter Equitum, Pipo Florentinus, cum per glaciem XV. Milia equitum duceret, rupta tanto pondere glacie, multi ab aquis ſuffocati, perierunt homines & equi. Miræ profectò & fortunæ & induſtriæ, in bellis fuit Ziska, adeo, ut uix ulla Græcorum, Hebræorumue, aut Latinorum hiſtoria talem referat belli ducem, qualis Ziska fuit. Nam uiuo Vuenceslao Rege, alterum oculorum pugnando amiſerat: Alterum uerò, paulo ante hanc uictoriam perdiderat dum oppugnaret Rabi caſtellum, ita ut iam omnino

Laus Sigiſmũdi Imp.

Duplex cõtra Huſsitas Expeditio, ſed utraque infœlix

Egregius bellator Ziska.

omnino cæcus eſſet. Tanta tamen eius fuit induſtria, ut uel cæcus pro optimo bellatore haberetur, plurimis & maximis uictorijs clarus, & inſignis in cæcitate factus. Mira profecto res, ut qui alieno egeret ductu, ipſe cæcus exercitum duceret ad uictorias, fortunatior longe per hoc, fortiſsimo Rege Bohemiæ Ioanne, Rege Decimo, patre Caroli Quarti, & auo Sigiſmundi Imperatori, qui cæcus effectus, & in bellum longinquum contra Anglicos, in auxilium Regis Franciæ, cum lectiſsima equitum manu profectus, fortiter quidem in cruentiſsimo prælio pugnauit, ſed non uictor, ut Ziska, euaſit: uerum uictus ac cæſus inter confertiſsimos hoſtes, fortiſsimè pugnans interijt. De quo ſic habet Fulgoſus, nobilis Hiſtoricus Genuenſis. Luminis (inquit) amiſsi difficultas, Ioannem quoque Decimum Bohemorum Regem non retinuit, quo minus & cæcus & ſenio confectus, Philippo de Valois Gallorum Regi, pro affinitatis iure, aduerſus Britannos opem ferret. Qui inito prælio, in medios hoſtes cum ſe intuliſſet, quanquàm lumine captus atque ſenex, deletis apud Creſsim Gallorum copijs, inter præliantes occubuit.

Ioannes Rex Bohemię cæcus.

Fulgoſus lib. 3. c. de fortitudine.

Anno Domin M. CCCCXXII.

Victorijs itaq; elatior indies factus Ziska, magis ac magis in Eccleſias & Monaſteria, ac in omnem Clerum ſæuiebat: Statuas & imagines ubiq; abiecit, ſacerdotes & monachos, qui alicuius erãt exiſtimationis apud Catholicos, aut cremabat uiuos, aut alijs exquiſitis ſupplicijs interimebat. Viliores uerò, exectis teſticulis dimittebat, ut plebi ludibrio eſſent. Et ſacerdotes ſectæ ſuæ, non permittebat amplius, more priſco Miſſas in habitu ſacerdotali et ueſtibus ſacris celebrare. Erat item in nominibus nouis quidam ſuperbiæ in eo faſtus. Nam urbem ædificans pro refugio ſuorum, eamq; undiq; muniens, nominauit Thabor, à qua dicti ſunt Thaboritæ, Tanquàm diuina reuelatione acceperint ueritates ſuas: Quemadmodum in monte Thabor (ubi Chriſtus cum tribus erat Apoſtolis) diuinitus facta fuit transfiguratio Domini. Alij ſimili ſuperbiæ uanitate, ſe Orebitas dixerunt, à monte Oreb, in quo legem à Deo Moyſes accepit, Tanquàm & ipſi præ alijs gentibus nouas ueritates à Deo acceperint. Tantus igitur erat faſtus uictoris Ducis & exercitus eius, ut cæteris Regni Proceribus uehementer diſpliceret, ac ſimultatis cauſa exiſteret. In ciuitate præterea Pragenſi, tanta erat inſolentia Ioan. Apoſtatę Pręmonſtratenſis, Pręadicatoris nouæ ciuitatis. Qui plebem eloquentia ſua trahebat quo uellet, ut Senatus illam diutius non eſſe ferendam cenſuerit, quia

Impietas Ziskæ.

Noua nomina Thaboritæ & Orebitæ.

Æneas Syluius in hiſtor. c. 40

Exitus Ioãnis qui prędicator erat nouæ ciuitatis Pragen.

 ſeditioſis

ſeditioſis concionibus inquietam ac rerum nouarum cupidam plebem reddebat. Ipſum igitur ac Nouem ſcelerum ſocios in Prætorium uocatos, tanquàm cum eis aliquid de Republica conſultaturi eſſent Conſules, intromiſſos mox gladio percuſſerunt. Verum miniſtri parum cauti, dum atrium aqua proluūt, cruorem interemptorum per aquę ductum, in forum tranſmiſerunt. Quo uiſo, non potuit latere diutius populum res geſta. Orto igitur tumultu, plebs armata repente currit ad Prętorium, eoq́ꝫ expugnato, XI. Senatores primarios (qui necis autores putabātur) occidūt, & inde diſcurrentes in Collegium Caroli, diripiunt illud, & nobilem eius Bibliothecam diſpergunt, ſciſsis & diſiectis libris. Mulieres autē, quæ Ioannem Apoſtatam uelut angelum ac diuinum hominem habebant, caput eius nactæ, pluribus diebus ululantes, illud per urbis Ecleſias circumtulerunt, ac tandem inter ſacras reliquias aromatibus conditum, repoſuerunt: execrantes cædis autores, uelut ſacrilegos, nepharios, ac Deo & hominibus odibiles. Mortuus eo anno fuit in Strakonitz Nobilis Dominus Henricus de noua domo, Prior Generalis fratrum Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani Cruciferorum, duos ſubſtituens Cōmiſſarios, Priorem Pragenſem, & Priorem Strakonicenſem, qui rexerunt uſq; ad Cathedræ S. Petri feſtum, quo ad nouus fuit electus Prior Generalis, Dominus Vuenceslaus de Michelsberg. Cuius anteceſſor, ob id præcipuè hic commemorandus erat, quia caſtrum Strakonitz uiriliter defendit ab obſidione & oppugnatione Ziskæ, qui bis illud expugnare tentauerat.

Seditio plebis Pragæ.

Anno Domini M.CCCCXXIII.

Obijt in caſtro Helfenburgenſi, infœlici morte Conradus Archiepiſcopus Pragenſis, qui in Huſsitarum hæreſim lapſus, perfidię pœnas non diu potuit effugere. Barones autem Regni Huſsitæ, ſæuitiam Ziskę pertęſi, Conſuleſq; Pragenſes, tumultuantis plebis inſolentiam ęgre ferentes: communi conſilio Legatos miſerunt ad Vuitoldum, Lituaniæ Ducem, fratrem Vladislai Poloniæ Regis, dictum alio nomine Alexandrum, cumq; ſibi Regem aſciuerunt, aduerſante Ziska eiuſq; factione, qui liberis hominibus Regem habendum eſſe negabant: cum præſertim, qui gentium ritu uiueret. Lituani enim eo tempore adhuc gentiliter uiuere putabantur, eò quod recens ad fidē Chriſti conuerſi fuerāt. Peccabat ſanè utraq; factio: Pars Ziskæ in hoc, quod nullū uolebat agnoſcere Regem: Pars altera in hoc, quod per hæreſim uſq; adeo in reprobum ſenſum decidit, omnis iuris & honeſtatis oblita, ut Domino ſuo Naturali,

Vuitoldus Lituanię Dux.

turali,& hæreditario Rege Sigiſmundo perfide reiecto,alium ſibi Regem de longinquo quæſierit, ſupplex alienigenæ facta,ut Catholicum Regem ſuum,ſuperba rebellione abijceret. Adeo cæca et excæcans res eſt hæreſis,ut nihil penſi habeat iura,fidem,leges,conſuetudines, morem patrium, publicam honeſtatē,religionem &c. Tam uile autem per hæreſes & ſeditiones factum erat Nobile Regnum Bohemiæ:ut Vuitoldus Lituaniæ Dux, in Regem ultro aſcitus, nō ſit dignatus per ſeſe in Regnum illud uenire. Sed miſit patruelem ſuum, SigiſmundumCoributum, cum duobus Milibus equitum in Bohemiam. Qui ſanè magnis Pragæ honoribus exceptus,ciuitatem breui ad meliorem formam redegit: Nam per hęreſim omnes ordines & ſtatus confuſi erant. Ille igitur,reſtituta in urbe tranquillitate inter ciues, exercitum eduxit ad obſidendum præcipuum Regni caſtrum, quod Caroli lapidem uocant. In quo Sigiſmundus Cæſar Quatuor militū Centurias (quibus præfectus erat,egregius uir Ioannes Polentz ex Luſatia)præſidio reliquerat. Duriſsima ſanè fuit illa obſidio. Nam obſidentes in tribus locis poſuerunt caſtra,die noctuqꝫ ab oppugnando non ceſſantes,ac ſaxa grandia per Quinqꝫ Baliſtas intra mœnia eiaculantes. Et quod omnium deterrimum ac grauiſsimum obſeſsis erat, ſupra duo Milia uaſa cadaueribus & humano excremento repleta, iactauerunt in arcē: Quæ tantum fœtorem obſeſsis ingerebant, ut eorum dentes deciderent aut nutarent. Fortiſsime tamē omnia tolerauerunt ſex menſibus, protracta uſqꝫ in hyemem obſidione,atqꝫ ad continendos in ore dentes,clam è Praga medicamentum acceperunt.

Sigi. Coributus.

Obſidio arcis karlſtein

Interea Fridericus Marchio Brandeburgēſis, Bohemiam cum exercitu ingreſſus,ac prædas depopulationeſqꝫ longe lateqꝫ agens, Pragenſes ab obſidione depulit. Addit Albertus krantz, Tres in ſubſidiū ueniſſe exercitus , ſub tribus Principibus, Friderico Brandenburgenſi , Friderico Miſnenſi, & Ludouico Bauaro:Qui cæſis aliquot Milibus, reliquos in fugam compulerint ab arce depulſos. Vuitoldus uerò,rogatu Regis Poloniæ, qui cū Sigiſmundo Cæſare in finibus Vngariæ conuenerat, Coributum e Bohemia reuocauit,ut Huſsitæ, turpiter confuſi, neqꝫ propriū neqꝫ alienum haberent Regem . Quia proprium iniquè & ſeditioſe reijcientes, alieno indigni erant. Vt autem Vuitoldus eos dereſeret,acriter inſtetit Martinus Papa. Quemadmodum ex eius ad illum epiſtola, lucidè cognoſcitur : Quam ſanè huic narrationi interſerere, operæ precium fuerit, ut lector certiorem hiſtoriæ notitiam inde conſequatur, Sic ergò habet.

Epiſtola Martini PP.V. ad Vuitoldũ.

Martinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Nobili uiro, Alexandro, Lituaniæ Duci, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

forte + fouere

Iam pridem fama uulgauerat, te Bohemos hæreticos ſpe + fauoris, apertis auxilijs eos iuuaturum. Quód ſcelus de te uiro prudentiſsimo, & probato iam Principe Catholico, difficile creditu uidebatur. Sed tamen ſcripſimus Nobilitati tuæ, paterna charitate monentes, ut ab omni ſocietate, coniunctione & fœdere hæreticorum abſtineres, & eoſdem excluderes & priuares fiducia ſubuentionis tuæ. Nunc uerò per tuas literas & nuncium, diſpoſitionem tuam non dubiam nec obſcuram, de inuadendo regno, & ſuſcipiendo prædictos in protectionem tuam, habemus: Intelligentes ſententiam animi tui, magno dolore commoti ſumus. Videmus enim & manifeſtè comprehendimus, te, ſi hoc feceris, ultra pericula fidei, (quod eſt ante omnia declinandum) magnam & horribilem nouitatem, Chriſtianitati nociuam moliri. Ex qua multo maior ſanguinis Chriſtiani effuſio, & grauiora ſcandala, & crudeliora uulnera ſubſequerētur, quàm ea ſunt, quibus aſſeris hac uia uelle mederi. Nam nemini dubium eſt, quin Bohemi hæretici, ſi fuerint à ſpe tui præſidij deſtituti, ad obedientiam Eccleſiæ & rectè uiuendi normam, & ad cultum Dei facile reduci poſſent: uel ſola neceſsitate compulſi, fieretq́ breui tempore conſueta tranquillitas, & deuota religio in Regno Bohemiæ, hac funeſta labe purgata. Qui ſi ſe uiderint in protectionem tuam receptos, foueri atq; defendi, reddentur acriores, & contra Eccleſiæ Dei inſtituta magis rebelles, & pertinaciores in hæreſi. Nec nos multũ mouet, quod aſſeris, te uelle eos hac conditione recipere, ut errore depoſito, ad debitã Romanæ Eccleſiæ obedientiam reuertantur. Omnia enim faciunt & pollicentur tibi, ut te ſuis laboribus & erroribus immiſceant, et incendium + magis excitetur. Per hanc uiam ſimulata corũ reductio, non poſſet non eſſe ſuſpecta, per quam uiam quærunt periculoſam diſcordiam inter Principes Chriſtianos ſeminare. Vt potētiſsimis Dominis inter ſeſe decertantibus, Romano Imperio perturbato, & tota Chriſtianitate confuſa, poſſent ipſi peccare licentius. Nec exiſtimare debes, aliter euenire poſſe, ſi Bohemiæ Regnum occupabis. Quod nullo modo per Electores Rom. Imperij & Principes Almaniæ tolerabitur, etiam tacente Chariſsimo in Chriſto filio Sigiſmũdo, Romanorum Rege illuſtri. Nec huius Regni exiſtimatio tanta eſt, nec eſſe debet apud conſyderatam prouidentiam, ut pro eo iuuare uelis hæreticos, aliena per iniuriam occupare, & magnam

Falſæ pollicitationes hæreticorũ.

+ maius

Alienum Regnum occupare illicitum.

magnam Chriſtianitatis partem, nouo bello confundere & permiſcere, cum diminutione tui honoris & famæ, & certa animæ tuæ iactura: Quæ etiamſi omnia ad uotum ſuccederent, diligentius cauenda eſſent. Quid enim proderit, etſi totum Mundum lucreris, animæ uerò tuæ detrimentum patiaris? Quod uerò te aſſeris, non †auxiliandum dominij cupiditate, ſed ſola hæreticorum reducendorum cauſa, ipſos ſub tuam defenſionē recipere: nullo modo probari poteſt. Nam cum per Dei miſericordiā Chriſtianus Princeps exiſtas, in cauſa fidei debes cum diſpoſitione noſtra & Eccleſiæ, & noſtro & Apoſtolicę ſedis Legato tranſmiſſo, & reliquis Chriſtianis Principibus conſentire, tecꝗ cum his iungere contra hæreticos. Non pro ipſis te defenſorem exhibendo, ſpecialem uiam quærere eorum conuerſionis, quæ hoc modo quæſita, ſyncera credi nō poteſt. Sed qualēcunqꝫ ipſi animum habeant, ſynceritati tuæ (quæ inter Chriſtianos huc uſqꝫ probata eſt) non conuenit, à cōmuni conſilio deuiare, et eos uiâ ſpeciali conuentio ne ſuſcipere. Quod ne facias, tibi paterna dilectione conſulimus, te monemus, hortamur, tibiqꝫ etiam pręcipimus in uirtute nominis Ieſu Chriſti, quod eſt nomen ſuper omne nomen. Et ſi feceris, ſcito, te Deo omnipotenti, nobis & Eccleſiæ (quam Deus non deſeret) & Chriſtiano nomini iniuriam facere. Quam nec Deus ipſe feret, ſed uertet in periculum capitis tui, & certè in animę tuę damnationem. Nos uerò (qui Vicarius eius ſumus in terris conſtitutus, in apice Apoſtolatus, ad conſeruationē ueritatis & fidei Chriſtianæ) dolenter, & tanquàm contra uitam noſtram, ſed neceſſario, contra te & quoſcunqꝫ defenſores hæreticorum, autore Domino procedemus, quia ſic tenemur ex iniuncto nobis officio. Sed cum multa in diebus tuis opera digna feceris, pro amplificatione fidei ſanctæ, cogitare te non poſſumus, poſtremo tot rectè facta uelle ambitione corrumpere, & tantis cladibus hominum cauſam dare. Quare, fili dilecte, ab hac uia, ab hoc modo, ab hac opinione te retrahas, nec ſubſidia mittas hæreticis: Nec eorum uenenoſis pollicitationibus capiaris, quæ tibi certe ſunt ad inſtigationem Sathanæ, ad inquinandam famam & fidelitatem tuam, inuoluendo te nouis bellis & periculis, & effundendo ſanguinem Chriſtianum. Sed ſi ſalutem & reductionē Bohemorū deſideras, ſicut debes, eos nullis tuis uiribus protectos horteris, ut ad præfatum Apoſtolicæ ſedis Legatum, ad hoc ſpecialiter deſtinatum à nobis, habentem plenam & liberam poteſtatem, ſuper omnibus in iſta cauſa † fieri diſponendi, mittant, & ſe humiliter ſubmittāt correctioni & diſpoſitioni ſuæ. A quo poterūt etiam ad nos cum ſecuritate tranſmitti. Sed tu ante omnia caue diligēter,

Excuſatio calua.

† auxiliaturū

Prohibet Papa hęreticis opem ferre.

Bona fama Vuitoldi.

Legatus Card.

lego † fidei

ne ipſos ulla conditione tuearis, quia certi ſumus, quod à te deſtitu-ti, ſtatim humilius ſe inclinabunt. Recreati autem per te, fient conti-nuo deteriores. Quod ſi tu aliquo modo inductus, defenſionem eorum ſuſcipere promiſiſti: ſcito, te dare fidem hæreticis, uiolatoribus fidei ſanctę, nõ potuiſſe, & peccare mortaliter, ſi ſeruabis: quia fideli ad infidelẽ non poteſt eſſe ulla communio. Cæterum poſtremæ literarum tuarum particulæ, per quam requiris, ut proceſſus contra hæreticos ędítos tollamus, uel ſuſpendamus ad tempus. Reſpondemus, hoc nullo modo fieri poſſe, de manifeſtis hæreticis in ſacro Conſtantienſi Concilio cõdemnatis, præſertim cum ſentiamus, communi conſenſu Principum Almaniæ, exercitum præparari ad confuſionem eorum. Sed ut ſupra dixi, humiliter & ſyncere offerant ſe Legato, qui cauſa & uolũtate ſua cognitis, diligentius de proquinquo diligenter ſaluti ſuæ conſulet. Sed nobilitatẽ tuam iterum atq; iterũ admonemus, teq; obſecramus per miſericordiam Ieſu Chriſti, ut tantam ſtragem & calamitatẽ per te induci non uelis, quantam neceſſario ſecuturam uidemus in Chriſtianis, ſi Bohemos hæreticos ſuſcipias defendendos. Datum Romæ apud S. Petrum. XII Calendas Iunij, Anno Pontificatus noſtri Quinto.

Non eſſe ſeruandam hæreticis fidem.

Anno Domini M.CCCCXXIIII.

Caſtellum Purgellinum, in quo paruum erat Sigiſmundi Cæſaris præſidium, multi uerò ibi erant Orthodoxæ fidei cultores uiri ac mulieres, qui è Praga illo cõmigrauerant: per incuriam arſit ac conflagrauit. Qui incendio ſuperfuere, Pilzinam ſe contulerunt. Quæ ſanè urbs conſtantiſsimè in fide Catholica permanſit deinde, licet plurimas ab Huſsitis moleſtias atq; calamitates pertulerit.

Huſsitę, qui iam in Bohemia ubiq; præualebãt, ab hoſtibus externis ultionem ſumere parantes, primum in Miſniam eduxerunt copias: Memores (ut ait Albertus krantz) quàm frequenter à Friderico Miſnæ Marchione ſint profligati. Quatuor ergo Lanceatum Milia eduxiſſe tum ferebantur, Hoc eſt, XX. aut XVI. Milia equitum. Nam Lancea una, Quatuor aut Quinq; Equites complectitur. Ea itaq; manus obſedit Duxam oppidum. Id ueritus Fridericus Marchio, urbem, ut poterat, communiuit, ualido impoſito præſidio, quantum defenſioni ſatis eſſe putaret. Armauit & foris Sex Milia ſuorum, quę ex oportunis locis obſidentes incurrerent: Vrbs acriter impugnata, aliquandiu fortiter eſt defenſa. Vbi autem urbis præfectus cum præſidio eſt noctu egreſſus, ut hoſtes inuaderet, quidam ex ciuibus, hæreticis fauens, clam muro delapſus, hoſtes admonet, fortiter oppugnent, abeſſe præſidium. Illi ergò acrius

In Vuãdalia libro 11. c. 6.

Duxa, non longè à Ponte oppido (quod Bohemi Moſt uocant) diſtat. Vtrũq; hodie ad Coronam Bohemiæ pertinet.

acrius inſtantes, ac ſine intermiſsione oppugnantes, miſeros ciues ita fatigarunt, ut amplius propugnare non poſſent. Hoſtes itaq; muro inde & urbe potiti, ſçuierũt ſine exemplo, in omnem ætatem, in utrumq; ſexum, in omnem ordinẽ. Multi ex ciuibus Eccleſiam in caſtelli modum communire tentabãt, ut inde ſe ſuoſq; defenderent. Hæretici autem ſuperuenientes, iniecto igne, omnem illam multitudinẽ incendio conſumpſere. Atq; ita miſerabili ſtrage peracta, facta eſt ea urbs ſuorum ciuium commune ſepulchrum: Ita ab alto diſsimulante Domino, ut per occultam iuſtitiam, aut purget ſcoriam peccati, aut excipiat abundantius in cœtum ſanctorũ martyrum uaſa gloriæ. Straga hac peracta, hoſtes præda onuſti, domum reuertebantur. Miſnenſes uerò armati, oportunis locis, uelut ex inſidijs irrumpentes, circiter Tria Milia ex ijs occiderũt. Multo tamen minus damni rependerunt, quam acceperãt. Fœlicius autem contra Huſsitas pugnauerant antea, circa urbem Bohemiæ, quæ Pons dicitur. Nam magna ibi in prælio ſtrage ædita, Huſsitas in fugam compulerunt: fugientes autẽ in urbem ſe receperunt, Miſnenſes eos inſequentes, urbem obſederunt, & adhibitis impedimentis bellicis oppugnarunt. Vbi muri iam penè ceſsiſſe Bombardis uidebantur, hæretici captiuos, quos ex Catholicis tenebant, grandibus affixere clipeis extra muros, ut non niſi per eorum corpora muri confringerentur. Calamitoſi, ut poterant, acclamauere, non ſibi parcendum dicentes, ut uindictam ſumant de hoſtibus Chriſtianorum. Sed prouenit, largiente Domino, & fortiſsimis uiris inſtantibus, ut oppidum, illis non læſis, caperetur. Qui arma contra tulere, cæſi ſunt omnes ad unum. Hæc Albertus Krantz.

Sæuitia Bohemorũ in captam urbem.

Fœlix Miſnenſiũ pugna ad Põtẽ oppidũ.

Anno Domini M. CCCCXXV.

Ericus Rex Daniæ, & infans Petrus Regis Portugalliæ familiaris, ambo rei militaris peritiſsimi, ad Imperatorẽ accedẽtes, exercitum eius & copijs & auxilijs auxerunt. Quamobrem caſtra poſuit Imperator ad Intembergam, Morauiæ oppidum, Huſsitarum ueneno infectum, & eam urbem tribus menſibus obſedit. Ziska, ut obſeſsis ſubueniret, Procopium cum non parua militum manu, illuc miſit. Qui inuitis obſidentibus commeatum ad obſeſſos importauit, irritamq; per hoc Cæſari obſidionẽ fecit. Hic eſt ille Procopius, qui poſt mortem Ziskæ præcipuus fuit Huſsitarum Capitaneus, dictus Procopius Raſus, quia erat presbyter ordinatus: & Procopius Magnus, propter magnitudinem rerum geſtarum, Cum alius ex Capitaneis diceretur Procopius paruus. Ille uerò, fuit ſororis filius cuiuſdam Equitis Pragenſis (uti refert Æneas) qui dicebatur

Procopius Raſus, qui & magnus.

cebatur cognomento Aqua. Is opulentus & inter ſuos autoritate clarus, cum careret liberis, Procopium illum adoptauit, eumq́ grandiuſculum ad Galliam, Hiſpaniam, Italiam, deniq́ Hieroſolymam ſecum adduxit, & reuerſus in presbyterum ordinari curauit. Qui ſurgente Huſsitarum nouitate, Ziskæ adhæſit. Et cũ eſſet robuſtus, ac manu promptus, nulliusq́ fugax laboris, magno aqud eum loco habitus, primos duxit ordines, malus malo aptiſsimus.

Anno Domini M.CCCCXXVI.

Clades Miſnenſiũ prope Auſcham. Dederat Imperator bene merentibus Miſnę Marchionibus, Auſcham oppidum ſuper Albim fluuium, quod non longè diſtat à finibus ditionis eorũdem, ut illud (quemadmodum & oppidũ Pontem) pręſidio aduerſus hęreticos tuerentur. Cum ergo Ziska ſimul cum Pragenſibus oppidum illud obſideret, Fridericus Marchio Miſnenſis, Lantgrauius Turingiæ, is qui primus fuit in ea familia Dux & Elector Saxoniæ, collecto ex Saxonia, Turingia, Miſnia et utraq́ Luſatia milite, obſeſsis auxiliũ ferre ſtatuit. Commiſſum eſt ante urbem prælium, incerta diu uictoria pependit, cum fortiſsimi utrinq́ caderent. Ad extremũ fortuna cęca cæcũ ducẽ ſequuta, hæreticis uictoriam dedit. Magni ac multi Nobiles eo in prælio ceciderunt, Burggrauij Miſnẽſes, Comites Kirchbergenſes et Gleichenſes, & Nobiles quam plurimi. Strages Nobilium. Ferunt quippe, ex una familia Nobilium de Gokeritz cecidiſſe ſupra LXV. uiros. Quorum unus uxori ſuæ puerperæ apparens, & lecto aſsidens, eam rogaſſe fertur, ut Agricolis ſibi ſubditis non eſſet tot angarijs aut ſeruitutibus (ut ipſe fuerat) moleſta, modiumq́ daret iuſtiorem. Ob eas enim res iniquas, ipſe damnatus fuiſſet Dei iudicio, niſi pugnaſſet contra hæreticos. Tanta autem fuit hæreticorum feritas, ut ne illis quidem parcerent, qui proiectis armis, ac flexis genibus, uitam ſupplices petebant. Nouem Milia Catholicorum in ea pugna occubuerunt. Auſcha capta ac funditus per incendium deleta fuit. Ziska elatus ea uictoria, inſolẽtius (ut inquit Æneas) indies agere, Eccleſias paſsim delere ſi quę reſtabant, ſacerdotes qui more maiorum ſacra peragerẽt, crudeliter perſequi, Nobilibus infenſus eſſe. Ciuitatibus grauia imperare tributa. Diſsidium & bellum inter Prag. & Ziskam. Pragenſium, qui impium eius detractabant, uicos & uillas incendere. Ob quas res, Pragenſes Baronum auxilio freti, aduerſus eum copias eduxerunt. Ille, cum ſe armis imparem animaduerteret, ad Albim uſq́ profugit, eratq́ pene compræhenſus, niſi pater Georgij (qui poſtea Rex fuit) per Podiebratium oppidum, tranſitũ ei præbuiſſet. alias Poggebratium. Nec ſic ſatis in tuto fuit. Nam et hoſtibus pontes alio loco fuerũt, per quos Albim tranſmiſerunt,

& fugientis ultimum agmen inſectati, complures Thaboritas occiderunt. Vbi autem ad montes peruentum eſt, Ziska uallem ingreſſus, cum loci anguſtias eas eſſe noſſet, in quibus explicare hoſtes acies ſuas minimè poſſent, ſtare ſignifcrum iuſsit. Exin commilitones pro tempore hortatus, Pragenſibus pugnę copiam fecit. Certamē atrox commiſſum, uictor Ziska, Tria Milia Pragenſium cęcidit, reliquos in fugā uertit. Nec moratus, Cuthnam à Pragenſibus inſtauratam, iterum ui cepit atq; incendit, & Pragenſes, qui in ea erant, eodem igne conſumpſit. Mox ſucceſſu rerū tumens infeſtis ſignis Pragam petijt, & ad ſagittæ iactum caſtrametatus, obſidere urbē cœpit. Quamuis uerò multi eſſent, tum in urbe, tum in caſtris, qui hanc diuiſionē, & hoc inter fratres eiuſdem ſectæ bellum, deteſtabantur, & utranq; partē incuſabant, adeo ut etiā milite murmurante tumultuaretur in caſtris. Mox tamen omnes, habita à Ziska oratione placati, ac mutati militum animi, bellum decreuere. Multitudo arma capere, feſtinare, muros adire, prouocare hoſtem, pro portis urbis pugnam ciere, egredičtes ciues in urbem repellere. Ziska ad oppugnationē urbis cuncta parare. Sed Magiſter Ioannes Rokyzana, qui iam aliquid autoritatis pręlicando quæſierat, cōſentientibus ciuibus, urbē egreſſus, & in caſtra profectus, ciuitati Ziskā reconciliauit. Quoniā uerò hoc de Rokyzana deinceps multa referenda ſunt, operę precium fuerit, originem eius ex Æneа Syluio cōmemorare. Oppidum eſt (inquit) Pragenſis Eccleſiæ, non longe à Pilzina, cui Rochezana eſt nomen, Ex hoc loco puer obſcuris parentibus cenſuq; tenuiſsimo natus, Ioannes nomine, Pragam uenit, mendicatuq; uictum quærens, Grāmaticam & Dialecticā didicit. Cum adoleuiſſet, nobilis cuiuſdam pueri pædagogus factus eſt. Et cum ualeret ingenio, linguaq; promptus eſſet, in collegio pauperum receptus, auditor Iacobelli fuit. Poſtremò presbyter ordinatus, prædicare uerbum Dei Pragenſibus cœpit, ex oppido, unde ortum habuit, Rochezanæ cognomen ducens. Etiam nomine & autoritate ualebat, cum Ziska Pragā obſideret &c. Hic eſt ille Rokyzana, qui poſtea Baſileæ diſputauit in Concilio, qui de Archiepiſcopatu Pragenſi contendit, qui de morte Regis Ladislai ſuſpectus peſsime audiuit, qui deniq; pręcipuus et intimus fuit Georgij Regis Conſiliarius, eiuſq; animum, quo uolebat, inclinare ſategit: Pragæ ſepultus cum inſignijs inſulæ & Baculi, uelut Epiſcopus in Eccleſia B. Mariæ ante lætam Curiam, ubi prædicauerat. Ziska re cum Pragenſibus compoſita, exercitum in Auſtriam eduxit, ubi ferro & igne late graſſatus eſt: fugientibus autem in inſulā Danubij agreſtibus, qui armenta & pecora

Cuthna, propter argentifodinas, Antichriſti crumena dicebatur.

Praga à Ziska obſeſſa.

Rokyzana hęreſiarcha ab oppido ſic dictus eſt.

Aſtutia Ziskæ circa prædam

quæq;

quęcꝗ nauibus in eam tranſportauerant, Ziska uitulos ſuesꝗ nonnullos, per negligentiam in uillis dimiſſos, ad ripam fluminis tam diu diuerberauit, donec pecus inſulam depaſcens, mugitum grunnitumꝗ audiens, deſiderio ſimilis animantis, fluuium tranſnatauit, atꝗ hac ille arte magnam prædam abegit.

Anno Domini M.CCCCXXVII.

Occulta Cæſaris cũ Ziska pacta.

Sigiſmundus Cæſar, uidens Ziskæ cuncta ex animi ſententia proſpere ſuccedere, & iam illum eſſe unum, ex quo res Bohemiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentauit, promittens ei gubernationem totius Regni, Militiæ quoꝗ ducatũ, & ingens auri pondus quotannis, ſi ipſum pro Rege agnoſceret, & in uerba ſua ciuitates iurare cogeret. Ziska cõditionibus annuens, dum iter ad Regem iniret, inter eundum apud Caſtellum Priſcouiam, peſte tactus expirauit: Monſtrum (ut inquit Æneas) deteſtabile, crudele, horrendum, importunũ, quod, poſtquam manus humana conficere non ualuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illũ, cum ægrotaret, interrogatum, quonam loco mortuus ſepeliri uellet, iuſsiſſe, cadaueri ſuo pellẽ adimi, carnes uolucribus ac feris obiectari, ex pelle Tympanum fieri, eoꝗ duce bella geri, arrepturos fugam hoſtes, quam primũ eius Tympani ſonitũ audirẽt. Hic ſubdit Albertus krantz, feciſſe amicos quod ille iuſſerat, ac reperiſſe quod ille promiſerat. Ita permittente Deo, regnare diabolum in membris ſuis. Thaborenſes, qui reliquas picturas abominãtur, Ziskę tantummodo & angeli cuiuſpiam calicem manu tenentis, effigiem, ſupra portam urbis pinxere, ei quotannis ſacra peragentes. Eo autẽ mortuo, exercitus eius in duas partes diuiſus eſt. Pars una, in locum eius pro Duce recepit Procopium Raſum, uetus nomen Thaboritarũ retinens. Pars altera, neminem fore dignum putabat, qui Ziskę in ducatu ſuccederet. Selectis itaꝗ paucis, qui cõmuni conſilio bellum adminiſtrarent (inter quos potior habitus eſt Procopius minor) ſeſe orphanos appellauere, ob mortem ſui Ducis. Quamuis autem duo iſti exercitus aliquando inter ſe diſſentirent, tamen ubi extrinſecus uis ingruit, iunctis uiribus in unis caſtris ſeſe defenderunt.

Teſtamentum Ziskæ morituri.

Vandaliæ li. 11. c. 9.

Diuiſus Ziskæ exercitus in duas ſectas.

Laus Ziskæ à uictorijs.

Si quis ergò res geſtas huius Ziskæ conſyderet, laudatiſsimis ſanè bellorum ducibus, eum non ſolum æquiparare, ſed etiam anteferre plurimis poſſet. Quis enim aliorum toties pugnauit & uicit omnino cæcus? Vnde admirans geſta eius Baptiſta Fulgoſus, ait. Qui amiſſi in eo prorſus luminis incõmoda, atꝗ alia ex parte rerũ quas cęcus geſſit, magnitudinem penſitare uoluerit: Tantum Hannibali Sertorioꝗ, altero tantum oculo captis, eum prępoſiturus eſt, quantum

Bap. Fulgoſus lib. 3. de fortitudine.

quantum ipſi propter lumen ei,qui prorſus cæcus erat, præponendi uiderentur. Hac enim gloria (quæ ingens ac rara eſt) deceſsit, quod dum uixit,maximis prælijs uictor, nunquam ab hoſte ſuperatus fuit. Qui non minus cum natura certaſſe putari debet, quam ſenior Marius aut Sceua. Nam quanquàm grandes natu multiſq; uulneribus debilitati eſſent, hominis tamen ſpeciem ſeruabant. A quibus tantum Ioãnes Ziska ob cæcitatem abfuit, quantum à uiuente mortuus. Neq; enim inter uidentes cæcus alius quam mortuus appellari poteſt. Hęc Fulgoſus. Fuit igitur rei militaris peritiſsimus dux copiarum Bohemus iſte,cum luſcus,tum cæcus. Dum luſcus eſſet, mortuo Rege Vuenceslao, mox XL. Milia hæreticorum in unum congregauit, ac protinus arces & urbes quaſdam cepit,ſuoſq; rei militaris rudes adhuc conuenas,egregia ſtrata gemata docuit,ac nouam urbem Thabor dictam, in munitiſsimo loco extruxit. Ipſe circa Pelzinã à fidelibus inuaſus,per mulierum pepla in terram proiecta,quibus hoſtes ab equis deſilientes(propter loci aſperitatẽ,ubi pugnandũ erat)implicati cedebantur antequam pugnarẽt,uictor euaſit. Ipſe Nicolao Sigiſmũdi Cæſaris Monetario, Vogize in uico,Mille equos, ex improuiſo in nocte Paraſceues ſuperueniens,ademit,arma ſurripuit,uicũ incendit. Inde milites ſuos equos aſcendere, ſaltare, currere, flectere in gyrum docuit, neque poſthac abſq; alis Equitũ copias duxit. Cum antea nulli apud Thaboritas militaſſent Equites,utpote homines infimæ plebis,qui non tam nouã fidem ſequuti, quam iudicia & carceres fugiſſe uidebantur. Ipſe milites ſuos egregiam pugnandi artem docuit, per quam ſanè complurimas, & uiuo & mortuo eo, uictorias conſecuti fuerunt. Quippe docuit eos, currus quam plurimos habere,his pro uallo uti, procedentes ad pugnam, duo ex his cornua facere,in medio peditatum claudere, alas Equitum extra munitiones prope adeſſe. Vbi congredi tempus uiſum, aurigas, qui cornua ducerent ad Imperatoris ſignum, compræhenſa ſenſim qua uoluerint hoſtium parte,ordines quadrigarum contrahere,ut intercepti hoſtes,quibus ſui ſubuenire nõ poſsint,partim gladijs à peditatu,partim miſsilibus ab his,qui ſunt in carris,uiris ac mulieribus necarentur. Equitatũ uerò extra munimenta depugnare,Quẽ ſi forte quis oppreſsiſſet fugientem, mox aperti currus exciperent, indeq; uelut ex ciuitate mœnibus cincta defenderetur. Hac itaq; pugnandi peritia, multas ſuis peperit uictorias & luſcus & cæcus, atq; etiam mortuus. Quæ ſanè ars longe efficacior ad uincendum mihi uidetur fuiſſe,quam ſuperſtitioſum illud ex mortua eius pelle Tympanum,cuius ſonitu in fugam uerterentur hoſtes. Hanc autem ui-

Ziska rei militaris peritiſsimus.

Singularis pugnandi ars.

Æneas Syluius c.47.

Vitia Ziſkæ.

ctoriarum gloriam, ita obſcurarũt ac defœdarunt immania huius
uiri ſcelera, ut inter laudatos uiros minimè numerari debeat. Nam
nullum bellum iuſte geſsit, ſed ſeditiones potius & lotrocinia, ac
impia ſacrilegia exercuit: ſeditioſus & rebellis contra Legitimum
Regem & naturalem Dominũ ſuum, prædo in Nobiles & Baro-
nes, latro in ciues, ſacrilegus in templa & Monaſteria, funeſtus &
impius in ſacerdotes & Monachos, truculentus in omnem ple-
bem fidelium, uaſtator patriæ, proditor Nobilitatis, Regni deſtru-
ctor, uirtutum hoſtis, pietatis inimicus, ſcelerum propugnator, Ec-
cleſię perſecutor, cũctis Neronibus, Diocletianis & Maximinis cru
delior, & humani ſanguinis effuſor ac deuorator, omni Cyclope
ac Leſtrygone ferior ac truculentior. De quo poſsit meritò intel-
ligi illud Virgilij.

Vergil. lib. 3. Æneid.

Dij talem terris auertite peſtem.

Stultitia Thaboritarum in colendo Ziſkam.

Is ergò cum talis reuera fuerit, à cæco tamen & ſtulto hæ retico-
rum Thaboritarum populo, uelut angelus Dei & homo diuinus
colebatur: Cum interim ab illis ipſis Beata Maria ſancta, Dei ge-
nitrix, Petrus & Paulus Apoſtoli, ac omnes ſancti Dei, nulla ue-
neratione digni haberentur. Ziska uerò, qui diabolus incarnatus
potius, quam angelus Dei erat, ſolus imagine & Diuorum cultu
illis dignus eſt uiſus: ſcilicet, ut ſimiles labra lactucas haberent (ut
eſt in prouerbio) Cęcus cæcis, impius impijs, ferus feris, ſacrilegus
& ſanguinarius canis, ſacrilego & ſanguinario populo præ omni-
bus placuerit, et honore dignus fuerit: ut infœliciſsimorũ hominum
Ioannis Hus & Hieronymi Pragenſis aliorumq́ꝫ ſociorum iniqui-
tatis: quorum Magiſterio tanta ſcelera ſunt perpetrata: inde ma-
gis ac magis perpetua augeretur pœna apud Inferos.

Vnum Ziſkæ bellum laudabile cõtra Adamitas.

Vnum ta-
men reperio bellum Ziſkæ, quod à reliquis ſceleſtis eius bellis, ex-
cipi iure debet, illud inquam bellum, quo debellauit nouam & im-
puram ſectam Adamitarum, Quam Pichardus quidam, ex Gallia
Belgica tranſmiſſo Rheno, per longam diſtantiam in Bohemiam

Perſuaſio nuditatis.

(quæ omni tunc nouarum doctrinarum uento agitabatur) inuexe-
rat, non ſine maxima incl yti Regni infamia. Etenim Pichardus iſte
ex ueteri Nicolaitarum inſtituto, docuit & induxit promiſcuum fœ
minarum uſum, & corporum nuditatem, etiam naturali ſublato
pudore. Quem ea ſanè perſuaſione ſuſtulit, quod nuditatem illam
diceret eſſe ſignum innocentię. Quoniam Adam & Eua in ſtatu in-
nocentiæ nudi fuerunt, ea autem per præcepti præuaricationem
amiſſa, primos illos parentes noſtros conſuiſſe perizomata, quibus
tegerent pudenda. Vt igitur homines ſectæ ſuæ uiderentur eſſe in
ſtatu innocentiæ, iuſsit nuda exhibere pudenda, & negabat liberos

eſſe

eſſe eos, qui ueſtibus, præſertim fœmoralibus, uterentur. Vſus itaq; quibuſdam præſtigijs, uocauit ſe Adam & filium Dei, atq; ut ſua apud deceptam plebē autoritas creſceret, nephas eſſe dixit, cognoſcere mulierem, abſq; iuſſu & benedictione Principis populi, qualem ſeipſum conſtituit: Quo fiebat, ut quando quiſpiam libidine in mulierem aliquam exardeſceret, manu eam apprehenderet, et adiens principem diceret. In hāc ſpiritus meus concaluit. Tum ille reſpondebat. Ite, creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ex ea igitur benedictione, dicebat generari liberos homines, cæteros aūt omnes naſci ſeruos & filij diaboli. Nactus ergò promiſcuæ plebis multitudinē copioſam, occupauit quandam Inſulam, Luſmicio amne cinctā, Ex ea miſit graſſatores in uicina loca. Cum ergò XL. uiri, ex ea irruiſſent in uicinas uillas, et euaginatis gladijs ſupra CC. homines agreſtes interfeciſſent: Ziska ea ſæuitie cōmotus, eduxit in eos exercitum, & expugnata Inſula, Adamitas gladio deleuit. Hoc unū eius bellū uirtutis ſpeciē habuit. Cętera fuere aut ſeditioſa contra Regem, aut ciuilia contra ſocios, aut impia & crudelia contra Catholicos, pro impia Vuiclephi ter'q; quater'q; damnati hæretici, ſecta & doctrina defendenda. Fuit ergò Ziska id Catholicis, quod Rex Aſſyriorum erat Iudæis. De quo ait Dominus per Eſaiam prophetam. Vę Aſſur, uirga furoris mei et baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea. Et per alium prophetam. Quomodo confracta eſt uirga fortis, baculus glorioſus. Vbi enim nūc eſt fortitudo eius? ubi uictoriarum gloria? Omnis caro (inquit propheta) fenum, & gloria eius quaſi flos agri. Fenum (inquit Dominus) quod hodie eſt in agro, & cras in Clibanum mittitur. Breuis ergò fuit Ziskæ rebus in peſsimis exultatio, ſeptē aut octo annorū, Peſte aūt correptus à Domino, in puncto ad inferna deſcēdit, miſſus in Clibanum ignis æterni, ubi uermis eius non morietur, & ignis eius nunquam extinguetur. Quia Giganteo furore, contra Deum et electos Dei bella geſsit.

Creſcite & multiplicamini.

Inſula Adamitarum.

Eſa.10.

Hiere.48.

Eſa.40.

Luc.12.

Iob.21.

Eſa.ult.

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM
LIBER SEXTVS.

Anno Domini M. CCCC XXVIII.

Dux Thaboritarum.

ZIſka peſte conſumpto, Campiductor Thaboritarũ factus eſt Procopius magnus, qui et Raſus, preſbyter quidem ordine: factis uero & uita à ſacerdotalibus munijs lõge alieniſsimus. Quemadmodum

Dux Orebitarum.

& Orebitarum dux, Bedricus, presbyter Stanicenſis erat, natione Morauus, qui bellis aſsiduis Sleſiã affligebat, & calcato Pontificio iure, uxorem publicè duxit, & illa mortua, alteram ex Polonia ſuperduxit (ut ait Æneas) ex qua filios ſuæ nequitię ſectatores ſuſcepit. Procopius autem minor,

Dux Orphanorũ.

Sanguinarij ſacerdotes Thaboritarum.

qui præcipuus erat Orphanorum dux, an presbyter fuerit, aut uxorem habuerit, dicere non poſſum. Scio autem ex libris Magiſtri Ioannis Przibram, Thaboritarum ſacerdotes bellorum auidiſsimos fuiſſe, qui Catholicorum ſanguinem maximè ſitiebant: Atq; ut ſuos in Teuthones concitarent acrius, Bohemiam nominabant terram promiſsionis. Circumiacentes uero Germaniæ populos uocabant, alios Philiſtæos, alios Idumæos, Moabitas aut

Excurſiones Thaboritarum.

Amalechitas, quibus omnia mala inferenda eſſent. Cum ergò eſſent Tres iſti duces ſuis cum exercitibus caſtris aſſueti, bellisq; exercitati, plæraſq; fecerunt in uicinas terras excurſiones, & agris repente depopulatis, prius cum præda reuertebantur aliquando, quàm hoſtis eorũ cognouiſſet aduentum. Eiuſmodi depopulationibus (quæ ſanè quàm crudeliſsimè fiebant cædibus, incendijs, direptionibus, deuaſtationibus, abactionibus & omni malorum adinuentione) maximè uexabant Auſtriam, Morauiam, Sleſiam, Luſatiã & Miſniam, opulentas ſanè ac fertiles prouincias. E quibus multum prædæ auehere, aut quouis modo abigere poterant.

Pugna eorum cum Duce Auſtriæ.

Excurrentes autem in Auſtriam Thaboritæ & Orphani, obſederunt Suetlam oppidum, cuius mœnia duabus noctibus, & uno die abſq; intermiſsione oppugnauerũt. Superueniente autem Auſtriæ Duce, Alberto cum exercitu, ut Oppidanis auxilium ferret, pugna-

tum

tum eſt Quatuor fermè horis, nutante hinc & illinc uictoria. Ceciderunt utrinq; primi bellatores, poſtremò ita diſceſſum eſt, ut currus ſuos Thaboritæ amitterent, Albertus caſtris exutus, abiret. Quod negligentia Roberti Vallenſis factum putant, qui tum ductor exercitus fuit. Rediјt paulo poſt in Auſtriā Procopius Raſus, & oppidum Retium, celebri obſidione cinxit. Nam & Pragenſes & Bohoslaus Cygnæus, clarus Bohemiæ Baro, ſigna eius ſequebantur. Cygnæus ſagitta confoſſus interiјt. Retium ui captum, direptū atq; exuſtum eſt, In quo multi mortales periere. Burggrauius Maldeburgenſis, loci dominus, captus, & Pragam ductus, in carcere diem obiјt. Pons oppidum Bohemiæ, non longe à finibus Miſniæ, adhuc tenebatur à Marchionibus Miſnæ, ad quod profecti Huſsitæ, cum illud oppugnantes, à ciuibus fortiter repellerentur, relicto ibi in uicino monte præſidio, unde ciues fatigarēt, feſtinarunt in Luſatiam. Ciues egreſsi, præſidium oppugnant, & captos ibi XX. uiros interimunt. Huſsitæ autem in Luſatia, obſederunt Lubanam urbem, quam ciues animoſè tuebantur, & aliquando egreſsi, atq; hoſtes laceſſere auſi, primo quidem aggreſſu ſtragem aliquam fecerunt, ſed hoſtes conglobati, acriusq; inſtantes & urgentes, illos retro egerūt in urbem, eorumq; ueſtigia prementes, ſimul cum illis ingrediuntur portas. Vrbe itaq; per eam occaſionem capta, fit ſtrages infinita (ut ait Albertus Krantz) in omnem populum. Paſtor Eccleſiæ, de eminentiori loco hortatur ciues ſonora uoce, pro Chriſti honore & Orthodoxa fide fortiter decertare, promittens cœlum iјs, quibus mors ab impiјs hæreticis inferretur. Hæretici autem, ſacerdotis libertatem indigne ferentes, captum Quatuor alligant equis, iјsq; in diuerſum actis, illum crudeliſsime diſcerpſerunt. Reliquus Clerus cum populo in Eccleſiam confugientes, laudes Deo concinunt, & Beatæ Mariæ Dei genitricis opem implorātes, Salue Regina, ſonoris uocibus decantant, ut in Confeſsione Orthodoxæ fidei morerētur. Mox igitur aſſunt cruentis gladiјs hæretici, raptoſq; ex ulnis matrum paruulos, diſſecant medios, ſacerdotes confodiunt, anus obruunt, uirgines adultas & iuniores fœminas ad libidinem reſeruāt, nulli parcunt ordini, ſexui uel ætati, templa fuſo ſanguine propahanant, cadaueribus replent, ac ſuppoſito igne incendunt, Monaſteria ſubuertūt, Monachos trucidant, Moniales conſtuprant, urbem deniq; totā ferro & igne deuaſtant. Hoc ibi ædito crudelitatis exēplo, è Luſatia pergunt in Sleſiam, ubi urbē, quæ Aureus mons dicitur, conſimili ſtrage ac ſæuitia deperdūt. Inde in Morauiā conuerſi, una illa æſtate, Decem muratas ibi urbes ſubuerterunt, Non ſufficit lingua (in-

Retiū ui captum & exuſtum.

Lubana Luſatiæ urbs ab Huſsitis obſeſſa & capta.

In Vandalia li. 11. c. 9.

Crudelitas in templo.

quit Albertus ille) nec calamus, crudelis populi ſæuitiam explicare. Paruulos cum matribus unà perimunt, omnẽ pietatem abijciunt, omnẽ humanitatẽ exuunt, Chriſtũ obliuiſcuntur, cunctis infidelibus immaniores, immò beſtijs omnibus ferocitate incõparabiles.

Anno Domini M.CCCCXXIX.

Albertus krãtz ubi ſupra c.17. Huſsitæ, quaſi eſſent in perniciem hominum nati, rurſus eduxerunt exercitum in Sleſiam, & in ea Quinq; haud contemnendas urbes ui ceperunt, ſine diſcrimine omnẽ ætatem, ſexum, & ordinem mactantes: Templa & Monaſteria abſq; ullo diuinæ religionis reſpectu ſubuertẽtes, nemini parcentes, ſanguini ac prædæ inhiantes. Qui etiam in ſceleratiſsimis ſacrilegijs Eccleſiarũ, & mortibus hominum, immaniſsimo riſu & ioco ludebant. Nam in maximam Chriſti Domini & Dei noſtri, omniumq; ſanctorum eius contumeliam, coaceruatis undiq; eorũ imaginibus & in piram collectis, alligatum quendam Suppriorem Ordinis Prædicatorũ ſuperpoſuerunt, ac igne ſuppoſito, illum ſimul cum uniuerſis imaginibus concremauerunt, Tragicum exercentes ludum crudeli cum riſu.

Magiſter Ioannes de Przibram, uir doctus, & magnæ apud Huſsitas, dum eis conſentiret, autoritatis, utpote præcipuus inter Quatuor Cleri publice deputatos Rectores, de quibus dictum eſt ſupra. Is, cum reſipiſceret & errores ſuos agnoſceret, cœpit multos aduerus Thaboritas ſcribere, & in publicum ædere libros. Atque ut eos ab eiuſmodi crudelitate reuocaret, ſcripſit quendam de conditionibus iuſti belli tractatum, quem & ſacerdotibus eorum Tyrannidem regentibus (ut ipſe ait) deſtinauit, maximè Procopio Raſo. At nihil profecit, Ait enim, Sed doleo, quod contemnitur, & uerbis pompæ eorum, cum omnibus his allegationibus conſpuitur & irridetur.

M. Ioan. de Przibram.

Supra lib. 5.

Docuit ſane, ut bellum ſit iuſtum, requiri, quod bellator obſeruet XVI. conditiones charitatis, quas Apoſtolus 1. Corinth. 13. commemorat, Quia ubi non eſt charitas, ibi non poteſt eſſe iuſtitia. Item requiri, ut ſit cauſa iuſta & recta intentio, legitima perſona, non ſacerdos aut Clericus. Sic enim ait inter cætera in ipſo tractatu. Vltima conditio, & in hoc Regno ſummè neceſſaria, eſt, ut nemo ſacerdotum ſeu Clericorũ, contra diuinam autoritatẽ, audeat ſæcularia bella ſæculariter adminiſtrare. Quod ſi ſecus cõtingat, totus exercitus periculo damnationis laborat. Pro iſto probando ſunt multiplices ſcripturæ, ueteres & nouæ. Primo ad hoc eſt præceptũ Apoſtoli, 1. Tim. 3. Inſtruens Timotheũ, Epiſcopum & omnem alium Chriſti ſacerdotem non eſſe uinolentum, non percuſſorem, non ſuperbum, nõ iracundum, non litigioſum. Et repetitur ad Titum primo. Si enim Iudæis ſacerdotibus & Pontificibus

Quid requiritur ad bellũ iuſtũ.

Ne ſacerdotes bella gerant.

tificibus, non licebat quenquàm occidere, ideo neq; ſacerdotibus Chriſti licebit, qui omnibus pacem, non bella offerentes, dicere debent, Pax uobis. Non enim decet hæc barbara crudelitas ſacerdotes pietatis. Barbara dico, Quia ſicut à barba barbaries, id eſt, crudelitas deſcendit, ita hodie à ſacerdotibus barbatis, tota barbara & gentilis crudelitas, ſtoliditas & inſulſitas populos adimpleuit. Et hinc Chriſtus mittens Apoſtolos, ſicut oues in medio luporum, præcepit eis, non ferre uirgam in uia, id eſt, coactiuam poteſtatem. Idem in libro ſuæ profeſsionis & reuocationis, ſic habet. Item profiteor, quod in officijs Eccleſiaſticis omnes pro poſſe obligantur, & debent ſe Eccleſiæ Matri & Metropolitanæ conformare. Ad hoc enim hortatur inſtantiſsimè Apoſtolus Philippenſes cap. 2. dicens. Siqua ergò conſolatio in Chriſto, ſiquod ſolatium charitatis, ſiqua ſocietas ſpiritus, ſiqua uiſcera miſerationis: implete gaudium meum, ut idē ſapiatis, unanimes inidipſum ſentiētes, ſubaudi, in fide et moribus. Cuius ratio naturalis datur ex Philoſopho, qui dicit. Quod minima rima in naui magna, totam periclitat nauem: ſic paruæ diuiſiones in moribus, in populo faciunt maxima incommoda uniuerſo populo. Faciunt enim neceſſario, ut alij ſua magis probent, & aliorum reprobent & contēnant. Ex quo ſequuntur odia, æmulationes & contentiones. Vt modo experimur, in omni regno iſto. Et idcirco, ſubdit Apoſtolus ibidem cap 3. Veruntamen ad quod peruenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Contra hoc facit ſuperba præſumptio Thaboritarū, quæ ſic deſcribitur. Sacerdos Thaborenſis eſt, qui in facie quidem pius & manſuetus, ſed interius impius & tyrannus: Exterius innocens & purus, ſed interius a cruore fœtidus & ſqualidus: Exterius ſubmiſſus, ſed interius ſuper omnes erectus: Qui nemini ſubeſſe patit̄, præeſſe cunctis molitur præſumit ſe meliorē, quia non credit ſe ſuperbiorē. De omnibus ſe intromittit, à ſapiētioribus uultū auertit: Reordinat ordinata, reiicit facta, Quicquid ipſe nō fecit aut nō ordinauit, nec rectè factum, nec pulchrè eſtimat ordinatū. Iudicat iudicantes, præiudicat iudicatis. Infrenis, inflexibilis, præceps & audax, in omnia diuina temerarius, & in ſancta ſingula impius & prophanus. Et infra. Itē profiteor, tenendum & credendum, quod nullus ſacerdos Chriſti, aut alijs Clericalibus inſignitus, debet aut poteſt corporaliter bella exercere, aut quēquam etiam infidelem de lege communi occidere aut uulnerare, aut quod minus eſt, ad ſenſum Apoſtoli, percutere, aut in perſona propria bellare, acies bellorum dirigere, & ad bellandum ſeu occidendum immaniter prouocare, aut aliqua facilitate crudelitates exercere, aut exercitatas à

Sacerdotes male barbati.

Conformitas in ritib. & moribus neceſſaria eſt ad pacē.

Quales ſunt ſacerdotes Thaborenſes:

Cōtra presbyteros bellatores.

ſæcularibus & ſacerdotibus prohibitas, mirabiliter excuſare, ſeu uerba aut prouerbia crudelia, ad inuadendum acrius, proferre, & homines ad ſceuritatem ſuccendere & irritare: facit ad hoc, præceptum Chriſti Matth. 26. dictum ad Petrum. Conuerte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Et infra. Item profiteor, quia mihi non placent, ſed multum diſplicent, in pluribus etiam tempora inexpertæ iuuentutis meæ, Quibus uel ipſe præſumens uel alios ſequens, uel alijs tanquàm maioribus credens, ſæpe dixi non dicenda, feci non facienda: Verbi gratia, Non placet mihi, quod Ioannem Vuiclegh Doctorem Euangelicum nominaui. Non placet mihi abuſio literæ cuiuſdam in Vualetzou ſcriptæ. Et breuiter, Non placent ſingula dicta mea, ſcripta uel facta, ſi & de quanto reperiuntur, eſſe ſupradictis contraria & aduerſa, petens ut ab omnibus ſint contempta. Hæc ille. At Procopius Raſus, Thaboritarum Tyrannus, & Nicolaus de Pelhizimou Thaborenſium prætenſus Epiſcopus, indigne ferentes hanc illius uiri docti defectionem, literis tentauerunt eum ad ſe reuocare, ſed fruſtra, ut arbitror, Quia libri eius extant adhuc, in quibus & facta & dogmata Thaboritarum acerrime reprehenduntur. Deſijt quidem eſſe Vuiclephiſta, quales Thaboritæ erant: ſed Huſsita in quibuſdam permanſit, ut nō eſſet per omnia Catholicus. Qui Pragæ obijt tandem anno 1448. cum eſſet paſtor Eccleſiæ, S. Ægidij Pragæ in antiqua ciuitate. Grauis itaque ei multis annis contentio fuit, aduerſus Thaboritarum hæreſim. Quod ipſemet haud uno in loco aut libro, ſed in multis atteſtatur. Nam in libro profeſsionis & reuocationis ſuæ, in hæc uerba præfatur.

Reuocatio M. Ioannis Przibram.

Præfatio eius contra Thaboritas.

Quia in his gemebundis & infauſtis tēporibus, Proh heu erroribus ubiq; ſcatentibus, & totā terrā heu ſorde perfidiarū polluentibus, amore ſolo dulciſsimi Ieſu crucifixi, conabor à principio pro fide eius Catholica, uires ultimas opponere, & in defenſa eius, etiam cum famę & uitę periculis, uoluntarie & libenter, poſſe tenus uſq; ad punctum uitæ deſudare. Ecce ex aduerſo, dolente omnium malorum autore, & in improba probra plurimos excitante, conſurrexerunt aduerſus me, teſtes iniqui plurimi, & uincendo numeros, contra me nimis ſunt multiplicati uiri uaniſsimi: pietatis & fidei hoſtes publici. Et ſuggerente eis uires Tyrannide, in omnia facta impij pariter & prophani. Qui putantes, ſe meis calumnijs iuſtos facere, & deiectione innocentum, ſuis fictionibus uires dare, eo licentius, quo ſceleroſius, aperiunt os ſuum ſuper me: non ſolum clam in angulis, ſed ubiq; in ambonibus, Quinimmo

immò è ſuo + concinabulo impuriſsima ſcribentes, & eructuantes uerba falſitatis, & iudicia ſuæ temeritatis: non ſolum in uilitatem meæ perſonæ, ſed in deiectionem fidei Catholicæ. Nec hoc multum mirandum, cum ſcriptum ſit. Qui arguit inſipientes, ipſe ſibi maculas acquiret plurimas ab eiſdem: & opponenti iniquis, iniqui ſolent reopponere. Idcirco ego Ioannes de Przibram, ſeruus Ieſu Crucifixi indigniſsimus, & amator fidei Catholicæ ſollicitus, ne ipſo meo ſilentio, error mentiũ, multis cedat à modo errandi in exemplum, cupiens futuris calumnĳs utcunq; occurrere, & loquentibus mendacium ora præſtringere, inter omnia gratulatus, quod pro nomine Domini merui contumelias accipere, dignum duxi, fidem meam breui hoc cõpendio, cunctis fidelibus detegere. Et in fine eiuſdem libri ſic habet. Item profiteor et proteſtor, quod ego Ioannes de Przibram, has LXXII. profeſsiones ſingulas facio & teneo, et Domino auxiliante, tenere cõtra hæreticos ad diem mortis intendo, animo quidem ſyncero, ſimplici & conſtanti, non aliter quàm cum proteſtatione mea, ſupra in principio poſita, & ex cauſis ſupra dictis, Videlicet, ut poſcentibus rationẽ de fide credendorũ, & de ueritate tenendorũ, præbeã, atq; per hoc ut Catholicos in bonis confirmem, hæreticis occaſionem aduerſum me quærentibus, occaſionem amputem, & eis mentiendi de me, & aſcribendi falſa, uiam præſtringam, atq; cunctis poſteris famam & uiam Catholicam ut relinquam. Veruntamen ex ſuperabundanti proteſtor planè, quia docto, quod in aliquibus uel in aliquo horum, ſiue credendorum ſiue tenendorum, forem corrigibilis, præcipue per Eccleſiam ſanctam Catholicam & Romanam (cuius correctioni Euangelicæ & Catholicæ, me cum his omnibus ſubĳcio, & obedientiæ humiliter accõmodo) ſiue per quoſcunq; uiros Catholicos, ſiue amicos ſiue inimicos, ſiue ex amore uelint corrigere ſiue ex liuore, nihil mea intereſt. Ego paratus ſum humiliter ſingula emẽdare, nec cuipiam uolenti emendare, intendo reſiſtere, gratus exiſtens, dummodo per quemcunq; uel quocunq; modo ualeam emendari, & ad uiam ueritatis per quemcunq; reduci & reuocari. Facta ſunt hæc anno Domini M.CCCCXXX. tunc amplius ſæuiente et minante Tyranno Raſo, & conſolante Domino Ieſu Chriſto crucifixo Amen. Et ſic eſt Konetz huius profeſsionis. Et in libro de tranſſubſtantiatione panis & uini, recitat etiam quędã uerba illius Tyranni blaſphema, impia & horriſona, dicens. Super hæc autem omnia, creſcens hæc perfida corruptela, per ſuæ infidelitatis incrementa, quoſdam eorum, facit ſanctos doctores pro ſua aſſertione, non ſolum blaſphemare, ſed etiã damnare: In tantũ ut unus eorum,

+ Conciliabulo

Prouer. 9.

Humilis proteſtatio & ſui ad emendandum ſubmiſsio.

Konetz id eſt finis.

Cõtra Procopiũ Raſum.

Capitalis

Capitalis adminiſtrator cædium & bellorum, om̃ni reuerentia ſanctorum ultroiecta, & Dei timore & eius Maieſtate contempta, auditus eſt, in dolorem & tremorem omnium audientium, dicere. Quod ſi Centum forent huiuſmodi ſancti Doctores, panẽ materialem in Sacramento non manere conteſtantes, dico eos omnes mentiri ad collum, & fallere. Subdens etiam hæccine uerba. Vtiq; cum in conſpectu Dei iudicis ſtabo, cum illis latronibus (ſcilicet ſanctis) cauſam hanc agitabo. Poſt quas quidem blaſphemias (omni licet luctu & gemitu fidelium dignas) tandem mihi quidem manu propria, ſigillo proprio ſignatam, tranſmiſit epiſtolam, conformi blaſphemia plenam. Mane (inquit) in ſententia Saluatoris et eius Apoſtoli (ſcilicet panẽ materialem remanere aſſeuerantium) & ſtatim erit pax inter nos & te, & alias non. Et noli attendere uerba uel ſenſus illorum, de quibus propheta loquitur. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. Sin autem illud nolueris facere, ſcito, quod contra te intendo, pro poſſe clamare, & omnibus modis licitis inſurgere. Et uidebis, quod ueritas Domini uincet te unà cum Doctoribus. Iam enim eos iudicat in illis, quæ pertinaciter contra ipſam dixerunt uel ſcripſerunt. Et uæ illis, ſi non pœnituerint. Et ideo Doctores nolo habere (pro ut tu ſcribis) Dei legis iudices, ſed opto, ut lex iudicet Doctores. Hæc ille in litera ad me miſſa. Et eandem pene ſententiam ſcripſit ad me eodem tempore, Nicolaus aſſertus Epiſcopus eorum, ſub manu propria et ſigillo. Ex quibus nefandiſsimis dictis, primo habetur, Quod ſanctiſsimi Doctores, ſanctitate & ſapientia uelut Mundi luminaria effulgentes, & uerbum uitæ continentes, Proh pudor, ab hoc blaſphemo cane rabido, appellãtur iniqui fabulatores, latrones & mendaces. Quod dicere, eſt intolerabilis ſanctorum contumelia, fluuijs lachrymarũ uix corrigenda & diluenda: Qua etiam iniuria, nõ contentus canis hic impudicus, addit de ipſis ſanctis alia peſsima, prænoſticans de eis pſeudo ore ſuo mala Gehennalia, dicendo. Væ eis, ſi non pænituerint. Item in libro de conditionibus iuſti belli, in hæc uerba Tyrannum illum taxat. Quod dicitur beſtia, cauſa eſt, quia irrationabiliter agit omnia, & amat delectabilia, ſicut beſtia. Duo cornua eius, ſunt duo teſtamenta, quibus defendit ubiq; ſua facta beſtialia. Mira res, quia totum eſt corpus beſtiale, præter duo agni cornua. Quia ſcilicet tota uita eorũ eſt beſtialiſsima, ignorans cœleſtia ut beſtia, nec ea curans nec intelligens, ut beſtia. Duntaxat pro toto Chriſto habet eius illa cornua, ſed nihil penitus de eius uita. Quicquid enim agit peſsimi uel loquitur, ſemper defendit lege dominica, ſcilicet uetere uel noua. Et nihil in ea eſt Chriſti, niſi legis

Verba Procopij cõtra ſanctos Eccleſiæ Doctores.

Verba eiuſdem ad M. Ioan. Przibram.

Pſal. 118.

Hic Nicolaus etiam cũ Ænea Siluio diſceptauit, ut patet ex illius Epiſtola 130. cũ ueniſſet ad Thabor in legatione Imperatoris anno 1451.

legis Domini frequens uerbalis reſonãtia. Quod autem loquitur, ut Draco, ratio eſt, quia uerba habet ut plurimũ fallacia, uenenata. Et poteſtatem omnem exercet magnę beſtię in Tyrannide, & bellorum ſæuitia frequenti, & ſæua uictoria. Et hæc ſunt eius ſigna toti mundo mirabilia. Hinc etiam appellant eos Doctores, Diabolos incarnatos. Vnde Pariſienſis libro ſuo uitiorũ probat, quod raptores in multis ſunt dæmonibus peiores. Primo in hoc, Quia Diabolus eos deprædatur, qui male agunt, ſed raptores eos deprædantur, qui bene & optime agũt, & à malo recedunt. Item, Quia Diaboli deferunt angelo pauperes cuſtodienti, ſed raptores nec aſsiſtenti angelo, nec ſoli Deo. Item, Quia Diaboli torquent in Inferno, ubi eſt locus torquendi & non miſerendi: ſed raptores in mundo, ubi eſt locus miſericordias exequendi. Hæc ſi præſentes bellatores aduerterent, reuera rapinas intermitterent, & naturam dęmonum ac formam beluarum nullatenus induerent. Et ſi boni eſſe nollent, ſaltem homines non dæmones inter homines permanerent &c. Item in eodẽ libro, enumeratis ſex Reipublicę ſpeciebus, de quibus in Politicis egregiè tractat Ariſtoteles, liberrima ſanè uoce in hanc prorumpit publicè querelam. Ex quibus (inquit) omnibus patet, teſte experientia, quod in hoc Regno totaliter uiget Politia & directio peſsima, ſcilicet Oligartica, & Democratica: Immo & pro maiori & Tyrrannica, tũ ex parte eam regentiũ, tum ex parte ſubditorum. Hoc enim regnum nullo ordine regitur, nulla iuſtitia triplicis Politiæ commendabiliter regulatur, ſed confuſiſſimo ordine trinę Politiæ peruerſæ, ſcilicet Oligarticę, Democraticæ & Tyrannicæ, ad omnem fortunæ iacturam uentilatur. Et niſi Deus benignus addat remedium, ruinas ſemper plangendæ deſtructionis præſtolatur. O quantos numeros omnium mundi malorum fecerũt, qui de Regno ordinatiſsimo, inter mundi Regna inclyto, uiliſsimã Oligartiam & Tyrannidem cruẽtam effecerũt. Qui & turbatis inibi legibus, totum Regnum cruentis fluminibus & nefandiſsimis deordinationibus, & ſceleribus uſq; ad uerticem impleuerunt. Pro certo intolerabilis proditionis nephas, hi in hoc Regnum commiſerunt, qui de hoc Regno, tanq; de auro obryzo lutum ſanioſum fecerunt, & hortum deliciarũ in hortum ſpinarum commutauerunt, ius & phas confuderũt, omnem ordinem à ſummo uſq; deorſum ſubuerterunt, & deordinarunt. Et ea, quæ ſurſum erant, deorſum iactarunt, & uilia & ignobilia quoq;, ſcilicet, quæ indigna iacere erant, in alta & uertices extulerunt. Et quidem uertex malorum eſt, qui ſunt erecti, ne Regnum ad ordinem perueniat, in murum æneum & obicem ferreum ſe oppoſuerunt,

Pariſiẽſem hic dicit M. Mathiam Bohemum.

Raptores ſunt peiores Diabolis.

Ariſt. in Politicis lib. 4.

Peſsimus regni ſtatus eo tempore fuit.

Attendite o Huſsitæ.

&

& omni erigendo ordini, & corrigendo eorum ſceleri, fores uiribus & armis præcluſerunt. Itaque iam impletum eſt, & impletur quotidie, Quod B. Auguſtinus libro de ciuitate Dei ſententiat, dicens: Sublata iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Et quid ſunt latrocinia, niſi parua regna? Reuera teſte omnium experientia, pene quot hodie Domini, tot latrones & prædones: quot ruſtici, tot milites: Et quot ſacerdotes, tot Epiſcopi & Præſules: Et omnes, uerſo in alterutrum gladio, amariſsimo furore, uelut Aſpides & beſtiæ, in ſemetipſos ſæuiẽtes, O quàm perutile foret, affectu & oratione Moyſi, clamare ad Dominum, illud Numeri XXVII. & dicere. Prouideat Dominus Deus ſpiritum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſsit exire & intrare ante eos, & educere illos & introducere, Ne ſit populus Domini ſicut oues abſq; paſtore. Hęc ibi. Item in alio libro, quem de ueritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſcripſit, ita præfatur. Attende cœlum & loquar, & audiat terra uerba ex ore meo. Aduertat huc aures gentium populus, & Chriſtianæ fidei intelligant profeſſores. Audiant quæſo omnes electi Dei, atq; uniuerſi Eccleſiæ Catholicæ filij. Audiant fideles & infideles ſinguli, Quod dico fidelibus, audiant & Ethnici. Sit mihi in conſolatione ueſter auditus, ne uobis ſit in teſtimoniũ dolor meus. Audiat Deus, ſi uos ſurdi eſtis. Audiant Angeli, ſi homines contemnitis. Plenus ſum doloribus, & pro religionis detrimentis, amaris impletus gemitibus. Ecce enim poſt tempora fœlicia: quibus integra & incorrupta fides in hoc Regno uigebat, religio Chriſti ſuper cunctos præfulgebat, charitas ubiq; feruebat, & ueritas & pietas radios ſuos undiq; effundebat, plus quàm in modum ſponſæ uenuſtiſsimæ, uirtutum candoribus prępollebat, & pietate & honeſtate regna reliqua pręcellebat. Ecce hoſtis antiquus: qui rebus ſemper inuidet cœleſtibus, turbaturq; nimis electorum profectibus: inter uirtutum tantarum pręclariſsima exordia, ſua clam peſsima iniecit zizania, & omnium cogitabilium malorum conſperſit & permiſcuit plantaria. Nec mirum hodie, cum hæc ab initio ſemper ſua fuit aſtutia, ut omnium uirtutum orientium mox præfocaret germina, uel ſua admiſceret uenenata ſemina. Et ſi quando in uirtutem & religionem Domini Chriſti eius ſacroſancta conſcenderet Eccleſia, mox inſidiator calcanei eius, ſubtiliora opponebat molimina, iniquitate quidem plena, ſed ſpeciebus uirtutũ, & omni ſanctitatis ſimilitudine cooperta: ut nequaq; apparere poſſet, ars eius maligniſsima. Vbicũq; nanq; Dominus Ieſus, et quotieſcũq; pios ueritatis miniſtros ſibi ſuſcitat, mox in eadem uia & ſpecie, Sathanas falſos & pſeudulos ſibi multiplicat,

Omnes ordines in cõfuſionẽ redacti.

Affectuoſa querela.

Inſidiæ ſerpentis antiqui.

tiplicat, & eos quādoque pari uel maiori ſanctitatis colore pingit & ucnuſtat, ut per eoſdem omnia pura inficiat & corrumpat, & redolentia Dei fœtere faciat, atque ut tandem omnia ſancta & ſalubria deſtruat & ſubuertat. Eia res cunctis fidelibus, non tam ſpectanda quam lugenda, prorſuſque pro magnitudine maliti**ę** nec ullis gemitibus compenſanda. Ecce enim (ut præfatus) inter hæc piorum hominum aurea ſęcula, uirtutum cultu & fidei candore ſuper cunctos refulgentia, ſurrexere in medium (ſuſcitante Sathana) ueri pſeudoli, Hypocritæ nocentiſsimi, falſarū uirtutum quidem colore præniti- di, uulgari famoſitate ſanctiſsimi, ac plebeia laude cōmendatiſsimi: ueruntamen rei ueritate uaſa diaboli, ſub ſpecie ouina lupi rapaciſſimi, hoſtes electorum acutiſsimi, prædoneſque fidei corruptiſsimi, ac utique germina uel pręcurſores Antichriſti: Et quod infœlicius eſt, inter hęc omnia ſtulto populo gratiſsimi. Qui relicto Domino, fonte ueritatis puriſsimo, deſpecto quoque Ecclesiæ cōſortio, et omnium ſanctorum Doctorum dogmate ſaluberrimo, concurrerunt ad ciſternas diſsipatas, uidelicet, ad quaſdam doctrinas turbidas & impuras Magiſtri Ioannis Vuicleph, & tādem Petri dicti Payne Anglici, ſectatoris eiuſdem Vuicleph, obſtinatiſsimi, & defenſoris pertinaciſsimi: quibus ad uerticem impleti, debriati & corrupti, quaſi inſanæ beluæ, abiecta humanitatis natura, in medium ouium proſiliere. Et omnia, ut erant in ſuo ordine, cœperunt euertere: Leges & plebiſcita dirūpere, mores decentiſsimos confundere, fidem more prædonum temerare, omnia ſacra execrare, cultum Dei altiſsimi funditus ſubuertere, Sacramenta penè ſingula prophanare, honorem diuinitatis diſtrahere, ſanctorumque ſuorū merita blaſphemare, uſus in abuſus conuertere, omnia ſancta prophanare, diuinaque Sacramēta faſtu nephario, irrito geſtu, atque ſceleſtiſsima corruptela uiolare: Et plus quam dici poteſt, totam penè religionem manifeſta labefactione contaminare. Ita ut nihil uerius eis conueniat, quam uaticinium Apoſtoli, dicētis. Spiritus manifeſtè, id eſt, 1.Timo.4. apertè nō per ænigmata, dicit, quia in nouiſsimis diebus, id eſt, circa finem mundi, inſtabunt tempora periculoſa, id eſt, periculis plena. Erunt enim perſecutiones grauiſsimę, conflatę ex Tyrannis, hęreticis & Hypocritis. Qui ſunt Tres ordines, dentium illius magnę beſtię, de qua legitur VIII. cap. in Daniele. Hęc ille Bohemus.

Hypocriſis hęreticorū.

Mala per Vuiclephiſtas inuecta

Ex quibus ſanè cordatus lector facile intelligit, uirum hunc magno præditum fuiſſe ſpiritu, uehementi ingenio, eximia eruditione, atque ingenti animi libertate zeloque ueritatis: qui inter ſęuientia Tyrannorum arma, & inſidioſas hæreticorum machinationes, tam libere & apertè uitia repræhendere, ac ueritatē defenſare auſus fuit.

Qualis fuit M.Io. Przibram.

V Vehemens

In lib. contra Petrum Payne Anglicum.

Vehemens ac periculoſum fuit ei certamen, præcipue aduerſus Petrum Payne Anglicum, ſectatorem Vuiclephi. Quem ſanè acerrime impugnauit et uicit diſputatione publica, De qua ipſe lectu dignam refert hiſtoriam, cuius partem hic, contra nouos Germaniæ Vuiclephiſtas, recitare, non fuerit inutile. Ait ergò. Vuicleph & Anglicus non diſſentiunt, nec ſibimet oculos confodiunt, unum ſunt, unum ſapiunt, alter totus eſt in altero, diſcipulus totus in Magiſtro, ille in illo: tanquam imago diſtorta in obliquo ſpeculo. Penſate, obſecro, & repenſate, Et ſi ſcripta eiuſdem Petri fidem ueſtram non excitant, ſaltem facta aduertite. Iuxta Saluatoris præceptum, rebus et operibus credite, Videlicet. Qualiter nuper in diſputatione publica, Magiſter Petrus de Anglia, propoſita ſibi ab induſtria fide hac Catholica, articulis iſtorum eius & Vuicleph prorſus contraria, & in examen ſuæ probationis in ſcriptis eidem per auditores exporrecta, Videlicet.

I Quia credendum eſt Catholice, & ore & corde confitendum, quod totus & integer Chriſtus, Deus & homo, eſt in Sacramento uiſibili altaris, ſecundum ſuam ueram exiſtentiam, & naturam corporis ſui & ſanguinis, & ſecundū ueram exiſtentiā naturalem ſuæ humanitatis & Deitatis, animę et ſpiritus. Et ſecundum naturalem exiſtentiam omniū ſuorum membrorum naturaliū, quę ſumpſit de Maria uirgine. Et ſecundum quæ ſedet ad dexteram patris.

II Item, Dicere corpus Chriſti eſſe in Sacramento altaris ſolum figuraliter, uel in ſigno, uel uirtualiter, uel ſecundū dona ſolū et gratias, à corpore Chriſti naturali condiſtinctas. Et non cū hoc ſecundum ſubſtantiam & exiſtentiam ſuam naturalem: non eſt Catholicum, ſed fidei Catholicæ contrarium & aduerſum.

III Item, quod credendum eſt firmiter, quod corpus Chriſti ſeu Chriſtus uerus Deus et homo, exiſtens ſic ueraciter in Sacramēto, eſt in eodem à fidelibus cultu Latrię colendus, adorandus & inuocandus, ut Deus et redemptor & creator, & per conſequens ut ſummum bonū ibidem diligendus, requirendus & tremendus. Quia in nullo habitationis ſuę loco, in terris nobiſcum ita certitudinaliter & infallibiliter inuenitur, ſicut in huiuſmodi loco ſuæ habitationis, ſcilicet in ipſo Sacramento.

Petrus Payne irretitus publicè confuſus eſt.

Hac (inquam) fide ſibi publicè & induſtrioſe propoſita. Quatenus ſi illam Catholice crederet, diſcipulus magiſtrum & ſeipſum falſum & erroneum condemnaret. Aut ſi eam negaret, ſe hæreticum cunctis patenter demonſtraret. Ille, ut aſſolet, ſerpentina fraude periculum ſibi ac magiſtro ſuo perſentiens, ne prædictā negando fidē, ſe hæreticū patefaceret: Elegit potius ſibi aliunde confuſionem

ſæcularem

ſæcularem corã omnibus facere. Et conſtrictus hac cautela, & monitus ad reſpondendum ad eam, dicebat ad Dominos auditores iubentes, & ad omne auditorium, replicata proteruia. Nolo Nolo Nolo reſpondere. Quo facto, in maiorem exaggerationẽ ſuæ reprobationis, & lecta quidẽ eſt hęc fides, & oblata toto præſenti auditorio. Quam mox, ut audiuit, totum auditoriũ, altis & in cœlum reboantibus uocibus & clamoribus, eam comprobauit. Et in pudorem & pudendam infamiam dolentis & palleſcentis Anglici, reſonante Palatio, conclamauit. Fatemur, noſtra hæc fides eſt & Catholica, noſtra fides eſt & Catholica. Quod ego ſuſcipiens pro ingenti Dei beneficio, gratias referens ſaluatori corde gratiſsimo, iterum contuli me ad Petrum Anglicum, exhortando illum, & dicendo. Rogo inquam te, ob uiſcera Dei miſericordię, qui ad decreta auditorum noluiſti hanc fidem profiteri, ſaltem cum hoc beato auditorio, comproba ſanam fidem. Sed illo acrius recuſante, & in modum inſolentis, concitata membra in diuerſum iactante, & guttur retorquẽte, atq; dicente repetita pertinacia. Nolo Nolo ad eã reſpondere. Quo audito, ex tunc cogebar omnibus proteſtari et dicere. Ecce nũc omnes patule uidetis, quod Anglicus iſte non erubeſcit patenter proteruire &c. Fuit alioqui Anglicus ille doctus & ingenioſus, ac Magiſter Oxonienſis, qui (ut idem atteſtatur Bohemus) articulos Vuiclephi, ex libris eius pũctatim ac ſeriatim deduxit, & ſuis opuſculis peſtiferis impoſuit, & hominibus utriuſq; ſtatus, mox inter initia prurientium errorum promulgauit. Quę quidem opuſcula, quaſi quædam librorum Vuicleph commentariola, & quaſi quaſdam tabulas abbreuiatas, arte quidem inferiores, ſed ueneno peruicaciores, & ſimpliciũ ſeductiuiores, infœlix ipſe infœliciter comportauit. Lacum quem ille fodit, iſte patenter aperuit: & ea, quæ Vuicleph obſcure poſuit, iſte explanauit: & quæ ille refuſis uerborũ ſententijs protulit, iſte breuiatis propoſitionũ compendijs ſummauit. Quo factum eſt, ut ea dicta Vuicleph, quæ ſimplicibus arte & ſtilo quaſi ſopita & incognita erant, iſte detegeret: & quæ eius tecta, dubioſa aut ſcrupuloſa in uerbis & ſententijs uidebantur, iſte ſuccinctis, ſed uenenatis notulis reuelaret, & reuelando certificaret, ita ut ipſe ſuo prauo ingenio, non ſolum fieret errorum Vuicleph doctor, ſed approbator et aſſertor, augmentator et promulgator. Et huius puriſsimi Regni primarius & periculoſiſsimus infector & deſtructor. In quem Bohemus iſte iuſto permotus dolore, ſic inuehitur. Hęccine Regno huic reddis pręmia Anglice, uilis Anglię refuga, & infœlix in huius Regni terram transfuga, quę te miſerata iam perditũ & proſcriptũ, proprijs ſuſcepit in humeris,

Anglicus ille doctus & acutus fuit, Qui & Baſileæ 4. Huſsitarũ diſputauit articulum anno 1433.

Inuectiua in Anglicũ

in uulnera ſua germen uipereum confouens. Fuit enim Anglicus iſte Thaboritis maxime familiaris, multa eis praua ſuggerens, & dogmata & conſilia, per quæ inclytum Bohemiæ Regnum maximis malis afflictū eſt. Hiſtoricus uerò Thaboritarū, Ioannes de Lukauuetz, longe aliter refert de utroq;, utpote Vuiclephiſta, & proinde inimicus Magiſtri Przibram. Hæc enim ſunt eius uerba.

Dehinc anno domini M. CCCCXXIX. Magiſter Ioannes, dictus Przibram, honoris Dei, ueritatis Euangelicæ æmulus, & famæ Regni Bohemię, ac ſalutis propriæ immemor, Inſurrexit, libros Doctoris Euãgelici, Magiſtri uidelicet Ioannis Vuicleph, hæreticans & erroneans. Qui libri magiſtro Ioãni Hus diuæ memoriæ (ut noſcunt plures fide digni, quod ſic aſſeruit) aperuerunt oculos, dum eoſdem uoluebat & reuoluebat, una cum pluribus ſibi adhærentibus pro tunc Magiſtris, olim ualde dolentibus de combuſtione librorū Doctoris antedicti, de anno Domini M.CCCCX. per Suinconem Archiepiſcopum Pragenſem, & ſuos Simoniacos Prælatos Pragæ facta. Quamuis proh dolor, quibuſdam iam in arcum prauum conuerſis, & non conſyderantibus pręſentia, pręterita nec futura. Hinc eſt, quod eodẽ anno, quo ſupra Barones, milites, Clientes & communitates, & ciuitates prædicti Regni Bohemię, Marchionatuſq; Morauię, legi Dei adhęrentes, cum eorum Magiſtris & ſacerdotibus, tam malicioſæ præſumptioni, & tam grandi periculo uolentes occurre, in conuocationibus eorum generalibus decreuerunt, quod contra uoluntatem eorum eſt dicta hæreticatio. Scientes illud Regnum ex illo opere non aliquam conſequi utilitatem, ſed importabile detrimentum. Intellexerunt enim, quod ex indiſcreta maculatione librorum Vuicleph, illi Regno ſequerentur multa mala. Primo, gentis Bohemicæ æſtimaretur iuſta hæreticatio, & contra eandem ſanctæ Crucis erectio. Secundo, Regis Vngarię recta putaretur contra eandem gentem crudelis inuaſio, & librorum Doctoris Euangelici in Pragenſi ciuitate, rationi conſona iudicaretur combuſtio. Tertio, de qua notanter dolendum eſt, legitima & non impugnabilis haberetur bonæ memoriæ Magiſtri Ioannis Hus in Conſtantia ad mortem ſententiatio. Et quarto, intranea huius Regni ſequeretur damnoſa diſtractio. Hinc eſt, quod audientes Magiſtrum Przibram antedictum parte ex una, libros prædictos, ſpecialiter in materia Euchariſtiæ, hæreticare & erroneare. Petrum uerò Payne Anglicum, & Vniuerſitatis Oxonienſis magiſtrū, parte ex altera, in hoc ſibi repugnantem, eoſdemq; libros, quantum in eo fuit, iuſtificare uelle, et omnibus ac ſingulis articulis, materiam præſertim Euchariſtiæ

Vuiclephi defenſio.

Sacramenti

Sacramenti concernentibus, qui debite & ueraciter ex eiſdem traherentur, ſanum & Catholicum aſsignare ſenſum, Ipſis tempus diſputationis, & locum Prigæ ſuper hijs diſcernendis, decreuerunt. Et unanimiter eodem anno, quo ſupra, limitarũt auditores eis parte ex utraq;, tam ſæculares quam ſpirituales, ut actui eorum aſsideant. Hæc & id genus multa, uerboſe proſequitur partialis & infidelis ille Hiſtoricus, quibus, ut Vuiclephiſta, tribuit uictoriam Anglico, Vuiclephi defenſori, Cum res geſta longe aliter habeat, Quemadmodum ipſemet recitat. Fatetur enim, Auditores ſeu delectos iudices, in ſententia ſua ſic pronunciaſſe, quod ambo Magiſtri præfati, debeant diuinum Euchariſtię Sacramentum promouere, iuxta limites legis diuinę & ſanctorum doctorum: alter alterum non hęreticare, neq; item Ioannem Vuicleph, neq; Ioannem Hus, neq; Iacobum de Miſna hęreticare aut diffamare debeant, nec unus alteri noceat, neq; per ſe, neq; per cuiuſcunq; perſonæ mediæ ſubordinationem. Deinde narrat ipſemet, dictum Petrum Payne Anglicum ab utraq; parte in arbitrũ electũ fuiſſe, anno Domini M.CCCC. XXXIIII. cumq; pronunciaſſe pro parte Magiſtrorum Pragenſium contra ſacerdotes Thaborenſes. In hæc ſanè uerba. Iſtud pronuncio pro primo articulo: Eccleſię ſeptem Sacramenta, undecunque à uarijs diuerſimode nominentur, ſunt tenenda & ſeruanda, ſecundum quod congruit uiatorum ſtatibus & perſonis, omni prauitate Simoniaca excluſa ab eiſdem, per auaritiam ſacerdotum infidelium introducta. Patet iſte articulus ex Quatuor Trialogi Capitulis, primo, ſecũdo, Tertio, Quarto. Et conſequentia per Magiſtrum Ioannẽ Hus, ſuper Quarto ſententiarum ſatis diffuſe, necnon et per illud, quod ſcripſi in quodam folio, quando ſolebam ſedere in officio ſpirituali. Vlterius pro ſecundo articulo iſtud pronuncio. Sanctorum ſuffragia, qui ſunt in cœleſti patria, ſunt ab hic uiantibus merito poſtulanda, ſecundum ſententiam ſcriptorum, quibus ſtare promiſerunt prædictæ partes ſibi inuicem aduerſantes. Patet iſtud Tertio Trialogi cap. 31. De ciuili dominio cap 31. Et in ſermone, Maria optimam partem elegit. Et per Magiſtrum Ioannem Hus ſuper Diſt. 45. Quarti ſententiarum, & per id, quod ſcripſi folio ſupradicto. Conſequenter pro Tercio articulo hęc promulgo. Purgatio animarum à corporibus exutarũ, tempore legis gratiæ eſt ponenda, ſecundũ ſcripta ſæpius antedicta. Vt patet per Magiſtrũ Ioannẽ Vuicleph, libro de noua præuaricãtia c. 8. In lib. Decalogi c. 33. De Eccleſia. 1. 2. 6. & 20. Capitulis. De Blaſphemia, et de Dominio ciuil. li. 1. c. 16. et multis alijs locis. Et per illud, quod ſcripſi folio ſupradicto, Pro huiuſmodiq; animabus orandum eſſe, ac

[Margin: Sententia Arbitri pro Magiſtris Pragenſibus.]

[Margin: Quatuor articuli. I]

[Margin: II]

[Margin: III]

cætera pietatis opera exercenda pronuncio, Dum tamen circa hæc omnis Simonia, Miſſarum uenalitas quæcunque, ac aliæ fictiones doloſæ utiliter excludãtur. Hæc Anglicus. Narrat denique Thaborita ille, ſuos ſacerdotes Thaborenſes ab hac Anglici pronunciatione & ſententia excepiſſe, et ad Imperatorem ac ſtatus Regni appellaſſe, Et tamen audet Magiſtrum Ioannem Przibram ubique uellicare ac repræhendere, pro cuius opinione ſciebat ubique pronunciatum.

Anno Domini M. CCCCXXX.

Deuaſtationes terrarum per Thaboritas factæ.

Huſſitæ uictoriarum ſucceſſu elati, & à ſuis ſacerdotibus ad ſæuiendum diuerſis libris & ſermonibus, inditis magis ac magis incitati, in fines Catholicorũ cruentiſsimas faciebãt excurſiones. Nam Ioannes Czapko, presbyter Taborenſis, edidit eis librum de bellis & effuſione ſanguinis, atque occiſione omnium malorũ in mundo. Quem Ioannes Przibram ait eſſe plenum perfidia, mendoſitate ac Tyrannide, qualis à ſæculo audita non fuerit. Ait igitur idem Przibram, Non placent mihi bella, ſtrages & homicidia, non urbium & locorum, ac prouinciarum excidia, non rapinæ, non furta, non ſacrilegia, non combuſtiones, non terrarum uaſtationes, non pauperum oppreſsiones, uiolentationes, ſubiectiones & exactiones. Et inter alia non mihi placent, ſed multum diſplicent, iniuſtiſsimæ repugnationes & reluctationes, quibus pugnatur uel diſſuadetur, ne in hoc Regno & eius ordine uniuerſo reducendo, pro habendo legitimo capite ſpirituali & ſæculari laboretur, ſed ut populus Domini, ſicut oues ſine paſtore, periclitentur. Vt quemadmodum piſces maris, & reptilia non habentia ducem, ad quæque illicita euagentur. Commemorat ſanè Albertus Krantz, anno iſto multas & ſæuas factas fuiſſe excurſiones. Mira (inquit) Dei diſpenſatio, quæ filios iræ ita mittit in filios Regni, ut tunſionibus & preſſuris expoliant lapides ædificandos in muros ſupernæ Hieruſalem. Nam anno tricesimo poſt M. CCCC. ſolita rabie exciti, inuadunt Sleſiam, noua immanitate debachantes, Luſatiamque peruadunt, oppidum Gobbin crudeliſsime diripientes, ſæuientesque in omne genus hominum. Perierunt hominum multa milia in populoſiſsimo oppido, factaque eſt urbs illa ciuium ſuorũ commune ſepulchrum. Monaſterium, quod Cellæ dicitur, à fundamentis euertunt, Monachos exquiſito genere ſupplicii, primum manibus pedibusque truncatis abiiciunt. Vratislauienſem urbem fruſtra oppugnant, ſed ſuburbia & omnia uicina longe lateque adiacentia, populantur, excindunt, flammis urunt, plebe ad internitionem cæſa.

In lib professionis & reuocationis ſuæ.

In Vandalia lib. 11. cap. 20.

Hæc Cella noua dicitur, quia uetus in Miſnia celebre eſt Monaſterium.

Sæuierunt

Eruptio Thaboritarum in Miſniam.

Miſnia ſuperior eſt, reſpectu prouinciarum Saxoniæ, per quas Albis è Bohemia & Miſnia decurrit in mare.

Sæuierunt ubiq; Orphani (ſic enim ſe gaudebãt uocitari, quod ſine patre eſſent Principe, ſine matre Eccleſia, quam illi contempſere) & iam in Miſniam agmina conuerterunt. Principes inferioris (ut uocant) Alemaniæ, Vuilhelmus Dux Brunſuicenſis, Guntherus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Ioãnes Halberſtadenſis, Magnus Hildesheimenſis, Epiſcopi, Ludouicus Prouincialis Turingiæ, Ioannes Marchio Brandeburgenſis: Multi præterea Comites & Barones, magnis agminibus duxere in Bohemos. Et Quoniam in Miſnia confligendum uidebatur, uoluere Principes, ut iure militari, is, in cuius Principatu prælium iniretur, accipienda forte damna refunderet, caueretq; de + infecto. Marchiones illi, ſe tam magnis & multis Principibus, de damno cauendo putabant impares: Simul, quod nõ eorũ expeditio, ſed cõmunis populi Chriſtiani cauſa ageretur. Et ſi bene penſarent, ſingulorum res eſſent in medio. Superatis enim continentibus, facile Bohemos eſſe peruenturos ad proximos. Proinde Chriſti cauſam noſſent, non Miſnenſium, etſi in + illo ſolo confligeretur. Qua contentione in immenſum creſcente, cum finem non inueniret, tanta diſſoluitur expeditio. Effuſi in uentum labores & impenſæ. Cum igitur Orphani, tantum propter ſe collectum à Principibus exercitum, confligere in ſe non audere interpretarentur, in ſuperbiam uerſi, atrocius ubiq; deſæuiunt. Iam opinionem induerunt, quod inuicti omnibus eſſe uiderentur. Euerſa oppida, & expugnatæ arces, nõnullas urbes ciues ſua ſponte deſerentes, in tutiora ſe loca receperunt. Oppidum Plauue funditus exciſum, habitatoribus ad unum cæſis. Euerſa Monaſteria, Monachis crudeliter peremptis. Auſæ ſunt ferociſsimæ iam beluæ longius ducere. In Franconiam uſque peruenere. Ad Bambergam oppugnationem tentauere, ſed ciues auro redemerunt incommoda infanda. Nurenbergam præcipuam urbem adoriuntur, maluerunt & illi auro quàm ferro pugnare. Itaque accepta ab illis ingenti pecunia, inde mouerunt. Iam amplius quàm uni uexandæ prouinciæ, ſatis ſibi uirium habere uidebantur. Tripartito agmine ſe diuidunt. Pars in Vngariam, Alia in Poloniam, Tertia in Auſtriam duxit: Igni ferroque omnia fœdantes uaſtantesq;. Mirum & incredibile, ut cerneretur, tantam unius eſſe prouinciæ potentiam: ſed excreuit ferocia, per cæterorum ignauiam. Hæc ille. Martinus Papa V. ubi armatam hæreſim creſcere indies animaduertit, Cardinalem Vintonienſem, natione Anglum, Regia ſtirpe natum, in Germaniam proficiſci iuſsit, ut contra Bohemicam labem uicinas gentes in arma concieret. Cui & Imperator adiu-

addo + damno

Marchionum Miſnenſium æquitas.

+ illorum

Excurſus uſq; in Frãconiam.

Tripartitũ agmen Bohemorum.

Tres Germanorum exercitus.

mento fuit. Inſtituti ſunt ergo Tres Exercitus, Saxoniæ Duces, & quas uocant Stagnales ciuitates, in primo militauere. Secundum ex Franconibus conſtitutum, Marchio Brandeburgenſis ductabat. Tertio præfuit Otto Treuerenſis Archiepiſcopus, Quē Rhenenſes ſequuti ſunt & Bauari, ciuitatesq; Sueuorum Imperiales. Ingreſsi Bohemiam tribus locis, poſtquàm ſyluam penetrauere, iuncti ſimul, ante Miſſam caſtrametati ſunt, Sed cum hæretici, collecto raptim milite, eos properare nunciarentur, nō uiſum hoſtem fugerunt, Thachouiamq; petentes, inſtrumenta bellica cum præda ibi dimiſerunt, Syluamq; ingreſsi, Huſsitis ſuperuenientibus, profuſiori fuga fœdiſsimè fugerunt. Hoſtes impedimentis direptis, Tachouiam expugnantes, machinis bellicis potiti ſunt. Exin erumpentes in Miſniam & Franconiam, ea geſſere, quæ iam ſupra ex Alberto krantz memorata ſunt.

Fœda Germanorum fuga.

Anno Domini M.CCCCXXXI.

Dieta Imperialis.

Sigiſmundus Cæſar his auditis, magnum coēgit Nurenbergæ Principum utriusq; Ordinis conuentum, quem uulgo Dietam Imperialem uocant, ob noua contra Huſsitas auxilia comparanda. Martinus quoq; Pontifex Maximus, Iulianum Cardinalem ſancti Angeli, literis ac moribus excellentem, cū ea legatione in Teuthoniam miſit, ut Bohemis bellū inferret, & adueniente tempore in Baſilienſi Concilio, nomine Apoſtolico præſideret. Afferebat Cardinalis ille pleniſsimas Indulgentias (quas Cruciatam uocāt) in perfidos Huſsitas. Conuenit ergo inter omnes, ut in proximam æſtatem, generalis fieret expeditio in illos. Interea, dum illi conſultant, Huſsitæ rem factis potius quam uerbis tractantes, in Sleſiam primo, deinde in Marchiam erumpunt, more ſolito ſæuientes in omnem ætatē, ordinemq; & ſexum: templa & Monaſteria ſacrilegè direpta ſubuertētes, atq; etiā oppida Landesberg & Strusberg in Marchia expugnantes, Hiſq; ita peractis, præda onuſti domum reuerſi ſunt. Forma autem Bullæ Cruciatæ, ſic habet.

In Vandalia li. 11. c. 13.

Exemplar Bullæ Indulgentiarum contra Huſsitas.

Martinus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Iuliano, Sancti Angeli Diacono Cardinali, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Bulla Cruciata contra Huſsitas.

IN hac terreſtri patria gerētes (licet immeriti) uices Chriſti, leuamus uigiles, more paſtoris, tam mentales quam corporales oculos in circuitu, uiſuri, quid gregi nobis commiſſo expediat, & quid operis impendi debeat circa ipſum,

ipſum, ut illius fulti præſidio, cui cogitationes hominum præparantur, quicꝗ arcum fortium ſuperat, & infirmos robore potenter accingit: noſtri partes officij ſalubriter & utiliter apponamus, præſertim ad conſulendū gentibus, quæ à ueri luminis claritate fideiꝗ Catholica, in† nimiū perdentium tenebrarū miſerabiliter deuiarunt: Diabolica fraude deceptæ, ut dogmatibus & erroribus contagioſis Huſsitarum & Bohemorum, doctrinam Chriſti peruertere molientium, quibus fidem eandem quaſi nebuloſi fumi caligine obfuſcare ſatagunt, obuietur, hęreſesꝗ de finibus fidelium Chriſti extirpentur, necnon fideles ipſi, per illuminantis prædicatione & ſeminatione uerbi Dei antidotum, à noxijs erroribus huiuſmodi præſeruentur. Attendentes igitur, quod prædicatio uerbi, corda eorundem fidelium ad exterminium dictarum hæreſum, poterit plurimum excitare ad Dei gratiam & eiuſdem fidei augmentum, pro ut ex debito nobis commiſsi officij incumbit, ſectam deteſtabilem hæreſum & errorum prædictorum, ne propagetur ulterius, extirpare, inuolutoſꝗ erroribus eiſdem, in uiam ueritatis reducere, necnon animas eorum Deo (nobis ipſius Dei cooperãte gratia) totis conatibus lucrifacere affectantes: Te, qui ex cœleſtis doni prouiſione, promiſsionem in altis ac arduis, ac præſertim præmiſsis negocijs ſcis prouide conſulere, & utili conſilio prouidere, utilesꝗ fructus Deo placitos, & Vniuerſali Eccleſiæ acceptos, afferre: propter exaltationē eiuſdem Eccleſiæ (cuius res principaliter in hac parte agitur) & extirpationem hæreſum & errorum prædictorum in Regno Bohemiæ, & partibus illi adiacentibus, necnon Marchionatu Morauiæ, alijſꝗ terris & locis eis ſubiectis, in prædicationem uerbi prædicti, durante expeditione pro extirpatione iſtarum hæreſum & errorum, autoritate Apoſtolica, de fratrū noſtrorum conſilio: aſſumimus, conſtituimus & etiam deputamus: dantes & concedentes tibi, ubicunꝗ locorum te reſidere contigerit, uerbum ipſum per te uel alium, ſeu alios probos & idoneos præsbyteros, Deū timentes (Quos ad hoc, pro tempore duxeris eligendos) proponendi & prędicandi, ac fideles prędictos, ut ſignum uiuificę Crucis tam ſaluiferum recipiant, & cordibus eorum imprimant, monendi et exhortandi, ac illud ſuſcipere uolentes, cum ipſo ſignandi cæteraꝗ faciendi, per quæ fideles ipſi proſperari, ac hæreſes & errores huiuſmodi facilius exterminari poterunt & ualebunt, eadem autoritate, tenore præſentium, concedimus facultatem. Et inſuper, Vt dicti fideles, præfatum ſignum ſalutiferæ Crucis, citius atꝗ feruentius, & cōtra perfidos hoſtes illius, ut ueri pugiles Chriſti, promptius inſurgãt, Omnibus uerò pœnitẽtibus & confeſsis, qui prædicationibus huiuſmodi interfuerint, centū dies, Illis uerò qui Crucē

† inuium.

Prædicatio uerbi Dei, antidotum eſt contra hæreſes.

Veniarum conceſsio.

ſignati extiterint, infra tempus, per te uel eligendos prædictos eis præfigendum, pro extirpatione eiuſdem hæreſis, ac contra tenentes, dogmatizantes prædictos errores & hæreſes, uel illos quomodolibet fouētes, in proprijs perſonis, uel expenſis, ad loca tūc per te uel huiuſmodi eligendos nominanda, ierint, ſeu ibi ut interſint, ſiue fraude iter arripuerint, & in itinere uita functi extiterint, necnon illis, qui in proprijs perſonis illuc non acceſſerint, ſed iuxta ſuarum facultatū exigentiam, ſuis uel alterius, ſeu aliorum expenſis, unum uel plures bellatores deſtinauerint: Ac illis etiam, qui licet alienis expenſis, proprijs tamen perſonis adierint: plenam ſuorum peccatorum, de quibus corde contriti & ore confeſsi fuerint, remiſsionem impertimur. Cæteris uerò uniuerſis & ſingulis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus perſonis, quæ perſonaliter intereſſe, uel propter inopiam ſeu paupertatem alios deſtinare nequiuerint, (ut præfertur) dummodo durante huiuſmodi proſequutione negocij, in ieiunijs ſeu orationibus perſeuerauerint, ſuppliciter altiſsimum exorando, ut ipſis fidelibus præmiſsis uictoriam & triumphum, de ſua tribuat pietate: Necnon etiam alijs utriuſq; ſexus fidelibus, qui iuxta deuotionem & affectionem, etiam citra facultatum ſuarum exigentiam, aliquid pro extirpatione huiuſmodi contribuerint ſeu dederint, ſingulis diebus & uicibus, quibus hoc fecerint, LX. dies, de iniunctis pœnitentijs, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum & Pauli Apoſtolorum eius autoritate confiſi, miſericorditer relaxamus. Omnes quoq; (durante expeditione præfata) pro huiuſmodi conſummatione negocij, zelo fidei, impenderint conſilium & auxilium oportuna: Necnon illos, quos eodem ſigno Crucis muniri contigerit, & pro expeditione prædicta iuerint ſeu miſerint, (ut præfertur) illo priuilegio illaq; immunitate gaudere uolumus atq; decernimus, quæ Cruce ſignatis, pro terræ ſanctę ſubſidio tranſeuntibus, in generali Concilio ſunt conceſſa. Eorumq; perſonas, necnon familiares & bona, ſub Beati Petri & Pauli, & Apoſtolicæ ſedis protectionem recipimus, ſtatuentes, eadem bona, ad ipſorum reditum, uel donec de obitu eorum conſtiterit, illibata permaneant & quieta, Illaq; interim ſub locorum Ordinariorum protectione perſiſtant, ac per ipſos concedimus autoritate prædicta tueri: Mandantes eiſdem Ordinarijs, ut non permittant eoſdem Cruce ſignatos, contra huiuſmodi ſtatuti & conceſsionis tenores, pro quouis moleſtari. Moleſtatores & Contradictores quoſcunq; ac rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, Appellatione poſtpoſita, compeſcendo: inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij

Immunitas & rerum protectio pro ijs, qui cooperantur contra Huſsitas.

chij ſæcularis. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter uel diuiſim à dicta ſit Sede indultum, quod interdici & ſuſpendi, uel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam de uerbo ad uerbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Cæterum, ut ipſius uiuificæ Crucis ſigno muniti, aliiq; mittentes, reddantur huiuſmodi remiſsionum & Indulgentiarum magis capaces & aptiores, tibi ac eligẽdis presbyteris idoneis, ſæcularibus uel regularibus, eadem autoritate indulgemus, ut confeſsionibus eorundem diligenter auditis, ipſis pro commiſſis, etiam ſi manus uiolentas in Clericos uel religioſos iniecerint, uel incendiarij Eccleſiarum, aut aliàs ſacrilegi fuerint, in forma debita Eccleſiæ, abſolutionis beneficium impendas, ac quilibet per te eligendus impendat, ac iniungas uel iniungat pœnitentiam ſalutarem: Etiam ſi talia fuerint, propter quæ Sedes ipſa fuerat meritò conſulenda. Super uerò peregrinationis ſeu abſtinentiæ, & alijs uotis ſimilibus, quæ fideles emiſiſſent prædicti, etiam ſi ultra marina, uel Apoſtolorum Petri & Pauli eorundem limina, ſeu Beati Iacobi in Compoſtella, aut alia ſacra loca uiſitare uouerit. Et etiam ſuper omiſsis per negligentiam ſeu aliâs non impletis, diſpenſandi liberam tibi tenore præſentium etiam concedimus facultatem. Ita tamen, quod ipſi, cum quibus te uel eligendos præfatos, ſic diſpenſare contigerit, expenſas, quas ad huiuſmodi loca, iuxta tuam ſeu eligendorum prædictorum extimationem, & prouida moderatione taxationem feciſſent: in hanc expeditionem contribuant & pariter perſoluant. Volumus autem, & ſub Excommunicationis pœna præcipimus, quod ad audiendum confeſsiones per te deputati (ut præfertur) ultra unum medium Groſſum Bohemicalem, etiam ſponte oblatum, ac nulla arte quæſitum, à confitentibus ipſis recipere non præſumãt. Verum, quia difficile foret, præſentes literas ſingulis exhiberi, uolumus ac eadem autoritate decernimus, quod ipſarum literarum tranſſumpto, manu publica tuoq; ſigillo munito, tanquàm Originalibus literis huiuſmodi, ubiq; tam in iudicio quàm extra, firmiter ſtetur, atque plena fides adhibeatur, perinde ac ſi dictæ Originales literæ, forent exhibitæ uel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos III. Idus Ianuarij. Pontificatus noſtri anno Quartodecimo.

Eligendi Confeſſores.

Diſpenſatio ſuper uotis.

Quantum confeſſoribus recipere licet.

Tranſſumptum fide dignum.

Exemplar

Exemplar Epiſtolæ promulgationis per Legatum.

Iulianus miſeratione diuina, ſacroſanctæ Ro. Eccleſiæ S. Angeli Diaconus Cardinalis, in Germania Apoſtolicę Sedis Legatus, Reuerẽdo in Chriſto Patri & Domino, Epiſcopo Miſnenſi, uel eius uicario, Salutem, & mandatis noſtris, Immo uerius Apoſtolicis, firmiter obedire.

1. Cor. 11. Oportet (ut inquit Apoſtolus) hæreſes eſſe, ut hi qui probati ſunt, manifeſti fiant. Prouerb. 17. Quemadmodum aurũ in fornace probatur, ita uir iuſtus & ſciens Deum, in tempore tribulationis, Qui ſe murum pro domo Domini+defendit. +opponit. Crudeliſsima hæreſis Huſsitarũ. Proh dolor abominanda hæreſis Vuiclephiſtarum & Huſſitarum de Bohemia, omnes ſuperiorum temporum hæreſes, crudelitate ſuperans, diebus noſtris inualuit. Quæ tantam cordibus eorum obſtinationem & ſæuitiam inuexit, ut more Aſpidis ſurdæ Pſal. 57. obturantis aures ſuas, ad maternas uoces Eccleſiæ, & ſanctam doctrinam eius. Ita ut nec actione, ratione aut manſuetudine, uel exhortatione iam flecti poſſe uideantur: Ac pręter peſtifera dogmata, quæ omne genus blaſphemiæ proclamant, omnem humanitatem ac pietatem à ſe penitus exuerunt, & quaſi beluæ effecti, nihil aliud Sacrilegia & impietates. quam ſanguinem & prædam Catholicorum anhelant. Horum ſcelera & ſacrilegia in Deum & homines, ac Sacramenta Eccleſiæ & templa Deo dicata, homicidia, rapinæ, & omnis humanæ politiæ ſubuertendæ cupiditas, tam notoria ſunt & omnibus manifeſta, ut ſuperuacuum ſit narrare per ſingula. In armis & uiolentia ſolum confidunt, ferroq́ & igne errores ſuos defendere conantur: Et ſuper omnia ſanguinem Catholicorum ſitientes, quoſcunq́ ſuis erroribus non acquieſcentes, ferali crudelitate trucidant & cremant, & deformiter mutilant, uarijſq́ cruciatibus affligunt. Quam turpiter aũt & ignominioſe cõtractent diuinæ Euchariſtiæ Sacramentum, quod prophanis pedibus in ſanguine occiſorũ conculcant, Quam immaniter frangãt et exurẽt, Imagines Domini noſtri Ieſu Chriſti, & glorioſiſsimæ Virginis matris eius, omniumq́ ſanctorũ, Eccleſias & Oraria à fundamentis demoliantur, nimis lachrimabile eſt referre. Aduerſus huiuſmodi tam rabidam & armatam hæreſim, iuſtiſsimè ac plurimum meritoriè Catholici Principes armis & bello potenter inſurgunt. Ipſis enim à Deo gladij poteſtas conceſſa Rom. 13. eſt, ſecundum Apoſtolum, ad uindictam malorum, laudem uerò Dieta Nurenbergæ habita bonorum. Propterea Sereniſsimus Princeps & Illuſtriſsimus Dominus, Dominus Sigiſmundus, Dei gratia Romanorum, Vngariæ & Bohemiæ, &c. Rex, cupiens, tanquam defenſor & aduocatus Eccleſiæ, hanc peſtiferam hæreſim penitus extirpare, pridem in hoc oppido Nurenbergẽſi cum Reuerẽdis Patribus & Illuſtribus

Dominis

Dominis, ſacri Rom. Imperij Electoribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Principibus, Ducibus, Comitibus & Baronibus, & Cōmunitatum Ambaſiatoribus cōueniens, unanimiter, pro defenſione fidei, nobis ibidem præſentibus, deliberauit atq; concluſit, ut in proximo feſto Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ, potentē ac ualidum exercitum ex tota Germania, in metis Bohemię, in Vuyden ante ſyluam congregare; Proceſſurus (Deo propicio tamen) debito ordine in Bohemiam, ad extirpationē hæreticorū, ſi nolint ad gremium reuerti ſanctæ matris Eccleſię. Sed cum pię preces & orationes, ad uictoriam plus quam arma ualere conſueuerint, imitari debemus ſanctum Moyſen, qui pro populo pugnante orabat, & quam diu in cœlum tendebat manus, uincebat populus: Cum autem dimittebat, uincebatur. Imitemur etiam ueteris Teſtamenti Leuitas, qui clangendo tubis populum animabant in bellis. Oremus ergò ſine intermiſsione ſuppliciter & deuotè, lachrymiſq; & precibus impetremus à Deo gratiā, ut exercitus noſter Catholicus, pro domo Domini & ſalute populi certaturus, uictoriam obtineat de inimicis fidei. Exhortemur etiam ipſos pugiles fidei & Catholicos Athletas, prædicationibus, monitionibus & maiorum exemplis, ne permitrāt Sanctuarium Domini à nephandis hoſtibus pollui. Armemus ipſos & roboremus ſalutifero uiuificæ Crucis ſigno, doniſq; ac gratijs ſpiritualibus inuitandos, ut cōfidenter ac fœliciter inimicos Dei & hominum debellent. Quare nos (ut tenemur) uolentes cōmiſsionem, per ſedem Apoſtolicam nobis iniunctam, diligenter exequi, cupienteſq;, ut hoc ſanctū opus fœliciter conſummetur: tenore pręſentium ueſtram Paternitatē hortamur, monemus, et requirimus, & in uirtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, Quatenus ſine dilatione in ueſtris Cathedrali, & alijs Collegiatis cōuentualibus & Parochialibus ueſtrarū ciuitatis, & Diœceſis Eccleſijs, ſolenniter orare, ac uerbū Dei et Apoſtolicas Indulgentias, ad exhortationem & incitationem fidelium, durante huiuſmodi expeditione, prædicari & annūciari ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis, faciatis: Diſcretoſq; et idoneos ſacerdotes, cū poteſtate Cruce ſignandi & abſoluendi, & alia faciendi, quæ in literis Apoſtolicis continentur, iuxta formā & tenorem ipſarum (Quarum copiam ſub noſtro ſigillo & manu publica authenticā, uobis trāſmittimus) ordinatis ac deputatis. Datum Nurenbergæ Bambergenſis Diœceſis anno Domini M.CCCCXXXI. Indictione Nona, die uerò Viceſima menſis Martij, Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Eugenij, diuina prouidentia Papæ Quarti anno Primo. Martinus nanq; Papa iam defunctus erat,

Preces ad Deum pro pugnantib.

Exo. 17.

Num. 10.

Exhortatio nes ad milites.

haud diu enim, poſt æditam à ſe Bullam Cruciatæ, ſuperuixit, cui legitima electione ſucceſsit Eugenius IIII.

Exemplar epiſtolæ Executionis Bullæ Apoſtolicæ.

Hic eſt Ioannes Hofeman, uir Doctiß. Qui et Pragæ Rector Vniuerſitatis olim fuerat, antequam hæreſis inualuiſſet, & inde cũ cæteris Germanis Lipſiã profectus, egregia quædam opuſcula contra Hußitas compoſuit.

Ioannes, Dei Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Eccleſiæ Miſnenſis, uniuerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, ac eorum loca tenentibus, Prędicatoribus per Diœceſim noſtram Miſnenſem ubilibet conſtitutis, Salutem & ſynceram in Domino charitatem.

Literas Reuerendiſsimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Iuliani ſacroſanctæ Rom. Eccleſię Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis per Germaniam Legati, recepimus: Quarum tenorem uobis unà cum præſentibus tranſmittimus, noſtro ſigillo ſigillatam, earumq́ue uigore ac Apoſtolica autoritate, nobis in hac parte conceſſa, & uobis & ueſtrum cuilibet, in uirtute ſanctæ obedientiæ, diſtrictius ſub Excommunicationis pœna, præcipiendo mandamus, Quatenus quilibet ueſtrum, ipſas literas earumq́ue tenorem ſiue mentem, ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis, coram populo ueſtro publicare materna lingua curetis, populum ad aſſumendum Crucem, ad proficiſcendum contra damnatos hæreticos, exhortemini, ac earundem literarum debitæ executioni fideliter & diligenter intendatis. Cum autem de idoneis ordinandis Confeſſoribus, qui ſcientiam habeant debite inter peccata diſcernendi, attentius circumſpicere expedit, Tales, de quorũ idoneitate & ſufficienti ſcientia ueriſimiliter confidimus, in locis ſubſcriptis ad audiendum confeſsionem ſibi confiteri, & operam poſsibilem ad hoc ſanctum negocium exequendum præſtare uolentium, & abſolutionis debitę beneficium, ſecundum formam Eccleſiæ ſanctę, impendendum, conſtituimus & ordinamus: Eiſdem ſic ordinatis Confeſſoribus iniungentes, ut Deum prę oculis habentes, ſic prudenter ſibi iniunctum, in hoc negocio fidei, officium exequantur, ut in abſoluendo formam Eccleſiæ obſeruent, limites ſibi traditæ poteſtatis non excedant, & ſaluti proficiant animarum. Datum Stolpen, anno Domini M.CCCCXXXI. feria tertia poſt Dominicam Iubilate, noſtro ſub ſigillo.

Ingens contra Hußitas exercitus.

Conflatus eſt ergò hoc modo ingens contra Huſsitas exercitus, cui à Cæſare deputatus fuit Dux belli, Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Princeps Elector, quem duo ſequebantur filij, Ioannes & Albertus, Albertus item & Chriſtophorus Duces Bauarię, Dux Saxoniæ Fridericus: Societas Sueuorũ, quam Sancti Georgij uocant,

uocant, & Imperialium ciuitatum Epiſcopi, Bambergenſis, Herbipolenſis, Eiſtetenſis, & aliorum Principum auxilia, ut XL. Milia Equitum, ſub ſignis tum fuiſſe tradantur. Et adhuc maior eorum numerus fuiſſet, ſi Comes Palatinus Rheni, & Dux Lotharingiæ non fuiſſent inter ſeſe bello præpediti. Quos Iulianus Cardinalis fruſtra opperiens, diem præfixam (quæ erat VIII. Calendas Iulij) protraxit uſq; ad Calendas Auguſti. Ex altera quoq; parte Bohemiam ingreſſurus erat Dux Auſtriæ Albertus, qui retroceſsit, ubi comperit, iſtum exercitũ facere moram. Ingreſſus deinde Cardinalis cum numeroſo exercitu, multas hæreticorum uillas incendit oppidaq; diripuit, in extremis regni partibus. Et miles Germanus, ut Hußitanæ crudelitati uices rependeret, neq; ætati neq; ſexui in perdendis hæreticis pepercit. Hußitæ harum rerum non ignari, habebant expeditas in armis Legiones, & uiciſsim Catholicorum domicilia ferro atq; igne uaſtabant. At priuſquàm uenirent in conſpectum exercitus Germanici, cœptum eſt in caſtris Catholicorũ repente trepidari, ſiue, quia proditio ibi fuit, aut inanis ſua ſponte mentes hominum pauor inuaſit (ut ait Æneas Syluius) ſiue, quia terribili incendio tentoria Principum conflagrarunt, incertum unde, ab hoſtibus, an per incuriam (uti narrat Albertus Krantz) & ex ea trepidatione fœdiſsima ſequuta eſt fuga, incaſſum reclamante Iuliano Legato, & ad ſtandum contra hoſtes adhortante. Hic autem uariant autores: Æneas enim ſcribit, noſtros fugiſſe antequàm aduenerunt hoſtes: Krantz uerò affirmat, dum noſtri equos & arma ex caſtrorum incendio educerent, ſuperueniſſe hoſtes, ex uicino oppido Satz, qui noſtros ſubito malo attonitos & imparatos aggreſsi, facile in fugam compulerint. Ex altera uerò parte, Dux Auſtriæ Albertus, cum accepiſſet, intraſſe Bohemiam cum exercitu Cardinalem, ipſe quoq; iterum ex Auſtria coactis copijs in hæreticos duxit, Prazorouiamq; munitum oppidum oppugnare adorſus eſt. Sed fuga Cardinalis cognita, ab incepto deſtitit, & per Morauiam (quæ nondum ei parebat) infeſta ſigna circumferens, ſupra Quingentas uillas ferro atq; igne deleuit: Oppida multa ui cepit atq; diripuit, mortaliũ maximã cædem fecit, adeoq; gentem illam afflixit, ut iugum eius accipiens, parere ſibi ea lege promiſerit, ut circa religionem id ſequi teneretur, quod Baſilienſe Concilium decerneret. Hæc Æneas. Ecce hic unus Dux plus effecit, quàm ex altera parte effecerunt tam multi Principes tanto cum exercitu Germanorum fortiſsimæ gentis. Quis autem putaſſet XL. Milia Equitũ Germanicæ Nationis, tam leuiter in fugam compelli poſſe? Arbitror equidẽ ne Turcã quidem, potentiſsimum

Crudelitas belli utrinque.

Fuga Germanorum.

In Vandalia lib. 10. cap. 36.

Expeditio Ducis Auſtriæ Alberti.

Infortunati exercituum duces Cardinales & Epiſcopi.

alioqui plurimorum regnorum ac prouinciarũ Tyrannum, hodie auſum eſſe cõgredi XL. Milibus Germanorum Equitum, qui ante biennium Imperatoris noſtri CAROLI V. exercitui in Auſtria congredi non audebat, cum nequaquã tantus ibi fuerit Germanorum Equitũ numerus. Nolo equidem temere hic iudicare, ſciens iudicia Dei eſſe occulta & abyſſum multam. Nunquàm tamen laudauerim, Duces exercituũ fieri Cardinales & Epiſcopos, aut ullos ſacerdotes. Id enim, ut minime decet eorum officium, ita & diuinis & humanis legibus prohibitum eſſe dinoſcitur. Quemadmodum eſt uidere in Decretis XXIIII. quæſt. VIII. per totum. Hic ſufficiat breuiter indicaſſe, quod in lege ueteri, cum numeraretur exercitus pugnatorũ, Leuitæ non ſunt numerati inter filios Iſraël. Sic enim præceperat Dominus Moyſi, paulo ſuperius, dicens. Tribũ Leui noli numerare, neq; pones ſummã eorum cum filijs Iſraël, ſed conſtitues eos ſuper tabernaculum teſtimonij, & cuncta uaſa eius, & quicquid ad cæremonias pertinet. Et in lege noua dixit Chriſtus Petro. Conuerte gladium tuum in locum ſuum. Et Paulus Timotheo. Oportet Epiſcopum eſſe irrepræhenſibilem, non percuſſorem, &c. Cardinalis Legatus rebus in Bohemia infœliciter geſtis, in Germaniam reuerſus, perrexit Baſileam ad proſequendum Generale Concilium, iam antea Ro. Pontificis Martini V. autoritate indictũ, & noui Pontificis Eugenij IIII. conſenſu ac iuſſu confirmatum: Quemadmodum & in actis Concilij, & in quadam Iuliani ad Eugenium epiſtola clariſsimè narratur. Cum uerò Eugenius poſtea ſententiam mutaſſet, & Concilium uel protrahere, uel à Baſilea transferre uellet, Iulianus bene longam ad eum ſcribens epiſtolam, X. cauſas opponit, ne id faceret. Inter quas ſanè una eſt, Quod Nobiles & Militares Alemaniæ, qui in exercitu fuerant, interpellarũt ipſum, aſcribentes culpam fugæ ſolis Principibus, offerentes ſe iterũ cum multo maiori exercitu regredi proxima æſtate in Bohemiã, ubi uel mori uel uincere intenderent, ſi ab Eccleſia daretur eis ſubſidium cõmunium expenſarũ, quæ forſitan XXX. Milia ducatorum (ut ipſe putabat) non excederent. At nullum Principem uellent habere ſecũ, ſed eligere Capitaneũ, quem rerum experientia idoneum iudicarent. Quos ipſe adhortatus fuit, ut in ſancto iſto propoſito conſtanter perſeuerarent. Nam ipſe ſubſidium illud procurare uellet, ſiue à Rom. Pontifice, ſiue à Generali Concilio. Altera uero cauſarũ erat, Quod Philippus Dux Burgundiæ, ea potiſsimum ratione treugas biennales cum Carolo, Rege Frãciæ fecit, ut extirpationi Huſſitarũ poſsit intẽdere. Cui ipſe Cardinalis Legatus, cõſilio Archiepiſcopi Coloniẽſis, iam ſcripſerat, ut

expeditionem

Anno Domini 1531.

Num. 1. & 2.

Matth. 16.

1. Tim 3.

Inchoatio Concilij Baſilien.

Nobiles Germaniæ bellum cõtra Bohemos inſtaurare cupiebant.

Philippus Dux Burgundiæ.

expeditionem Bohemicam ſuſciperet. Cui ille reſcripſit, quod uelit Baſileam Ambaſiatores mittere, ad practicãdum illud negocium, ad quod ultro inclinatus eſſet. Sed & illam adiungit cauſam pro Concilio neceſſariam. Quia cum poſt fugam magni illius exercitus Germanorum, multi domini & oppida uicina Bohemiæ, treugas iniję ſſent cum Huſsitis, ne alij hoc facerent, iſti de Concilio miſerunt duos egregios uiros per Auſtriã, Bauariam, Franconiam & Miſniã, ac circumcirca ad uicina Bohemię loca, ut exhortarentur populos & dominos, ad perſeuerandũ in fide, quia Concilium omnino adhibiturũ ſit remedium, ad extirpandam illam hæreſim. Et multo maximè neceſſariam celebrandi Concilij cauſam adducit, Quia ipſi Bohemi iam ad Concilium uocati eſſent. Nam poſt fugam noſtrorum, ſcripſerat quidam Bohemiæ Baro, ad Nurenbergam, quod regnum illud armis debellari non poſsit, ſed agendum concordia & tractatu.

Anno Domini M.CCCCXXXII.

Erat Sigiſmũdus Cęſar iam in procinctu, ad ſuſcipiendã Romæ Imperij Coronam ab Eugenio Papa, Conciliũ miſit ad eum, Feldkirchij tum agentem, duos Oratores, Ioannẽ Gelhuſium Monachum Mulbrũnenſem, & Hamanum Offenburgium, Conſulem Baſilienſem. Quibus literas dedit Cæſari reddẽdas, per quas uocarentur ad Concilium Bohemi & Moraui. Eas Cæſar Egram miſit, ut inde per Egrenſes tranſmitterentur Pragã. Deinde miſſi à Concilio Ioannes Nider, Ordinis prædicatorum Theologus, & prędictus Ioannes Gelhuſius, uenerunt Monacum, ubi admonuerunt Ducem Bauariæ Vuilhelmum, ut Baſileam quàm primum ſe reciperet, quod ei tutela Cõcilij commiſſa eſſet à Cæſare. Inde Nurenbergam uerſus euntes, admonuerunt alios Principes Bohemis uicinos, ne ullum cum Bohemis fœdus ineant, quod Eccleſiæ nocere poſſet. Bohemos autem ad Cõcilium ituros, per ſuam quiſq; regionem ſaluos deducerent. Deinde cum Senatum Nurenbergenſem conſuluiſſent, de mittendis in Bohemiam literis Synodalibus, uiſum eſt melius eſſe, ſi prius ſciſcitarẽtur ab Egrenſibus, num aliquid ad ſuperiores Concilij literas Bohemi reſpondiſſent, quas ipſi perferendas curaſſent. Egrenſes per literas moniti, tabellariũ illum Nurenbergam miſerunt, qui literas Concilij in Bohemiam ante pertulerat. Is retulit, quanta cum reuerentia literas accepiſſet Conſul maioris ciuitatis Pragenſis, & quibus ipſe præmijs fuiſſet donatus. Vnde ſpem Legati conceperunt, rem bene proceſſuram eſſe. Remiſerunt itaq; eundem tabellarium ad Egrenſes, & ſuis priuatim et Concilij literis oneratũ: Cum non eſſet commodior ratio literas

Nũcij ẽ Cõcilio ad Cæſarem.

Literę Cõcilij ad Bohemos.

X iij in

Cōuentus Bohemorū cum Oratoribus Cōcilij in Egra.

in Bohemiam mittendi. Porro Bohemi, non per omnia noſtris fidentes, in literis ſuis petebant, ut Oratores Concilij cum Principibus uicinis Egram uenirent, ſuoſq; illic affuturos, ut de publica fide danda (quam ſaluum conductum uocant) & alijs rebus tractaretur. Decretus eſt ei conuentui, dies XXVII. Aprilis. Quæ erat Dominica Quaſi modo geniti. Venerūt itaq; illuc die præfixo Concilij Oratores ſupradicti, Nider, qui erat Prior Conuentus Prædicatorū Baſileę, & Ioānes Gelhuſius, & cum ijs Fridericus de Paraſbergo, Decanus Ratiſponenſis, Iuriſcōſultus: Albertus præpoſitus & Paſtor apud S. Sebaldum Nurenbergenſis: Henricus Tockius Canonicus Magdeburgenſis, Theologus: Et præter eos Fridericus Marchio Brandenburgenſis: Ioānes Dux Bauarię, alijq; Proceres cum CCL. equis. Verum de Bohemis nemo aderat, quia Pilzenenſes & Dominus Suanbergius non miſerant eis ſaluum conductum. Id cū ex literis noſtri intellexiſſent, effecerunt, ut ab Egrenſibus & Cubitenſibus nuncij Bohemorū, Nicolaus Humpoltzius, Secretarius maioris ciuitatis Pragenſis, et Mathias Clumpczanus, præfectus Pieſtenſis, deducerentur. Qui Egram uenerūt cum XIX. equis, VIII. die Maij. Poſtridie apud Marchionem Henricus Tockius eleganti oratione Bohemorum nuncios ſalutauit, ſumpto ex Euangelio themate, Pax uobis. Mox ipſi propoſuerūt, quàm atrocibus iniurijs à nobis fuerint affecti, eamq; rem extitiſſe cauſam tot utrinq; cladium. Deinde diſputatum eſt de ſaluo conductu, Obſides poſtulabant Bohemi, non quoſuis, ſed Principes & Nobiles. Id cum noſtris non placeret, & res ita differretur, cœpit uulgus apud Egram clamare, quo minus cū Bohemis procederet cōcordia, per Eccleſiaſticos ſtare & Principes. Proinde ſupradicti Duo principes, ſuapte ſponte ſe obligarunt. Hoc idem paulò poſt (rogante Synodo) fecit protector Concilij Vuilhelmus Dux Bauarię, item ipſa Synodus, & Sigiſmundus Cęſar. Præterea promiſſio facta eſt, hoc idem omnes Principes & ciuitates præſtaturos, per quorum ditionē eſſent profecturi Bohemi, atq; adeo ciuitatē ipſam Baſileenſem. Quę ſane diplomata ſalui cōductus, paulo poſt miſſa ſunt Pragam. Durauit conuentus ille Egrenſis dies XXI. In quo & ornatiſſimi uiri fuere, Conradus Kunhofer Iuriſconſultus, & Petrus Volkamer Conſul Nurēbergenſis, iuſſu ſumptuq; ciuitatis ſuę.

Saluus conductus Bohemis promiſſus per Principes.

Duo Bohemorum exploratores.

Bohemi tamen, adhuc ſubdubitantes de fide noſtrorum, Duos delegerunt nuncios, Nicolaum Humpoltzium & Ioannem Zarzenſem, qui Baſileam irent, et cuncta diligenter explorarent. ij per noſtros illuc deducti, cum ueniſſent Baſileam, uino & piſcibus fuerunt à Senatu donati, mãſerūtq; ibi dies Quinq;. X. die Octobris

uenerunt

uenerunt ad Synodum, quæ conuenerat apud Prædicatores. Hi ergo nuncij, domum reuerſi cum diplomatibus Concilij, cum indicaſſent quæ uiderant, rem ſcilicet ſerio agi, nec ſubeſſe dolum: delecti ſunt Oratores ad Concilium mittendi de regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ. Inter quos, præcipui nominis erant Procopius Raſus, ductor exercitus Taboritarum: Magiſter Ioannes de Rockyzana, Concionator, & Pſeudoapoſtolus Pragenſium: Magiſter Nicolaus de Peletzo Taborenſium Pſeudoepiſcopus: Magiſter Petrus Payne de Anglia, patria profugus: Vuilhelmus Coska, non tam Equeſtri dignitate, quàm Eccleſiarum direptione inſignis: & Mathias de Clumpezan, Præfectus Pieſtenſis, cum CCC. equis. Qui cum in Tuſca cōueniſſent, illinc per noſtros in Chambiam ſunt deducti, ſub ſaluo conductu Epiſcopi Ratiſponenſis cum XXXII. equis, inde Suandorphium, Et cum Nurenbergæ iam uicini eſſent, Mathias Clumpezanus uexillum protulit, cuius una pars Crucifixi imaginem habebat depictam, altera calicem Euchariſtiæ figura ſuperpoſita, ſicq; Nurenbergam ingreſſi ſunt. Verum, cum à noſtris moniti eſſent, id poſtea nuſquam fecerunt. Nurenbergenſes præter uinarium atq; piſcarium munus, etiam XXII. equites conceſſerunt, qui illos Vlmam comitarentur.

Anno Domini M. CCCCXXXIII.

Quarta die Ianuarij peruenerunt Baſileam. At ſub eorum aduentum, effuſus extra mœnia Vrbanus populus. Ex Synodo quoque complures ad portas, alij frequentes in plateas, qua tranſitus eſſet, conuenire: Matronæ, pueri, puellæ feneſtras & tecta complere: alij hunc, alij illum digito deſignare, peregrinos habitus, non uiſa prius ueſtimenta mira, horribiles hominum facies, truces notare oculos. In unum tamen cuncti Procopium Raſum defigere lumina, ac dicere. Illum eſſe qui toties fidelium fudiſſet exercitus, qui tot oppida ſubuertiſſet, tot hominum milia neci dediſſet. Quem ſui pariter atq; hoſtes metuerent, inuictum Ducem, audacem, intrepidum, necq; labore neq; timore ſuperandum. Poſtridie (ut ait Æneas) uel Nono die (ut non nulli habent) eiuſdem menſis, cum Synodū acceſsiſſent Bohemi, Iulianus Cardinalis, Legatus, illos benignè allocutus, longam & luculentam habuit orationem, ad ea, quæ pacis & unionis eſſent, eos cohortans. Cuius ſanè orationis initium ſic habet. Locuturus pro publica populi Chriſtiani utilitate, opus mihi eſſe arbitror, ut perſonam priuatam exuam, & induam publicam: & tam publicam, ut omnes compræhendat, & nemo ab eius iuriſdictiōe eximatur, &c. At prolixior eſt ea oratio,

Ingreſſus Bohemorū in Baſileā.

Bohemi à Cardinale Iuliano egregia oratione exhortati.

quam ut hic commodè recitari aut interſeri queat. Digna alioqui, atq; etiam neceſſaria, ut hoc tempore legeretur ab omnibus, qui de ſcripturis ſuperbientes, Eccleſiæ autoritatem, uel parui faciunt, uel omnino contemnunt. Cæterum Bohemi, quibus par facundia non erat, pauca reſponderunt. Extat autem in quodam uetuſto codice Ioannis Rockyzanæ reſponſio. In hæc ſanè uerba.

Collatio ſeu Præſentatio Bohemorum coram Domino Legato, præſidente in Concilio Baſilienſi.

Oratio M. Ioan. Rokyzanæ. Ipſe Dominus Deus Nazarenus, qui eſt crucifixus, in cordibus omnium noſtrum ſit abunde fixus. Pater Reuerende, coram Paternitate ueſtra uerbum proponendum iam affluens eſt iſtud. Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſsimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. 2. Corinth. 1. Cum heu his noſtris nouiſsimis & periculoſis temporibus, refrigeſcente charitate, & ſuperabundante iniquitate, omnes deliquimus, proiecimusq; à nobis iudicia Domini uera, iuſtificata in ſemetipſa. Ac per hoc inutiles facti ſumus, cum non ſit qui faciat bonũ, etiam uſq; ad unum. Scribitur Pſal. 13. Ipſe tamen Deus benedictus, benignus, multũ miſericors, & præſtabilis ſuper malitia. Iohel. 2. Qui non ſolum pater miſericordiarum, ſed eſt & pater luminum, gignens ex ſe uero Deo & lumine uerum Deum & lumen, coæternum ſibi & conſubſtantiale. A quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt deſurſum deſcendens, Iac. 1. Hic, inquam, pater eſt miſericordiarũ, perfundens ſuæ miſericordię & bonitatis radios in orbis quamlibet partem. Qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius, cum ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Afflictio. Matth. 5. Hic, inquam, talis, uolens reducere deordinatiſsima noſtra ad ſua iudicia primitiua, etſi affligat filios Eccleſiæ multiplicibus afflictionibus et uarijs perturbationibus, non tamen aufert ab illis miſericordiam, Quia eſt pater miſericordiarum, & Deus to-
Pſal. 88. tius conſolationis. Sicut in Pſal. dicitur. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: ſi iuſti-
Luc. 10. tias meas prophanauerint, &c. Ipſe enim more illius Samaritani,
Pſal. 93. exiſtens pater miſericordiarũ, infundens uinũ, infundit & oleum, cum ſecundum multitudinem dolorum noſtrorum, conſolationes ſuæ animas noſtras lætificent. Et meritò, quia eſt Deus totius con-
Cõſolatio. ſolationis. Conſolatus eſt nanq; nos, ex huius uenerandi Concilij

Baſilienſis

Baſilienſis ſimultanea aggregatione & celebratione, Cum ſciamus, ipſa Cōcilia (quæ tamen ſunt debitè, ritè & legitimè per ſpiritum ſanctum celebrata) plurimorum malorum reſecatiua fore & amputatiua. Sicut hoc apparet notanter in Primo Concilio Apoſtolorum (de quo actuum XV.) celebrato. Conſolatus depoſt nos ipſe Dominus, qui eſt Deus totius cōſolationis, de pia & multum paterna per ipſum uenerandum Concilium Baſilienſe, ad intereſſendum præſentialiter, euocatione: Sicut hoc apparet ex epiſtolarum uariarū nobis miſſarum diſertiſsimis hortamentis. Conſolatus eſt inſuper nos ipſe Deus per ſecuram, tutam, honeſtam ſiue honorificam uariarum perſonarū, ſpiritualium & ſæcularium, probarum & honeſtarum, in hanc ciuitatem Baſilienſem, deductionem. Conſolatus eſt & ſuper hoc ipſe Deus nos, per honeſtam diſpoſitionem, etſi non in actu exercitatam, in debita tamen diſpoſitione ordinatam, ut in ipſo aduentu noſtro & approximatione ad locum ciuitatis Baſilienſis, in uia extra ciuitatem occurſus certarum perſonarum & exitus, pro noſtri decenti ſuſceptione fuiſſet celebratus. Harum autem omnium conſolationum (ſi tamen aliquid ſapimus) hoc plene cognoſcimus, Paternitatem ueſtram fore cauſam & actorem unum, præcipuum & principalem. Quare nos præſentes nomine & abſentum Bohemorum, ſæcularium & ſpiritualium, grates reddimus cum debita reuerentia perualidas. Cupientes Paternitatem ueſtram beneualere, & in longa tempora, per altiſsimū ſingula conſeruantem, in profectum Eccleſiæ conſeruari. Offerentes nos Paternitati ueſtræ in omnibus, in quibus ſaltem ualemus ſecundum Deum obſequi & famulari. Sperantes de Paternitate ueſtra, & ſuper hoc in Deo confidentes: quia manum ueſtram in ulteriora dirigetis, ut ea quæ ſunt ueritatis, legis Chriſti immaculatæ iuſtitiæ, unionis ſanctæ & pacis, ſortiantur effectum, finem debitum & proſecutionem, Quatenus nos ipſi ſic conſolati, poſsimus, ad propria remeantes, conſolari & eos, qui ſunt in omni preſſura & anxietate, atque graui oppreſsione per bella his in annis & diebus periculoſis, altrinſecus contra ſe mutuo continuata. Vt ſic reueniamus cum exultatione + offerentes manipulos gaudij, unionis, pacis & quietis, Quod ipſe pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis donare dignetur, Qui uiuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Card. Iulianum.

+ afferentes

Poſthæc poſtulauit idem Rockyzana Bohemorum nomine diem, quo audirentur: Deſtinatus eſt eis itaq; dies XVI. Ianuarij, Quo die ipſe primum articulum, de communione ſub utraq; ſpecie, proponere cœpit, uſq; in Tertium diē ſemper ante meridiem. Deinde

Audientia Bohemis pro Quatuor ſuis articulis data.

bus fortiter impugnaret. Ante iſta, cum auditi fuiſſent Bohemi, piam ad eos orationem habuit Præſidens Concilij, Iulianus Cardinalis Legatus, dicens. Audiuit hæc ſancta Synodus, per Decem dies magna cum patientia, Quatuor ueſtrorum articulorum propoſitiones, ſingulaq; à uobis dicta notauit diligenter & accuratè. Inter quæ illud potiſsimum animos noſtros exhilarauit, quod in principio ſermonum ueſtrorum, uos inſtanter deprecati eſtis, ut omnem ſuſpicionem ſiniſtram aduerſus uos de cordibus noſtris ejceremus, piamq; & charitatiuam aſſumeremus de uobis æſtimationem. Lætificati etiam non mediocriter nunc ſumus, audientes per organum Magiſtri Ioannis de Rokyzana, uos magnum unionis & pacis habere deſiderium. Quod autem nobis gratias agitis pro benigna & charitatiua audientia uobis tradita, nihil aliud dicendum eſt, niſi quod gratum nobis eſt, ſiquid gratum uobis fecerimus: Idemq; in omnibus, quantum cum Deo poterimus, nos facturos eſſe pollicemur. Nec parum nobis conſolationis attulit Proteſtatio, per eundem Magiſtrũ Ioannem explicata in principio, ac deinde per alios ſequentes repetita. Inter alia hæc uerba cõtinens. Credimus inſuper domum ſuam, ſanctam Eccleſiam fundatam tam firmiter ſuper firmam petram, quod portæ inferi aduerſus eam præualere non poſsint. Quę, ſecundũ Gregorium et Auguſtinum, eſt uniuerſitas fidelium per totum mundum diffuſa, creſcitq; & fructificat in mundo uniuerſo: Adijciẽtes quod prompti eſtis in ſpe ipſius capitis Chriſti Domini, mortis diræ potius ſuſtinere martyrium, quam electiue aliquid dicere, quod foret Chriſti ſuæq; Eccleſiæ, uerę ſponſæ contrariũ uoluntati. Ex his omnibus, ſi animus ueſter huiuſmodi uerbis correſpondet, bonã ſpem futuræ unionis concipimus. Nec nos reliqua terrent, quæ poſtmodum in expoſitione ipſorum articulorum dixiſtis. Dummodo enim mens parata ſit, ueritati, cum oſtenſa fuerit, acquieſcere: uerba, quæcunq; poſtmodum proferantur, non multum animo aduertenda ſunt. Intentio hominis illa eſt, quæ ex omni re primum conſyderari debet. Iſta opus gratum uel ingratum efficit. Hæc merito oculus hominis appellatur: Qui ſi ſimplex fuerit, iuxta ſententiã Saluatoris, totum corpus lucidum erit. Si intentio recta ſit in cordibus ueſtris, quẽadmodum uerba ueſtra recte intellecta ſignificant, nõ niſi bonos fructus hinc naſcituros ſperamus. Intentio nanq; hominis arbor eſt, quæ (ut inquit Dominus) ſi bona ſit, non poteſt malos fructus facere. Quanq; alicuius arboris cortex durus ſit, & folia amara: ſi tamen ipſa arbor in ſe bona ſit, fructus bonos facere neceſſe eſt. Cum igitur talem mentẽ uos habere dicatis, & ad hoc

Oratio altera Car. Iuliani ad Bohemos.

Eccleſia.

Intentio.

Matth.6. *Luc.11.*

hoc ſacrum Concilium rectiſsimam intentionem ad ueritatem & charitatẽ ſuper omnia gerat (cuius rei euidens teſtimonium uobis perhibere poſsint epiſtolæ multæ ad uos miſſæ, diligentiaq́ in ueſtra uocatione adhibita ;) Reſtat, ſiqua inter nos utrinq́ uerba proferre contingat, ſiue aſpera ſiue pungentia, aut forte quæ + cõmuniter ſonare uideantur, ut nemo noſtrum turbetur neq́ formidet, nec propterea ſpes utrinq́ cõcepta, quoquomodo dirimatur. Sed quando ſermonẽ aſperum aures noſtræ aut ueſtræ audierint, mox utriuſq́ partis intentionem ad memoriam reuocemus. Tunc benigni erimus & patientes, non æmulabimur, neq́ inflabimur, non commouebimur, nõ irritabimur, ſed charitatiue inuicem alter alterũ ſupportabimus. Nimirum quia charitas, ex qua huiuſmodi procedit intentio, ita nos facere ſuadebit. Ad hanc igitur ueſtram intentionem nos reſpicientes, plurimum confortati ſumus, & gratias agimus omnipotenti Deo, qui talem nobis inſpirauit animum, rogantes ſuam maieſtatem, ut in hac bona intẽtione perſeuerare nos faciat, & eam (quantotius fieri poteſt) in hoc ſacro Concilio ad actum & rei executionem deducat. Vos autem ex toto corde hortamur, ut ita agatis, quod demum ex fructibus ueſtris, hanc ipſam intentionem ueſtram cognoſcere ueraciter poſsimus. Illud autem, quod poſtulatis, ut bonam de uobis extimationem accipiamus, libenter audimus, libẽterq́ exaudimus. Nihil enim magis optamus, niſi ut res ſic diſponantur, quod eandem de uobis exiſtimationem habere poſsimus, quã de nobis ipſis habemus. Vtinam iam factum eſſet (quod tamen per gratiam ſpiritus ſancti cito fieri ſperamus) ut noſtrum ac ueſtrum cor eſſet unum, & anima una. Sed ut hoc fiat, neceſſe eſt, omnem diſsidij occaſionem, & quicquid nos abinuicem ſeparare poteſt, utrinq́ in medium proferamus. Si unitatem & pacem perpetuam inter nos contracturi ſumus, & in eodem ſpiritu ambulare intendimus, expedit, ut omnis diuerſitas opinionum omneſq́ uarietatis ſententiarum procul effugentur: Et ſecundum Apoſtolum, idipſum dicamus omnes, et nõ ſint in nobis ſchiſmata. Propterea permaxime neceſſarium eſt, ut nihil inter nos occultemus, ſed ſine fictione & ſimulatione, quicquid credimus ac ſentimus, in lucẽ producamus. In hoc ſacro Concilio cõuenimus, quod fornax eſt & caminus ſpiritus ſancti, ubi omnem ſcoriam ac rubiginem auri & argenti, & quicquid ſiue ad fidem ſiue ad mores pertinet, ad purum expurgare oportebit. Mos eſt eorum, qui diu inter ſe litigarunt, ſi quando concordiã inire deſiderant, ut omnes controuerſias ſimul componant, Alioquin ſi uel una remanſerit indeciſa, facile lites & odia ſuſcitabit. Ignis penitus extinctus dici non poteſt

Margin notes: Ne aſperitas uerborũ cito in offẽſam accipiatur. — *fortè + communiter.* — Exhortatio ad unitatẽ. — 1. Cor. 1. — Concilium caminus eſt Spiritus Sancti.

poteſt, ſi aliqua eius ſuperſit fauilla: quæ licet minima ſit, paulãtim creſcendo poteſt totã domum incendere. Ita & nos omnem ignem diſcordiarum noſtrarum taliter extinguamus, ut nulla prorſus ſcintilla remaneat. Propoſuiſtis proximis diebus, Quatuor duntaxat articulos, ſed audimus præter hos Quatuor, multa alia uos habere dogmata peregrina, in quibus à nobis diſſentitis. Neceſſarium eſt ergò, ſi uera unitas & perfecta fraternitas, inter nos ſequi debet, ut omnia in hoc Concilio propalentur, Quatenus per gratiam ſpiritus ſancti (qui pacis & unitatis eſt autor) debita ac ſalubris prouiſio fieri poſsit. Nec ex leuibus coniecturis iſta accepimus: Partim enim à fide dignis perſonis audiuimus illorum, qui hic ſunt, & proprijs oculis in Bohemia uiderunt: Partim etiam ex ueſtra relatione perpendimus. Magiſter enim Nicolaus, ſecundo loco proponens, inter alia + numerauit Ioannẽ Vuicleph, Euangelicum Doctorem. Si illum creditis eſſe uirum Euangelicum, conſequens eſt, ut dicta eius authentica reputetis. Si uerò ita non putatis, æquũ eſſet, ut hoc nobis innoteſceret. Multa ex his, quæ infra ſequuntur, prædictum Ioannem Vuicleph dogmatizaſſe accepimus. De his igitur & quibusdam alijs, uos rogamus, ut nos certificare uelitis, quid credatis & quam ſuper his fidem habeatis. Nec requirimus, ut motiua et rationes ueſtras nunc explicetis: ſed ſatis modo eſt nobis, ut ad ſingulos articulos reſpondeatis per uerbum, Credimus, aut Non credimus. Quod ſi feceritis (prout ſperamus) tunc aperte cognoſcemus, uos cupere, ut bonam de uobis eſtimationem capiamus. Si quid aũt eſt, de quo uelitis per nos certificari, interrogate audacter, et confeſtim uobis reſpondebimus. Parati enim ſumus, iuxta Beati Petri doctrinam, unicuiq; poſcenti reddere rationẽ, de ea quæ in nobis eſt fide. Hęc cum dixiſſet Cardinalis Legatus, propoſuit illis circiter XXXIIII. articulos, quorum præcipua pars erat ex ſæpe damnatis dogmatibus Ioannis Vuicleph: Quales ſunt Subſtãtia panis & uini remanent poſt conſecrationẽ. Accidentia non poſſunt eſſe ibi ſine ſubiecto. Chriſtus non eſt in Sacramento realiter corporali præſentia. Sacramentum Confirmationis eſt inutile. Confeſsio apud ſacerdotem eſt ſuperuacua. Sacramentum extremæ unctionis eſt inutile. Sacro Chriſmate non ſunt iniungendi ij, qui baptizantur. Vanum eſt orare pro mortuis. Non ſunt inuocandi ſancti. Non uenerandæ ſacrę imagines: Nec ſanctorum reliquię. Non obſeruanda Ieiunia aut feſta Eccleſiæ. &c. Cunctaq; in ſcriptis tradidiſſet ea Oratoribus Bohemorum, illi deliberãtes dixerunt, ſe ueniſſe tantum, ut Quatuor illos articulos proponerent, non tam ſuo quã totius Regni Bohemici nomine. Poſteaquam uerò à noſtris ad

Plures Bohemorum articuli erronei.

Num Vuicleph ſit Doctor Euangelicus.

+ nominauit.

1. Pet. 3.

34. articuli præter alios Quatuor.

Sedula patrum inſtātia pro reducēdis Bohemis ad unitatem.

Quatuor articulis eorum reſponſum fuit, quantumuis accuratè ac copioſè, illi tamen pertinaciter affirmabant, eos articulos firmiſsime fundatos eſſe in Euangelio. Cumq́ dies multi negocio huic impenderentur, & res adeo ſollicitè ſine intermiſsione ageretur, ut ſacrum Concilium omnia alia negocia, quamlibet magna & ardua, horis antemeridianis poſtponeret, neq́ tamen quicquam proficeretur, niſi ut diſputationem diſputatio pareret: Tentatum eſt aliud tandem remedium ab Illuſtriſsimo Principe, Bauariæ Duce, Vuilhelmo, protectore Concilij, uidelicet, ut omiſsis diſputationibus, res amice componeretur. Qua de re, Pragæ poſtea Ioannes Polomar coram cunctis Regni ſtatibus orationem habens, in hæc uerba retulit.

Tractatus amice & ſine contentione peragendus.

Placuit uerò communi conſenſu, ut inter diſputationes prædictas, darentur aliqui dies ad agendum particulares Tractatus. Ad quos deputati fuerunt pro ſacro Concilio Tres Cardinales. Vnus Archiepiſcopus, & Quatuor Epiſcopi, ac alij Doctores & Magiſtri uſq́ ad æqualem numerum ueſtrorum Ambaſiatorum. Inter hos & Ambaſiatores ueſtros, per aliquot dies Tractatus habiti fuerunt. Demum uerò, deuentum eſt ad minorem numerum Tractatorū, ut Quatuor tantū pro qualibet parte eſſent electi. Inter quos primo, & denuo inter omnes ueſtros ac noſtros Tractatores appunctuatum & concluſum eſt, de Ambaſiata ad Regnū hoc inclytum per ſacrum Concilium deſtinanda. Diſputatum itaq́ fuit per dies Quinquaginta, a XVI. die Ianuarij uſq́ ad VI. diē Martij. Ab eo autem die uſq́ ad XIIII. Aprilis in particulari delectu tractatum eſt. Feſtinantibus autem Bohemis, ad reditum in patriam, ſacra Synodus inſignem decreuit Legationem cum Oratoribus Bohemorum Pragam mittere, ubi ad diem ſacratiſsimæ Trinitatis populus eſſet conuenturus. Oratores autem Concilij fuerunt, Philibertus Conſtantienſis in Normannia, Epiſcopus Prouinciæ Rothomagenſis, Petrus Auguſtenſis Epiſcopus. Ioan. Polomarius, iuris Pontificij Profeſſor, Fridericus Parsberger, Præpoſitus Ratiſponenſis, Ægidius Carlerius, Decanus Cameracenſis. Alexander Sparur, iuriſconſultus Anglus. Thomas Haſelbachius, Theologus Vienenſis. Henricus Tockius, Canonicus Magdeburgenſis, Theologus. Martinus Bernerius, Decanus Turonenſis, in ſacra Thologia Baccalaureus, & Ioannes Gelhuſius Monachus Mulbrunenſis.

Nomina Oratorum Concilij ad Bohemos.

Hiſtoria

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER SEPTIMVS.

DVm hæc agerentur Baſileæ, Sigiſmundus Cæſar, qui ſex menſibus ſubſtiterat Senis, eò quod Florentini (quibus bellum erat cum Duce Mediolani Philippo) aduentum eius Eugenio Papæ ſuſpectum fecerant: inito cum Papa fœdere, Romam uenit, & in Sacratiſsimo die Pentecoſtes Coronam Imperij ab eo accepit, honorificentiſsime ſuſceptus ac dimiſſus. Qui poſt acceptam Imperij Coronã, cum de more à Vaticano in Lateranum procederet, in ponte Adriani, circa arcem, quæ antiquitus moles Adriani, nunc Caſtellum S. Angeli uulgò dicitur, multos tum Germanos tum Italos in Equeſtrem dignitatem & ordinem aſciuit, ut eſſent Equites Aurati. Et hæc eſt cauſa, quod in hiſce Bohemorum tractatibus non interfuit, neq; per ſeſe neq; per ſuos Oratores, quia in Italiæ rebus occupatus, longe aberat. Sacra autem Synodus dedit Oratoribus ſuis literas commendaticias, quas Credentiales uocant, ad Regnum Bohemiæ. Quarum tenorem, cum ad hiſtoriæ cognitionem nonnihil conducat, hic ex uetuſto codice recitare conuenit. In hæc ſane uerba.

Coronatio Sigiſmundi à Papa Romæ facta.

Litera Credentialis ad Regnum Bohemiæ.

Sacroſancta Generalis Synodus Baſilienſis, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, Vniuerſis ſacerdotibus, Nobilibus & toti populo Regni Bohemiæ, unitatem & pacem in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quanto charitatis ardore, quantoq; affectu unitatis & pacis (quam in uniuerſo Chriſtiano populo ardenti deſiderio peroptamus) in huius ſacri Concilij congregationis initio, ad uos noſtras charitatiuas direximus literas: nouit ille qui ſcrutator eſt cordium, & uos per exhibita ſigna intelligere ſat poteſtis, ſubſecutaq; diligentia in tranſmittendis noſtris Ambaſiatoribus ad confinia ueſtra, pro huius proſecutione tractatus, oſtendit. Atque quo ſtudio, quàm intenta cura ſit actum, ut ueſtri Ambaſiatores ad hoc ſacrũ Concilium deſtinati,

ſalui cōducti ſint, & tam in itinere quàm in hoc loco benignè, amice & honorificè ſuſcepti ſint & tractati, eiſq; libera & plena audientia data: eorum ſperamus relatu fieri notum. Cum autem (licet quantum ex nobis eſt, omnis poſsibilis ſit cura operaq; adhibita) ut optatus pacis & unitatis concluderetur tractatus, & ſequeretur effectus: ad finem deduci non ualuit optatum, in eodem charitatis feruore perſeuerantes conſtanter, ne quicquàm ex parte noſtra deeſſe uideatur, ſed Deo palam ſit & mundo, quàm ſollicitè pacem & unitatē procurare totis conatibus intendamus, promptiq; ſimus, exhibere uobis uiſcera charitatis, hæc etiam ueſtris Oratoribus fieri utile ſuadentibus, noſtros ad uos Legatos decreuimus deſtinare, uidelicet, uenerabiles Philibertum Epiſcopum &c. Quibus in & ſuper agendis, tractandis & Deo propicio concludendis uobiſcum, plenam contulimus poteſtatem. Præfatos igitur Legatos noſtros: pro ut decet ueſtrum honorem, & Legatorum ſuſcipiendorum religio poſtulat: à uobis benignè ſuſcipi petimus & tractari, audientiamq; prȩſtari citam, pacificam & benignam. Atq; explicandis per eos fidem adhibere credulitatis indubiæ, ac ſi præſentibus literis omnia forent ſeriatim ſcripta. Datum Baſileæ Idibus Aprilis. Anno Domini M.CCCCXXXIII.

Nomina Legatorum habētur ſupra in fine 6. lib.

Alij quoq; Legati Legatis Concilij adiuncti.

Prȩter nominatos autem Concilij Legatos, alij quoq; Oratores Principum, & Communitatum ſimul cum illis Pragam uenerunt. Quemadmodum Ioannes Polomar in oratione ſua ad Bohemos commemorat, dicens. In quo precor, Dei miſericordiam agnoſcite, & noſtram ergà uos beneuolentiam, & ueræ dilectionis in Domino charitatem. Nil aliud quàm charitas Chriſti nos traxit ad uos, et propriorum larium & negociorum compulit obliuiſci. Venimus ad uos Ambaſiatores numero Decem pro parte ſacri Concilij. Quorum tres ſunt de Francia, unus Epiſcopus de Normannia, de uno extremo Franciæ, uerſus mare Oceanum, diſtat eius domus per XL. dietas. Alter de alio extremo Franciæ. Tertius quaſi de medio utriuſq;. Eſt hic doctor unus de Anglia. Quinq; uerò ſunt Teuthonici, unus Epiſcopus Auguſtenſis, & reliqui de diuerſis partibus. Ego uerò inter omnes minimus, de partibus Hiſpaniæ, Regni Arragoniæ, ciuitate †Barchilonenſi, adhuc per XLVI. dietas diſtante. Prætereundum non eſt, quod illuſtris Princeps, Dux Sabaudiæ, quem negocium hoc ſpecialiter non contingit, ſed pro ſola contēplatione ſacri Concilij, & prò bono pacis Chriſtianitatis, quam zelatur, uelut bonus & Catholicus Princeps, ſuum ad hoc notabilem Ambaſiatorem tranſmiſit. Atq; nos, pro ut à ſacro Concilio mandatum habemus, Illuſtres Principes

X. Oratores Cōcilij.

† Barcinonenſi

Aliorum Principum & Cōmunitatū Oratores.

Principes & Communitates uicinas exhortati ſumus, ut pro utilitate negocij, ſuos Ambaſiatores tranſmitterẽt. Barones quoq; & Communitates Regni uobiſcum diſsidentes, pro bono pacis, uocauimus. Quorum aliqui, ſcilicet Domini Marchio Brandeburgenſis, Ioannes Dux Bauariæ, Epiſcopus Bambergenſis, Communitates Nurenbergenſis & Egrenſis, ad ſtatim ſuos nobiſcum miſerunt: Et alij citius miſiſſent, ſicut nobis ſcripſerũt, ſi ſaluos conductus habuiſſent. Venimus igitur ad uos, nos ſacri Concilij Ambaſiatores, dico ſacri Concilij, non unius hominis, etiam magni Principis, ſed Concilij Generalis, quod omnes in ſe continet Chriſtianitatis Principes & Prælatos, & populum uniuerſum, cum uniuerſalem Eccleſiam repræſentet. Venimus pro pace & unitate in Chriſto Ieſu, & eius Euãgelica doctrina. Venimus in nomine eius, portantes pacem. Venimus cum charitate, in hoc inclyto Regno, in hac egregia ciuitate, cum ueſtro beneplacito, ſub ueſtro ſaluo conductu, & in fide & ſecuritate ueſtra quietis mẽtibus ſumus, pacatisq; animis & tranquillis. Profitemur quidem, ſicut & dignum eſt, ac magna cum gratitudine cõmemoramus, quod in hoc inclyto Regno ualde bene & cum lætitia recepti ſumus, in hac egregia ciuitate & alijs, per quas tranſiuimus, atq; à Magnifico uiro Domino Iacobo & honorifice ualde tractati. De quo grati ſumus plurimum, plus quàm uerbis poſsimus explicare, magnasq; referimus gratias, & obſequia optamus grata rependere, nec immemores erimus unquàm. Sed nec, cum ad ſacrum Concilium (Deo propicio) reuertemur, ſub ſilentio relinquemus, quin referemus, ut decet, quatenus ut per orbem uniuerſum (cum de cunctis Chriſtiani orbis finibus ibi aſsint) ueſtram expandatur ad laudem, & ab ipſo ſacro Concilio debitam gratitudinem habeatis. Vbi ergò Pragam uenerunt Legati Concilij alijq; Oratores, eruditam ad eos habuit orationem Magiſter Ioannes Rokyzana, non tam Rhetoricæ artis coloribus aut eloquentiæ floſculis picturatam, quàm ex uarijs ſcripturæ locis, de pace Eccleſiæ & reformatione morum contextam. In qua & de iniurijs Regno Bohemiæ illatis conqueſtus eſt, in hæc uerba.

Verba Io. Polomarij ad Bohe.

Legati honorifice excepti à Bohe.

Querela Magiſtri Ioannis Rokyzanæ ad Legatos.

Reuerendi patres, induens perſonam communem, alloquor Paternitates ueſtras in perſona Bohemiæ Coronæ, & dico. Cogitate, quæ ſunt bonæ famæ, non ſolum ueſtræ, ſed & meæ Coronæ Bohemiæ. En congruit mihi dicere illud, Canticorũ v. Vt dilectus meus, Chriſtus Ieſus, locutus eſt mihi, diuina miſericordia lique-

Rokyzana imitatur Cardinalem, qui in ſua oratione induerat perſonam Eccleſiæ.

facta eſt, Quia per amorem ad ſuas ueritates accenſa, quas mihi inſpirauit, quæſiui illum, ſcilicet promouere in ſuis ueritatibus præclaris: Et non inueni multorum corda diſpoſita. Inuenerunt me cuſtodes ciuitatis, ſcilicet Prælati & ſacerdotes. Percuſſerũt & uulnerauerunt me, detractionibus & infamijs. Tulerunt pallium meum, honoris, famæ, gloriȩ & laudis, quantum in illis fuit. Et infra. Iacob ſiquidem pater meus, qui me dilexit tenerrime, fecerat mihi prȩ alijs fratribus, Regnis et diſtrictuũ regionibus, Tunicam polimitam, hoc eſt, uarijs odoribus famam reſperſam. Sed fratres mei zelo inuidiæ agitati, maculauerunt illam in ſanguine infamiæ & deteſtationis. Et proiecerunt me in ciſternam, in grauium ſententiarũ innodationes. Precor ergò uos Reuerendos Ambaſiatores, qui modo tranſitis per longinquam uiam. Attendite & uidete dolorem meum, & ſi ſimilis alicui regno ſine illius euenit demeritis. Heu mulier uidua ego ſum, Mortuus eſt uir meus 2. Reg. 14. Nam Rex diuæ memoriæ Vuenceslaus, qui me tuebatur, Coronam ſuam promouebat, mandans literis ſuis ueritates dilecti mei Iheſu, quas adamaui. Et uidentes me inimici mei uiduã, dicunt, Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus uiduæ. Vos uerò Ambaſiatores Reuerendi, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite uiduam Eſai. 1. Aduenam & pupillum & uiduam nolite contriſtare. Hieremie 22. Iac. 1. Hæc eſt religio munda & immaculata, uiſitare pupillos & uiduas in tribulatione earum. Humiliter ergò peto, Cogitate & agite quæcunq; ſunt bonȩ famæ meæ. Et reddite palliũ meum, meam ſcilicet famam promouendo, quam inimici mei auferre conantur & conabãtur. Hæc ille. Polomar autem in oratione ſua, qua multo copioſius ac uehementius adhortabatur ad pacẽ & unitatem Bohemos, circa finem huic querelæ reſpondens ait. Iam igitur uerbis finem imponam, uiri Generoſi, uiri ſpectabiles, uiri prudentes. Oblatam uobis pacem & unitatem accipite. Hanc uobis ex parte ſacri Generalis Concilij, puro corde, ſyncera mẽte offerimus. Poteſtatem habentes, ſi hanc, ut offerimus, acceptare uolueritis pacem & unitatem: omnia impedimẽta & obſtacula tollere, & aduerſantia abolere, & reſtituere patriæ huic pallium iſtud honoris & famæ: Quo Venerabilis Magiſter nominẽ ueſtro proponens, ſpoliatam eſſe queſtus eſt. Et omnes honores, priuilegia & libertates inſtaurare, & ut breuiter multa comprehendam, ſic hanc diſciſsionem unitatis glutino connectere, ut nulla, quo ad iuris effectum, remaneãt ueſtigia cicatricis. Intrabimus terras ueſtras, & uos noſtras cum pace & unitate: Eccleſias, Sacramenta & orationes communia habebimus. Hi Reuerendi in Chriſto Patres Epiſcopi, Miſſarum ſolennia

Gen. 37.

Laudat Vuẽceslaũ Regẽ, qui tamen hære ſim nũquã approbauit licet non reſtiterit quãtum debuiſſet.

Reſponſio unius Legatorum Cõcilij.

Reſtituere pallium honoris & famæ.

ſolennia cum ueſtro beneplacito in ueſtris Eccleſijs celebrabunt. Sacramento Confirmationis, quod à tempore Apoſtolorum ſolis Epiſcopis commendatum eſt, munient pueros ueſtros, & alia impendent, quæ ſunt Pontificibus reſeruata &c. Reſponſio uerò Baronum, Clientum, Communitatum & ſacerdotum Regni Bohemiæ, ad propoſita à Legatis Concilij, in congregatione Generali eiuſdem Regni: longe durior fuit, quàm meruerat mitis Legatorum oratio. Quamuis enim multa dicerent in reſponſione ſua Bohemi, de bono pacis & unitatis, quemadmodum & Legati dixerant: omnem tamen culpam diſsidij reijciebant in ſedem Apoſtolicam & in Concilium Conſtantienſe, quod iniquè proceſſerint atq; egerint contra Ioannem Hus & Hieronymum de Praga, atq; etiam contra totum Regnum, per iniquas cenſuras & Bullas Cruciatas. Deniq; quantum extulerat Conciliorũ autoritatem Polomar Legatus, tantum extenuabat eam Bohemorum reſponſio, dicens: Concilia poſteriora, quæ in lege Dei expreſſata nõ ſunt, nõ ſolum in moribus, ſed etiam in fide erraſſe & errare poſſe. Nam quod in uiridi contigit, in arido quoq; euenire poteſt. Columnæ autem ualidiſsimæ militantis Eccleſiæ, Apoſtoli ſcilicet, omnes in fide erraſſe uidentur, & pro triduo in ſola uirgine Maria Dei genitrice fides Catholica conſeruata fuit. Nullus igitur Chriſtianus cogendus eſt, ut ſtet dictamini Papæ aut Concilij, niſi quod in lege Domini ſit expreſſatum. Nam Concilia generalia à multis retroactis temporibus celebrata, reperiuntur ualde pauca reformaſſe in fide, pace ac moribus Eccleſiæ, ſed ſemper in uita ſuiſq; decretis notabiliter exorbitaſſe, nec ſe in fundamento (quod Chriſtus eſt) ſtabiliuiſſe. Vnde eorum dictamini ſiue doctrinæ nolint ſe ſubmittere, ſimpliciter & de plano. Et Deo duce (inquiunt) non erunt parati neq; prompti ad ſubijciendũ ſe, tam improuidæ ipſorum informationi aut decreto, ne per huiuſmodi temerariam ſubiectionem, uitam & fidem obligentur habere cõtra ſalubrem Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrinam. In ſumma, nolebant ullam inire aut agnoſcere pacem, niſi prius acceptarētur & approbarentur Quatuor eorũ articuli, quos pro Euangelicis ueritatibus habebant. Si ergò (aiebant) ſimul ueritatem legis Euangelicæ amplectimur, ſimul unum in Domino fieri ualebimus. Nam teſte ſententia Doctorum, non poſſunt ſeruari fœdera pacis, inter quos eſt fidei bellum. Auferatur materia litis, quæ eſt controuerſia pro noſtris Quatuor ſalutaribus articulis, & ipſa unitas ſimul cum pace in nos inducetur. Sic nempe, ſi unanimes fieri debemus, idem ſapere, idem ſentire, & idem in fide expedit ſingulos dicere & profiteri.

Dura Baronum & Cõmunitatum reſponſio.

Contra Concilia.

Summa Bohemorum erat, ut approbarentur 4. articuli.

Oratio Procopij Raſi de bellis. Poſt hanc reſponſionem principalem, quæ per organũ M. Ioan. Rokyzanæ facta erat, adiuncta fuit per organum Procopij Raſi, breuis de bellorũ exercitijs appendix, in qua tota culpa bellorũ in noſtros reijcitur, quod pars noſtra cruente contra eos Crucis erectionem procurauerit, ipſum Regnum Bohemiæ gladio & igne immaniter uaſtãdo. Multos tamẽ fructus inde enatos fuiſſe: Tum quia quamplurimi ſalutarium Quatuor articulorum exufflatores & aduerſarij pertinaces, cõpulſi per bella fuerint, eaſdem ueritates ore ac opere profiteri. Tum quia multitudo numeroſa fidelium populorum, eaſdem ſalutigeras ueritates rite obſeruantium, fuerit hactenus per bella ab hoſtili ſæuitia protecta, quæ aliàs per hoſtes coacta fuiſſet reſilire, & ipſas ueritates impugnare, et ita in ſpiritũ ſanctum, ueritatis doctorem, delinquere. Tum quia grandis illa bellorum inquietudo, dederit occaſionem patribus congregandi Concilium in Baſilea, & cauſam audientiæ Bohemis in Concilio datæ. Quod pro inſigni munere diuino accipiendum ſit, ut per hoc ueritates illę, cũctis fidelibus ſalutares, uniuerſis Nationibus innoteſcerent. Nec ceſſaturus ſit ille tumultus bellorum, niſi illæ benedictæ ueritates ab Eccleſiæ membris & ſuppoſitis fuerint fideliter acceptatæ. Ad reſponſionem Baronum & aliorum Regni ſtatuum, replicauit Ioannes Polomar, auditor cauſarum ſacri Palatij, nomine omnium Legatorum ſacri Concilij, in hæc uerba exorſus.

Oratio altera Ioan. Polomarij. Omnium communis eſt uox, hoc omnes noſtri ueſtriꝗ; ſermones pariter confitentur, quod pacis & unitatis bonum, tanquam donum perfectum, eſt ſummopere diligendum: diuiſio uerò uitanda, quia malum peſtiferum & regni Dei (quod eſt populus Chriſtianus) deſtructiuum. Sed hoc dicere & confiteri non ſufficit, niſi ponatur in opus. Sola notitia mandatorum Dei, ſine adimpletione ipſorum, non ſufficit nec releuat, ſed magis aggrauat pœnam: Luc. 12. Dicente Domino in Euangelio. Seruus ſciens uoluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis uapulabit multis. Poſtquam ergò ſcimus uoluntatẽ Domini & confitemur, ipſam opere impleamus, feſtinemus ſciſſuram tollere, pacem & unitatem habere, abijciamus odia, et rancores euellamus à cordibus, diligamus nos inuicẽ, Dolor Chriſti in ſciſſura Eccleſiæ. habeamus pacem & unitatem. Si creditis, quia creditis & confitemini, quod ſicut dolor eſt homini, ſi eius membra diuidantur aut caro ſcindatur: ita dolor Chriſti eſt in nobis, ſi corpus eius, id eſt, familia uel ſocietas Chriſtianorũ ullo modo diuidatur. Si Chriſtum omnes diligimus, ſi magna eius beneficia memoramur, Cur dolori corporis eius non occurrimus & ſubuenimus? Cur uulnera

non alligamus? Si corpus eius uerum fuit, pro ſalute corporis myſtici multis plagis & uulneribus ſauciatum, tantum non ſatis eſt, niſi & à nobis filijs ſuis in ſuo corpore myſtico uulnera dira ſuſtineat? Si propterea bella uos dicitis geſsiſſe, ut pacem adipiſci poſsitis, ecce iam optatum finem habere poteſtis, a bellis ergo ceſſandum: Iam uobis pax offertur uia plana, uia regia, uia facilis, uia iuſta, & uobis honorifica ualde, prout in primis propoſitionibus demonſtratum eſt, & clarebit amplius, quando rationibus, quæ in contrarium deducuntur, congrua ſatisfactione repulſis, ueritatis aura perflante, uelut diſiectis nubibus, ſole meridiano clarius intuebitur, prout ex infra ſcriptis liquide eſt uidere. Putabamus tractatibus unitatis & pacis multo amplius expedire, preteritorum malorum non renouare memoriam, quoniam ſolet talium memoria interdum accendere animos, & ad iram odiumq́ prouocare. Dubitamus ualde, ne à maligni hoſtis hæc procedat aſtutia, qui cum charitatem extinguere ſemper ſuadeat, nunc uidens contra ſua maligna opera, pacis & charitatis fieri† ordimēta, ſub ſpecie boni ſua ſemina iactat. Idcoq́ patres in ſacro Concilio, huic periculo obuiare uolentes, nonnulla huiuſmodi, quæ ibi per aliquos ex ueſtris dicta fuerunt, cum patientia tolerantes, ſine reſponſo permiſerunt tranſire: ne forte inde ſumeretur occaſio rumpendi tractatus. Et infra. Non patres (inquit) qui in Concilio Conſtantienſi congregati fuerunt, ſeminauerūt ſemina bellorum & iurgiorum, ſed ante Conſtantienſe Cōcilium, inimico humani generis ſuperſeminante zizaniam, in medio ueſtri diſſenſio pullulauit: Et ueſtri alterutrum ſe hæreticantes, ad ſedem Apoſtolicam ueſtri ueſtros de hæreſi detulerunt. Vtriq; non ſuper communione ſacrati calicis, cum iſta materia nondū publice habuiſſet initium, nec propter eam fuit proceſſum cōtra Magiſtros, quos de medio ueſtri dicitis emiſſos, ſed credimus, quod uelitis dicere, pro parte regni tranſmiſſos. Quod non ſic audiuimus, nec legimus à narrantibus geſta Concilij, ſaltem quod conſtaret Concilio. Sed propter alia, quæ (ut credimus) uos ipſi huiuſmodi eſſe digna tali iudicio iudicaretis, ſi uobis uera fore conſtaret. Ac ſi cauſa iuſta eſt ex ſe atq; legitima, non eſſet iudici ſed teſtibus imputandum, ſi forſitan uera non eſſet. At uerò, quod uos diſceſsionem feceritis (ſemper ſalua pace loquendo) agnoſcere clarū eſt, Cum eſſemus omnes unus populus, & haberemus ſocietatem fidei & Sacramentorum, in qua patres ueſtri, aui & proaui, et ceteri progenitores, per multa centena annorum, permanſerunt inconcuſſe cum reliquo populo Chriſtiano: Non licuit iure communis ſocietatis, inconſultis alijs facere nouitatem.

Non debebat refricari memoria diſcordiarum.

† hortamenta

Retorſio culpæ in Bohemos.

Iniqua Bohemorum diſceſsio ab Eccleſia.

Hoc

Hoc Iuriſconſultorum leges decernunt, & dictat ratio naturalis. Cum enim ciues unius ciuitatis ſocietatem habeant in iuribus, & in bonis communibus ciuitatis, puta, ſtatutis, conſuetudinibus, priuilegijs, foro, prætorio, plateis & huiuſmodi: Nunquid liceret uni parti ciuitatis, alijs inconſultis, circa hæc facere nouitatem, puta, mutare ſtatuta uel conſuetudines: priuilegijs renunciare, forum uel prætorium uendere uel plateam? Nonne ſi una pars hoc attentaret, reſiduum ciuitatis + iſtam haberet querelam: Illosq; hoc attentantes, diſceſsionem feciſſe, quilibet ratione iudicās iudicaret? Cum ergo in fide & Sacramentis, cum reliquo populo Chriſtiano ſocietatem haberetis & omnimodam unitatem, non debuiſtis circa ritum Sacramentorum facere nouitatem, ſocijs inconſultis. Si communicare ſub utraq; ſpecie uobis utile putabatis, cur non conſultebatis ſocios & amicos? Hæc & id genus multa, obiecit uir ille doctiſsimus Huſsitis & Thaboritis in ſecunda & tertia, habita ad illos oratione, Quæ utiq; lectu digna eſſent, ſi ex integro commodè recitari aut haberi poſſent. Cæterum uetuſti codices, qui apud me ſunt, fragmenta tantum habent illarum orationum, non totas orationes: licet anxie quæſitas undiq;. De quibus ideo admonendus eſt lector, ut intelligat Legatos Cōcilij præcelluiſſe, non ſolum doctrina & eloquentia, uerumetiam iuſtitia & ęquitate cauſæ. Qui procul dubio honeſtiſsimos quosq; Bohemos, ad pacem & unitatem Eccleſiæ induxiſſent, niſi obſtitiſſent uana replicandi garrulitate loquaces ſophiſtæ: Cōcionatores Pragenſes & ſacerdotes ſanguinarij Thaboritarum, Qui reſponſa futilia duplicantes ac triplicantes, ſaluberrimas Legatorum exhortationes atq; fideles inſtructiones, ſemper ſiniſtre in deteriorem partem interpretabantur & trahebant. Cæterum ad ea, quæ Thaboritæ per organū Procopij Raſi, de bellis propoſuerunt, reſpondit eximius Theologus Ægidius Carlerius, Decanus Cameracenſis, qui arma & bella (in quibus illi fidebant) diſſuadens inter cætera ſic ait. Porro, ſi Chriſti imitari uultis ueſtigia, quomodo arma capeſſere tentabitis? Fidei enim ſuę exordia ſeminauit in pace. Nec diſcipulos elegit diuites aut potentes, ſed pauperes, impotentes & infirmos. Si ueritatem penes uos eſſe arbitramini, opus non eſt ad arma confugere. Ex quo ueritas regali potentia, omnibusq; alijs fortibus fortior, de omnibus triumphat. Vnde uacuos eſſe à ueritate ſe profitentur, qui confugiunt ad gladios, maximè cum uia inueſtigandæ ueritatis concedatur. Igitur, ne longe à ueritate æſtimemini, arma linquite. Ad inquiſitionem ueritatis in materia ueſtrorum articulorum, ultra eam, quæ pridem facta eſt in Concilio, conuertimini. Placiunt enim

forte + iuſtam

Iniqua circa communionem nouitas.

Garrulæ ſacerdotum replicationes.

Reſponſio Carlerij de bellis.

3 Eſdræ 3.

Veritas diſputando non bellando inquiri debet.

enim erit nobis, in præſentia ſacri Concilij, quantum uolueritis, per uiam diſputationis inquirere eam, & ubi pauci arbitrarentur eſſe Doctores, ad tantæ rei iudicium, ſi libuerit, ipſa diſputata mittemus in ſcriptis ad omnes famoſas Vniuerſitates, ut ordinatum fuerit. Poſthæc ſancta Synodus, nõ aliter quàm ueritas habet, omnibus declarationibus ſtudiorum uiſis, ſpiritu ſancto inſtructa, ſuper his diffiniet, quod tenendum erit ab uniuerſis Chriſtianis. Hæc eſt uia regia, quæ non declinabit ad dextram uel ſiniſtram, ambulate in ea. Si forte illam ſequi non uultis, quia dicitis, uos illis articulis optime inſtructos, & quod Dominus Deus illos uobis reuelauit: Non adeo illam uiam ſpernere debetis. Nam ſi reuelatio ueſtra ex Deo eſt, ſtabit: Nec ſpiritus ſanctus, in generalibus Concilijs præſidens, ſua unquàm diſſoluet opera, &c. Habuerunt & alij ex Legatis Concilij, data occaſione, orationes ad Bohemos, utpote Henricus Tockius, Canonicus Magdeburgenſis, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ſecundo die Menſis Maij, coram Conſulibus utriuſq; ciuitatis Pragenſis, in prætorio maioris ciuitatis, orationem habens, in hunc modum exorſus eſt. *Oratio Tockij ad Pragenſes.*

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Petite & accipietis, ut gaudium ueſtrum plenum ſit, Ioan 16. Et in Euangelio Dominicæ præſentis. Gaudeatis, & gaudium ueſtrum ſit plenum, 1. Ioan. 1. Gaudium ueſtrum ſit plenum. 2. Ioan. unico. Dilectiſſimi nobis in Chriſto, Magnifici & Diſcreti uiri, gaudium ueſtrum inceptũ deſideramus perfici, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quid dicam? gaudium ueſtrum an noſtrum ſeu meum? Reuera gaudium ueſtrum, noſtrum ac meum. Veſtrum, quia poſt tribulationes & anguſtias, gemitus, fletus & multiplices dolores, & miſerias, de maxima Dei miſericordia, gemina ueſtra charitate factum eſt gaudium magnum in illa ciuitate, Actuum 8. Noſtrum autem gaudium, Quia adiutores ſumus gaudij ueſtri 2. Corinth. 2. Meum uerò etiam eſt gaudium ueſtrum, Quia meum gaudium omnium ueſtrum. Idem 2. Corin. 2. Hoc gaudium anno præterito in oppido Egrenſi, uobis concludentibus de ueniendo ad ſacrum Concilium, fuit natum: Anno præſenti, ueſtris Baſileam uenientibus, erat multiplicatum. Nunc noſtris & ueſtris Pragam concurrentibus, eſt prouide continuatũ. Det miſericors Dominus, Deus noſter, quod in prima generali congregatione Regni Bohemiæ fiat conſummatum, ut gaudium ueſtrum ſit plenum. Et infra poſt multa. Dimiſſa (inquit) generalitate, ad te reuertor ô Praga, Metropolis Bohemię, ciuitas magnifica, Regibus & Principibus cunctis ueneranda, dum pacis & unitatis dulcedine in Domino fruebaris. *Gaudium inchoatum ut fiat conſummatũ.* *Verba ad Pragam.*

baris. O quam glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei Pſal. 86. Antiquæ tuæ dignitatis memores, ſtupefacti pia mente compatimur, & floridum illum ſtatum ac priſtinam gloriam toto mentis deſiderio peroptantes, cooperabimur pro poſſe reſtaurare, ut primæuo flore iuueneſcas, & fructus parturias præ omnibus uberiores.

Antiqua laus Pragę. Compatimur quidem, uidentes quid nunc es. Tu ne illa famoſiſsima, maximis & potentiſsimis ciuitatibus connumerata, uix paucis (ſi tamen aliquibus) ſecunda: multis prior in donis, & maior in Imperio, fide, deuotione, pace, concordia, rerum opulentia, ſæculari ac diuina ſapientia, & Politica gloria floruiſti. Tu nedum regale, ſed Chriſtianitatis Occidentalis Eccleſiæ Imperiale ſolium poſſediſti. Tu omnium literarum diuinæ uel humanę ſapientiæ Gymnaſium fœcundiſsime continuiſti. Tu totius & cuiuslibet religionis Chriſtianæ exemplum extitiſti. Quid autem nunc ſis, tu ſcis, & intra te ipſam iudicabis. Meũ eſt conſolari te, nõ turbare. Tuum eſt, teipſam cognoſcere, iuxta diuinum Oraculum γνῶτι σεαύτον, quod eſt, Cognoſce teipſum, &c.

Oratio Bernerij ad Clerum & Vniuerſitatem Pragenſem. Deinde die XIII Maij, cum Clerus Vniuerſitatem Pragenſem repræſentans, Oratores ſacri Concilij uiſitaſſet, & habita Oratione excepiſſet: Martinus Bernerius, Decanus Turonenſis, Sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, uice omnium Concilij Oratorũ reſpondens, inter cætera ſic ait. Quoniam uerò, Præclari uiri, ſermo ueſter multum de ueritate perorauit, De uerbo igitur ueritatis Thema prçcurrat. Iacobi. 1. & in epiſtola currentis Dominicæ ſcriptum. Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus initiũ aliquod creaturæ eius. Quis ille qui genuit? Nimirum pater luminum, de quo Iacobus prædixit. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.

Duplex hominis generatio, animalis & ſpiritualis. Porrò hominum duplex eſt generatio. Vna animalis, ſecundum quam primus homo Adam factus eſt in animam uiuentem. Alia Spiritualis, quæ eſt per ſpiritum diuinum uiuificantem. Per illam perducimur ad humanum eſſe: Per hanc ad diuinum, ut ſimus quodammodo participes diuinæ naturæ.

1. Pet. 1. Maxima (inquit Petrus) & precioſa nobis promiſſa donauit, ut per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ. Et infra. Atuerò ſecundum animalem generationem, quidam ad hoc tantum producuntur, ut humanum eſſe participent, neque tamen alios homines generent, ut infantes & paruuli. Alij, non tantum ut homines ſint, ſed ut alios generare poſsint, ut iam adulti & perfecti. Sic in Spirituali generatione, quæ eſt per uerbum ueritatis. Alij ad hoc tantum perducuntur, ut ſpirituales ſint et diuini, non tamen ut alios in eſſe gratiæ per uerbum ueritatis Chriſto generent: ut Laici

&

& alij ſimplices paruuli in Chriſto. Alij in tantum perducuntur, ut & alios per uerbum ueritatis Chriſto generēt. Huiuſmodi erat qui dicebat, Ego per Euangelium in Chriſto uos genui. Hoc propriè est eorum, quibus datur manifeſtatio ſpiritus, ad utilitatem ſcilicet Eccleſiæ. Et infra. Sed eſſe initiū creaturæ Dei generando eam per uerbum ueritatis, eo euidentius Eccleſię ſanctæ cōuenit, quo ſingulari priuilegio ei cōceſſum eſt, ut edocta à ſpiritu ſancto, ut in determinanda omnium ueritate neceſſariorum ad ſalutem, minime errare poſsit. Proinde Eccleſia dicitur omnium fidelium mater, eò quod generet Chriſto per uerbum ueritatis: Veritatis, inquam, puræ & ſynceræ, quę nihil habeat erroris admixtum, propterea à cunctis fidelibus & audienda eſt & honoranda. Et poſt plurima in fine. Vos uerò, qui ſpirituales eſtis, hortamur & obſecramus per uiſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, operam dare, ut una nobiſcum ſitis initium creaturæ Dei, hoc eſt, Incolarum regni, hoc eſt, per eorum renouationē & regenerationem, ad ſanctā pacem & unionē uere ſanctam & piam, & ab uniuerſis Chriſti fidelibus deſideranti animo concupitā: Ab eis quoqꝫ lachrymis, precibus, Ieiunijs & eleemoſynis, ab eo qui pacis & non diſſenſionis Deus eſt, efflagitatam. Si hanc Dominus donauerit unionem ſanctam, quanta (putatis) erit confuſio Sathanæ & infidelibus, Paganis & Saracenis? Quo contra, gaudium magnum & exultatio uniuerſis Chriſti fidelibus: Immò uerò et in cœlo coram angelis Dei, Qui per gratiam ſuam hanc operari dignetur, ad ipſius gloriam et honorē Amen. Moti hac oratione Magiſtri, Oratoribus Concilij in ſcripto dederunt informationem ſuam. De qua Duo antiqui codices concorditer ſic habent.

1 Cor. 4.

Eccleſia in determinā da ueritate non errat.

Exhortatiò ad unionē.

Iſta ſcedula fuit concepta per Magiſtros ſtudij Pragenſis, & data Oratoribus ſacri Concilij in Bohemiam miſsis: Specialiter autem mihi Aegidio Carlerio, Decano Cameracenſi fuit porrecta.

Poſtulauerunt Barones & alij, ut articulis Quatuor intellectum ſalubrem aſsignemus. Magiſtri congregati

I De libertate uerbi Dei dixerunt, ut ſub poteſtate Diœceſani & iure eius liberè prædicetur.

II De euellendis peccatis dixerunt, ut ſpirituales in ſpiritualibus: ſęculares in ſæcularibus, ſecundum poteſtatem à Deo eis conceſſam, extirpent publica mala.

III De bonis Eccleſiæ dixerunt, Quia non debent ſæculares uel alij

bona Eccleſiæ (quia ſunt communia, & quia ſunt patrimonium Crucifixi, eius Eccleſiæ & pauperum) ſibi appropriare, quoniam ſacrilegium eſſet. Quia tamen pro + ſuppoſito quaſi ſemper obijcitur, quod talia bona ſint ſuperflua. Ad hoc dixerunt. Si ſunt ſuperflua, tunc illi, qui habent ſuper ea poteſtatem diſpenſatoriam, conuertant in uſus pios & communes, Ad nos talia non pertinet diffinire. At ciuiliter non debere ſuper his dominari dixerũt. Quia dominium ciuile (ut uidetur) prçſupponit pro ſubiecto bona temporalia per modum proprietatis poſſeſſa: Bona autem Eccleſię collata, ſunt bona communia. Igitur impertinẽter habet ſe ad ea Dominium ciuile. Aliqui tamẽ dixerũt, quaſi ſuperfluitatem in talibus bonis præmittentes, ut relictis congruis neceſſarijs Clero, pars auferatur. Et ſuper tales partes, ſpirituales & ſæculares ſimul aliqui diſpenſatores conſtituãtur: Vt ſæculares pro ſe non trahant, & ſpirituales non dominentur. Clerus autem, ſuper ſibi derelictis iudicio non contendat, & ſibi ſubditos non iudicet, pœnas pro exceſsibus infligendo temporales. Quia ipſi talia iudicant fore conditiones ciuiles ſeu Dominij ciuilis.

+oppoſito

IIII De cõmunione utriuſq; ſpeciei dixerunt. Quia eſt à Chriſto tradita & inſtituta, ab Apoſtolis & ſua Eccleſia practicata. Et ideo eſt animæ utilis, meritoria & ſalubris, dummodo fuerit in charitate iuxta limites ſanctorum patrum, practicata. Ad prçceptum uel neceſsitatem eius dixerunt. Quia adhuc eſt eis dubium, an cadat ſub præcepto, aut ſub quali præcepto, qualiſue pœna illum ſequeretur, qui hoc præceptũ omitteret, aut quouis modo non impleret. Hæc autem neſciunt per aliquod Concilium alicubi fore diffinita. Sed ex quo Concilium Baſilienſe nunc congregatum, dicit & offert ſe uelle ferre iudicium in talibus, iuxta doctrinas ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum patrum+ authenticas, ideo uolunt deciſionem expectare. Aliqui tamen dixerunt, Quia eſt neceſſaria neceſsitate conditionata, ut uidelicet, quis cognoſcens eã ipſam fore talem, dum locus & tẽpus aſſunt congrua, ipſam amplectatur ſub grauibus pœnis. Vt per hoc prçteriti, non ſic cõmunicantes tanquã adhuc ignari, excuſentur. Et ſua dicta uolentes probare, dixerunt. Quia cõmuniter Doctores Eccleſię dicunt, Quinq; Sacramẽta eſſe neceſsitatis, duo libertatis. Inter prima etiã Sacramentũ Euchariſtiæ enumerãt. Priores dixerunt, Quia aſſerunt hoc idem, quod Doctores. Qualis autem uniuſcuiuſq; prædictorum Sacramentorum ſit neceſsitas, Concilij eſt interpretari. Speramus ergò, quia ſi in hac clauſula utriuſq; partis aliquis ſalubris intellectus daretur unanimis, multa conquieſcerent; occaſio bellandi tolleretur, clamor inualeſceret

De præcepto cõmunicãdi ſub utraq; ſpecie diuerſæ opiniones.

aliis+authoritates.

ceret

ceret, Pacem Pacem affectamus, Cæterum poſt diuerſos tracta- tus, multaſq; Oratorũ Concilij adhortationes ad pacem, quas una loquacitate per ſpinoſas & aculeatas reſponſiones ludificabant Huſsitarum et Thaboritarum ſacerdotes, Cum pertinaciter inſiſterẽt Quatuor ſuis articulis, ſæpe dictis: Ne tota ſpes pacis euaneſceret, Viſum eſt utriq; parti, denuo mittere Legatos Baſileã ad Concilium, pro declaratione illorum articulorum. Tranſmiſſa igitur à Concilio pro Legatis Bohemorũ noua ſecuritate ac ſaluo conductu, uenerunt illi Baſileam ſimul cum Concilij Oratoribus. Cuius ſanè rei geſtę ſeriem nemo melius explicat, quam Orator Concilij, Ioannes de Polomar Hiſpanus, in ea oratione, cuius initium eſt: Magiſter ſcimus quia uerax es. Quam in ſecũdo ſuo in Bohemiam aduentu Pragæ habuit ad Bohemos, In qua ſanè poſt multa ſic refert. Tota actio ad Concilij cognitionẽ reſeruata.

Ambaſiatoribus ueſtris cum honore ſuſceptis, data eſt audientia ſine mora, publica, pacifica, & benigna. In qua poſt literarum ueſtrarũ exhibitionem, per orationẽ diſcrete et ornate peractam, & alia quæ ad rem pertinent pro explicatione eſſentialiũ ſuæ Ambaſiatæ, lecta fuit cedula huius ſcriti. Hos articulos Paternitatibus ueſtris offerimus, quatenus intuitu optandæ cunctis mortalibus pacis & unitatis, uelitis ipſis in hac forma ſubſcripta, ueſtrum præbere cõſenſum, ut liberè teneãtur, doceantur, & irreuocabiliter obſeruentur in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, & locis eis adhærentium in hac parte. Ambaſiatores Bohemorum.

Primo, Vt communio diuiniſsimę Euchariſtię utilis & ſalubris, ſub utraq; ſpecie, ſcilicet panis & uini, uniuerſis Chriſti fidelibus in Regno Bohemię & Marchionatu Morauię, et locis eis in hac parte adhærentium conſtitutis, per ſacerdotes libere adminiſtretur. IIII. articuli Bohemorũ

Secundo, Vt omnia peccata mortalia, & pręſertim publica, per eos quorũ intereſt, rationabiliter & ſecundum legem Dei cohibeantur, corripiantur & eliminentur. Tertio, Vt uerbum Dei à ſacerdotibus Domini & leuitis idoneis, liberè & fideliter pręadicetur.

Quarto, Vt non liceat Clero, tempore legis gratiæ, ſuper bonis temporalibus ſæculariter dominari.

Ipſius autem, quam utrinq; diutinè optamus, unionis tenorem offerimus in hac forma. Parati ſumus uniri & eſſe unum, quomodo omnes Chriſtiani fideles uniri ſecundum legẽ Dei obligantur. Et adharere ac obedire quibuſcunq; nobis legitime præfectis, in omnibus Eccleſiaſticis, quęcunq; nobis ſecundum legem Dei mandauerint. Quod ſi quicquã Concilium aut Papa, aut Prælati, quod à Domino prohibitum eſt, determinauerint faciendum aut facere Tenor unionis à Bohemis oblatus.

Z ij tuſſerint,

iuſſerint,uel quod in Canone Bibliæ ſcriptum eſt,præterierint aut præterire mandauerint: Cum Canones tales dicant execrabiles & Anathema,obedire non obligamur nec obediemus. Hæc uobis offerimus,inter nos & uos(ut ſupponimus) concludenda, Expeditis noſtris Quatuor articulis, ſecundum iudicem in Egra parte ex utraq; concordatum. Cuius ſententiam & iudicium, etiam in futuris emergentijs,uolumus ab omnibus acceptari. Præterea, iſtud per Ambaſiatores noſtros,tandem ad Cōcilium pro finali unione facienda mittendos,uolumus(exigente & urgēte ęquitate)propter confirmationem & conſeruationem pacis & unitatis,obtinere: Vt unione facta,Concilium ſuis patentibus literis præcipiat omnibus Primatibus,Archiepiſcopis, Epiſcopis, Regibus & Principibus,& uniuerſis utriuſq; ſtatus ſibi ſubiectis,Quatenus nos et nobis in hac parte adhærentes & adhærere uolentes, amplius palam uel occultè hæreticare,aut quouis modo infamare,aut etiam hoſtiliter inuadere,non præſumant propter aliquem prædictorum articulorum,& præſertim propter primum, Quem aſſerimus & aſſerere proponimus,Dominico cadere ſub pręcepto, uſq; ad diſcuſsionem finalem mutuam & concordem,per Concilium et nos,ſecundum formam iudicis in Egra condictati,circa difficultates prædictorum articulorum(ſi quæ occurrerint)fiendum. Nam illius ęquiſsimi iudicis legibus & Decretis,optamus, Domino diſponēte, in Cōcilio ſedentes,cooperari fideliter ad Reformationē totius Eccleſiæ,in capitibus,artubus & membris. Quam quidem ſententiam (ut ueridico didicimus relatu) utiq; propoſuit Concilium circa reformationem Eccleſiæ atq; ſpopondit. Inſuper,ut litium & iurgiorum inter nos & coincolas noſtros materia radicitus euellatur,circa unionem inter nos & Conciliū celebrandum: Iſtud uolumus per nuncios noſtros ad Conciliū mittēdos obtinere:ut facta unione, ipſum Concilium modis & + tutamentis congruis, ſcribat, inducat & efficiat, quantū in eo eſt,Quatenus omnes et ſinguli ſacerdotes, cuiuſcūq; præeminentiæ aut dignitatis exiſtant, in eiſdem regno & Marchionatu Morauiæ,præſertim qui ipſos articulos nondum in effectu obſeruauerint: queant cum honoris ſui conſeruatione,& ualeant liberè ac fideliter exequi, & amabiliter obſeruare & docere. Nam ſic in ſancta ueritate uniti, erimus nunc gratiæ diuinæ participes,& in futuro uiſionis ipſius iucundæ conſortes. Amen.

Iudex controuerſiæ.

alias + ornamentis.

Lecta uero ſcedula,ac uiſis quæ pro unitatis modo ibidem ſunt ſcripta,multorum uultus immutari cœperunt,& concepta ſpes aliquantulum infirmari,dicendo. Eſt hæc unitas Eccleſiaſtica,& unio quę requiritur in populo Chriſtiano? Hæc nō unitas, ſed duplicitas eſt,

Murmur patrum in Cōcilio cō tra hæc Bohemorum petita.

eſt. Non eſt in Chriſtiana unitate dicere. Nos et Vos, ſed tantum Nos. Vnus eſt populus Chriſtianus, pura, ſimplex & perfecta debet eſſe unitas Eccleſiaſtica, non ambagibus, non duplicitatibus inuoluta. Tandem, quia materna uiſcera negare non poteſt pia mater, quin exhibitione uberum ad uitæ prouocet alimentum: Decreuit ſacrum Concilium iterum deſtinare ad uos, & iterum ad ueram, puram, & ſimplicem unitatem & pacem hortari. Quam ſi acquieueritis acceptare, prioribus omnibus abolitis, eritis chariſsimi filij. Nec aliter habiti, quam Regna cætera, potētatusq; & prouinciæ populi Chriſtiani. Hæc Polomarius. Porro Thaboritæ & Orphani, gens ferox & inquieta, rapinis & bellis aſſueta, duce Procopio Raſo, poſt pacis et unitatis tractatus, Baſileam profectis Oratoribus Cōcilij ſimul cum Bohemorū Legatis: cœperunt obſidere urbem Catholicorum, Pilznam, quæ ſemper in fide Eccleſiæ fideliſsimè permanſit. Venerunt igitur contra eam hæretici, Thaboritæ, Orphani, & Pragenſes, aliæq; ciuitates cum poteſtate magna (ut habet antiquus Chronicorum liber) in die S. Margaretæ, & circumuallantes eam dura obſidione & crebris oppugnationibus, miſere uexauerunt ciues illos integro penè anno, Qua de re, Idem Polomarius in ſupradicta oratione ſua conquerens, ait. Vtinam monitionibus noſtris, Immo ſanctę matris Eccleſiæ, precibus noſtris & in eis totius Chriſtiani orbis, acquieſcere uoluiſſetis, & hunc ordinē acceptare: aut ſaltē, cum petebamus, tractibus pendentibus, treugas fieri, fuiſſent gladij recōditi in uaginis, nō fuiſſent ſecuta tot mala, quę interea ſunt ſecuta, & quotidie adijciūtur: Placata fuiſſet ex hoc diuina miſeratio, & non amplius exacerbata &c.

Pilzna à Thaboritis obſeſſa.

Erant Bohemi eo tēpore inter ſeſe plurimū diuiſi, Thaboritæ & Orphani formidabiles erant uniuerſis. Quorū pręcipuus dux erat Procopius Raſus, Cuius tyrannidē ægre ferebāt Barones & Nobiles plærique, licet & ipſi à parte Hus cōtra Eccleſiā ſtarent. Longe tamen mitiores & tractabiliores erant, quam Thaboritæ, nec tam longe ab Eccleſiæ fide aberrabāt, maxime circa Sacramentū Euchariſtiæ, in quo nō panem (ut Thaboritæ) ſed ſpeciem panis (ſicut Catholici) fatebātur. Præter has ſectas, erāt plęrique Barones Catholici, qui dicebantur de parte Imperatoris, qui Sigiſmundū Cæſarem pro legitimo Rege ſuo agnoſcebāt. Inter Barones itaq; de parte Hus, pręcipuę authoritatis erat Dominus Mainardus de noua domo. Is cōuocatis cæteris dicebat, nimis indignum eſſe, ut qui Regis Imperiū abdicauerint, Procopij Raſi iugū ferant, illum dominum eſſe, illum pro ſua libidine prouinciam regere, uectigalia erigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum quo uelit

Triplex inter Bohemos diuiſio.

Dominus Mainardus Baro Clariſsi. contra Procopiū.

ducere, rapere, ſpoliare, occidere, nullum pati qui ſuis conſilijs aduerſetur, Nobiles iuxta atq; ignobiles ei mācipia eſſe: Nullum hominū genus infœlicius eſſe Bohemis, quos ſemper in caſtris uerſari oporteat, æſtates atq; hyemes ſub diuo agere, in duro iacere ſolo, in armis omni hora uerſari, nūc ciuilibus bellis, nūc externis agitari. Excutiendum ergò eſſe tandem crudelis Tyranni iugum, neq; ferendum, ut qui cæteras gentes armis uicerint, Procopio ſeruiant. His auditis, placuit omnibus, accerſere publicè conuentum Procerum & ciuitatum, in quo Regni ſtatus reformetur. In eo igitur conuentu, Mainardus iterum de regni ſtatu conquerens, dixit. Illi regno bene eſſe, in quo neq; per ocium marceāt homines, neq; per bellum atterantur: Bohemos autem multis iam annis expertes fuiſſe quietis, attritum aſsiduis calamitatibus regnum, periturū proinde breui niſi proſpiciatur, Incultos iacere agros, homines atq; armenta ſenſim deficere. Id uerò hinc accidere, quod omnia in poteſtate unius ſita ſint, qui ſine conſilio Procerum ciuitatumq́;, pro ſuo arbitrio rem gerit: Illi ſalubre eſſe bellum, Quia ſi paci locus foret, Imperium eius ſtatim caderet. Deligendum igitur eſſe unum ex nobilitate Ducem, cuius poteſtas annua ſit, nonnulloſq; ei adiungendos, quorū conſilio domi belliq; Rempub. adminiſtret. Ne uerò, uſurpare ſibi Barones Imperium uiderentur, ex media nobilitate aſſumendum Ducem conſuluit. Itum eſt continuo in ſententiam †Mainardi, & communi omnium conſenſu dux gentis declaratus eſt, † Alſcio Riſemburgenſis antiquæ nobilitatis homo, ſed tenui cenſu: Quem Capitaneum & Gubernatorē regni uocauerunt. Erant quidem apud eum Maieſtatis inſignia, autoritas uerò apud Mainardum extitit. His ita cōſtitutis, reuerſi ſunt è Baſilea Pragam, cum tribus Legatis Bohemorum, Quatuor Oratores Concilij, qui & antea in Bohemiam à Cōcilio miſsi fuerant, R. D. Philibertus Epiſcopus Conſtātienſis, Rothomagenſis prouinciæ, Ioannes de Polomar, Henricus Tockius & Martinus Bernerius. Redierunt autem ſub feſtum S. Martini, & permanſerunt ibi uſq; ad feſtū Purificationis Mariæ. Ioannes de Polomar in oratione ſua ad congregationem Regni, (cuius initium eſt, Magiſter ſcimus quia uerax es) recitauit declarationem Quatuor articulorum à ſacro Concilio factam, quæ poſtea in formula concordiæ denuo eſt recitata. Quam ſanè à multis Prælatis & Magiſtris, utpote Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Doctoribus, à Concilio ad hoc ſpecialiter deputatis, multorum dierum deliberatione diligentiſsimè conceptā fuiſſe affirmabat. Formula autem concordiæ, quæ ultima die Nouembris conſtituta fuit, non potuit in

Querela Mainardi in conuētu publico.

aliàs † Meinhardi ſeu Menhardi.
aliàs † Alzo.

Legati è Concilio in Bohemiam reuerſi.

in effectum perduci, Quia Thaboritæ & Orphani alijq́ hæretici, qui Pilznam obſidebant, in eam conſentire nolebant. Poſt triennium uero Iglauiæ coram Sigiſmundo Imperatore, communi omnium Huſsitarum conſenſu acceptata, ſigilliſq́ publicis corroborata eſt. Tenor autem illius cōcordiæ, quam uulgò Compactata uocant, Pragæ conceptus, ſic habet.

Thaboritæ concordiā impediuerunt.

Compactata Pragæ propoſita.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Amen. Hęc quę infra ſcripta ſunt, per gratiam ſancti ſpiritus concordata ſunt, Inter Legatos ſacri Concilij Baſilienſis, & Generalem congregationem inclyti Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ, in ciuitate Pragenſi.

PRimo. Dicta congregatio nomine dictorum Regni & Marchionatus, & pro ipſo Regno & Marchionatu, omnibuſq́ & ſingulis eorundem Regni & Marchionatus, qui ſunt de parte ipſorū, recipient & acceptabūt, & facient bonā & firmam, & perpetuā pacem, & Eccleſiaſticā unitatem, quam profitebuntur & firmabūt debito modo. Quo facto, dicti Legati, autoritate dicti ſacri Concilij, admittent & recipient dictam pacē & unitatē, & pronunciabunt pacē generalem uniuerſi populi Chriſtiani, cum incolis & habitatoribus dictorū Regni & Marchionatus. Tollent omnes ſententias Cenſuræ, & plenariam abolitionē facient, Et mandabūt uniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, quod nemo deinceps dictū Regnū & Marchionatū, propter prętερita infamare pręſumat, nec ipſa aut eorū incolas inuadere aut offendere, ſed eis Chriſtianā pacem obſeruēt, ipſoſq́ tanq́ fratres eorum, ſanctę uidelicet matris Eccleſiæ filios reuerentes & obedientes habeant, & firma dilectione contractent. Circa materiam primi articuli, quē Ambaſiatores dictorū Regni & Marchionatus obtulerunt ſacro Concilio, ſub hac forma. Quod cōmunio diuiniſsimæ Euchariſtiæ utilis & ſalubris, ſub utraq́ ſpecie, ſcilicet panis & uini, uniuerſis Chriſti fidelibus in Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, & locis eis in hac parte adhærentium conſtitutis, per ſacerdotes libere miniſtretur, Eſt hoc modo concordatum. Quod dictis Bohemis & Morauis, ſuſcipientibus Eccleſiaſticam unitatē & pacē, realiter & cum effectu, & in omnibus alijs, quàm in uſu communionis utriuſq́ ſpeciei, fidei & ritui uniuerſalis Eccleſiæ conformibus, illi & illæ, qui talem uſum habent, cōmunicabunt ſub duplici ſpecie cum autoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti & Eccleſiæ ſponſæ eius. Et articulus ille in ſacro Concilio diſcutietur, quo ad materiam de præcepto ad plenū, Et uidebitur quid circa illum articulū pro ueritate Catholica ſit tenendū, & agendum

Vt tollantur Cenſuræ & aboleatur infamia.

Cōcordatio de ſacra cōmunione ſub utraq́ ſpecie

Limitatio circa hunc articulum.

pro utilitate & ſalute populi Chriſtiani. Et omnibus maturè & digeſtè pertractatis, nihilominus ſi in deſiderio habendi dictã communionem ſub duplici ſpecie perſeuerauerint, hoc eorũ Ambaſiatoribus indicãtibus, ſacrũ Concilium ſacerdotibus dictorũ Regni & Marchionatus, cõmunicandi ſub utraq; ſpecie populum, eas uidelicet perſonas, quæ in annis diſcretionis conſtitutæ, reuerenter & deuote poſtulauerint, facultatem in domino pro eorum utilitate & ſalute largietur. Hoc ſemper obſeruato, quod ſacerdotes ſic cõmunicãtibus ſemper dicãt, quod ipſi debeãt firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, Nec ſub ſpecie uini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt + integer & totus Chriſtus. Ac Legati ſacri Concilij per ſuas literas, autoritate ſacri Concilij mandabunt uniuerſis et ſingulis, cuiuſcunq; ſtatus aut cõditionis exiſtant, ut dictis Bohemis et Morauis, utentibus dicta cõmunione ſub duplici ſpecie, nemo audeat improperare, aut eorũ famæ aut honori detrahere. Et hoc idem faciet ſacrũ Concilium, quando conceſsionem libertationis faciet memoratam. Circa materiam trium articulorũ ſequentium, per præfatos Legatos ſacri Concilij dictũ eſt in forma ſequenti. Quoniam circa doctrinam Catholicæ ueritatis, ſic ſobriè & caute incedendum eſt, maximè à ſacro Concilio generali, ut ueritas declaretur uerbis ſic ordinate cõceptis, ut nulli ſit in futurum offendiculum, ubi poſsit impingere & habere occaſionẽ erroris. Et ut uerbis utamur Beati Iſidori, ne aliquid per obſcuritatem in captionẽ contineat. Circa materiam de cohibitione & correptione peccatorũ, in quo poſuiſtis articulum ſuper his uerbis. Omnia peccata mortalia, & præſertim publica, per eos quorũ intereſt, rationabiliter & ſecundũ legem Dei cohibeantur, corrigantur & eliminẽtur. Ecce uerbũ, per eos quorũ intereſt, nimis eſt generale, & poſſet eſſe offendiculum. Et iuxta ſcripturę ſententiam, Non debemus ponere offendiculum ante cæcũ: Et claudendæ ſunt foſſæ, ne bos uicini ibi lædatur: omnis talis occaſio tollenda eſt. Dicimus ergo, quod ſecundũ ſacræ ſcripturæ ſententiã, ſanctorumq; documenta doctorum, ſic Catholicè eſt tenendum. Quod omnia peccata mortalia, præſertim publica, quantũ rationabiliter fieri poteſt, ſecundum legem Dei & ſanctorũ patrum inſtituta, ſunt cohibenda, corripienda & eliminanda. Poteſtas aũt puniendi criminoſos, nõ ad priuatas perſonas, ſed ad eos tantummodo pertinet, qui iuriſdictionẽ habent in eos fori, diſtinctione iuris & iuſtitię ordine obſeruatis. Circa materiam de prædicatione uerbi Dei, in qua poſuiſtis articulum hoc tenore. Quod uerbum Dei à ſacerdotibus Domini & Leuitis idoneis, libere ac fideliter prædicetur. Ne

Margin notes: alias + integre totus — Articulus II. de correctione peccatorum. — Leuit. 19. — Deut. 22. — Articulus III. de prædicatione uerbi Dei libere.

ex

ex uerbo, liberè, ſumeretur occaſio uagæ & diſpendioſæ libertatis, quam nec uos (ut ſæpe dixiſtis) intenditis, circumſtantionandum eſt. Dicimusq́ꝫ, quod ſecundum ſcripturæ ſacræ ſententiam, ſanctorumq́ꝫ documenta Doctorum, ſic Catholicè eſt tenendum. Quod uerbũ Dei a ſacerdotibus domini & Leuitis ad hoc idoneis, & per ſuperiores (ad quos pertinet) approbatis & miſsis, liberè, non tamen paſsim, ſed ordinatè & fideliter prædicetur, ſalua autoritate Pontificis, qui eſt præordinator in cunctis, iuxta ſanctorũ patrum inſtituta. Circa materiam ultimi articuli, ſub ijs uerbis expreſſo, Non licet Clero, tempore legis gratiæ, ſuper bonis temporalibus ſæculariter dominari. Meminimus, quod dum in ſacro Concilio ſuper hoc diſputatio ageretur publica et ſolennis, Ille qui ad diſputandum per ſacrũ Concilium extitit deputatus, duas concluſiones poſuit, ſub his uerbis. Prima, Quod Clerici non religioſi, ſeu qui uoto ſe ad hoc non obligarunt, licite poſſunt habere & poſsidere: quæcunq́ꝫ bona temporalia, hæreditates paternas aut aliorũ, ſi eis relinquantur, & alia bona iuſte acquiſita, ex cauſa donationis uel alterius liciti contractus, uel arte licita. Secunda, Quod Eccleſia poteſt licite habere & poſsidere bona tẽporalia, mobilia & immobilia, domos, prædia, uillas, oppida, caſtra, ciuitates, & in eis habere priuatum & ciuile dominium. Ille ſiquidem ex noſtris Ambaſiatoribus, qui diſputabat, conceſsit eaſdem, dicens. Illas ſenſui ſui articuli bene intellecto nõ contradicere, Cum ipſe articulum ſuũ intellexerit de dominio ciuili formaliter intellecto. Ex quo & alijs, ſatis poſſet intelligi, quod uerba, Sæculariter dominari, in præmiſſo articulo poſita, ad aliquem ſpecialem dominãdi modum uel uſum uideantur referri. Sed quoniã doctrina Eccleſiæ non eſt uerbis ambiguis pertractanda, ſed plane, Propterea illud, quod ſecundum legem Dei & ſanctorũ documenta Doctorũ Catholicè tenendum eſt, duximus exprimendũ, uidelicet, præmiſſas duas concluſiones eſſe ueras, Quodq́ꝫ Eccleſiaſtici uiri bona Eccleſiæ (quorũ ſunt adminiſtratores) debent fideliter adminiſtrare, Iuxta ſanctorum patrum ſalubria inſtituta. Ipſaq́ꝫ bona Eccleſiæ ab alijs iniuſtè non debent detineri uel occupari. Dicta uerò congregatio declarationem dictorũ trium articulorum, quæ ueritati ſacræ ſcripturæ innititur, ſuſcipit & accipit. Verũ, quia circa ipſorũ trium articulorum materias, nonnullis uidetur, abuſus plures & deordinationes aliquas currere, Eſt intentionis ipſius congregationis, quod ſuper reformatione dictorũ abuſuum & deordinationũ, intendit in ſacro Concilio per ſuos Ambaſiatores inſtantiam & ſollicitudinẽ adhibere. Et quod ſi quæ etiam ſingulares perſonę, tales reformationes uellent

Articulus IIII. de dominio rerũ temporaliũ Cleri.

Contra abuſus Reformatio.

uellent in ſacro Concilio promouere modo debito & honeſto, quod hoc eis liceat, & ſit conceſſa facultas. Præfatis uero Legatis ſacri Concilij hoc placuit, quoniam ſacrum Concilium ad morum reformationē intendit, & uult (præſtante Domino) ſtudium & ſollicitudinē adhibere: Ipſiq; Legati, cum omnem bonā reformationem in Eccleſia Dei fieri, toto deſiderio cupiant: ad omnia quæ bonam reformationē Eccleſiæ concernunt, adiutores & cooperatores eſſe uolunt & pollicentur. Tandē, poſtquàm per Dei gratiam, pro cauſis fidei ceſſabit omne bellum, & erit pax bona, pro cuius conſeruatione debet adhiberi omnis diligentia, Videtur ualde expediens, quod etiam pro cauſis alijs, non concernentibus fidem, ſi quas habēt cum circumſtantibus uicinis, ceſſent omnes partes ab omni uia facti, & de ipſis controuerſijs per dietas placiti, uel aliàs in ſacro Concilio uel extra, cōcordia, amicabili compoſitione uel iudicio terminentur. Pro firmitate & obſeruantia pacis, per dictos Legatos ſacri Concilij dabitur omnino firma & procurabitur Bulla Concilij, & mādata ipſius ſacri Cōcilij ad omnes Principes & Communitates circumſtantes, & alia quæ neceſſaria fuerint & oportuna. Pro parte uerò dictorum Regni & Marchionatus, dabuntur literæ cum ſigillis firmis & munimētis oportunis. Procurabitur pax, & ſeruari mandabitur, & omnia alia fient, quæ pro obſeruatione dictæ pacis & unitatis neceſſaria fuerint & oportuna.

Literæ utrinq; dandæ pro cōfirmatione concordię.

Concordata & firmata fuerunt præmiſſa & ſupraſcripta, per plures Magiſtros & ſacerdotes, à Generali congregatione Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ deputatos, ipſius congregationis nomine & mandato ſpeciali, Inter ſupra nominatos dominos Legatos ſacri Concilij parte ex una, & dictam Generalem congregationē parte ex altera, & per manuū ſtipulationē parte ex utraq;, cum uerbali promiſsione ſuper præmiſsis facta. In ciuitate Pragēſi, in Collegio, quod dicitur Collegiū Caroli, Anno Domini M. CCCCXXXIII. Indictione XII, Menſis uerò Nouembris die ultima: Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Eugenij, diuina prouidentia Papæ IIII. Anno Tertio, Præſentibus ad hæc prouidis & honeſtis uiris &c.

Concepta quidem eſt hæc cōcordia Pragæ, anno 1433. Sed poſt iglauiæ cōſummata, anno 1436.

Hoc eſt, In feſto S. Andreæ.

HISTORIÆ

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER OCTAVVS.

Anno Domini M. CCCCXXXIIII.

Diſcordia inter Lupũ & Rokyzanam Concionatores.

Cum eſſet Pragę uehemens ęmulatio & inuidia inter duos Concionatores, auidiſsimos plebeię laudis aucupes, ac fauoris popularis captatores: Inter Lupum, inquam, ſacerdotem Orphanorum in noua ciuitate, & Ioannem Rockyzanam concionatorem Eccleſiæ B. Mariæ ante lætam Curiam in ueteri ciuitate Pragenſi, Quorum alter in alterum plebem concionando incitabat. Orphani per Lupi conciones odio accenſi, clauſerunt aditus ueteris ciuitatis in nouã, turreſq; ligneas plurium tabulatorum erexerunt, è quibus Pragenſes ueteris ciuitatis incolas miſsilibus infeſtarent. Hæc ubi † Alſcio, Regni nouus gubernator accepit, conuocata nobilitate rem proponit, ut in medium conſulant. Quia Thaboritæ & Orphani eius Imperium contemnant, contempto autem Magiſtratu, Regnum in pacifico & quieto ſtatu perſiſtere non poſsit. Placet omnibus, contemptum uindicare.

† Alzo

Subſidium Pilzinenſibus à Cõcilio miſſum.

Pertulerant iam Pilzinenſes duram Thaboritarum & Orphanorum obſidionem X. menſibus. Ad extrema autem redacti, ac fame laborantes, ad Synodum Baſilienſem miſerę oratum, ne fidelem urbem, quæ tam graues longo tempore propter fidem Catholicam ærumnas pertuliſſet, in manus crudeliſsimorum hæreticorum peruenire ſinerent. Quod utiq; breui futurum eſſet, niſi ſubuenirent. At Patres in Concilio, cum non haberent ærarium publicum, ex priuato argento ſymbolum dederunt. Qua ſanè contributione collegerunt Octo Milia Ducatorum, quos con feſtim miſerunt Mainardo, ut collecto exercitu ſubueniret obſeſsis. Sciebant enim, cum Procopij Raſi Tyrannidi uehementer præ omnibus aduerſari.

Prælium Pragę inter nouæ & ueteris ciuitatis populos

Placuit igitur cunctis Nobilibus, cum ea militum manu, quam Mainardus comparauerat, Pragã peti. Cunq; ueterẽ ciuitatem ingreſsi eſſent, ligneas turres amouere, ac parere omnes Alzoni iubent. Negant Orphani Ducem eſſe, quem neq; ipſi neq; Thaboritæ ſuſcepiſſent.

Fit

fit itaq; tumultus, committitur in urbe prælium. Lupus, ubi ſuos cedere, pluresq; cadere animaduertit, ſalutem pedibus quæſiuit. Commiſſum eſt prælium illud in ſacratiſsimo die Aſcenſionis Domini. Albertus krantz, nouus quidem ſed nō uulgaris hiſtoricus, ait, capta ciuitate noua, ſæuitum eſſe ſine diſcrimine, in omnem ordinem, ætatem & ſexum. Et ad XXII. Milia hæreticorum eo die cecidiſſe, ac maxima potitos prẹda uictores. Quicquid enim ſpoliorū Thaboritæ & Orphani, ex captis direptiſq; urbibus & uicinis prouincijs acquiſierant, ibi repoſitum fuerat. Quod autem à Catholicis hęc facta eſſe affirmat, neſcio quonam autore aut teſte nitarur. Certè antiqui codices ſcripti teſtantur, eos fuiſſe Huſsitas, qui cum Legatis Concilij compactata fecerant, à quorum parte & Ioannes Rockyzana eiuſq; auditores, antiquæ ciuitatis incolę ſtabant, qui utiq; non erant ueré Catholici. Magis igitur crediderim Bohemis ibi contigiſſe, ſecundum illud diuinum per os Eſaiæ oraculum. Concurrere faciã Ægyptios aduerſus Ægyptios, & pugnabit uir contra fratrem ſuum, et uir contra amicum ſuum: ciuitas aduerſus ciuitatem, Vt compleretur illud uerbum Chriſti. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Pilzinenſes recognita, Procopio è muris illudebant, dicentes, ut ciuibus ſuis opem ferat, alienos laceſſere deſinat. Stultum enim eſſe, cum, qui ſua tueri nequeat, infeſtare aliena. Ille iſta pro fictis habens, ubi certum de geſtis Pragenſibus nuncium accepit, ſoluta mox obſidione, plenus irarum, cum omnibus copijs uerſus Pragam iter dirigit. Properanti communes amici occurrunt, ut de pace inter eum & Nobiles agerent. Procopius ita ſe pacem habiturum reſpondet, ſi noua Praga ſibi reſtituatur, ſi munitiones deiectę reficiantur, ſi Pilzina eo in ſtatu reponatur, in quo fuerat ante diſſolutam obſidionem. Nam commeatus iam eo importati fuerant. Nobiles ubi res factu difficillimas peti uident, Procopiumq; uincula, uerbera, cædes minari: cum alia uia pax inueniri non poſſet, armis decertare conſtituunt. Hæc Æneas Syluius.

Alber. in Vandali. li. 11. c. 33.

Thaboritæ uicti ab Huſsitis.

Eſaiæ 19.

Liberati ab obſidione Pilzinenſes

Hiſtoria ex Chronicis breuiter recitata.

Vetuſtus autem Chronicorum liber ſic habet. Anno Domini M.CCCC.XXXIIII. Barones Regni Bohemiæ, Dominus Mainardus de noua domo, & Dominus Ptatzko cum alijs non multis, & ciues antiquæ ciuitatis Pragenſis, ad ſe redeuntes, & uidentes deprædationem regni & ſpolia nimis crudelia pauperum, per ipſos Thaboritas fieri, conſilio inito, feria Quinta in Aſcenſione Domini, ciuitatem nouam Pragenſem potenter inuaſerunt & obtinuerūt, totamq; ciuitatem ſibi ſubiugauerunt. Quia ipſi de noua ciuitate erant multum partem Thaboritarum fouentes, ac ipſos

in omnibus contra Barones et contra ciuitatē antiquā Pragenſem protegentes & adiuuantes. Hoc audientes illi, qui adhuc circa Pilznā iacuerant, magno terrore perterriti, Sabbato poſt Aſcenſionem Domini à Pilzna receſſerũt, et progreſsi ſunt uerſus Pragam, ſperantes ſe è conuerſo ciuitatem nouam Pragenſem per traditiones ipſorum obtinere. Sed quia ipſi Barones in hoc fuerunt circumſpecti, ſoli cum ſuis ciuitatem nouam cuſtodierunt et ſeruauerunt. Videntes hoc Thaboritæ, quod nihil proficere poſſent, perrexerũt in diſtrictũ Grecenſem, populũ maiorē acquirentes, & compellentes contra Barones pugnare nolentes. Hoc ipſi Barones conſyderantes, inuocauerunt auxilium Baronum partis Imperatoris. Tunc Dominus Vlricus de Roſis, Dominus Vuenceſlaus Micholitz de Strakonitz, et alij Barones in diſtrictu Pilznēſi cum Pilznenſibus, ſtrenuos famoſos Equeſtres & Pedeſtres cum curribus & Bombardis, repentino tranſitu, bene ad XII. Milia in ſubſidium direxerunt. Ibiq; inter Brodā Bohemicalem & inter Gurym ciuitatē in campo cum ipſis conflixerunt, & ipſos Thaboritas proſtrauerunt. Procopiũ Raſum & alium Procopiũ paruum, ſacerdotes ipſorum occiderunt, & alios multos interfecerunt & cremauerunt, & alios de campo fugauerunt: Ipſoſq; currus omnes & pixides, ac alia Inſtrumenta bellica abſtulerunt, Die dominica poſt feſtum Corporis Chriſti. Hæc ibi, ſimpliciter quidem ſcripta, ſed quę non habent leue apud me pondus fidei.

Æneas uocat Pelzinam, alij Pilznam. Bohemi ſcribũt abſque uocali Plzn.

Pars Imperatoris erāt Catholici.

Quandoquidem uerò prælium iſtud, inſigne, & Thaboritis genti bellicoſiſsimæ ultimum fuit, operæprecium fuerit, ut eius deſcriptio exactior hic ex Ænea Syluio recitetur. Ait ergò. Ventum eſt ad locum inter Brodam Bohemicam & Burim, Quatuor Milibus & Quingentis paſsibus à Praga diſtantem, in agris late patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt, & ſublato clamore alteri alteros contumelioſè compellant. Decreuerat Procopius, haud quaquam pugnæ copiam facere, niſi ex occaſione prærogatiua daretur. Erat ei animus, recta uia Pragam petere, ubi non dubitabat, nouam ciuitatem ſibi portas aperturam. At equitatus nobilium, munitiones eius præter greſſus, dum forte ultimam partem apertam uidet, raptim ingreditur, cædemq; magnam facit. Hoſtes improuiſo malo premens, quod agant neſciunt. Trepidatur totis caſtris, inſolita res terrorē auget, Neq; enim intra munitiones curruum intraſſe prius equites aliquando uiderant. Ceduntur paſsim pedites, fit fuga aperta. Ex altera parte mole Quadrigarum inſtant Nobiles, ſternuntur ubiq; fugientes. Procopius ubi ſuos retinere nō poteſt, nec audire hortamenta, periculum metuſq; ſinit, inter

Vltimum præliũ Thaboritarum.

Alber. krantz lib 11. c. 33. ait. Inter Brodam & Coloniam. At non longa diſtantia eſt inter Brodā Gurym & Coloniā. ideo parũ refert, utrum ſequaris autorē. Ego Æneā ſequor, cui aſtipulatur Chronicorum codex Bohemicus, niſi quod hic Burim, ille Gurim dicit. In Bohemico Rawrzim ponitur

confertiſsimos hoſtes dilapſus, cũ cohorte, quam ſibi ex fortiſsimis magis, quam amiciſsimis delegerat, aliquandiu hoſtis impetum retinet, multiſq; cęſis uictoriam pene hoſtibus eripuit. Sed circumuentus multitudine equitum, nõ tam uictus quam uincendo feſſus telo in incertum miſſo trãsfoditur. Pari modo et alter Procopius, quẽ minorem appellari diximus, in eodem globo fortiter pugnans occumbit. Atq; is finis duobus illis pernicioſiſsimis ac deterrimis monſtris fuit. Sic Thaboritarum & Orphanorum ſcelerati exercitus, inuicti prius, uicti ac deleti ſunt. Procopium Raſum quis occiderit, ignoratũ eſt. Primus eius uictorię autor habitus eſt Mainardus, Poſt eũ magna Ptatſconis uirtus uiſa. Coapcho uerò Thaboritarum equitatum ductabat, rei militaris apprime peritus: et qui multis aliquando damnis Prutenos affecerat, & à Rege Poloniæ uocatus, uſq; ad Gedanum & mare Baltheum, uictorem exercitum duxerat: Ex hoc prælio fuga dilapſus, cum magna parte equitatus in Coloniam ſeſe recepit. Cõfecto bello, cum multa Milia captiuorum eſſent, Mainardus Concilio Procerum accerſito, perdere peſſimam plebem ſtatuit, quæ nutrita in armis, omnem ætatem in caſtris egerat, nec ſub legibus uictura crederetur: rapinis, cædibus atq; adulterijs aſſueta. Qua ſtante, pacatum regnũ ſtare nõ poſſet. Sed ueritus, ne ſimul innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam uenerant: uoce præconis edici iubet. Nondum bellum peractũ eſſe, fugiſſe Coapchonem, Coloniam expugnari oportere, uicinaſq; per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem neceſſarios, qui ſub Procopijs militaſſent uiros fortes et in bello exercitatos, decretũ eis ex publico ſtipendiũ, donec regnum pacaretur. Proinde omnes, qui ſtipendia facere uellent, in horrea ſeſe proxima reciperent: cauerent, ne rudes inexpertoſq; belli, ſecum admitterent. Illos ſua rura ſuoſq; lares repetere poſſe. Intrauerunt horrea (quæ apud Bohemos in uillis ex materia culmo tecta, frequentia ſunt) pleraq; Thaboritarum & Orphanorum milia: homines nigri, ad ſolem & uentum indurati, aſpectu tetri atq; horribiles, et qui circa fumum in caſtris uixiſſent, Aquilinis oculis, impexo crine, promiſſa barba, corporibus proceris, membris hiſpidis, cute adeo dura, ut ferrum quaſi lorica repulſura uideretur. Clauſa ſunt confeſtim oſtia, & ignis immiſsus horreis, quo fex illa & colluuies hominum, ignominioſum agmen, poſt multa quæ patrauerat ſcelera, exuſta, contemptæ demũ religionis pœnas dedit. Sigiſmundus Imperator, ex Italia iam reuerſus, Baſileam petierat, diſsidioq; patrum (quod tunc erat cum Eugenio Papa) ad tempus ſedato, Vlmã ſe cõtulerat. Vbi audita Thaboritarũ ac Orphanorum

Coapheo

Peſsima plebs Thaboritarum, igne cõſumpta.

Sigiſmundus Imp.

phanorum clade, Legatos in Bohemiam mittit, Regni Proceres commendat, qui uiros nocentes deleuerint, hortatur Regni quietem procurent, ac ſe in Regem ſuſcipiant, quem fratri ſucceſſorem ius gentium dederit. Illi ergò magno numero apud Ratiſponam cum conueniunt, Regemq́ ſuum ſalutant. Venerunt & ſeorſum Coapcho & Ioãnes Rokyzana, de ſuis rebus acturi, Legati quoque Baſilienſis Concilij, qui Pragæ fuerant, & cum Bohemis certo modo conuenerant (Quemadmodũ recitatum eſt ſupra in Compactatis) eo ſe contulere. Imperator auditis, quæ de religione in commune placuerant, conuenta probauit, eaq́ ſeruari mandauit. Exin poſcentibus Vngaris, nauibus per Danubiũ uectus Budam petijt. Poſt illam uero Thaboritarum ſtragem, ſacerdotes Thaborenſes, qui contra Magiſtros Pragenſes proteruiebant, facti ſunt ad pacem & concordiam æquiores magisq́ flexibiles, Vt eſt intelligere ex ijs, quæ Hiſtoricus eorũ, Ioãnes de Lukauuetz commemorat, In hæc ſanè uerba.

Interea materiebus uentilatis inter Magiſtros Pragenſes ex una, & ſacerdotes Thaborenſes parte ex altera, manentibus audientijs prætactis finaliter indiſcuſsis, ex certarum perſonarum inſtigatione. Poſtea anno Domini M. CCCCXXXIIII. ambæ dictæ partes, ſub certis limitibus condeſcenderunt in Magiſtrum Payne Anglicum, compromittentes ſtare ſuo edictui, Quicquid ex ſcriptis Magiſtri Ioannis Hus, Magiſtri Ioãnis Vuicleph, ſcriptisq́ ipſius proprijs, & iudicem Compactatum in Egra, inter partes prædictas pronunciauerit. Cuius partium compromiſsi forma & tenor erat talis. Volumus & promittimus ſtare ſcriptis Magiſtri Ioannis Hus, Magiſtri Ioannis Vuicleph, & ſcriptis Magiſtri Petri Anglici. In controuerſijs, habitis inter nos, Pragenſes ex una & Taborenſes parte ex altera. In materiebus Sacramentorũ ſeptem Eccleſiæ, ſuffragij & inuocationis ſanctorũ, rituum Miſſæ ac Purgatorij: Sic tamen, quod Magiſter Petrus omnia ſecundum ſcripta præmiſſorum, & iudicem Compactatum in Egra faciat. *Pacta inter Pragenſes Magiſtros, & Thaborenſes ſacerdotes.*

Magiſter autem Petrus illo in ſe ſuſcepto onere, eam pronunciationem inter prædictas partes faciendam, uſq; ad ſuſceptionem à Regno Bohemiæ Sereniſsimi Domini Sigiſmundi Vngariæ &c. Regis, & Romanorum Imperatoris, & ipſius in regnum introductionem prorogauit. Poſt cuius in regnũ introductionem, prædictus M. Petrus, ad mandatum ſpecialiter Sereniſsimi prædicti Imperatoris, & aliorum inſtigationem Baronum, ac Communitatum ibidem pro tunc aſsiſtentium acclamationem, inter partes prædictas, quamuis una eorum parte, ſcilicet ſacerdotum Thabo- *M. Petrus Anglicus.*

renſium abſente, fecit pronunciationem. Hæc ille. Ea aūt pronunciatio, ſupra eſt ex parte commemorata, ſub anno M.CCCC XXIX. poſita per anticipationem. Veruntamen ſemel cōceptum in pectora peſtilentiæ uirus, nullis potuit Tractatibus aut rationibus ſententijsq́ꝫ elui aut eradicari. Quamuis enim occiſo eorū exercitu (qui cunctis formidini ac terrori erat) in armis nō ita confiderent, ut prius, Thaboritæ: alijs tamen rationibus pertinaciam ſuam tueri quærebant. Habebant ſanè oppidum Thabor in excelſa rupe munitiſsimum, habebant multas Communitates ſibi adhærentes, habebant ſacerdotes argutos & in ſacris literis exercitatos, qui pro ſuis opinionibus defendendis omnia facere ac pati malebant, quàm Pragēſibus Magiſtris, cum quibus tot annos cōtenderant, per omnia conſentire. Cum igitur in arbitris nihil amplius præſidij aut fiduciæ haberent, ad Aulicos Imperatoris confugerunt, ut eorum interceſsione ab Imperatore certis pactionibus, obtinerent libertatem permanendi in ritibus & opinionibus ſuis. Imperatore itaq́ꝫ ex Morauia in Bohemiam tranſeunte, priuſquàm perueniret Iglauiam, occurrerunt ei ex Thaboritis Bedericus de Straznitz ſacerdos, & ciues aliqui Thaborenſes: Velut Legati omnium Thaboritarum, in oppido Trzebitz, ubi cum Imperatoris Cōſiliarijs egerūt, quibuſnam pactis liberè poſsint in ritibus ſuis permanere, Verum concluſio pactorum dilata fuit, donec Iglauiam peruentum eſt, Literæ tamen cōfirmationis Pragæ tandē, poſt ſuſceptionem Imperatoris, ſunt confectæ. Quarum tenorem recitat Ioannes de Lukauuetz, in hæc uerba.

Literæ concordiæ Thaboritis conceſſæ.

Anno à Natiuitate Domini M.CCCCXXXVI. Die dominica ante feſtū S. Elizabeth, facta eſt concordia per Illuſtrem Principem, Dominum Vlricum Comitem Ciliæ, ac generoſos Dominos, Dominum Vlricum de Roſenberg, Dominum ✝ Aleſs de Sternberg, Dominum Hintze de Pirgſtein Magiſtrum Curiæ, Dominum Caſpar Cancellarium, Dominum Haſſek de Vualdſtein, Dominum Arneſtum de Vulaſsim, Dominum Przibik de Clenauu, & Ioānem de Cunuuald Camerarium: Inter Inuictiſsimum Principem & Dominū, Dominum SIGISMVNDVM, Dei gratia Romanorum Imperatorē ſemper Auguſtum, & Vngariæ, Bohemiæ &c. Regem, ex una, Et honorabiles ſacerdotes Bedericum de Straznitz, Nicolaum de Pelhrzymauu dictum Epiſcopus, Vuenceslaum Corandam, cum alijs eorum partis ſacerdotibus ac prouidis, Magiſtro ciuium & tota Communitate montis Thabor,

✝ *Alſſo*

Is fuit Caſpar ſlik.

Thabor, ac eis adhærentibus, parte ex altera: Primum, quod Dominus Bedericus cum alijs ſacerdotibus ſibi adhærentibus, & cum illa + Hradicenſi cõmunitate, à lege Dei & à ritibus, quibus hactenus circa diuina utebantur, per uiolentiam trahi non debent. Arbitrorum tamen Quatuor, ex parte utraqꝫ electorum, quicquid pronunciatum fuerit ſecundùm Iudicem in Egra Compactatum, dictamini ſtare utriqꝫ debent, modo & forma, ex unanimi conſenſu, de condeſcenſu in arbitros Magiſtrorum Pragenſium ex una, & ſacerdotum Thaborienſium parte ex altera, in literis utriuſqꝫ partis expreſsis. Hoc etiã ſignanter eſt expreſſum & concordatum, ut dicti Thaborenſes habeant debitam, pacificam & ſecuram audientiam, Et quicquid per præfatos arbitros pronunciatum fuerit, ſecundũ Iudicem antedictũ, ut + utiliter hoc eius Serenitas, ipſiuſqꝫ ſucceſſores eos uexari non permittant. Item, Quicquid his temporibus pro eadem cauſa contra eius Maieſtatem, à dictis ſacerdotibus & à Communitate actum eſt, hoc totum tranſire debet. Et eius Maieſtas nunquàm hoc eis in temporibus futuris in malum refricare debet. In teſtimonium omnium prędictorum pactorum, nos concordatores ſuperius nominati, noſtra propria ſigilla præſenti literæ appendi fecimus. Quæ eſt data Pragæ, anno & die præſcriptis.

+ Id eſt, Thaborenſi.

forte + propter hoc

Literæ Magiſtrorum Pragenſium ſuper IIII. arbitris.

In nomine Domini Amen. Ego Magiſter Ioannes de Rokyzana, electus Archiepiſcopus Eccleſiæ Pragenſis, meo ac aliorũ Magiſtrorum ac ſacerdotum mihi adhærentium nomine, notum facio omnibus & ſingulis, literam hanc inſpecturis, aut legi audituris, quod cum Domino Bederico de Straznitz, ſuiſqꝫ ſacerdotibus Thaborienſibus & ſibi adhærentibus, pro materijs ſpiritualibus & ritibus, pro quibus fuit difficultas noſtra cum illis, annis his bellicoſis, circa diuina: condeſcendimus & uigore præſentium literarum finaliter condeſcendimus in concordatores & arbitros Quatuor, per nos & Dominum Bedericum cum ſuis ſacerdotibus, ex unanimi cõſenſu electos, Videlicet, in Magiſtrum Petrum Anglicum, & ſacerdotem Martinum de Chrudim, Epiſcopum electum, & in Magiſtrum Vuenceslaum de Drachouu, ac in Magiſtrum Buzkonem. In quos conſenſimus, & uigore præſentium literarum conſentimus, ac plenariam poteſtatem damus, Quatenus ipſi, ad Deum & ſalutem proſpicientes populorum, pro rebus ſpiritualibus & ritibus circa diuina, pro quibus inter nos & illos, annis his + extiterat, ſecundũ iudicem inter nos & Prælatos Baſi-

Addo + diſcordia ſeu difficultas

lienſes in Egra Compactatum, finaliter in Quatuor temporibus, in Quadrigeſima proxime affuturis, pronuncient & declarent. Et ego Magiſter Ioannes antedictus, meo & aliorū ſacerdotum mihi adhærentiū nomine, promitto bona fide, abſq; omni dolo, pro me ipſo & alijs ſacerdotibus mihi adhærentibus, huic, quod ſecundum iudicem ſupranominatum pronunciauerint, conſentire & aſſueſcere, atq; hoc ſuſcipere corde, ore & opere. In robur & teſtimonium horum omnium, Ego ſupra dictus Magiſter Ioannes, & mecū Magiſter Chriſtannus de Prachaticz, & Magiſter Ioannes de Przibram, ſigilla noſtra propria dedimus literæ huic ſponte applicari. Datū in Praga. Anno Domini M.CCCCXXXVI. feria Sexta poſt Martini.

Literæ Thaborenſium ſacerdotum ſuper eiſdem.

In nomine Domini Amen. Ego Dominus Bedericus de Strazniz, meo & aliorum ſacerdotum mihi adhærentium nomine, notum facio omnibus & ſingulis, literam hanc inſpecturis aut legi audituris, quod cum Magiſtro Ioanne Rokyzana, ſuiſq; ſacerdotibus ſibi adhęrentibus, pro materijs ſpiritualibus & ritibus, pro quibus fuit difficultas noſtra cum illis, annis his bellicoſis, circa diuina condeſcendimus, et uigore pręſentium literarum condeſcendimus finaliter &c. per omnia ſicut ſupra in proxima litera. Exceptis perſonis, quarum appenſa fuere Sigilla, Earum enim nomina hęc ſunt. Bedericus ſupradictus, & Nicolaus de Pelhrzymouu, dictus Epiſcopus, & Vuenceslaus Coranda. Poſt has literas ſubdit Thaboritarū hiſtoricus, quod poſt huius concordiæ Sereniſsimi Imperatoris cum Thaborienſibus terminationem, & eiuſdem per literas patentes cum pendentibus ſigillis ipſius Imperatoris, & concordatorum prænominatorum roborationem, ſacerdotes Thaborienſes, cum eorum arbitris die et loco ipſis limitato, et in literis ſuperius exaratis recognitorijs partis utriuſq; expreſſo, in Quatuor uidelicet temporibus Quadrageſimæ proximè poſt concordiam præfatam affuturis, in Pragenſi ciuitate termino paruerunt, parati audire arbitrorū à parte utraq; electorū, inter eos & partem eis aduerſam pronunciationem, ſecundum quod extiterat cōcordatum. Cum aūt tempore paritionis utrorumq;, quædā aliæ materiæ tractādæ cum Imperatore ſuperuenerūt, occaſione quorundā articulorū, per cæteros ſacerdotes & quoſdam Generoſos & famoſos diſtrictus Grecēſis, ipſi Imperatori cum Legatis Baſilienſibus obiectorū, ob non ipſorū cum Regno Bohemię & Marchionatu Morauiæ Compactatorū factorū ſeruationem. Tandē ob prætactam cauſam

Thaboritarum hiſtoria.

cauſam diſtractione facta, Interim duo ex prædictis quatuor arbitris, ad propria cum cōducentibus eos receſſerūt. Quibus recedentibus, poſtea ſacerdotes Thaborienſes ſuam comparitionē, ad audiendum inter ſe & partem eis aduerſam, pronuntiationem, Domino Imperatori et Magiſtro Ioanni Rokyzana Archiepiſcopo electo notificantes, cum eorum licentia & uoluntate, ad propria redierūt gaudentes: iure et priuilegio per Dominum Imperatorem, mediantibus prænominatis concordatoribus, gratioſe conceſſo. Hæc ille Thaborita.

Ex quibus prudens lector facile intelligit, quàm pertinax fuerit Thaboritis aſſerendi ſectæ ſuæ dogmata, quæ tot diſputationibus Tractatibuſq; à Magiſtris Pragenſibus fruſtra fuerunt impugnata. Nam in hanc uſq; diem permanet ſecta eorum in pleriſq; tum Bohemiæ tum Morauiæ locis, ſub nomine Picardorum & Vualdenſium. Quæ infœlici hoc tempore per nouas Germaniæ ſectas, mirum in modum in peruicaci propoſito ſuo corroboratur: licet ex æquo ſit & Catholicis & Calixtinis in regno & Marchionatu populis deteſtabilis & exoſa. Ipſa uero ſibi egregie nunc triumphare uidetur, dum exiſtimat ac uidet dogmata ſua longe tolerabiliora Catholicis eſſe, quàm ſint pleraq; Lutheri, Zuinglij, Melanchthonis, Oecolampadij, Balthaſſari, Rotmanni & id genus aliorum Germaniæ hæreticorum, & nouarū ſectarū nequiſsimorum ducum ſcelerata dogmata, impiaq; & ſeditioſa paradoxa. Quibus Eccleſiæ ſeptem Sacramenta horrendis ſacrilegijs prophanantur, & Miſſæ ſacrificium cum uniuerſis propemodum ritibus antiquis nefandiſsimè exploditur, bonaq; piorū opera reputātur in peccatum. Secta Thaboritarum.

Anno Domini M. CCCCXXXV.

Manſit nihilominus Gubernator Regni Bohemiæ, Dominus Alzo de Riſenberg, quem Mainardus et alij Barones ac Nobiles contra Procopij Raſi Tyrannidem elegerant. Et quamuis Compactata nondum plenum executionis effectum, & confirmationis robur ſortita eſſent, ab armis tamen ceſſatum eſt, animis utrinq; ad pacem procliuis, & cunctis Eccleſiaſticā unitatem deſiderantibus. Gubernator regni Alzo de Riſenberg.

Sacerdotes aūt Huſsitarum, Magiſter Ioannes Rokyzana alijq; Paſtores Eccleſiarū & cōcionatores ei adhærentes, nimis anxiè & curioſè circa Compactata ſolliciti, multis dubitationibus moleſti erant Legatis ſacri Concilij. Quas etſi Pragæ in concordiæ tractatu, iam pridem reſoluiſſent Legati, repetitis tamen uicibus eas declarare non ſunt dedignati, ne ullo prætextu iuſta uideri poſsit illorum ſacerdotum cauſatio ſeu querela. Operæprecium ergo eſt, Le- Dubia Huſſitarū circa Cōpactata.

ctori illius diſsipationis copiam & exemplum ſemel exhibere, ut pleniorem habeat ſuper Compactatis informationem.

Reſponſa Legatorum Concilij, ad dubia Bohemorum.

Quatuor Oratores Concilij Baſ.

In nomine Domini Amen. Hæc ſunt reſponſa, data per Reuerendum in Chriſto Patrem, Dominum Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem prouinciæ Rothomagenſis, ac Venerabiles & egregios uiros, Ioannem de Polomar, Decretorum Doctorem, Archidiaconũ Barchinonenſem, Henricum Tocke in Theologia Magiſtrũ, Canonicum Magdeburgenſem, et Martinum Bernerij, Baccalaureum in ſacra pagina, Decanum Turonenſem: Legatos ſacri Concilij Generalis, Ad quæſita puncta ſeu dubia, per nonnullos uenerabiles Magiſtros & ſacerdotes Regni Bohemiæ eis mota.

Duplex permiſsio.

Primo dixerunt, Quod non eſt intentionis ſacri Concilij, permittere Cõmunionem ſub duplici ſpecie, permiſsione tolerãtiæ, uel ſicut Iudeis permiſſus fuit libellus repudij. Quia cum ſacrum Concilium uiſcera maternæ charitatis exhibere dictis Bohemis & Morauis intendat, non eſt intentionis Concilij, permittere tali permiſsione, quæ peccatum non excludit, ſed taliter elargiri, quod autoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ ueræ ſponſæ eius, ſit licita, & digne ſumentibus utilis & ſalubris.

Quomodo puniendi ſunt mali

Item, Cum circa materiam de punitione peccatorũ fuiſſet per prædictos Magiſtros & ſacerdotes dictum, Quod ex ſcripturis ſacris habetur, quod interdum Deus excitat corda priuatarum perſonarum, ad correctionem & punitionem peccatorum. Et ſic uidetur licere inferioribus, corrigere ſuos ſuperiores & punire. Reſponderũt, oſtendentes textum B. Auguſtini in Decretis XXIII. q. ß. Qui percutit malos in eo quod mali ſunt, & habet cauſam interfectionis, miniſter Dei eſt. Qui uerò ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum, furem, ſacrilegum, adulterum, periurum, uel quemlibet criminoſum, interfecerit aut trucidauerit, uel membris debilitauerit, uelut homicida iudicabitur. Et tanto acrius, quantum non ſibi à Deo conceſſam poteſtatem abuſiue uſurpare non timuit. Et certe moleſtius ſuſciperet iſta ciuitas, ſi aliquis priuatus attentaret punire unũ criminoſum, & erigeret furcã in platea, & ibi eum ſuſpenderet, quàm ſi unus homo interficeret alium hominem in rixa uel per inſidias. Et alios textus B. Ambroſij & Hieronymi eidem concordes etiam allegarunt. Dixerunt denuo, quod nemo dubitat, quod lex Dei ſancta & debite poſita eſt, & in ea legitur ſimpliciter, Non furtum facies. Et tamen mandato Dei filij Iſraël aſportauerunt bona Ægyptiorum, quæ receperant commodata.

23. q. 8. c. pen.

Exemplũ.

Exod. 11.

Item, In eadem lege

lege ſcribitur ſimpliciter. Non occides. Ex quo B. Auguſtin. primo de ciuitate Dei probat, quod nemini licet occidere ſeipſum. Et tamen facit inſtantiam de Samſone. Reſpondet, & dicit hæc uerba. Cum autem Deus iubet, ſeq; iubere ſine ullis ambagibus intimat, Quis obedientiam in crimen uocet? quis obſequium pietatis accuſet? ſic in propoſito, uerba B. Auguſtini habeatis pro reſponſo. Sed uideat quiſq;, ſi Deus iubet, & ſe iubere ſine ambagibus intimat, & probet ſpiritus ſi ex Deo ſint. Sed de talibus non eſt lex danda, Nec eſt multum agitandum. Nam per hoc facile inſurgeret occaſio, faciendi ſeditiones, et inferiores inſurgendi cōtra ſuperiores, Et quando aliquis furatus eſſet, uel aliquem interfeciſſet, diceret, quod ſpiritu Dei motus eſt. Sed certe niſi de hoc bene conſtaret, puniretur.

Dixerunt denuo, quod aliqui ſint caſus, in quibus Laici habent poteſtatē in Clericos. Fuit reſpōſum. Quod certi ſunt caſus in iure, in quibus Laici habent poteſtatem ſuper Clericos, et aliquando ſuper Cardinales. Nam ſi mortuo Papa, Cardinales non uellent intrare Conclaue, ad electionem Papę faciendam: Rex Princeps, uel alius Dominus ſeu Poteſtas ſæcularis, poteſt eos compellere. Sed in illis caſibus iam ille non eſt priuata perſona, ſed autoritate iuris utitur iuriſdictione. Similiter eſt intelligendum de alijs caſibus in iure poſitis. Dixerunt ulterius. Quod nullum ius fori habet iuſtitiam, niſi ius Poli illud approbauerit. Fuit reſponſum, Quod nullum ius fori habet iuſtitiam, ſi ſit cōtra legem Dei. Et quod lex Dei eſt regula omnium legum. Sed exigitur magna peritia in applicando regulam ad regulatum. Nam interdum alicui uidetur, quod ſit tortuoſitas in regulato, & non eſt, ſed eſt defectus in applicando, quia non applicatur debito modo regula ad regulatum.

Duplex ius fori et poli.

Circa articulum de prædicatione uerbi Dei fuit motum, quod interdū aliquis Prælatus ex ſua inuidia uel malitia, ſine cauſa rationabili, bonū & idoneum Prædicatorem, bene & Catholicè prædicantem, inhibet prædicare. Et fuit reſponſum, quod ſatis intellexerunt, quod abuſio Prælatorum inordinate agentium, magnam occaſionem pręſtitit his turbationibus, Et quod in eorum partibus nunquam audiuerint tales querelas. Sed Pręlati fauent bonis prædicatoribus, & eos ad prædicandum excitant precibus, fauoribus & honoribus. In talibus autem caſibus, iam ſunt à iure prodita remedia, quando aliquis prohibetur uti iure ſuo, habet remedium appellandi. Et ſi bene confidit, quod appellatio ſit iuſta, utatur iure ſuo, omni uiolentia brachij utriuſq;, ſpiritualis uidelicet & ſęcularis, ſemota, Nam exitus cauſę declarabit, ſi ipſe habebat iuſtam cauſam appellandi, Tunc declarabitur, ſuperiorem male prohibuiſſe, &

Abuſio Prælatorū.

appellationem

appellationē iuſte feciſſe. Et ſuperior iniuſte prohibens, debet corripi. Si aūt iuſte fuit prohibitus, & ipſe ſua temeritate ſuperioris iuſtum mandatum ſpreuit, dignum eſt, quod ipſe digna animaduerſione puniatur. Circa Quartum articulum fuit motum, An liceat Prælatis Eccleſiaſticis, actus ſæcularis dominij in propria perſona exercere? Fuit reſponſum, Quod ſi per uerbum actus ſæcularis dominij, intelligātur actus, quos aliquis ſæcularis dominus poſſet agere ſeu exercere: Tunc dicendum eſt, quod aliquos tales actus poteſt licite Prælatus in propria perſona exercere. Sicut ſunt, uendere, impignorare, infeudare, modis & formis à iure ordinatis. Aliqui ſunt, quos non licet in propria perſona exercere, ſed debet habere Hyconomum, uicedominum uel procuratorem, qui hos exerceat. De quibus actibus in iure cauetur in Rubrica. Ne Clerici uel Monachi ſæcularibus negocijs ſe immiſceant, & alijs iuribus.

Qui actus Dominij ſæcularis prohibiti ſunt Clericis.

Hyconomus corrupte pro Oeconomo ponitur, qui dicitur latine, diſpenſator ſeu gubernator domus.

Fuit motum, An illa poteſtas coactiua, quæ debet exerceri per Hyconomū &c. ſit apud Prælatum Eccleſiæ? Dominus Ioannes de Polomar reſpondit, quod hæc quæſtio præſupponit aliam, de qua ſunt diuerſæ opiniones inter doctores, Apud quem ſit dominium rerum Eccleſiæ. Et ulterius, An actiones ſint in perſona Tutoris uel Procuratoris, uel, licet non ſint in eorum perſona, tamen per cōſtitutionem actoris uel procuratoris exercitium ipſarum demādaret ipſi actori uel procuratori, & alias † intricationes, de quibus non eſt opus ad præſens agere. Sed cum multum inſtaretur, ut diceret opinionem ſuam, dixit, quod ſi ocium haberet, & liberet ſolaciari in diſputando, daret optionē arguenti. Sed magis eſſet opinio ſua, quod dominium rerū Eccleſiæ, eſt apud Chriſtum. Et prælati & alij Eccleſiaſtici ſunt Canonici adminiſtratores, ad inſtar tutorum. Sed ampliorem habent poteſtatem ſeu adminiſtrationem, quàm tutores. Et conſtituendo Hyconomū ſeu uicedominum &c. eorum conſtitutione debite facta, Hyconomus ſeu uicedominus habet illam poteſtatem coactiuam, ſeu exercitium iuriſdictionis.

alias † altercationes

Dixit, is eſt Ioannes de Polomar, qui fuit inſignis iureconſultus.

Item, Circa Quartū articulum, pro declaratione primæ concluſionis, eſt concordatū, quod uerba, iuſte acquiſita, in ipſa poſita, etiam determinant contenta in eadem. Item, Circa ſecundam cōcluſionem, Cum ſacri Canones & Doctores ſancti ſic loquuntur. Bona Eccleſiæ, res Eccleſiæ, facultates Eccleſiæ, Et inter doctores uariæ ſint opiniones, Apud quem ſit ipſarum rerum dominium, Prout notat Gloſa & Doctores, in c. Expedit 12. q. 1. Ad nullam illarum opinionum intendunt aliquem coartare, ſed nec aliquam illarum opinionum excludere, ſed ſit unicuiq; facultas, illam quę ſibi melior uidebitur, probabiliter ſuſtinere. Dixerunt præterea dicti Bohemi,

Dubia de bonis Eccleſiæ.

hemi,quod ipſi tenent. Quod Clerici aut uiri Eccleſiaſtici,rerũ temporalium Eccleſiæ ſunt adminiſtratores, & non domini, Ad modum loquendi ſcripturæ, ſanctorum doctorum & Canonum. Item Bohemi dicũt,quod in omnibus emergentijs ſtare uolunt dictamini iudicis,ex unanimi conſenſu in Egra compactati.

Hæc ſunt dubia Magiſtrorũ & ſacerdotum, qui ſtabant à parte Hus, quæ ſcrupuloſius mouebant circa Compactata, non ſolum Pragæ anno XXXIII. Verum etiam Brunnæ in Morauia anno XXXV. & Iglauiæ anno XXXVI. Quin etiam Baſileæ in Concilio anno XXXVII. Iuxta illud Pauli. Semper diſcentes, & nunquàm ad ſcientiam ueritatis peruenientes. Satis enim conſtat, eos Compactata nunquàm recte ſeruaſſe, quantumuis curioſe ſuper ijs egerunt. Cor enim eorum non erat rectum cum Deo (ut ait Pſalmiſta) nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Quamuis igitur ore & ſcripto conſentirent in Eccleſiæ pacem & unitatem, corde tamen ſemper declinabant in ſiniſtram partem Ioannis Hus. Ideo inutilis fuit omnis ille ſuper Compactatis labor, Quia nequiſſimi ſacerdotes illi, Rokyzana & ſocij eius, ſcelerata ſimulatione concordiæ, malitioſe decipiebant tam Legatos Concilij, quàm Barones & Nobiles Regni, uana ſpe lactantes & illudentes utrancꝫ partem. Sicut enim ficte conſentiebãt, ita re ipſa nuncꝫ Cõpactata illa cõprobauerũt aut ſeruauerunt. Necꝫ hodie ſeruãt, quantumuis uerbo ea iactitent. In Compactatis enim expreſſe ponitur, ut cõmunicare ſub utracꝫ ſpecie, illis ſit permiſſum; qui Eccleſiaſticam pacem & unitatem, realiter & cum effectu ſuſciperent, & in omnibus alijs fidei & ritui Vniuerſalis Eccleſię conformes eſſent. At Huſſitę in multis alijs punctis, à Catholica Eccleſia contra ſua Compactata diſcordant. Nam cõmunicant paruulos, & ſacerdotes eorum non dicunt communicantibus, ſub una ſpecie totum & integrũ eſſe Chriſtum, ſicut iubentur in Compactatis dicere. Sed adhuc hodie, ſub duplici ſpecie, excluſa unitate Eccleſiæ, ſeruant duplicitatẽ ſchiſmatis in damnata parte Ioannis Hus, quem in dedecus totius Eccleſię pro ſancto uenerantur, & feſtum diem in honorem nominis eius quotannis celebrãt. Nihil igitur iuuant aut excuſant eos Compactata illa, quia minime ea ſeruãt, necꝫ unquàm ſeruauerũt. Quapropter ſunt in ſtatu æternę damnationis, niſi ad Eccleſiam ſimpliciter reuertãtur, damnata parte Ioannis Hus. Faxit omnipotens & miſericors Dominus, ut inclyti Barones & Nobiles, alijcꝫ honeſti uiri, qui de Ioanne Hus male credunt ſuis ſacerdotibus Huſſitis: aperiant ſemel oculos, ut recte inſpiciãt Compactata, & perlegant hanc hiſtoriam, ex uetuſtis codicibus abſcꝫ omni fraude & dolo laborioſe

Dubia ſæpe mota.

2. Tim 3.

Huſſitæ nunquam uere conſenſerunt in Compactata.

Pſal. 77.

Hus & Eccleſia ſunt duo cõtraria.

borioſe collectam, ut intelligere ualeant, in quanto periculo ſalutis animarum uerſentur, dum falſo perſuaſi, Ioannem Hus contra Eccleſiam pro ſancto uenerantur, & nihilominus putant ſe Eccleſiæ filios eſſe. Quod omnino falſum & impoſsibile eſt. Hus enim & Eccleſia nunquàm ſtant ſimul. Nam Eccleſia Ioannem Hus ut hæreticum & hoſtem ſuum damnauit in Generali Concilio, Qui & inæternum damnatus manet, quicquid pro eo fingant et mentiantur ſacerdotes Huſsitæ. Hæc admonendo & compatiendo, non inſultando nec exprobrando per digreſsionem dicta ſint.

Varij tractatus ſuper Compactatis.

Imperator, reformato Vngarici Regni ſtatu, euocauit ad ſe Proceres Bohemiæ, quibus in Alba regali LX. Milia aureorum donauit, pecorumq; maximum numerum, tractans cum illis manſuete de religionis Regniq; negocijs. Cumq; Cōpactata nondum eſſent roborata, conuocauit utramq; partem in oppidum Morauiæ regale & præcipuum Brunnam, Vbi cum res imperfecta maneret, ad Iglauiam indixit cōuentum. Ad quem ſanè Proceres miſerunt Procuratores ſuos, quoſdam ſacerdotes. Quemadmodum ex hac Inſtrumenti publici formula cognoſcere licet.

Copia mandati pro obedientia ſub ſigillo Regni.

In Dei nomine Amen. Nos Alzo de Rizemberg, aliàs de Vuizieſtiouu, Gubernator Regni Bohemiæ, Barones, Nobiles, Milites, Clientes. Praga ciuitas ac cæteræ ciuitates, ac ſacerdotes, Generalem congregationem Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ facientes & repræſentātes, uigore præſentium facimus & dirigimus Nuncios et Ambaſiatores noſtros ſpeciales. Vos Reuerendum Magiſtrū Vuenceslaum de Drachold, Curiæ Archiepiſcopalis Officialem, Honorabiles & diſcretos uiros Paulum de Slauuikouuitz, artium liberaliū Baccalaureum, Plebanū S. Ægidij, & Correctorē Cleri eiuſdem Curiæ Archiepiſcopalis Pragenſis. Vuenceslaum de Lutznitz, Plebanum Eccleſiæ S. Nicolai Antiquę ciuitatis Pragenſis, & Bohinkonem de Chotzna, Rectorem Eccleſiæ Lithoum ac Decanū eiuſdem, Sacerdotes in Chriſto Ieſu dilectos, Ad pręſentandum uos coram Reuerendo in Chriſto patre, Domino Philiberto Epiſcopo Conſtantienſi & Collegis eius, Legatis ſacri Generalis Concilij Baſilienſis. Pro complemento & executione Compactatorū, per uos omnes uel maiorem partem, præſtandum reuerentiam debitam & obedientiam Canonicam, ſanctæ matri Eccleſiæ, ſacro Generali Concilio, Romano Pontifici, & Prælatis noſtris Canonicè intrantibus, Prout auiſatum extitit in Brunna. Pro omnibus ſpiritualibus & ſęcularibus perſonis Bohemiæ

Ambaſiatores Regni Bohe.

hemiæ Regni & Marchionatus Morauiæ. Ratum & gratum habituri bona fide, Quicquid per uos actum fuerit in præmiſsis, in quorum omnium & ſingulorũ fidem & teſtimonium, has noſtras literas ſigillo Regni Bohemiæ fecimus communiri. Datum Pragæ in Collegio Caroli, ipſo die B. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, Anno Domini M.CCCCXXXV.

Anno Domini M.CCCCXXXVI.

Cum ergo Iglauiæ cœptum eſſet agi ſuper Compactatis, quæ antea Pragæ fuerant concepta & concluſa, uiſum eſt utrieꝗ parti, in maius robur & firmamentum rei geſtæ, literis utrinꝗ datis appendere ſigilla Imperatoris Sigiſmundi, & Generi eius Alberti Ducis Auſtriæ. Variæ itaꝗ in eo tractatu confectæ ac datę fuerunt literæ pro pacis & unitatis confirmatione, tũ à Legatis ſacri Concilij, tum à Baronibus regni, tum etiam ab ipſo Imperatore. Quas ſanè omnes de uerbo ad uerbum referre, & longum & tædioſum foret, eò quod eadem Capitula in Compactatis poſita, ea præſertim quę utriuſꝗ ſpeciei communionem inſinuant, in pleriſꝗ literis repetuntur. Nos igitur eas tantum recitabimus hic, quę ad hiſtoriæ intelligentiam nonnihil conferunt. Compacta ta Iglauiæ, confirmata

Executoria Dominorum Legatorum ſuper Compactatis data Bohemis, & expedita in forma, quæ ſequitur.

In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt amator pacis & ueritatis, & pro unitate Chriſtiani populi preces porrexit ad patrem. Nos Philibertus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis prouincię Rothomagenſis: Ioannes de Polomar, Archidiaconus Barchinonenſis, Apoſtolici Palatij cauſarũ auditor, Decretorum doctor: Martinus Bernerij, decanus Turonenſis: Tilmannus Præpoſitus ſancti Florini de Confluentia, Decretorum Doctor: Ægidius Carlerij Decanus Cameracenſis: & Thomas Haſelbach, ſacræ Theologiæ profeſſor Vienenſis: Sacri Generalis Concilij Baſilienſis ad Regnum Bohemiæ & Marchionatum Morauię, Legati deſtinati, autoritate ſacri Concilij recipimus & acceptamus unitatẽ et pacem, per dictos Regnum Bohemiæ & Marchionatũ Morauię acceptas, factas et firmatas, ſecundũ quod utrieꝗ parti conſtat per literas inde confectas, Cum uniuerſo populo Chriſtiano. Tollimus omnes ſententias cenſuræ, & plenariam abolitionem facimus. Item, Autoritate Dei omnipotentis, & Beatorũ Apoſtolorũ Petri et Pauli, et dicti ſacri Generalis Cõcilij, pronunciamus ueram, perpetuam, firmã, bonam & Chriſtianam Oratores Cõcilij Baſilienſis. Reconcilia tio Bohe.

pacem dictorum Regni & Marchionatus, cum reliquo uniuerſo populo Chriſtiano, Mãdantes autoritate prędicta, uniuerſis Chriſtiani orbis Principibus, & alijs Chriſti fidelibus uniuerſis, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, & præeminentię aut dignitatis exiſtant, Quatenus dictis Regno & Marchionatui, bonam, firmam et Chriſtianam pacem obſeruent. Necq; pro cauſis diſſenſionum, pro difficultatibus aliquibus circa materias fidei, & Quatuor articulorum dudum exortas & agitatas (cum iam ſint per dicta capitula complanatæ) Aut pro eo, quod cõmunicarunt, communicant & cõmunicabunt ſub utraq; ſpecie, iuxta formam dictorũ capitulorum, Eos inuadere, offendere, infamare aut iniuriari præſumant. Sed ipſos Bohemos et Morauos, tanquam fratres, bonos & Catholicos Eccleſiæ Orthodoxę filios, reuerentes & obedientes eidem, habeant, & firma dilectione contractent. Hoc declarato expreſſe, quod ſi aliquis cõtra faceret, non intelligatur pax ipſa uiolata, ſed debeat fieri de illo emenda condigna. Cunq; (pro ut in dictis capitulis continetur) circa materiam communionis ſub utraq; ſpecie, ſit hoc modo concordatum, Quod dictis Bohemis & Morauis, ſuſcipientibus Eccleſiaſticam unitatem & pacem, realiter & cum effectu, & in omnibus alijs, quam in uſu communionis utriuſq; ſpeciei, fidei & ritui Vniuerſalis Eccleſiæ conformibus, Illi et illę, qui talem uſum habent, communicabunt ſub duplici ſpecie, cum autoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti & Eccleſiæ ueræ ſponſæ eius. Et articulus ille in ſacro Concilio diſcutietur ad plenum, quo ad materiam de præcepto. Et uidebitur, quid circa illum articulum pro ueritate Catholica ſit tenendum & agendum, pro utilitate & ſalute populi Chriſtiani. Et omnibus maturè & digeſtè pertractatis, nihilominus ſi in deſiderio habendi dictam communionem ſub duplici ſpecie perſeuerauerint, hoc eorum Ambaſiatoribus indicantibus, ſacrum Concilium ſacerdotibus dictorũ regni & Marchionatus, communicandi ſub utraq; ſpecie populum, Eas uidelicet perſonas, quæ in annis diſcretionis reuerenter & deuote poſtulauerint, facultatem pro eorum utilitate & ſalute, in domino largitur: Hoc ſemper obſeruato, quod ſacerdotes ſic cõmunicantibus ſemper dicant, quod ipſi debẽt firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie uini ſanguis tantũ, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer et totus Chriſtus. Et iuxta dictorum Compactatorum formam, dictis Bohemis & Morauis, ſuſcipientibus Eccleſiaſticam unitatem & pacem realiter & cum effectu, & in omnibus alijs, quam in uſu communionis utriuſq; ſpeciei, fidei & ritui uniuerſalis Eccleſię conformibus, Illi & illæ, qui talem uſum habent, ualeant communicare ſub

Commu nicare ſub utraq; ſpecie.

Hunc articulum Huſſitę non obſeruant.

ſub duplici ſpecie, cum autoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, et Eccleſiæ ueræ ſponſæ eius. Hoc expræſſe declarato, quod per uerbum fidei, ſupra & infra poſitum, intelligunt & intelligi uolunt ueritatem primam, & omnes alias credendas ueritates, ſecundum quod manifeſtantur in ſcripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ ſane intellectis. Item, Cum dicitur de ritibus uniuerſalis Eccleſiæ, intelligunt & intelligi uolunt, non de ritibus ſpecialibus, de quibus in diuerſis prouincijs diuerſa ſeruātur: Sed de ritibus, qui communiter & generaliter circa diuina ſeruantur. Et quod poſtquam nomine Regni et Marchionatus in uniuerſitate hoc ſuſcipitur, ſi aliqui in diuinis celebrandis non ſtatim ſuſcipiant ritus, qui generaliter obſeruantur, propterea non fiat impedimentum pacis nec unitatis. Idcirco Reuerendis in Chriſto Patribus, Archiepiſcopo Pragenſi, & Olomucenſi & Luthomiſlenſi Epiſcopis, qui ſunt uel qui pro tempore erunt, Vniuerſis & ſingulis Eccleſiarum Prælatis, curam habentibus animarum, in uirtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, Quatenus illis perſonis, quæ uſum habent communicandi ſub duplici ſpecie, iuxta formam in dicto capitulo contentam, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſub duplici ſpecie, requiſiti, pro ut ad unū quenq; pertinet aut pertinebit in futurum, miniſtrent & pro neceſsitate plebis, ut non negligatur, faciant miniſtrari, & his nullatenus reſiſtere aut contraire præſumāt. Scholares quoq;, qui cōmunicauerunt & deinceps iuxta dictorum capitulorū formam cōmunicare uolent, Et etiam cum promoti fuerint, & ad eos ex officio pertinebit alijs miniſtrare ſub duplici ſpecie, propterea à promotione ad ſacros ordines non prohibeant, ſed ſi aliud Canonicum non obſiſtat, eos rite promoueāt eorum Epiſcopi. Quod ſi quiſquam contra hoc facere præſumpſerit, per eius ſuperiorē debite puniatur, ut pœna docente cognoſcat, quam graue ſit, autoritatē ſacri Concilij generalis habere contemptam. Vniuerſis quoq; & ſingulis cuiuſcūq; ſtatus, præeminentiæ aut conditionis exiſtāt, præſentium tenore diſtricte præcipiendo mandamus, Quatenus dictis Bohemis & Morauis, ſeruantibus Eccleſiaſticam unitatem, & utentibus communione ſub duplici ſpecie, modo & forma prædictis, nemo audeat improperare, aut eorum famæ uel honori detrahere. Item, quod Ambaſiatores dicti Regni & Marchionatus, ad ſacrum Concilium, Deo propicio, fœliciter dirigendi, Et omnes, qui de eodem Regno uel Marchionatu, dictū ſacrum Concilium adire uoluerint, ſecure poterunt, ordinato & honeſto modo proponere, quicquid difficultatis occurrat, circa materias fidei, Sacramentorum, uel rituum Eccleſiæ, Vel etiam pro reforma-

Ritus Eccleſiæ.

Mandatū ad Paſtores de cōmunicando ſub utraq; ſpecie Bohe.

tione Eccleſiæ in capite & in membris. Et ſpiritu ſancto dirigente fiet, ſecundum quod iuſte & rationabiliter, ad Dei gloriam, & Eccleſiaſtici ſtatus debitam honeſtatem fuerit faciendum. Item, recognoſcimus in geſtis apud Pragam in ſcedula, quæ incipit. Hæc ſunt reſponſa acta per Reuerendum in Chriſto Patrem Dominum Philibertum &c. Hanc reſponſionem ſcriptam. Primo dixerunt, Quod non eſt intentionis ſacri Concilij, permittere communionem ſub duplici ſpecie permiſsione tolerantiæ, uel ſicut Iudæis permiſſus fuit libellus repudij. Quia cum ſacrum Concilium uiſcera maternæ pietatis exhibere dictis Bohemis & Morauis intendat, non eſt intentionis Concilij, permittere tali promiſsione, quæ peccatum non excludat. Sed taliter elargitur, quod autoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ ueræ ſponſæ ſuæ ſit licita, & digne ſumentibus utilis & ſalutaris. Quoniam ita cõcordati ſumus cum Gubernatore, Baronibus et alijs, quod per illas formas in hac & in alia litera conceptas & ſcriptas, dicta Compactata ad executionem deducãtur, & in illis formis ambæ partes reſedimus. Item, In literis ab utraq; parte ad inuicem apponãtur in teſtimonium ad partium petitionem Sigilla Sereniſsimi Domini Imperatoris, & Illuſtriſsimi Domini Ducis Auſtriæ Alberti. Ambaſiatoribus Regni Bohemię ad ſacrum Concilium deſtinandis, dabimus Saluum conductum eo modo, quo dedimus Dominis Mathiæ, Procopio & Martino. Dabimus Bullam ſacri Concilij, in qua inſerentur Compactata et confirmabuntur. Item aliam Bullam, in qua inſeretur litera pro executione Compactatorum, per nos facta cum ratificatione. Quando datę fuerint nobis literæ Regni, & facta fuerit obediẽtia: nos dabimus literam, per quã promittemus, quod quam cito commode poterimus, procurabimus habere à ſacro Concilio, dictas duas Bullas. Et hæc litera erit munita Sigillis Regni, & Sereniſsimi Domini Imperatoris, et Illuſtriſsimi Domini Ducis in teſtimonium. Simili modo petimus ſaluum conductum, ſi nos uel aliqui ex nobis, uelint tranſire ad Regnũ. In quorum fidem et teſtimonium, Nos Philibertus Epiſcopus Cõſtantienſis præfatus: Ioannes de Polomar auditor: & Tilmannus Præpoſitus S. Florini, uice & nomine omnium aliorum Collegarum noſtrorum, in abſentia ſuorum ſigillorum, preſentes has literas dedimus, Sigillorum noſtrorum munimine roboratas. In alio autem codice ſic habetur. In quorum omnium et ſingulorũ fidem et teſtimonium, has noſtras literas Sigillis noſtris fecimus communiri. Et ad maiorem euidentiam, robur & firmitatem, Sigilla Sereniſsimi Domini Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, & Illuſtriſsimi Principis, Domini

Duæ Bullę à Concilio dandæ.

Domini Alberti Ducis Auſtriæ & + Marchionis Morauiæ, ad inſtantes preces noſtras ſunt præſentibus appenſa. Datum Iglauiæ Olumucenſis Diœceſis. Die Quinta Menſis Iulij. Anno Domini. M.CCCCXXXVI.

aliàs + Marchionatus.

Vt uerò intelligat lector, quanta fuerit Legatorum Concilij autoritas, exemplum literarum Concilij ſubiungere libet.

Tenor literarum ſacri Concilij.

Sacra Generalis Synodus Baſilienſis in ſpiritu ſancto legitimè congregata, Vniuerſalem Eccleſiã repræſentans, Venerabili Philiberto Epiſcopo Conſtantienſi, & dilectis Eccleſiæ filijs, Ioanni de Polomar &c. Salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Cum uos ad partes Bohemiæ & Morauiæ Legatos noſtros duxerimus deſtinandos cum plenaria poteſtate, prout in alijs noſtris inde literis continetur, in quibus cum dicatur, quod omnem uobis in dictis partibus poteſtatem & Iuriſdictionem Eccleſiaſticam con ceſſerimus: Ne generalitas hæc ambiguitatem ualeat generare, harum ſerie declaramus + prædicta uobis ſeu tribus aut duobus conceſſam, cauſas omnes & lites ciuiles, Criminales & ſpirituales, ad forum Eccleſiaſticum pertinẽtes, per uos aut alios, audiendi, decernendi, ſeu de delictis inquirendi, ſeu delinquẽtes puniendi, uel cum eis (ſi uobis uiſum fuerit) diſpenſandi, quęcunque beneficia conferendi, etiam ſi forent ad Sedem Apoſtolicam deuoluta: Et generaliter omnem Iuriſdictionem uoluntariam & contentioſam, & poteſtatem Eccleſiaſticam exercendi, in toto Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ: Quam habent & habere ſolent Legati Cardinales à latere Summi Pontificis deſtinati: Volentes & decernẽtes, quod facultates in prædictis noſtris literis uobis datæ, non cenſeantur per hanc in aliquo diminutæ, ſed illas ſimul & iſtas uolumus in pleno robore permanere. Datũ Baſileæ III. Idus Martij. Anno Domini M. CCCCXXXVI.

Quãtę fuerint facultates Legatorũ Cocilij.

lego + poteſtatem.

Pro maiori præterea horum tractatuum firmamento, Ipſe quoque Imperator, & Gener eius Dux Albertus, fidem ſuam interpoſuerunt, quam & literis confectis ac ſigillatis muniuerunt. In hunc modum.

Tenor literarum Imperatoris, & Ducis Alberti.

Sigiſmundus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Vngariæ & Bohemiæ &c. Rex. Et Albertus eadem gratia Dux Auſtriæ & Marchio Morauiæ &c. Notum facimus pręſentibus uniuerſis, Quod propter exortas quaſdam emergẽtias

in materia mandati Reuerendo in Chriſto Patri Philiberto, Epiſcopo Cōſtantienſi & Collegis ſuis, Legatis ſacri Generalis Concilij dati, Inter ipſos Legatos eiuſdem ſacri Generalis Concilij Baſilienſis, parte ex una, et inclytum Regnum Bohemiæ & Marchionatū Morauiæ, parte ex altera: promiſimus, & tenore præſentium promittimus, in uerbo Cæſareo, ſicut & ipſi Legati coram nobis promiſerunt, quod infra hinc & feſtum ſancti Michaelis proxime uenturum, dicti ſacri Concilij Baſilienſis Legati, mandati literas plenam & omnimodam facultatem continentes, à dicto ſacro Concilio diſponent, et in effectum ordinabunt, necnon ad manus Nobilis Alzonis de Ryzenberg, aliàs Vuizeſtiouu, Gubernatoris Regni Bohemiæ infra ſubſcripta reponent.

Tenor literarum Concilij.

Sacra Generalis Synodus &c. Venerabili Philiberto &c. Cum uos ad inclytum Regnum Bohemiæ & Marchionatū Morauiæ, pro continuandis & Deo propicio fœliciter concludendis pacis & unitatis tractatibus, duxerimus deſtinandos, uobis omnibus, & maiori parti ueſtrum omnium, ſi forſan aliquos contigerit impediri, coram congregatione Generali Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ, uel Ambaſiatoribus eorundem, communiter uel diuiſim, aut cum deputandis ab eis, necnon cum quibuſcunque Baronibus, Communitatibus uel deputandis ab eis, ac etiam cum Clero dictorum Regni & Marchionatus & cuiuſuis ciuitatis, ac alijs etiam perſonis, ſi & prout uobis uidebitur expedire, omnia ad pacem & unitatem accommoda (ſalua fide & honeſtate Eccleſiæ) explicandi, proponendi, colloquendi, concordandi et concludendi: Vt ea, quę per quoſdam ex uobis tunc legatione fungentes, cum generali congregatione dictorum Regni & Marchionatus, concordata & cōcluſa fuerint, executioni demandentur, & pax & unitas effectiuè procedat, Et ipſa concordata & concluſa firmandi & roborandi, & ea executioni debite demandandi, Et generaliter omnia & ſingula faciendi, quæ pro pace & unitate dictorum Regni & Marchionatus & habitantium in eis, cum reliquo populo Chriſtiano, uel pro bono & tranquillo ſtatu illarum partium, uobis uidebitur expedire: Etiam ſi maiora & grauiora eſſent ſuperius expreſſa, quam ea quæ in præſenti mandato continentur, & quæ mandatum ſpeciale & expreſſum exigerent, quæ omnia in præſenti habere uolumus pro expreſsis: plenam & liberam concedimus facultatem, ratumq; & gratum ac firmum habebimus, quicquid à uobis uel maiori parte (ſi reliquos contigerit impediri) actum fuerit

Generale mandatum agēdi cum Bohemis.

ſiue geſtū. Et faciemus, autore Deo, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari. Datum III. Idus Martij. Anno à Natiuitate Domini M. CCCCXXXVI. In cuius rei teſtimonium & fidem, Nos Sigiſmundus Imperator & Dux Auſtriæ præfati, Sigilla noſtra huic literę appendi iuſsimus. Datum Iglauiæ III. Die Menſis Iulij. Anno Domini M. CCCCXXXVI.

Bohemi igitur hunc in modum certificati, Generale mandatum ſeu edictum ad ſubditos Regni pro ſeruāda pace emiſerunt, In hæc uerba.

Copia Mandati ad ſubditos Regni Bohemiæ et Marchionatus Morauiæ pro pace ſeruanda.

Nos Alzo de Ryſſenburg, aliàs de Vuizeſtiouu, Gubernator Regni Bohemiæ, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Praga ciuitas & cęteræ ciuitates, Generalem congregationem Inclyti Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ facientes & repræſentantes. Vniuerſis & ſingulis ſubditis & Incolis præfatorum Regni & Marchionatus, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, qui ſunt de parte noſtra: affectu omnis boni, uario cum genere cōplacendi præporrectis. Cum propter aliquas difficultates, circa materias fidei & Quatuor articulorum exortas, inter nos & conuicinos noſtros, tam extra quam intra Regnum & Marchionatum conſiſtentes, bella diutius fuerint agitata, Et iam per Dei gratiam, inter Legatos ſacri Generalis Concilij & Generalem congregationem dicti Regni, ſit facta cōcordia, Et nos pacem, quam promiſimus pro dictis cauſis & articulis ſuſcipere, & inire uolentes cum uniuerſo populo Chriſtiano, ſiue intra Regnum ſiue extra ſiſtente, per fidem & honorem noſtrum, omni dolo & fraude ceſſantibus, ſuſcepimus. Idcirco uobis omnibus & ſingulis per præſentes præcipiendo mandamus, Quatenus bonā Chriſtianam, firmam, & perpetuam pacem ſeruetis & teneatis. Et ipſis ſupra dictis & uicinis, tam intra quam extra Regnum, illam nullatenus uioletis ſeu uiolari permittatis: ſed faciatis à ueſtris omnibus firmiter obſeruari. In horum fidem & teſtimonium, has literas noſtras ſigillo Regni Bohemię fecimus cōmuniri. Datū in Iglauia XII. die Menſis Iulij. Anno Domini M. CCCCXXXVI. Data eſt autem huius mandati Copia Dominis Legatis, prę ſente Imperatore, XV. die Auguſti, Iglauiæ eodem anno.

Mādatum de pace ſeruanda.

Cæterum nomina Bohemorum, qui totius congregationis nomine cum Legatis egerunt & concordarunt, ſic habentur in uetuſto quodam codice expreſſa & in ſeriem digeſta.

Nomina Oratorum Regni Bohemiæ.

Barones. Alzo de Ryſemberg Gubernator, Meinardus de noua domo, Alzo de Sternberg, Erhardus de Cunſtat, Vuenceslaus de Crauuar, aliàs de Stirtznitz, Hintze de Pagſtein, aliàs de Ratay, Girzik de Vuiſſenburg, Hans de Colobrat.

Vtriuſq; ciuitatis Pragenſis Nuncij. Ioannes Vueluuar, Sigmundus de Cotenizitz, Vuēceslaus Hederika, Paulus Dyetizichonis, Beneſs Zukmanski, Valentinus Baba Daniel.

Militares. Diuuiſs de Mylentrako, Vuilhelmus de Poſtupitz, Petrus de Suueyſsin, Ioannes de Ruſsinouu, Ioannes de Smyrtzitz, Nicolaus de Lamberg, Vuenceslaus de Petrouuitz, Ioānes de Czrayn, Gallus de Drzenitz, Mathias de Chlumptzan.

Sacerdotes. Ioannes de Rokyzana, Vuenceslaus de Drachouu, Martinus de Chradim, Bohunko de Chotzna, & Vuenceslaus de Chotzna.

Hi erant Nuncij Regni Bohemiæ.

Obediētia per Rokyzanam publicè præſtita.

His ergo ſic peractis & conſtitutis, Magiſter Ioannes Rokyzana cum alijs Quatuor presbyteris, nomine totius Cleri ſibi adhærentis, obedientiā Romanæ Eccleſiæ ſeſe præſtare publicè profeſſus eſt: Sedente pro tribunali in foro ciuitatis Iglauię, ipſo Imperatore Sigiſmundo, & Alberto Genero aſsiſtente, magnaq; Procerum & Oratorum circumſtante corona.

Abſolutio Bohemorū à cenſuris.

Sequenti uerò die haud abſimili ſolennitate, abſoluti ſunt Bohemi & Morani illius partis, ab Anathemate cęteriſq; cenſuris: Et in Eccleſiam per Concilij Legatos introducti. Vbi cum diuina celebrarentur, Ioannes Rokyzana, perfidiæ ſuæ non immemor, altare accedens, diuina re peracta, uni, quem iuſſerat ex Laicis adeſſe, Sacramentum ex calice dedit. Et quamuis unus Legatorum, Ioannes de Polomar, in aliena Eccleſia id ſibi non licere aſſereret, cumq; prohiberet, ipſe tamen pertinax in propoſito perſtitit. Ob quam ſanè rem, penè in irritū conuenta ceciderunt. Compoſita tamen lis eſt, ex eo conuentionis capite, quo ſancitum erat, ne paucis pacta uiolantibus, communis concordia rumperetur.

Aliæ pactiones Sigiſ. cum Bohe.

Porrò Imperator, cupidus Regni paterni, ut Bohemos deuinctiores ſibi redderet, multa ſeorſum eis promiſit & conceſsit, quæ à Legatis Concilij impetrare aut obtinere minimè potuiſſent. De quibus ita ſcribit Æneas Syluius. Cæterum (inquit) inter Bohemos & Imperatorem aliæ pactiones interuenere. Quibus Eccleſiarum prædia, occupatoribus iure pignorum relicta ſunt, donec certa pecunia reluerentur. Religioſis utriuſque ſexus, quibus adempta Monaſteria eſſent, exulibus quoq; ſpes

reditus

reditus interdicta, Rokyzanæ Pragenſis Eccleſiæ Præſulatus promiſſus, De diſponendo Eccleſiarum Bohemicarũ regimine Summo Pontifici facultas ablata. Hæc ille. Ad certiorem itaq; huius rei cognitionem habendam, exemplum illarum pactionum ſubiungam, ex uetuſtis codicibus in hanc ſane formam.

Formula pactionum Imperatoris cum Bohemis.

Sigiſmundus, Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c. Quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei hominũq; mediator, ſalutis curam ex iniuncto Altiſsimi gerens humanæ, laborem ſuſtinẽs atrocem, pro qua & dira pati uoluit, & morte turpiſsima occumbere nõ eſt dedignatus, Puta, ut utraq; in unum repararet. Cuius quidem exemplo, uelut Magiſtri & Ducis peroptimi, ex dignitate Imperiali, nobis ab uniuerſorum domino diſpoſita & commiſſa, bonum pacis & ueritatis atq; concordiæ amplexantes, Cum poſt quædam Compactata, inter Legatos ſacri Concilij Baſilienſis, ipſumq; Regnum Bohemiæ & Marchionatum Morauiæ, in Praga ſcripta & conſignata, + receſſum eſt, ut alijs bene diſpoſitis & deductis, pro Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ expurgatione, per ſacrum Concilium Baſilienſe, noſtramq; prudentiam Imperialem, uti melius fieri poterit, prouideatur. Adhuc tamen, quia difficultates uariæ, inter Legatos ſacri Cõcilij Baſilienſis parte ex una, Et Generoſos ac Nobiles, Strenuos, Famoſos, Reuerendos & Prudentes Nuncios, nomine Regni Bohemiæ pridem ad nos in Brunnam deſtinatos, parte ex altera, ortæ fuiſſent, & crebro pullulaſſent: Animum, cor, ſimul & humeros curæ diligenti & ſollicitudini anxiæ ſuppoſuimus, pondus diei & æſtus ferentes: ut diuiſa in unum, aduerſa in conſona, aſpera in plana, & longe diſtãtia in combinata, ſimul pariterq; in ſanctam & beatam reduceremus unionem. Cum nos pacem & tranquillitatẽ ipſius Regni (quod ſemper amauimus atq; coluimus) cordintime affectantes: Volentes futuras diſſenſiones & cõtrouerſias, quibus populus ſubditus poſſet quomodolibet concitari, conuenientibus remedijs præuenire, nonnullisq; remanentijs, quibus in Cõpactatis pro pace Regni non uidebatur ſufficienter prouiſum, ſalubriter prouidere cum præfatis Ambaſiatoribus Regni & Marchionatus, ad laudem Dei, pacem ipſius Regni & omnium circumiacentium Nationum, & totius populi Chriſtiani, ac ſalutis innumerabilium animarum: In nomine Domini, Notum facimus uniuerſis & ſingulis, quod ad infra ſcriptas cõcluſiones conſenſimus, & preſentibus conſentimus.

alias + receſſum

Primo,

I Primo, Quod beneficia non conferantur per extraneos in Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, ſed omnino ius collationis eorundem, ad Regem Bohemiæ, incolasqꝫ Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ perpetuo debet pertinere.

VII. Articuli pactionum ſecundarum.

II Perſonæ etiam ſpirituales & ſæculares, extra Regnum & Marchionatum nec citabuntur nec iudicabuntur, ſed unaquæqꝫ perſona iuriſdictionibus ſibi præfecti Præpoſiti in præfatis Regno & Marchionatu ſubiecta erit, & cõtenta, & de eadem gaudebit. Libertatibus tamen Archiepiſcopatus Pragenſis in priuilegijs, in uia appellationis, a ſibi ſubiectis Epiſcopatibus, ſaluis & illibate conſeruatis.

III Inſuper Communicantes ſub una ſpecie, in ſæpe tactis Regno & Marchionatu, ne confuſa ſequatur commixtio, contra proprias eorum uoluntates & libertates, non ſuſtinebuntur, ſed duntaxat in locis, in quibus Communio duplicis ſpeciei, temporibus retroactis non ſeruabatur, ſuſtinebuntur.

IIII Et ut materia occaſioqꝫ litium auferatur, loca omnia & ſingula Eccleſiarum, populiqꝫ Parochiarum ſignabuntur: in quibus & à quibus Communio duplicis ſpeciei, in praxi ſeruabatur, ut in futurum perpetuo in eiſdem ſeruaretur. Quæ quidem conſignata in litera ſpeciali, in robur & perpetuam rei memoriam, Sigillo noſtræ Maieſtatis munientur.

V Sed & hoc uolumus, ut per Dominos Bohemos Generoſos, Nobiles, ſtrenuos, famoſos, Pragã & ciuitates alias, unà cum Clero, Archiepiſcopus Pragenſis unà cum alijs Epiſcopis titularibus eligantur, qui aliàs dicuntur Suffraganei. Qui quidem electi, per noſtram diſpoſitionem debitam, ſollicitudinem pariter & curam confirmabuntur, & in Epiſcopos conſecrabũtur, abſqꝫ quauis pro cõfirmatione, Pallij exhibitione, aut etiam Notarijs perſolutione. Et totus Clerus Diœceſis Pragenſis ſubijci ipſi Archiepiſcopo per præfatos dominos electo, tenebitur obedire.

Electio Archiepiſcopi per Laicos.

VI Scholares Diœceſis Pragenſis, utriqꝫ, tam ſub una quàm ſub utraqꝫ communicantes ſpecie, habilitate & idoneitate ipſorũ præſuppoſita, ad ſacros ordines promoueantur & ordinentur. Nihil tamen per hoc cauſæ & praxi cõmunionis eorum derogãdo. Tamen quia licentia per ſacrum Cõcilium Baſilienſe, omnibus tam in Regno quàm Marchionatu Morauiæ conſtitutis, dabitur, ſub utraqꝫ ſpecie communicandi, Epiſcopi Olomucenſis ſcilicet & Luthomislenſis, populum Laicalem, deſiderantem, ſub utraqꝫ ſpecie tenebuntur communicare, promouebuntqꝫ ſcholares, & ad ſacros ordines conſecrabunt, habilitate & idoneitate illorum præſuppoſita:

ſita: qui uellent populum Laicalem ſub utraq; ſpecie communicare. Et diſponere tenebuntur ſacerdotes ad loca ſuarum Diœceſum, in quibus præfata communio annis elapſis ſeruabatur, qui ſic populum, ut præmittitur, ſub utraq; ſpecie communicabunt.

Et Plebani, ſiqui ad proprias redire, cum ſcitu & conſenſu ſui Diœceſani, uoluerint Parochias, populum ſub duplici ſpecie communicabunt, qui populus ſic communicauit, & in locis, in quibus præfata ſeruabatur communio. Quod ſi non fecerint, non ſunt tolerandi, ſed alij, qui ſub duplici ſpecie communicarent populum Laicalem, per Diœceſanum uel per alios, ad quos pertinet, in loca illorum ſubſtituendi. Iſta nos tenere, præſentibus affirmamus, & pollicemur in uerbo Cæſareo, præfatis Ambaſiatoribus ac Regno Bohemiæ & Marchionatui Morauiæ, quod in omnibus & ſingulis ſupra ſcriptis capitulis, cum eis remanebimus, Volumusq;, ut per nos & noſtros ſucceſſores in futurum pro perpetuo, ſingula eis teneantur & plene conſeruentur. Nos quoq; apud ſacrum Concilium, ac Dominum noſtrum ſummum Pontificem, et alibi, ubicunq; expediens fuerit, omnem operã & curam adhibebimus, ut præfati articuli ſuum effectum realiter ſortiantur. Nec in Regno noſtro ac Marchionatu aliter fieri permittemus. Quinimmò ſiquis Regnum & Marchionatum in his turbare quomodolibet attentauerit, ipſis pro executione eorundem effectualiter aſsiſtemus, dolo & fraude ceſſantibus quibuſcunq;. Datum &c. Quamuis uerò duo uetuſti codices apud me habeant hanc pactionum formulam, in neutro tamen poſt Datũ, ſubiungitur locus & tempus. Arbitror autem Iglauiæ eodem anno, in menſe Auguſto datam fuiſſe hanc formulam, Quia Ambaſiatorum Regni mentionem facit. Quæ tametſi in multis repræhenſibilis exiſtit, utpote contra Leges Imperiales & ſacros Canones, multa diſponens ſuper rebus Eccleſiaſticis, contra iura & priuilegia ſedis Apoſtolicę & Ro. Eccleſiæ. De quibus diſponendi ius aut facultatem non habebat Rex aut Imperator: præſertim in præiudicium Papæ, quem pro Maiore ſuo recognoſcit, & Dominum ſuum uocat. In ea tamen non reperio cuncta, quæ Æneas Syluius cõmemorat. Nihil enim habetur ibi, de prædijs Eccleſiarum, nihil de Monaſterijs religioſorum, nihil de exulibus, nihil de promiſſo Ioanni Rokyzanæ Archiepiſcopatu Pragenſi. De quibus Pragæ potius poſtea, quàm Iglauiæ à Bohemis practicatum fuiſſe arbitror. Nam & in alio quodam uetuſto codice reperio, Imperatorem illum Bohemis talia per eorum importunam inſtantiam conceſsiſſe. Etenim in eodem codice habetur ampliſsimum Conſilium, cõtra electionem

Promiſsio Sigiſ. Imp.

Pactiones inualidæ.

Regis Georgij, à quodam doctiſsimo uiro (cuius nomen metu Bohemorum ſuppreſſum eſt) ſcriptum. In quo ſanè contra hanc illicitarum pactionum formulam ſic diſputat. De conformatione (inquit) Compactatorum per Dominum Sigiſmundum Imperatorem facta, quam etiam oppreſſores ueritatis fortiſsime pro ſe allegãt, uix eſt qui aliquid aſſertiue dicere poterit. Tum quia non eſt ueriſimile, quod tantus Princeps, mundi dominus, Imperator ſupremus, Romanorum Rex Cæſarq́ꝫ Chriſtianiſsimus, ſemper Auguſtus, tales, fidei Chriſtianæ contrarias, totius Chriſtianitatis offenſiuas, literas, magna repræhenſione dignas, dederit, de certa ſua ſcientia, & expreſſo conſenſu, Cum ipſe Dominus Imperator, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, & ſummo Pontifici, Domino Eugenio tunc Papæ, non longe ante hoc fertur iuraſſe, & pro contrario faciendo iuramẽta præſtaſſe. Et dato, quod huiuſmodi literas, ipſi Bohemi & Morauí hæretici de facto haberent, ſigillis & ſubſcriptionibus Authenticas roboratas et munitas: magis credi oportet, propter earum ſuſpectam continentiam, eas ſurreptitie impetratas per falſos ſcriptores, aut alios taliter qualiter extractas & extortas, quàm de intentione Cæſareæ Maieſtatis proceſsiſſe. Sed ulterius dato, quod Imperatoris conſenſu emanaſſent (quod tamen impoſsibile reputatur) nihilominus nullius ſunt roboris & momenti. Et plus gens iſta Bohemica atq́ꝫ erronea, de exhibitione aut gloriatione talium literarum ſuſpectarum, erubeſcere et tacere deberet, quàm ſe tanta prophanatione maculare. Tum quia huiuſmodi literæ cõtra ſancta, immò ueritatem fidei uidentur laborare: In quibus Rex uel Imperator nihil inſtituere, deſtituere, confirmare aut infirmare poteſt, Nec ad tale faciendũ aliquam habet autoritatem. Tum quia Dominus Imperator hæc ſcripta ad ſacrum Concilium & confirmationẽ Compactatorum feciſſe uidetur, propter bonum pacis, & ob bonam ſpem retrahendi Bohemos à ſua pertinacia, & mitigandum exorbitantem eorum feritatem. Tum propter hæreticorum importunitatem euadendam, quæ apud eos quaſi continuata uigebat. Nam & eadem importunitas apud Cæſaream ſuam Maieſtatem tantum effecit, ut ſua Celſitudo bona Epiſcoporum, Capitulorum, Monaſteriorum, Prælatorũ, Canonicorum, presbyterorũ, Conuentuũ, & aliorũ ſpiritualium, quomodocunq́ꝫ acquiſita ſeu occupata: ab eis, quorum erãt propria, abalienauit, & Bohemis in uim ſtipendij pro ſuis ſeruitijs, contra leges & omnia iura, dedit & donauit, donationesq́ꝫ tam hæreditarias quàm pro certis pecuniarum ſummis (licet nulliter factas) ſigillis & literis ſuis patentibus, Imperiali & Regia poteſtate roborauit. Et talia bona

Argumenta contra eiuſmodi pactiones.

Illicita alienatio bonorum Eccleſiæ.

ipſis

ipſis iure tam poſſeſſorio quàm petitorio & cauſa proprietatis uiolenter confirmauit: Non obſtante, quod ſicut ipſe Dominus Imperator, ita & ipſi poſtulantes certi eſſent, quod Domino Imperatori nihil iuris in illis bonis alienandi, cōferendi, donandi ſeu alijs appropriandi competebat. Tum, quia Dominus Imperator cum Legatis ſacri Concilij Compactata practicātibus, certas & bonas habuit intelligentias, Quarum occaſione in hęc & alia, attentis circumſtantijs, partes conſentiebant. Sed nec ſacrum Concilium Baſilienſe Legatos ſuos, ad homines tanta crudelitate irretitos, & res ſuas cum aſtutia & doloſitatibus in effectum perducentes, quouis modo miſiſſet, niſi uoluntas & perſuaſio Imperialis, bonis reſpectibus interueniſſet &c. Ex his facile intelligit prudens lector, literas illas pactionum, Bohemis ab Imperatore datas, reuera nullius eſſe uigoris, nullius iuris, nullius efficacię aut momenti: per importunitatem illicite extortas. Niſi enim Imperator condeſcendiſſet petentium uoluntati, à Regno rurſus potuiſſet excludi, ſicut antea. Cum ergò omnes eiuſmodi literæ, quas in eiuſmodi modum cōtra leges & Canones, Imperator et Rex, in graue & ſedis Apoſtolicæ & Eccleſiarum ac Monaſteriorum damnum et præiudicium dedit, nulliter (ut loquuntur noſtri Iuriſconſulti) ſint conceſſæ, ſucceſſores eius in Regno minime aſtringunt aut obligant ad obſeruandum: Maxime, cum ſatis conſtet, eas neq; à Concilio, neq; à ſummo Pontifice approbatas unquàm fuiſſe. Et res ipſa docet, longe alterius animi fuiſſe Imperatorem, quàm literæ illæ præ ſe ferunt. Nam ubi Pragam uenit, conuenticula Huſsitarum uitauit, Canonicos & Monachos ab exilio ad proprias Eccleſias reuocauit, & Ioannem Rokyzanam minis in exilium egit. Vnde liquet (ut ait Æneas Syluius) Imperatorem ea fœdera, quæ cum hæreticis percuſsit, neceſsitate magis admiſiſſe, quàm uoluntate. Voluiſſe illum paternam hæreditatem quoquo modo intrare, ſenſimq; Regni poſſeſsione accepta, more maiorum ſubter ueram Chriſti religionem prouinciam reducere. Compoſitis itaq; rebus Iglauiæ, Imperator Pragam uenit nona Septembris (ut habet liber Impreſſus Æneæ Syluij) uel potius nono Calendas Septembris, hoc eſt, in feſto S. Bartholomei. Die XXIIII. Auguſti. Vetus enim codex teſtatur, eum Pragam ueniſſe in Vigilia Bartholomæi hora quaſi XVIII. Vbi, qui paulo ante Bohemorum hoſtis, ex adulterio natus, Antichriſti filius, ſacrilegus, publicis hominum uotis perdendus cenſebatur: extremis honoribus exceptus eſt. Barones ac ciuitates in eius uerba iurauerunt, et Magiſtratus ſuos, quos ipſe conſtituit, acceperunt: Certantes inter ſe, quis

Occulta intelligentia Imp. cū Concilio.

Literæ inualidæ.

Facta Imp. literis contraria.

Ingreſſus Sigiſ. Imp. in Pragam.

Reductio rituum Ecclesiæ. quis alter altero ſuo Regi obſequentior uideretur. Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis, Natione Gallicus, & Collegæ ſui ex Baſilea miſſi, Eccleſiaſticos introducere ritus, ſacerdotes inſtituere, ex Miſſarum ſolennibus uulgaria uerba cantilenasque detrahere, ſanctorum imagines reducere, aquam benedictam in ædibus ſacris reponere, Baptiſmatis fontes ſacrare, altaria ornare, ſpurcitias omnes abolere.

Reſtitutio Monachorum. Sigiſmundus Imp. cum Eccleſias pollutas intrare nollet, templum S. Iacobi (quod fratrum Minorum fuerat, & in quo machinæ bellicæ tum ſeruabantur) reſtitui ſibi popoſcit. Annuit ciuitas, et aliqui Monachi introducti ſunt, qui uerbum Dei prædicarent. Redierunt et alij mendicantes, tum Celeſtini, Sclaui, Serui ſanctæ Mariæ, Teuthones, Hieroſolymitani, & nonnullorum Monaſteriorum Abbates.

Abbatiſſa S. Georgij in arce. Abbatiſſa quoque Sancti Georgij in arce Pragenſi: quæ Principis honore defungitur, et paſtorali baculo utitur, atque ex ueteri more quotannis in celebritate S. Viti nouellum Regi panem offerre tenetur: ſacris præfecta Virginibus, ab exilio remeauit.

Reſtituti Canonici. Reſtituti ſunt & Cathedralis Eccleſiæ Canonici ac Vicarij et Manſionarij. Ornamenta altaribus reddita, diuinum officium inſtauratum. Cumque nulli eſſent Eccleſiæ redditus, ex quibus ali templorum miniſtri poſſent, iuſsit Imperator, ex Fiſco Regio per ſingula Canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum diſtribui, minoribus Clericis dimidium dari. Ea res annuo Aureorum ſex Milia apud Eccleſiam Cathedralem abſumpſit. In alia quoque templa donaria collata ſunt. Noua iam facies urbis, nouus populus, uetus rediſſe religionis cultus apparebat. Iamque Reges & Principes populique Chriſtiani, Imperatori de regno recuperato congratulabantur, eiusque nomen in omni Eccleſia magnum erat.

Ciues oppidi Thabor. Thaboritæ, qui ſuperioribus cladibus ſuperfuerant, in oppido ſuo conſeruati, ea lege in gratiam recepti ſunt, ut Quinquennio toto ſuis moribus uiuerent, & religionis ſuæ cultum mutare non cogerentur: Tributi nomine ſingulis annis Sexagenas decem penderent. At ubi accepiſſet Imperator nephandas eorum conſuetudines, quibus illi circa rem diuinam uterentur, dixit ſe haud expectaturum eſſe Quinquennium, ſed propediem correpturum ſceleratæ ciuitatis inſaniam.

Rokyzana ægre tulit Catholicos ritus. Rokyzana uero cum ſuis complicibus, inique ferentes reduci Catholicos ritus in regnum, Legatis apud plebem detrahebant, & Romanam Eccleſiam ſermonibus ſuis inter prædicandum criminabantur, blaſphemantes. Nec poterat ipſe malorum inuentor Rokyzana ex Parochia ſanctæ Mariæ ante lætam Curiam, quam propria temeritate inuaſerat, commode abſque plebis tumultu amoueri.

Admonitus

Admonitus ab ipſo Imperatore, ut Romanę Eccleſiæ ſe ſubijceret, & nihil alieni de fide ſentiret, quò ſecure poſsit ei Pontificatus committi: indies peior ac uenenoſior efficiebatur: reditum Monachorum ægerrime ferens, quorum ſermones non minus quàm ſuos acceptum iri uerebatur. Ob quam rem, occurrēte inter prædicandum ſermone de Monachis. Veniunt (inquit) noui dietim ad nos dæmones, quos Monachos uocant: His ſtudium eſt, eijcere nos de ueritate. At ſi uiri fuerimus, prius ſanguinem effuderimus. Id Sigiſmundus Imperator ubi accepit: Immò nos (inquit) Rokyzanæ ſanguinem non inuiti ante aras libabimus. Non latuit Rokyzanam Sigiſmundi ſermo, qui ex amicis commonitus, clam aufugit. Eius Eccleſia Ioanni Papuskoni, bono ac docto uiro, commiſſa eſt: Qui aliquot annos ibi præfuit, donec per Gyrzikonem de Cunſtat Pragam reductus eſt Rokyzana. Exul poſtea factus, ab Ænea Syluio uiſus eſt in Noua domo. Factus deinde Præpoſitus Lythomericēſis, fœliciter obijt in eo oppido, poſt annos XX. à fuga & ſpontaneo exilio Rokyzanæ.

Sermo eius contra Monachos.

Fuga & exiliū eius.

Anno Domini M. CCCCXXXVII.

Illuſtris Domina Barbara, filia Comitis Ciliæ, Coniunx Domini Sigiſmundi Imperatoris, quæ coronā Regni Vngariæ iam pridem acceperat, feria Tertia in Carniſpriuio (ut habet uetuſtus codex) coronata eſt ad Regnum Bohemiæ, in arce Pragenſi, per Reuerendum patrem Philibertum, Epiſcopum Conſtantienſem, ſacri Concilij Legatum. Ipſe uerò Imperator, in eadem arce ante annos XVII. coronatus fuerat, corona Regni Bohemiæ, ab Archiepiſcopo Pragenſi Conrado Vueſtphalo, quando Pragam obſidebat, uiuente adhuc Ziska, Anno Domini M.CCCCXX. uti commemoratum eſt ſupra. Paulo poſt miſit ad eum Eugenius Papa auream roſam, indicem ſuæ congratulationis & lætitiæ. Interim non ceſſabat Imperator Bohemiam ſuam compacare (ut ait Albertus Krantz) crebrius euocatis ijs, quorū fidem ducebat ſuſpectiorem. Magna itaqꝫ manſuetudine perfecit, ut multorum rigidas ceruices ad obedientiam reuocaret. Cumqꝫ aſsiduū ſibi eſſet in Vngaria bellum aduerſus Turcas, delegit ex Bohemis ſuſpectæ fidei plurimos, quos facile ad rebellionem redituros præuidebat, mittens eos in Vngariā contra Turcas. Qua Vngari manu aucti, alacres in Turcas exercitū duxerunt, magnamqꝫ in eos ſtragem peregerunt. Ceciderūt ibi ex Bohemis multi, ſapienti nimirum Imperatoris inſtituto, ut uel uincentes uel cæſi prodeſſent. Refert

Coronatio Reginæ.

Prudentia Imp.

In Vandalia lib. 11. cap. 4.

vbi ſupra ca. 1. Cōſpiratio in Imp. præterea idem Albertus Krantz, Nonnullos Pragæ, qui uel ſibi timebant uel tranquillitatem odio habebāt, in Imperatorem Regem ſuum coniuraſſe, ſtatuentes illum tollere de medio. Id ubi reſciuit Imperator, prouide conſtituit, ut abſq; magno tumultu coniurationis capita caperentur. Capti ſunt itaq; X X I I I I. per ſummam (ut poterat) quietem, qui publico iudicio condemnati, gladium ſenſerunt ultorem. Hæc ille, quæ apud alios non reperio.

vt ſupra ca. 4. Iacubicus Refert item, de quodam Iacubico, qui arci ſuæ confidens, contempto Imperatore, prædas egerit. Arce autem obſeſſa, & erectis furcis ad ſupplicium, CC. ex ſocijs ab eo defeciſſe. Arce dein capta, C C L X. ſocios ſimul cum ipſo Iacubico in furcis appenſos fuiſſe, in exemplum pertinacibus. Verum ea de re (ut & in alijs non paucis) lubentius amplector hiſtoriam Æneæ Sylutj, qui rerum Bohemicarum longe maiorem cognitionem habuit, quàm Albertus ille Saxo, non contemnendus alioqui multarum hiſtoriarum ſcriptor. Quoniam uerò prolixior eſt hæc apud Æneam hiſtoria, ea tantum referam, quæ ad rem magis pertinent. Ait ergo.

Roatius Priuſquàm Bohemiam intraſſet Sigiſmundus, Ioannes Roatius, nobili loco natus, ingenio malo, mente peſsima, non longe à montibus Cuthnis, intra ſyluas, in edito colle caſtellum ædificauit, uocauitq; montem Syon: aſſerens, ut ex eo loco ueritatē aliquando exituram, quæ gentem Bohemicam libertate donet. Euntibus ad † Iglariam cæteris Nobilibus Imperatorem ſuſcepturis, ipſe domi manens, uicinis infeſtus, prædas agitat, inſtigantibus nonnullis Baronibus, quibus pax noxia, bellum ſalubre uidebatur. Sigiſmundum quoq; laceſsit, armenta boum & ouium, quæ illi aduehebantur ex Vngaria, rapit: itinera quæq; inſecura, infeſta reddit, neq; à purpuratis regijs manus abſtinet. Sigiſmundus Henricum Ptatſconem à Sternberg, qui hominē corripiat, cum exercitu mittit. Obſidio Quatuor ducta menſibus, Caſtellum ſumma ui occupatum, ſed in cacumine mōtis ſitum, uallo, foſſa, muriſq; opportune munitum, difficile ſuperatu erat. Et infra. Roatius capitur, arx quoque ui rumpitur, latronibus, qui eo confugerant, interceptis. Sacerdoti quoque Huſsitarum Veſaniæ participi, qui Sacramenta miniſtrabat hæreticis, indita uincula: Ducti omnes Pragam, ſuſpendio uitam finiere. Furcarum, quibus damnati, pœnas dedere, Triplex differentia fuit: Et ſublimior Roatius pependit, Imam tenuere latrones circiter X C. Media ſacerdotem arripuit nomine Medium, atque ita Medius in medio furcarum, damnatam animam deuotamq; Sathanæ reddidit. His ita actis, miſsi ſunt Baſileam ad Concilium Oratores, pro confirmatione Compactatorum,

† *Iglauiam*

Praiſco ſeu Pratzko.

pactatorũ, Quemadmodũ ex literis Imperatoris, et ex publico Inſtrumento mandati, mox recitandis, clare intelligetur.

Epiſtola Imperatoris ad Concilium Baſilienſe ſuper Compactatis & concordatis cum Bohemis, Credentialis.

Sacroſanctę & Vniuerſali Synodo Baſilienſi, in ſpiritu ſancto legitime congregatæ, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti, Sigiſmundus, Dei gratia Romanorũ Imperator, ſemper Auguſtus, ac Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ Croatięq; Rex, Salutem & reuerentiam, ac omnis proſperitatis incrementum. Quia ſecundum formam Compactatorum dudum in ciuitate Pragenſi & Iglauiæ, inter Legatos ſacri Baſilienſis Concilij, ac nũcios Regni Bohemię & Marchionatus Morauię, habitorum & concluſorum, inclytum Regnum & Marchionatus ſupradictus, Nuncios & Oratores ſuos ad præfatum ſacrũ Concilium, ex omni ſtatu Regni & Marchionatus: uidelicet, Eccleſiaſticorum, Nobilium, ciuitatum & Plebeiorum ſeu popularium perſonarum, tranſmittere debent et expedire pro conſummatione & implemento præfatorũ condictorum, prout in ipſis condictatis & Cõpactataris plenius continetur. Vnde Prælati, ſacerdotes, cæteriq; Eccleſiaſtici uiri, ac Barones, Milites et Nobiles, necnon ciues Pragenſes, Nuncij ciuitatum, oppidorum, terrarum, Communitatum & Vniuerſitatum Regni & Marchionatus prædictorum, nuper in ciuitate Pragenſi, ad euocationem noſtram, ac coram noſtra Maieſtate, in Generali congregatione totius Regni (prout moris & hactenus eſt obſeruatum) conſtituti ſolenniter elegerunt, deputauerũt, conſtituerunt, creauerunt & ordinauerunt, ſuos ac Regni & Marchionatus præfatorum, Mandatorios, Ambaſiatores, Oratores & Nuncios, uidelicet, Nobiles & Generoſos, Petrum de Suuieztitz, & Przibikonem de Klenouu, prudenteſq; ac Prouidos, Vuenceslaum Scabinum Pragenſem & Mathiam de Chlum: ac honorabiles Magiſtros, Procopiũ de Pilzna et Ioannem Przibram. Ad proſequẽdum, proponendum, allegandum, diſputandum, pertractandum, concludendum & conſummandũ, omnia & ſingula, quæ iuxta formã Compactorum agenda & facienda ſunt, communiter & diuiſim, cuiuſcunq; conditionis & qualitatis exiſtant: Dantes & concedentes ipſis Nuncijs Ambaſiatoribus, Mandatarijs & Oratoribus, in omnibus & ſingulis præmiſſis, quomodolibet præmiſſorum proſecutionem ipſorum Compactatorum & alias quaſcunq; res, eis & Regno et Marchionatui utiles & concernentes, Quæ coincidere,

Narratio de Compactatis.

Ambaſiatores Regni.

emergere, condependere et connecti potuerunt. plenariam et omnimodam poteſtatatem. Ideoq; nos de præmiſsis uerum teſtimonium perhibentes, ueſtris Paternitatibus Nuncios Mandatarios, Oratores, Ambaſiatores ipſos commendamus, Rogantes, quatenus eædem ueſtræ Paternitates eos benigne ſuſcipiant & pertractent, Eiſq; in agendis prædictis omnem humanitatem, et omne officium benignitatis impendant, quæ mittentibus exhiberent. Quicquid enim ipſi egerint & concluſerint ratum erit, ac ſi ab omnibus de prædicto Regno & Marchionatu concluſa fuiſſent. In cuius rei teſtimonium, ſigillum noſtræ Maieſtatis Imperialis præſentibus eſt appenſum. Datum Egræ Ratiſponenſis Diœceſis. Anno Domini M.CCCCXXXVII. die XXI. menſis Iulij, Regnorum noſtrorum anno Vngariæ Quinquageſimo primo. Romanorum, XXVII. Bohemiæ XVII. Imperij uero Quinto.

Procuratorium ſiue Mandatum ſeu Credentialis litera Vniuerſitatis ſtudij Pragenſis, tranſmiſſa ad ſacro ſanctum Baſilienſe Concilium, Lectum in congregatione Generali.

Nomina Rectoris et Magiſtrorũ Vniuerſitatis Prag.

In nomine Domini Amen. Nos Chriſtannus de Prachatitz, Eccleſiæ omnium Sanctorum in caſtro Pragenſi Canonicus, Parochialis Eccleſiæ S. Michaelis, maioris ciuitatis Pragenſis & Almæ Vniuerſitatis ſtudij Pragenſis Rector, Auguſtinus de Slatonia, Decanus facultatis Artium, Laurentius de Vuizezouua, Petrus de Zebekouu, Petrus de Gretz Reginæ, et Ioannes de Zebieslauu, Rector Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Virginis ante letam Curiam eiuſdem ciuitatis Maioris Pragenſis: Meliori modo, uia, iure, forma & cauſa, quibus melius & efficacius fieri poteſt & debet, fecimus, cõſtituimus, & ordinauimus, ac pręſentib. facimus & ordinamus noſtros ueros, legitimos & indubitatos Legatos, Ambaſiatores, Oratores, Procuratores, factores, negociorũ noſtrorũ geſtores, ac nũcios ſpeciales, Venerabiles uiros, Magiſtrũ Procopium de Pilzna Sancti Henrici Nouæ, & Ioannẽ de Przibram S. Ægidij prædictæ Maioris ciuitatũ, Parochialiũ Eccleſiarum Rectores, præſentiũ exhibitores, Ambos et eorũ quemlibet in ſolidum: Ita tamen, quod conditio occupantis non ſit melior, ſed quod unus eorum inceperit, alter eorum poſsit proſequi, mediare & finire: Dantes & concedentes eiſdem Ambaſiatoribus, Legatis, Procuratoribus & Oratoribus, plenam, liberam & omnimodam

M. Procopius & M. Io. Przibrã.

poteſtatem

poteſtatem & facultatem, de et ſuper infraſcriptis articulis, iuxta formam pacti & fœderis Reuerendorũ patrum et Dominorum, ſacroſanctæ Synodi Baſilienſis in ſpiritu ſancto legitime congregatæ, & Regni Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ tunc Legatorum & Ambaſiatorũ conſenſu unanimi factam, diſpoſitam, ordinatam, necnon ratificatam, gratificatam et approbatã, utrorumq; literis pariter & ſigillis ac manus ſtipulatione firmatam Pragæ & Iglauiæ, ſigillorumq; appenſione roboratam, et publica dictæ ſanctę Synodi audientia, uoce & in ſcriptis propalandi, manifeſtandi, offerendi & declarandi: Ac ſuper eiſdem, ſi opus fuerit, tractandi et conferendi, eoſq; defendendi, probandi et perſuadendi, per ſcripturas ſacras, et per Beatorum Doctorum dicta et ſententias in eiſdem fundatas. De ipſis quoq; & quolibet eorum placitationem, diſpoſitionem et ordinationem, ſcripturæ ſacræ ipſiſq; ſanctorum dictis et ſententijs conſona faciendi, acceptandi & approbandi, ratificandi, emologandi, In his et uniuerſis alijs, circa ea quæ dicta ſunt, et eorum acceſſorijs, condependentijs, & quæuis promittentes bona fide ſic, ut pręmittitur, facta, diſpoſita et ordinata per prædictos noſtros Legatos et procuratores acceptata et approbata et emologata, fideliter, inuiolabiliter et inconcuſſe ſeruare et tenere, ac ſi per noſmet ipſos ſpõte, beneuole, deliberate ac principaliter acta, geſta, placitata, diſpoſita, acceptata, ratificata et emologata fuiſſent. Tenor uerò articulorum, de quibus fit ſuperius mentio, ſequitur in hæc uerba. Circa diſcuſſionem in ſacro Concilio Baſilienſi articuli, de communione ſub utraq; ſpecie Ambaſiatores Regni Bohemiæ, primum exhibebũt & proponent ſacras ſanctorum & Doctorum autoritates, in quibus ponitur hoc uocabulum, Pręcipit aut Præceptum, Mandatum aut conſimile, Ad diſcutiendum ad plenum, Iuxta Cõpactata unà cum noſtris Ambaſiatoribus, pro gloria Dei, ſalute populi, pace & unitate Eccleſiæ & Regni Bohemię & Marchionatus Morauiæ, deſiderium communicandi ſub utraq; ſpecie ad plebes. Item, poſtulabunt Bullam libertationis Communionis ſub utraq; ſpecie ad cunctum Clerum uniuerſaſq; plebes dicti Regni et Marchionatus. Item, poſtulabunt ſecundum Compactata à ſacro Concilio, literas plures & mandata + purificationẽ Regni & Marchionatus ad omnes Principes & Communitates, ubi neceſſariũ & utile fuerit, Et ad uniuerſos cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, Quatenus nullus audeat infamare ipſos Bohemos aut Morauos, aut eorum honori detrahere, aut iniuriari quomodolibet, publicè uel occulte, pro eo, quod communicauerunt ſub utraq; ſpecie, communicant & com-

Compacta ta.

Tenor articulorũ, de quibus agẽdum ſit.

I

De præcepto cõmunicãdi ſub utraq; ſpecie.

II

III

alás + expurgationem.

 municabunt

IIII municabunt ſecundum Cōpactata. Item, dicti Ambaſiatores ſcri-
De Communione paruulorū. pturas atq; autoritates pro communione Paruulorū proponent in ſacro Concilio,cū poſtulatione, ut communio paruulorum ſub utraq; ſpecie in Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ admittatur.
V Item, poterunt Ambaſiatores facere inſtantiam et ſollicitudinem in ſacro Concilio, pro reformatione Eccleſiæ in capite & in membris,iuxta Compactata. Itē, poterūt Ambaſiatores ultra
VI Compactata & articulos præſcriptos ,pro alijs regno & Vniuerſitati noſtris neceſſarijs & ubilibet inſtare in ſacro Concilio,ſeruata ſemper reuerentia & debita honeſtate. In cuius rei teſtimonium, præſentes noſtras literas, ſeu præſens publicum Inſtrumentum, per Ioannem dictum Zalis Notarium publicum infra ſcriptum, ſcribi & publicari procurauimus, ſigilloq; dictæ Vniuerſitatis appoſitione iuſsimus cōmuniri. Datum & actū Pragæ,in domo præfati Magiſtri Chriſtiani, Rectoris Vniuerſitatis prædictæ: Vbi propterea ſpecialiter fuimus congregati. Sub anno à Natiuitate Domini M. CCCCXXXVII. Indictione XV. Die Sabbati, ſexta menſis Iulij, hora quaſi ueſperarum. Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Eugenij diuina prouidētia Papę Quarti anno ſeptimo, Ac Sereniſsimo et inuictiſsimo Principe ac Domino, Domino Sigiſmundo, diuina fauente Clementia, Romanorum Imperatore, ſemper Auguſto, ac Vngariæ, Bohemięq; Rege Illuſtriſsimo, Imperāte. Pręſentibus ibidē honorabilib. uiris, Dominis Vuēceslao de Koſtelitz, & Martino de Rokenuuinck præsbiteris, Et prudentibus & diſcretis uiris Petro Slanetz & Vuenceslao Oſtateck, Nouæ ciuitatis Pragenſis ciuibus, teſtibus ad præmiſſa uocatis ſpecialiter & rogatis.

Determinatio ſacri Concilij ſuper modo Communionis, In ſeßione Triceſima facta.

Baſilienſis ſacroſancta Generalis Synodus, in ſpiritu ſancto legitime congregata, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Vt lucidius uideatur, pro declaratione Catholicæ ueritatis, quid circa perceptionem ſacræ Euchariſtię tenendum ſit & agendum, pro utilitate & ſalute populi Chriſtiani. Poſt diligentem perſcrutationem diuinarum ſcripturarum ſacrorumq; Canonū, ac doctrinarū à ſanctis patribus et Doctoribus traditarum, in hac ſancta Synodo longis temporibus habitā, conſyderatiſq; omnibus, quæ pro declaratione huius rei conſyderanda fuerunt, Decernit & declarat eadem ſancta Synodus, quod fideles

Determinatio IIII articulorū circa communionem.

I Laici ſiue Clerici communicantes, & non conficientes, non aſtringuntur

guntur ex præcepto Domini, ad ſuſcipiendum ſub utraq; ſpecie, panis ſcilicet & uini, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum. Sed Eccleſia, quæ regitur ſpiritu ueritatis ſecum manente in æternum, et cum qua Chriſtus manet uſq; ad conſummationē ſęculi (ſicut ait diuina ſcriptura) ordinare habet, quomodo ipſis nō conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius Sacramenti & ſalute fidelium uiderit expedire. Ioan. 14. Matth. 28.

Siue autem ſub una ſpecie, ſiue duplici, quis communicet, ſecundum ordinationē ſeu obſeruationem Eccleſiæ, proficit digne communicantibus ad ſalutem. II

Nec ullatenus ambigendum eſt, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie uini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integre totus Chriſtus. III

Laudabilis quoq; conſuetudo cōmunicandi Laicum populum ſub una ſpecie, ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſsime obſeruata, & a Doctoribus diuinę legis ſacrarum ſcripturarum atq; Canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore cōmendata, pro lege habenda eſt. Nec alicui licitū eſt eam reprobare, aut ſine autoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Datum Baſileæ in noſtra ſolenni & publica ſeſsione X. Calendas Ianuarij. Anno à Natiuitate Domini M. CCCC. XXXVII. IIII

Ex his intelligit prudens lector, non recte gloriari Huſsitas de communione utriuſq; ſpeciei, quod ſit ex pręcepto Domini, Laicis aut etiam Clericis communicantibus, & non conficientibus, danda. Oppoſitum enim manifeſte determinauit ſacrum Concilium, In primo huius determinationis articulo, Et in Quarto nō obſcure taxat & repręhendit eos, dum ait. Nec alicui licitum eſt, eam ſcilicet conſuetudinem communicandi Laicos ſub una ſpecie, reprobare, aut ſine autoritate Eccleſię ipſam immutare. Huſsitę enim & reprobant eam, & ſine autoritate Eccleſiæ eam temere & per inobedientiam immutare cœperunt. *Repræhenſibiles Huſsitę circa cōmunionē.* Quamuis uerò propter bonum pacis fuerit eis in Compactatis permiſſum, ut male cœptam ac temere ſine autoritate uſurpatam practicā cōmunicandi Laicos ſub utraq; ſpecie, ſeruare licite ſub certis conditionibus poſsint: Ipſi tamen appoſitas in Compactatis illis conditiones, non ſeruant nec unquam ſeruauerūt. Semper igitur indigne & in iudicium ſumpſerunt & ſumunt, Quia non eo modo ſumunt, quo Concilium eis permiſit. *Huſsitæ ſemper indigne communicant.* Permiſit enim ſuſcipientibus Eccleſiaſticam unitatem & pacem, realiter & cum effectu, et in omnibus alijs fidei et ritui uniuerſalis Eccleſiæ conformibus: Et ijs perſonis, quæ in annis diſcretionis conſtitutæ, reuerenter & deuote poſtulauerint. Huſsitę autē nunquam fuerūt in omnibus alijs, fidei et ritui uniuerſalis Eccleſię conformes.

Nunquam

Nunquam pacem & unitatem Eccleſiaſticam realiter & cum effectu receperunt, ſed ſemper fecerunt ſe partē à Catholicis diuerſam.

Culpa ſacerdotum Huſsitarū.

Nunquam ſacerdotes eorum communicando dicunt Laicis, ut firmiter credāt, quod totus Chriſtus integre ſit ſub qualibet ſpecie. At iuſsit Concilium & Compactatorum formula, hoc ſemper obſeruari, quod ipſi nunquam obſeruarunt. Nec permiſit Concilium pueris paruulis dari Sacramentum iſtud, Quod Huſsitæ eis per inobedientiam ſchiſmaticè ſemper dederunt. Nihil igitur proſunt eis Compactata, quæ ipſimet nunquam ſeruauerunt, Ideo ſemper indigne communicant, & in iudicium ſibi manducant & bibunt, non diiudicantes corpus Domini, quod eſt Eccleſia (ut ait Apoſtolus) Quā ſchiſmate damnabiliter ſcindunt, & Sacramento unitatis indigne abutuntur ad diuiſionem.

1. Cor. 11. Ephef. 1. & 5.

Petitio Oratorum Regni Bohemiç circa communionem.

Cum autem Oratores Baſileç plus peterent à Concilio, quam in Compactatis continebatur, & dicerēt. Primo & ante omnia petimus et ſupplicamus, Quatenus pro tollendis litibus, iurgijs & diſſenſionibus in populo noſtro, ex diuerſitate cōmunionis indubitanter et infallibiliter ſequentibus, & infinitis malis (quæ nec dicere ſufficimus, ſicut ea concepimus) prorſus auferendis & abolendis, dignemini clementer pro ueſtra bonitate & liberalitate, Regno noſtro Bohemiæ & Marchionatui Morauiæ, dare, concedere, & demandare uniformem & unanimem omnibus & ſingulis ſub utraque ſpecie ſacrç Euchariſtiç communionem. Et hoc ſecundum ea, quæ in mandato Bullæ Legatorum, & in Compactatis nomine ſacri Concilij ſunt inſerta in capitulo. Pro firmitate. Vbi ſic dicitur. Et omnia alia fient, quæ pro obſeruatione dictæ pacis & unitatis neceſſaria fuerint et opportuna.

Reſponſio Concilij.

forte † ſanciendi aut ſtatuendi

Ad hęc argute reſpōſum eſt à ſacro Cōcilio, quod ex illo capitulo neque competit ius ſacro Concilio † faciendi Bohemis, quod pro bono pacis et unitatis teneantur dimittere uſum communionis ſub duplici ſpecie, Cum promiſerint omnia facere, quç pro obſeruatione pacis & unitatis fuerint opportuna. Hoc eſſet ualde opportunum obſeruationi pacis, ut ipſi in hoc, ſicut & in cæteris, ſe conformarent uſui omnium aliorum uicinorum, et totius Eccleſiç Latinç. Nec econtra ipſis Bohemis cōpetit ius ad petendum, quod ſacrum Conciliū compellat omnes de Regno ad cōmunionem ſub utraque ſpecie, tanquam hoc eſſet opportunum obſeruantiç pacis. Maximè quia hoc contrariatur ei, de quo in ipſis Compactatis ſpecialiter agitur, ſcilicet de libertatione, cui cōtrariatur Coactio. Nam et in libertatione concedenda, dicitur de illis perſonis, quç in annis diſcretionis conſtitutæ, reuerenter & deuote poſtulauerint. Et ſi deuotioni & poſtulationi cuiuslibet eſt relinquendum, nō eſt ad hoc aliquis compellendus,

compellendus, ſecundum ipſorum Compactatorum ſeriem & tenorem. Petierunt item Oratores, Quatenus pro conſolatione obedientiæ, & totius ordinis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & pro finali Compactatorum defenſione & obſeruatione, & bono & optimo in ſpiritualibus regimine, prouidere dignaretur ſacrum Concilium Bohemis, de bono & legitimo paſtore, Archiepiſcopo et alijs Epiſcopis. Ad quod benigne reſponſum eſt, iuſtam quidem & rationabilem eſſe eam petitionem, nempe, ut Eccleſiæ Pragenſi de legitimo, idoneo & utili paſtore prouideatur. Sed quoniam uerbo expreſſerunt Magiſtrũ Ioannem de Rokyzana, De quo non eſt rationabile, ut ad illam dignitatẽ promoueatur, Cum ad impediendum, perturbandum & diſrumpendum pacem & unitatem, poſt firmata Compactata, fuerit multipliciter machinatus, Et non diu ſit, quod à ciuitate Pragenſi, Sereniſsimo Domino Imperatore inſalutato, clam & furtiue receſsit, Et iam prodire & apparere incipiant, quæ poſt talem receſſum & ante, in perturbationem pacis fuerit machinatus (Cum ad Pontificem maximè pertineat, unitatem & pacem amare, & ad eam alios prouocare uerbo pariter & exemplo) Ideo melius uidetur hoc pro præſenti ſuſpendere, ut habita meliori deliberatione & diligentia, cum Sereniſsimo Domino Imperatore poſsit eidem Eccleſiæ utiliter prouideri. Petierunt præterea libertatem communicandi paruulos ſacra Euchariſtia. At ea petitio, ſimpliciter eſt denegata, eo quod cõmunio paruulorum per Compactata expreſſe ſit excluſa. Similiter & ea petitio ipſorum mox tulit repulſam, qua petebant permitti ſuis, ad minus Euangelia Epiſtolas & Symbolum in uulgari lingua, in Miſsis & Eccleſijs coram populo, ad excitandam deuotionem libertari, legi & decantari. Dictum eſt enim, eam petitionem eſſe ex directo cõtra Compactata & ipſorum Bohemorum promiſsionem, per quam tenebantur ſe conformare ritibus Eccleſiæ. Cum ergo certum eſſet, quod ritus Eccleſiæ hoc non habeat, neq; in ipſa Pragenſi Eccleſia ante iſta diſturbia hoc fiebat: iuſtum & rationabile foret, ut conformarent ſe ritibus Eccleſiæ, atq; in hoc et in omnibus alijs Compactata efficaciter adimplerent. Petierunt deniq;, & ſuę Vniuerſitatis Pragenſis & totius Eccleſiæ in capite & in membris Reformationem. Ad quam ſanè æquam atq; honeſtam, benignè à Concilio reſponſum eſt, Gratiſsimum eſſe ſacro Concilio, quod Vniuerſitas ſtudij Pragẽſis reformetur ac reparetur, Ideoq; eam curam committendam eſſe Legato Concilij, ut de aliquo certo numero Præbendarum in aliquibus Eccleſijs ciuitatis Pragenſis ordinet, quod ad eas aſſumi habeant dictæ Vniuerſitatis Doctores & Magiſtri.

Secũda petitio de Archiepiſcopo conſtituendo.

Rokyzana reijcitur.

Tertia petitio Bohe. et Quarta.

Quinta petitio Bohemorum.

giſtri. Et circa reformationem Eccleſiæ, ab exordio mox præcipuam fuiſſe curam & ſtudium ſacro iſti Concilio, ut in effectum deduceretur. Sed inimico humani generis procurante, multa incidiſſe impedimenta circa hoc, Nihilominus non deficere Concilium in ſpe, nec defecturum in ſtudio & labore, Et multa iam pridem eſſe auiſata & concepta, quę, ubi (Deo largiente) opportunitas fiet ad executionem ponendi, erunt ad gloriam Dei, & Eccleſiæ reformationem, honeſtatem & decorem accommoda.

Practica Reginæ.

Dum hæc agerentur Baſileæ, ægrotare Pragæ cœpit Imperator Sigiſmundus. Coniunx eius, Domina Barbara, licet anus iam eſſet, de nouo ſollicita coniugio, fœdus occulte inijt cum Henrico Ptaſcone Sternbergio, Georgioq́ Podiebratio & alijs quibuſdam Baronibus, quorum potior erat apud Bohemos autoritas, ut mortuo Imperatore cum Rege Poloniȩ de coniugio tractent, qui duo ampliſſima & opulentiſsima Regna, Vngariæ & Bohemiæ in dotem ab ea ſit accepturus.

Diſceſſus Sigiſmun. è Praga.

Hoc ut cognouit Imperator, ex Bohemia in Morauiam tranſijt. Priuſquam uero Praga abiret, clam uocatis ad ſe Vngarorum Primoribus, ait. Adeſt nunc finis uitæ meæ, quod ſi morte hic pręuentus fuero, uereor, ne Bohemi, qui me & uos iuxta odio habuerunt, in uos irruant. Veſtræ igitur ſalutis memor & ſollicitus, hanc euadendi uiam excogitaui. Cras adornatis barba & capillis meis, in lectica Imperialiter poſitus, per mediam ciuitatem efferri uolo, ut uos mecum tranſeuntes educam è medio eorũ, qui ſanguinem ueſtrum ſitiunt. Altero igitur die Imperator, perſona procera & ſpectabilis per ſeſe, ueneranda & barbæ & capillorum canicie ſpectabilior adornatus, mediam ferebatur per urbem, inſpectante utriuſq; ſexus plebe, lachrymantibus & ingemiſcentibus pleriſq;, tanquam illum non uiſuris amplius: Cũctis eum genuum curuatione uenerantibus ac ſalutantibus, quibus ipſe capitis inclinatione gratioſe reſpondebat, oculis circumquaq; coniectis ac læte paſtis.

Imperatrix Znoymę capta.

Verumtamen uiuus in Vngariam redire non potuit. Cum autem perueniſſet Znoymam, quod eſt Morauię oppidum, uenit ad eum Gener ſuus cum uxore, Dux Auſtriæ Albertus & Elizabet filia Sigiſmundi, Subſequuta item Coniunx eius, Barbara, cuſtodię ibi traditur, eò quod ambo regna, Generi & filiæ oblita, ſpe noui coniugij, abalienare cogitaret.

Teſtamentum Sigiſ. Imp.

Imperator, uocatis ad ſe in cubiculum Vngariæ & Bohemię Primoribus, condito teſtamento, ait, ſe uelle cum ipſis de ſalubri ſtatu Regnorũ ſuorũ cum ipſis agere, priuſquam oculos claudat & abeat in uiam uniuerſæ carnis. Albertum, Auſtriæ Ducem eſſe, & Generũ ſuum, & uirum uirtute præſtantem: quem ſibi ſucceſſorem delegerit, non ſolum iure propinquitatis,

quitatis quo marito filię debetur hęreditaria ſucceſsio, uerum etiam antiquo fœdere, quod Regnis ſuis cum Domo Auſtriæ pactum fuit. Beatum fore Regnũ, cui Albertus imperauerit, rogare proinde eos, ut ſuprĕmam hanc ſuam uoluntatem exequantur. Exin Legatos nominat, qui ſe mortuo Bohemiã petentes, in conuẽtu Procerum, teſtamentum ſuum patefaciant, Inter quos precipuus fuit Caſpar Slick, uir ſummæ autoritatis & prudentiæ. Cui contigit rarum decus iſtud, ut Trium Imperatorum, Sigiſmundi, Alberti & Friderici Tertij Cãcellarius fuerit: tam dextro ſanè ingenio, ut inter tot Cæſares, moribus prorſus diſpares, pari gratia uiuere potuerit, magnifice donatus ab omnibus illis tribus. Sigiſmundus itaq; ſupremis ſuis ordinatis, inter amicorum manus defecit Znoymę, die Dominico in feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis. Albertum Barones, qui aderant ex Vngaria & Bohemia, concordibus animis Regem ſalutauere. Ipſe, miſsis in Bohemiam ſuis & Sigiſmundi Legatis, iter flexit uerſus Poſonium, primam Vngariæ ex Germania uenientibus urbem. Triſte ſpectaculum, Imperatrix captiua, & Imperatoris cadauer, una uehebantur, hoc fletum, illa cõmiſerationem excitabat. Ante omnia defuncti corpus ſepulturæ traditum eſt in Eccleſia Varadienſi, iuxta ſupremam eius uoluntatem. Deinde lætis auſpicijs & iucundo populi applauſu, ſequuta eſt noui Regis et coniugis ſuæ coronatio in Alba Regali, Imperatrix libertati reddita, dimiſsis, quæ in Vngaria poſsidebat, inexpugnabilibus caſtellis. XII. Milia auri nummum, ſingulis annis accepit.

Caſpar Slick.

Obitus Sigiſ. Imp.

Sepultura Sigiſ. et Alberti electio.

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER NONVS.

Anno Domini M.CCCCXXXVIII.

Iura Alberti ad ſucceſſionem Regni.

LEgati in Bohemiam profecti, Vulgato Sigiſmundi Teſtamento, Albertum in Regem aſſumi petunt, multis perſuaſionum rationibus. Nã uxor eius Elizabeth, nobiliſsima Regum Bohemię ſoboles erat, Cui Sigiſmundus Pater, Vuenceſlaus Patruus, Carolus auus, Ioannes Proauus extitit. Et erat antiquum inter Bohemiæ Reges & Auſtriæ Duces fœdus, Procerum conſenſu & Imperiali autoritate confirmatum, de alterutra ſucceſsione in principatu, deficientibus hęredibus maſculis. Erant pręterea, pro ſucceſsione filiarum Regno Bohemiæ, quædam à Romanis Imperatoribus priuilegia conceſſa. Quorum tenor propter antiquitatem hic inſerendus eſt, In hæc ſanè uerba.

Priuilegium CAROLI IIII. *Auguſti.*

CAROLVS, Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Innata cordi noſtro benignitas, circa fidelium & deuotorũ noſtrorũ honores et commoda, continuis intenta uigilijs, uotis ipſorum annuere iugiter nos inducit, quotiens poſcentium uox eſt iuſta. In hoc enim liberalitatis noſtræ non errat intentio, ſed Regalis ſceptri faſtigium extollere ſalubriter arbitratur. Sanè ad noſtræ Celſitudinis, Venerabiles Archiepiſcopus Pragenſis, Olomucenſis, Vratislauienſis & Lytomislenſis Epiſcopi: Necnon Illuſtres, Ioannes Carinthiæ Comesq́ Tirolis & Goriciæ, Germanus noſter Chariſsimus, ac Nicolaus+ Opaniæ & Ratiboriæ Duces, Cæteriq́ Pręlati, Duces, Principes, Barones, Proceres & Nobiles Regni noſtri Bohemiæ, & pertinentes eiuſdem: præſentiam accedentes, nobis humiliter ſupplicarunt, Vt quaſdam literas FRIDERICI, Diui Romanorum Imperatoris electi, Prædeceſſoris noſtri, nobis per ipſos exhibitas. Quarum tenor & ſeries ſequitur in hæc uerba.

Prælati & Principes ad Regnũ Bohemiæ pertinentes

+ Opolniæ.

Hic eſt Fridericus II. qui Ro. Pontifices infectatus, Imperialẽ coronã nõ accep t: ideo electus dicitur.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator electus & ſemper Auguſtus, Rex Sicilię, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ. Cum + decor & poteſtas Imperij noſtrum præceſſerit ſtatum, ut non ſolum cæterorum Principum dignitates, uerum etiam Sceptra regalia à noſtra conferantur + dignitate: glorioſum reputamus & magnificum, quod in tanto noſtræ largitatis beneficio, & alijs creſcit Regiæ dignitatis augmentum, nec ob hoc Eminentia noſtra aliquod patitur detrimentum.

aliàs + decus

aliàs + Maieſtate

Regnum Bohe. ab Imperio infeudum datur.

Inde eſt, quod nos, attendentes præclara deuotionis obſequia, quę + Vniuerſa Bohemiæ gens, ab antiquo tempore Romano exhibuit Imperio, tam fideliter quàm deuote, & quod Illuſtris Rex eorum + Othacarus à primo inter alios Principes, ſpecialiter præ cæteris, in Imperatorem nos elegit, & noſtræ electionis perſeuerantię diligenter & utiliter ſemper aſtitit, Sicut dilectus Patruus noſter piæ memoriæ, Rex Philippus, omnium Principum conſilio habito, per ſuum Priuilegium inſtituit ipſum Regem: Conſtituimus & confirmamus, & tam ſanctam quàm dignam conſtitutionem approbamus, Regnumq; Bohemiæ liberaliter & abſq; omni pecuniæ exactione, & conſueta noſtræ Curiæ iuſtitia ſibi ſuisq; ſucceſſoribus in perpetuum concedimus, Volentes, ut quicunq; ab ipſis in Regem electus fuerit, ad nos uel ſucceſſores noſtros accedat, Regalia debito modo accepturus, omnesq; etiam terminos, qui prædicto Regno attinere uidentur, quocunq; modo alienati ſint, ei & ſucceſſoribus ſuis poſsidēdos indulgemus. Ius quoq; & autoritatē inueſtiendi Epiſcopos Regni ſui integraliter ſibi & hæredibus ſuis concedimus, Ita tamen, quod ipſi ea gaudeant libertate & ſecuritate, quam à noſtris Prædeceſſoribus habere conſueuerunt.

aliàs + Bohemorū populus

aliàs + Ottagarus

Priuilegia Regni Bohemiæ.

De noſtræ autem Imperialis liberalitatis munificentia ſtatuimus, quod Illuſtris Rex prædictus uel hæredes ſui ad nullā Curiam noſtram uenire teneātur, niſi quam nos apud Babenberg uel Nurenberg celebrandam indixerimus, uel ſi apud Merſenburg Curiam celebrare decreuerimus, ipſi ſic uenire teneātur, quod ſi Dux Poloniæ uocatus acceſſerit, ipſi ſibi ducatum præſtare debeant, ſicut Anteceſſores ſui, quondam Bohemiæ Duces, Reges facere conſueuerunt. Sic tamen, ut ſpacium ſex hebdomadarum ueniendi ad prædictas Curias eis ante præfigatur. Saluo tamen, quod ſi nos uel ſucceſſores noſtros Romæ coronari cōtigerit, ipſius prędicti Regis Othocari uel ſucceſſorum ſuorū relinquimus arbitrio, utrum ipſi CCC. armatos nobis tranſmittant uel CCC. Marcas perſoluant. Ad huius autem noſtræ conſtitutionis & confirmationis memoriam & robur perpetuo ualiturū, præſens Priuilegium per manus Hen-

Bulla aurea, ſigillū auro impreſſum.

rici de Pariſius Notarij & fidelis noſtri ſcribi, & Bulla noſtra aurea iuſsimus communiri. Anno, menſe & Indictione ſubſcriptis. Huius rei teſtes ſunt iſti, Archiepiſcopus Barenſis, Epiſcopus Tridentinus, Epiſcopus Baſilienſis, Epiſcopus Conſtantienſis, Epiſcopus Curienſis: Abbas Augienſis, Abbas S. Galli, Abbas de + Vicenbrath: Bertoldus de + Niſphe, Regalis Curiæ Protonotarius, Comes Vlricus de + Tiriburg, Comes Rudolphus de + Habeſtheburg, & Lantgrauius de Alſatia, Comites Ludouuicus & Hermannus de Friberg, Comes + Vuratigerus de hohenburg: Arcoldus Nobilis de + Vrat, Rodolphus Aduocatus de + Raprethe, + Hurilarius Ruſſen Camerarius, & alij quam plures Magnates, Nobiles & Liberi, Quorum teſtimonio hoc Priuilegium conſtat eſſe confirmatū. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ incarnationis M.CCXII. menſe Septembris, XV. Indictionis. Regni uero Domini noſtri Friderici Illuſtriſsimi, Romanorum Imperatoris electi & ſemper Auguſti, Regni Siciliæ XV. Datum in nobili ciuitate Baſilienſi, per manus + Vlrici Protonotarij. VI. Calendas Octobris. Et fœliciter annuentes, cōfirmare autoritate Regia dignaremur.

aliàs + Cortemberg
aliàs + Nimphe
aliàs + Chiburg
aliàs + Haneſburg
aliàs + Vuernberus
aliàs + Vuaroh
aliàs + Rutaprechts
aliàs + Vuilrco. Rudolphus de Ramenſberg. Albera de Thaueſtibus Camerarius &c.
aliàs + Vice

Verba Caroli IIII.

Nos itaq; præfatorū Prælatorum, Ducum, Principum, Baronum, Procerum & Nobilium, Quos honoris & fœlicis ſtatus Regni Romani membrum fore decreuimus, nobilibus ſupplicationibus benignius inclinati, præfatas literas ac omnia & ſingula contenta in eiſdem, laudamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & de nouo ex certa ſcientia, de noſtra Romanę Regiæ plenitudine poteſtatis, præfatis Regni Prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, Proceribus & Nobilibus, ac Vniuerſitati Regni ipſius & pertinentiarum eiuſdem, ad uſum & ad opus Regni Bohemiæ, in perpetuum damus tenore præſentium, conferimus & donamus, omnem diminutionē & defectum, ſi qui in pręmiſsis fuerint, de uberiori dona Maieſtatis Romanæ Regiæ plenitudine poteſtatis, reparantes omnimode & ſupplentes. Veruntamen ſi circa contenta in præfatis literis nonnulli calumniari, aut ea interpretari ſiniſtre ſeu in ſenſum reprobū declarare: immò uerius obſcurare forſitan nitentur, Ad tollendum de medio omne dubium ſeu obſcurū, quibus dictarum ſeries aſpergitur literarum,

In quo caſu electio in Regno Bohe. locū habet.

Vt Regni Bohemiæ præfati, ipſiusq; incolarum ſtatus, in ſyncera Imperij dilectionis perſeueret cōcordia, ac unitatē in uinculo pacis ſeruet, Ac incolæ dicti Regni abſq; diſsidētiæ materia poſſent eſſe temporibus profuturis, & animarū & corporū inde naſcituris periculis, rerumq; diſpendijs prouenturis, ſolerti præuentione nunq;

+ oriantur

+ ordinantur, tam prudenter quā ſalubriter præciſis, tanquā man-

ſucti

ſueti terram hæreditent, & in pacis multitudine delectentur: Electionem Regis Bohemiæ in caſu duntaxat & euentu, quibus de Genealogia, progenie uel ſemine, aut proſapia regali Bohemiæ maſculus uel fœmella ſuperſtes legitimus (quod Deus auertat) nullus fuerit oriundus, uel per quemcunqꝫ alium modum uacare contigerit dictum Regnũ Bohemiæ: Ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles & Communitatem Regni præfati & pertinentiarum eiuſdem, habituris cum nonnullis Regis Romanorum & futuri Imperatoris Electoribus, ac alijs Principibus, qui tunc temporis noſtræ Celſitudinis præſentiæ aſsiſtent, deliberatione matura, ipſorumqꝫ ſano digeſto conſilio: Volumus, decernimus, pronunciamus, interpretamur, & præſentis ſcripti patrocinio declaramus, ritè, iuſtè legitimèqꝫ in perpetuum pertinere, ipſiuſqꝫ Regis Bohemiæ electionem in caſu & in euentu prædictis, & non alijs, præfatis Prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, Nobilibus & Communitati dicti Regni & pertinentiarum eiuſdem, de noſtra Regiæ Romanæ plenitudine poteſtatis, ac ex certa ſcientia, damus, concedimus, conferimus & donamus, dictamqꝫ electionem meliori, ſalubriori & ſaniori quo poteſt modo fieri, confirmamus & trasferimus in eoſdem. Volentes etiam, ut quicunqꝫ in Regem Bohemiæ electus fuerit, ad nos & ſucceſſores noſtros Romanos Reges & Imperatores accedat, ſua à nobis & ſucceſſoribus noſtris modo debito & ſolito, Regalia recepturus: Non obſtantibus legibus, conſuetudinibus, uſibus, obſeruantijs, iuribus municipalibus, & communibus ſtatutis ſeu edictis, factis & æditis in contrarium quibuſcunqꝫ, Quas & quæ, quantum ad hæc, ac ſi forent nominatim ſcripta de uerbo ad uerbum, præſentibus & inſerta reuocamus, caſſamus, irritamus ac annullamus, & de dicta Romanæ Regiæ plenitudine poteſtatis decernimus, firmitatis fore nullius penitus roboris uel momenti. Inſuper ad uniuerſorum & ſingulorum cupimus notitiam peruenire, quod prædictæ literæ Bulla aurea † Tipario Maieſtatis præfati Friderici, Romani Imperatoris electi impreſſa, Qua ipſe Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, ante coronationis Regni Romani ſolennia utebatur, pro ut nobis conſtat, & ſumus plenariè informati. Et ſicut glorioſæ memoriæ Henricus auus noſter, quondam Romanus Imperator ſigillo Comitatus Lucenburgenſis, & cæteri Diui Romanorum Reges electi, prædeceſſores noſtri, ſuorum titulorum, noſqꝫ etiam Marchionatus Morauiæ ſigillis, ante ipſorum & noſtræ coronationis ſolennitatem, uſi ſumus. In cuius Bullæ aureæ circumferentia, à parte Maieſtatis ſcripta ſunt uerba iſta. Fridericus Dei

Regalia Bohem. ab Imp.

† forte Topiario aut typario

Henricus VII.

Inſcriptio ſigilli Imp. Frid.II.

gratia Siciliæ Rex, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ. Et ab alia parte, ubi eſt impreſsio cuiuſdã caſtri, Chriſtus uiuit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat: Exiſtunt ſanæ & integræ, omni carentes uitio, cõmunitæ. Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc noſtræ laudationis, ratificationis, approbationis, cõfirmationis, donationis, reparationis, ſupplementi, interpretationis, declarationis, reuocationis, caſſationis, irritationis, & annullationis paginã infringere, uel auſu temerario in aliquo contraire. Contrarium uerò facientes, ſiqui fuerint (quod abſit) ultra indignationem noſtræ Celſitudinis Romanæ, quam ob hoc ſe nouerint incurſuros, Mille Marcas auri puri noſtro fiſco Romano Regni componant. Ipſorum uerò medietatem noſtræ & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Regum & Imperatorum Curiæ ſeu Cameræ, & reliquam paſsis iniuriam irremiſsibiliter applicandam. In quorum omnium teſtimonium, ad certitudinem pleniorem, præſentes fieri iuſsimus, & Bulla aurea Tipario noſtræ Maieſtatis impreſſa præcepimus communiri. Huius rei teſtes ſunt Gerlacus, Archiepiſcopus Maguntinus, ſacri Ro. Imperij per Germaniam Archicancellarius, Rudolphus ſenior, Dux Saxoniæ, ſacri Imperij Marſchalcus, Rudolphus iunior, Dux Saxoniæ, & Fridericus de Deck, Duces: Ioannes Burggrauius Nurenbergẽſis, Vlricus Lantgrauius de Lukenburg, & Fridericus de Orlemunde, Vlricus de Helffenſtein, & Rudolphus de Vuertheym, Comites: Petrus de Helbi, Graſchko de Hohenloch, Gotfridus de Bruneck, Eberhardus de Vualtſche, Fridericus de Vualtſche, Egloff de Friberg, & Burcardus de Ellerbarth, Romani Regni præfati Principes & Barones. Datum Pragæ, Anno Domini M.CCCLVIII. Indictione prima. VI. Idus Aprilis. Regnorum noſtrorum anno Secundo.

Pœna in Tranſgreſſores.

Teſtes Ro. Imperij Principes.

Alberti electio.

Legati igitur, qui ultra Priuilegium iſtud etiã factum & exemplum ſuperiorum temporum producere poterant, in Generali conuentu Bohemorum facile obtinuerunt à maiori & ſaniori parte conſenſum, pro Duce Alberto in Regem aſſumendo, qui & uxoris & ſuo iure ac ſoceri iudicio potiebatur, cunctiſq; præferendus erat, Quandoquidem prius per filiam Vuenceslai Tertij, Comes Lucenburgenſis Ioannes, filius Henrici Imp. VII. pater Caroli Imp. IIII. In Regem aſſumptus à Bohemis fuerat. Tanta ſanè erat Alberti uirtus, Nobilitas & Præſtantia, ut intra ſex menſes ad Tria Regna fuerit legitimè adſcitus & electus. Primũ enim apud Albam Regalem cum coniuge ſua Elizabeth Calendis Ianuarij, coronatus eſt Rex Vngariæ. Deinde pridie Nonas Maij, Rex Bohemiæ deſignatus eſt Pragæ. Paulopoſt ab Electoribus ſacri Rom.

Alb. ad Tria Regna intra VI. menſes aſſumptus.

Rom. Imperij, In Regem Romanorum electus eſt Francfordiæ.

Quoniam uerò promiſerat Vngaris, ſe iniuſſu Baronum non acceptaturum eſſe Rom. Imperium, neceſſarium fuit, ab illis prius obtinere conſenſum. Quem certè ægre ab illis obtinuit Viennæ, intercedente Friderico Auſtriæ Duce, tum quidem adhuc adoleſcente, ſed uirtutibus præmaturo, Quandoquidem paulo poſt, defuncto Alberto, meruit ab Electoribus in Regem Romanorum eligi & aſſumi. Verum Proceres Bohemiæ, qui cum Barbara Sigiſmundi Imp. coniuge conſpirauerant, nõ alio pacto in Albertum cõſentiunt, quàm ſi poſtulatis ſuis mos geratur. Alſcio à Sternberg eorum nomine Albertum adijt, ſed fruſtra preces eius fuere. Nõ enim plura hæreticis promittere aut permittere uolebat, quàm fecerat ſocer eius. Ptatſco igitur de uoluntate Alberti ab Alſcione certior factus, accerſitis ex factione ſua Primoribus, quorum pars potior hæretica fuit. Caſimirum Regis Poloniæ Germanũ, XIII. annos natum, Regem appellat, miſsiſq; Oratoribus, auxilia petit, quibus nobile Regnum ei conſeruari poſsit. Miſsi paulo poſt ſunt & alij Oratores, nomine gentis Bohemicæ Ioannes de Rabenſtein & Ioannes Placius, ad Regem Poloniæ, oratum, ne fratrem turbare Bohemiæ Regnum patiatur: Meminerit inter Bohemos & Polonos ueteris amicitiæ, Albertum ex Sigiſmundi Teſtamento & prouincialiũ Decreto Regem eſſe. Nõ potuiſſe paucos, qui Caſimirum uocauere, ius Regni ad alterum transferre. Si pergat alienum Regnum fratri parare, caueat, ne de ſuo certare cogatur. Rex autem Poloniæ reſpondit, ſe fratri, quem Primarij Barones Regem uocauerint, ius aufferre non poſſe. Proinde orare, ut fratrem potius recipiant, quàm ipſi ab eo recipiantur, donatoſq; precioſis pellibus Oratores dimiſit, Legatis autem alterius partis auxilia promiſit. Albertus medio tempore Iglariam petit, Quo in loco ab Vlrico Roſenſi, Mainardo, plurimiſq; alijs Bohemiæ Baronibus & Proceribus percupidè expectabatur. Ptatſco uerò per nuncios eum rogat, ne prius Regnum ingrediatur, quàm ſibi factioniq; ſuæ faciat ſatis. Neque enim paſſurum ſe Regem eſſe, quem ipſe non elegiſſet. Albertus quod maior pars Regni ſtatuiſſet, id ratũ eſſe debere reſpondit, hortari, ne Regem quietum interturbet. Inuenturũ benignum Regem, ſi paci cõſulat: Sin pergat res innouare, plus belli reperturũ quàm uelit. Exin motis caſtris Cuthnam occupat, quam Ptatſco ſine præſidio reliquerat. Petenti Pragam frequẽs populus occurrit, atq; ut hoſtiũ uictori congratulantur. Venit aũt Pragã XIII. die Iunij, Et tertio Calendas Iulij, in feſto Petri & Pauli Apoſtolorum, ſolenni pompa coronatus eſt in

Diuiſio inter Barones in regno.

Oratores ad Regem Poloniæ.

Ptatſco Regi Alberto contrarius.

Coronatio Alberti Pragæ.

Regē Bohemiæ in caſtro Pragenſi, per Dominū Paulum Epiſcopum Olomucenſem. Ptatſco aūt Coloniā & alias ſuæ factionis ciuitates impigre muniuit,cumq; Duo Milia equitū ex Polonis ad eum ueniſſent,populari eorū agros cœpit,qui Regē introduxerāt. Albertus etſi ex Auſtria et Vngaria accerſerat auxilia, illis tamē nō expectatis,hoſti copiā pugnandi fecit,Quā Poloni detrectantes, per montes Cuthnæ & Sobeslauiam,ad Thaboritas ſe contulere, amicam ſibi ciuitatem,caſtriſq; ante urbem poſitis, Albertum expectauere. Ipſe cum copijs egreſſus, per Beneſcouiam ad eos feſtinās, Legatos præmiſit, qui Polonis dicerent, ne incendia agerent,ſed prælio potius experirentur,Belli præmium Bohemiam eſſe,quam uictor mallet potius cultam,quam deuaſtatam. Reſponderunt Poloni, Venturo non defuturum prœlium,Polonos faciem hoſti,non terga oſtendere ſolitos. Lætus eo nuncio Albertus, quadrato agmine in conſpectū hoſtis accelerat. Quo intra caſtra ſe continente, & ipſe caſtra ſua è regione Thabor ad iactum lapidis tormentalis metatus eſt. Pugnatum quidem ſingulis diebus in campo,qui medius inter bina caſtra iacebat, nunquam tamē totis uiribus in fortunam belli uentum eſt. Erant cum Alberto Chriſtophorus Bauariæ & Fridericus Saxoniæ Duces,& Albertus Marchio Brandeburgenſis, cuius nomen ab eo tempore clarum magnumq; fuit. XXX. Milia militum parebant Alberto Regi. Polonis XIIII. Milia,quorū caſtris iuncta ciuitas,magno adiumento erat. Tormenta quoq; ænea in utriſq; caſtris plurima, maiora apud Albertū fuere. Quorū impetu conſternati Poloni,relictis caſtris,intra urbem ſe recepere. Georgius Podiebratius per idem tempus,cum Thaboritas peteret (nā & ipſe Ptatſconi iunctus erat) in alam quādam Alberti Equitum forte incidit,& commiſſo prælio hoſtem proſtrauit,atq; hinc primū inclaruit. De quo poſt dicenda ſunt non pauca. Albertus uero,cum Thaboritæ expugnari aliter quam fame nequirent, ſoluta obſidione Pragam redijt. Poloni, exhauſti argento,amiſsis equis,pedibus in patriam abiere. Fridericus Saxonum Princeps,dimiſſo Rege,domum rediens,hoſtium inſidias incidit. Sed nihil improuiſa re motus,ordinata raptim acie,ea conſtantia & fortitudine pugnā inijt, ut pene uictus captuſq;, uictores uicerit,cæſiſq; compluribus,utpote V. Milibus ac CC. (uti quędam Chronica habent) multos in prælio captos abduxit. Rex Poloniæ nondum cognitis,quæ in Bohemia ſuis acciderant, cum duobus magnis exercitibus Sleſiam ingreſſus, in Bohemiam properabat. Sed intellecta ſuorum fortuna, populatis hoſtium agris domum redijt. Albertus autem relicto, qui Regnum gubernaret, Vlrico

Bellum inter Alb. & Ptatſconē.

Copiæ Alberti.

Gyrzikonis primū facinus.

Pugna Friderici Ducis Saxoniæ.

Comite Ciliæ, per Sleſiam Gorlicium uenit. Vratiſlauienſibus uerò Albertum Marchionem Brandeburgenſem petentibus, belli Ducem dedit, qui Poloniam ſæpe infeſto exercitu petens, longe lateq́ʒ prædas egit. Non multis poſt diebus, actum de concordia, Rudericus Burgenſis Epiſcopus, natione Hiſpanus, uirtute ac Doctrina præſtans, arbiter litis ex Baſilienſi Concilio miſſus, Albertum conuenit, Diſceptatum eſt inter Legatos partium. Non conuenientibus, Induciæ belli dictæ, conuentus in aliam diem apud Vratislauiam ſtatutus. Eo ueniens Albertus, ex gradu forte prolapſus, grauiter læſus, pluribus diebus ægrotus decubuit. Exin claudus effectus, infecta pace, per Morauiā in Auſtriam rediit. Interea Vlricus Comes Ciliæ, qui Bohemiæ præerat, inter Barones de uendicando ſibi Regno agere cœpit. Albertus, cognito eius ſtudio, properatim ſtipendia ſubtraxit. Ille materia adempta, qua Bohemorum animos ſibi conciliabat, ex prouincia diſceſsit, Nec ultra remiſſus eſt. Regni cura Mainardo & Vlrico Roſenſi commiſſa.

Induciæ cū Rege Poloniæ.

Comes Ciliæ rerum nouarū cupidus.

Anno Domini M. CCCCXXXIX.

Annus iſte infauſtus ac funeſtus, ac maximis Chriſtianorum cladibus triſtis & ater fuit. Hoc enim anno diuturnæ inter Eugenium Papam & Concilium Baſilienſe contentiones, in apertum ſchiſma proruperūt. Dum Eugenius aliud Concilium (reuocato et abrogato Baſilienſi) celebraret cū Imperatore & Patriarcha Conſtantinopolitanis, & Orientalis Eccleſiæ Epiſcopis, primum Ferrariæ, deinde Florentiæ. Patres uerò Concilij Baſilienſis deponerent Eugenium, & alium ſibi Papam eligerent Amedeum Sabaudiæ Ducem, quem dixerunt Fœlicem Quintum. Qua ex re grauiſſima exorta ſunt in Eccleſia Dei ſcandala & animarum pericula: Dum pars Chriſtianorum pareret Eugenio, pars Fœlici, pars neutri. Mittebantur ab utraq́ʒ parte in orbem contraria mandata, ſcribebantur maledicæ & Inuectiuæ epiſtolæ, quibus ſe inuicem dirè laniabant religionis noſtræ Capita, Ro. Pontifex & ſacra Synodus. Operæ precium ergò fuerit, quædam ex ijs recitare, quæ ad hiſtoriæ cognitionem conducere uidentur.

Schiſma inter Eugenium Pp. et Concilium Baſili.

Inuectiua Eugenij Papæ, contra Concilium Baſilienſe.

Eugenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Moyſes uir Dei, populi ſibi commiſsi ſalutem zelans, timenſq́ʒ, ne ob ſeditioſum ſchiſma Core, Dathan & Abyron, ira Dei in ipſum populum, ſi illos ſequeretur, inſurgeret: iuſſu Domini

Schiſma olim contra Moyſen Num. 16.

dixit

dixit ad plebem uniuerſam. Recedite à tabernaculis hominum impiorum,& nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Senſerat enim, ipſo Domino inſpirante, ſeditioſos & ſchiſmaticos illos ultionem grauiſsimam accepturos, ſicut poſtmodum rei monſtrauit euentus, Dū nec ipſa terra potuit eos ſuſtinere, ſed iuſto Dei iudicio illos abſorbuit, ut deſcenderent in Infernum uiuentes: Sic & nos, quibus, licet immeritis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus populum ſuum committere dignatus eſt, audientes id execrabile ſcelus, quod quidam perditi homines Baſileæ commorantes, ad ſcindendam ſanctæ Eccleſię unitatem, proximis diebus machinati fuerant: Metuentes, ne quos incautos ſeducant fraudibus, & uenenis inficiant: Ad ipſum Domini noſtri Ieſu Chriſti populum, nobis creditum, clamare pari uoce compellimur. Recedite à tabernaculis hominum impiorum. Maxime cum longe amplior ſit plebs Chriſtiana, quam illa tunc Iudæorum, Eccleſia ſanctior quam Synagoga, & Chriſti uicarius ipſo Moyſe autoritate & dignitate ſuperior.

Papa, Dignitate & autoritate maior Moyſe.

Quam Baſilienſem impietatem, dudum præuidere cœpimus, quandoquidem illud tūc Baſilienſe Concilium intuebamur, iam in Tyrānidem prolabi, dum multi etiā inferioris gradus ad illud ueniendum, ſtandum pro libitu factionis autorū, cogerentur, Dum nonnullorum uota & iudicia diuerſis artibus extorquerentur: Alij mendacijs & fraudibus ſeducerentur, Dum conſpirationibus, coniurationibus, monopolijs et conuenticulis penè omnia cederent, Et pro ambitione Papatus diuturna protractio eius Concilij quærebatur. Vbi deniq; innumeræ nouitates, inordinationes, deformitates, & quaſi infinita patrabantur mala. Ad quę etiam Laici ac Clerici infra ſacros ordines conſtituti, ignorantes, inexperti, diſcholi, profugi, Apoſtatæ, de criminibus condemnati, de carceribus fugientes, nobis & ſuis ſuperioribus rebelles, & reliqua iſtiuſmodi hominum monſtra concurrerunt. Qui ab ipſis ſcelerū magiſtris in omnem corruptionē facile trahebantur.

Tyrannis conſpirantiū Baſileæ.

Aduertimus etiam ad illud ſanctiſsimum opus Vnionis Orientalis Eccleſiæ, quod per quorundam factioſorum Baſilienſium fraudes, omnino periclitari uidebamus. Et idcirco tantis malis, quantum in nobis erat, prouidere cupientes, ex prædictis & alijs rationabilibus cauſis & neceſſarijs: De quibus in decreto Translationis plene continetur, Præfatum tunc Baſilienſe Concilium, de uenerabilium fratrum noſtrorū Sanctæ Romanæ Ecclſiæ Cardinalium conſilio, plurimiſq; uenerabilibus fratribus, et dilectis filijs, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Abbatibus & alijs Eccleſiarum Prælatis, & Magiſtris, et Doctoribus adlaudātibus, ad ciuitatē Ferrarienſem tranſtulimus.

Vnio Eccleſiæ Orientalis.

tranſtulimus. Vbi etiã cum Occidentali & Orientali Eccleſia Concilium + Ycomenicum, domino diſponente, fundauimus. Deinde morbo peſtis ſuperueniente & cõtinuante, ad hanc ciuitatem Florentinenſem, eius gratia annuente, eodem approbante Concilio, tranſtulimus. In quo ipſe piiſſimus & clementiſsimus Deus oſtendit mirabilia ſua, ut ſcilicet ſchiſma illud pernicioſiſsimum, quod in Dei Eccleſia per Quingentos ferè annos, cum maximo ipſius Chriſtianitatis detrimento, durauerat, Et ad illud extirpandum plurimi ſancti Romani Pontifices, Prædeceſſores noſtri, multiq́ Reges & Principes, aliiq́ Chriſtiani, magnis cum laboribus & impenſis diutiſsimè inſudarunt. Poſt multas tandem in utroq́ loco diſputationes publicas & priuatas, diuerſoſq́ tractatus & labores multiplices, ſublatum fuerit, & ſanctiſsima Latinorum Orientaliumq́ unio fœliciter conſummata, Pro ut in Decreto ſuper inde confecto & ſolenniter promulgato plenius continetur. Ex qua re ipſi æterno Deo inexhauſtas gratias referentes, omniq́ fideli populo congratulantes, obtulimus illi hoſtiam iubilationis & laudis. Vidimus enim non gentem unam, uelut Hebræorum populum, ad terram promiſsionis euocari, ſed multarum gentium populos, Nationes & linguas, ad unum diuinæ ueritatis eloquium meritumq́ concurrere. Per quod etiam iam magna ſpes redditur, ut ipſe Sol iuſtitiæ in Oriente oriens, ad aliarum multarum gentium etiam infidelium tenebras, radios ſuæ lucis extendat, fiatq́ ſalus domini uſq́ ad extremũ terræ. Cuius quidem rei iam optimas arras, Deo diſponente, tenemus: Dum ipſe Omnipotens Deus per operam noſtram Armenorũ Oratores, ex longiſsimis Septentrionis partibus, ad nos & Apoſtolicam ſedem ac ſacrum hoc Concilium, his diebus cum pleno mandato peruenire conceſsit. Qui nos non aliter quàm Beatum Petrum Apoſtolorum Principem intuentes & uenerãtes, ipſamq́ ſanctam Sedem, ueluti matrem omnium fidelium & Magiſtram recognoſcentes, in præfatum Concilium pro ſpirituali cibo, & ſanæ doctrinæ ueritate, ſe ueniſſe profeſsi ſunt. Ob quam rem ipſi Deo noſtro iterum gratias multas retulimus. Sed quas in hoc diuino opere moleſtias, quas impugnationes, quas deniq́ perſecutiones, nõ quidem à + Teucris & Saracenis, ſed à uocatis Chriſtianis, huc uſq́ paſsi fuerimus, horret animus commemorare. Refert Beatus Hieronymus, quod ab Adriani temporibus, uſq́ ad Imperium Conſtantini, in loco reſurrectionis Dominicæ, ſimulachrum Iouis, & in Crucis rupe ſtatua Veneris ex marmore, à gentibus poſita colebatur: Exiſtimantibus perſecutionis autoribus, tollere nobis fidem reſurrectionis & Crucis, ſi ſancta loca

+ Oecumenicũ

Schiſma Grecorum D. annis durauerat.

Armenorũ Oratores in Concil. Flor.

+ Turcis

Scelera eorū qui Baſileæ erant. loca per Idola polluiſſent. Non diſsimile à Baſilienſibus illis hominibus perditiſsimis, nobis & Eccleſiæ Dei, his diebus fieri contigit. Niſi quod illud à Paganis & uerum Deum ignorantibus factum eſt, hoc ab his qui cognouerunt & oderunt. Et idcirco ſuperbia eorum (iuxta prophetam) aſcendit ſemper. *Pſal.73.* In eo periculoſius, quo ſub reformationis ſpecie, quam in ſe ſemper horruerunt, uenena diffundunt. Primum quidem, poſtquàm hi, qui omnis ſcandali patratores Baſileæ fuerunt, Græcis in promiſsione defecerant, Cum per ipſorum Græcorum & Eccleſiæ Orientalis Oratores planè intelligerent, Chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Ioannem Paleologum, Romanorum Imperatorem Illuſtrem, & bonæ memoriæ Ioſeph, Conſtantinopolitanum Patriarcham, reliquosq́ tam Prælatos quàm alios Orientalis Eccleſiæ, ad locum illum, pro Oecumenico celebrando Concilio, per nos & noſtros Legatos et præſidentes, aliosq́ ex præſtantioribus ibidem exiſtentibus: ad quos ius eligendi locum, iuxta conuentionem, communi omnium conſenſu formatam, poſt graues ſupradictorum eius diſſenſiones, deuolutū erat: legitimæ electioni accedere uelle. Cumq́ etiam nos hanc ipſam loci electionē, ad inſtantiam & ſupplicationem maximam dictorum Oratorū, in Generali Conſiſtorio Bononiæ cōfirmaſſe, ac Galeas ac alia neceſſaria pro executione ipſius decreti conuentionalis, & huius ſanctiſsimæ unionis opere, uerſus Conſtantinopolim deſtinare percepiſſent: quoddam deteſtabile Monitoriū ſeu Citatorium, quo ſanctū hoc opus interrumperent, contra nos & præfatos Cardinales decernere auſi ſunt, illudq́ ad præfatos, Imperatorem & Patriarcham Conſtantinopolim mittere, Vt ipſos & omnes alios omnino à ueniendo diuerterēt. Sciebant enim illos ad locum alium q̄ electū, ut præmittitur, nullo pacto uenturos. Deinde cum prædictos, Imperatorem & Patriarcham ac reliquos, pro ipſo ſanctiſsimæ unionis opere, ad nos iam uenire percepiſſent, alium impietatis laqueum huic tam diuinæ rei iniicere ſunt conati, dum quandam ſacrilegam ſuſpenſionis ab adminiſtratione Papatus aſſertam ſententiam contra nos proiulerunt. Poſtremò memorati ſcandalorū Duces, numero quidem paucíſsimi, quorum plæriq́ conditionis infimæ & nominis, ueræ pacis odioſiſsimi, iniquitatem ſuper iniquitatem apponētes, ut non intrarent in iuſtitiam Domini, dum ſpiritus ſancti gratiam, pro ipſorum Græcorum unione iam in nobis operari conſpicerent, à recta linea, per anfractus errorum exorbitantes, prætenſam quandam XVII. Calendas Iunij proximè præteriti Seſsionem fecerūt. In qua quibuſdam Decretis, licet per unam tantum ex Tribus obedientijs,

Nequitiæ contra Papam commiſſæ.

In actis eſt Seſsio illa 34.

obedientijs, poſt receſſum XXIII. ſic in eadem obedientia nuncupati, Conſtantiæ, ſchiſmate tunc uigente, æditis, inhærere ſe dicentes. Tres propoſitiones, quas fidei ueritates uocant, Quaſi nos & omnes Principes & Prælatos, & alios fideles & deuotos Apoſtolicæ ſedis, hæreticos fecerint, protulerunt. Et infra. Nihil omittentes, quantum in eis fuit, quando hoc incomparabile unionis bonum, in totum euerterent. O miſeros & degeneres filios. O prauam & adulteram generationem, Quid hac impietate & iniquitate crudelius? quid deteſtabilius, horribilius atque inſanius excogitari poterat? Dixerant olim, nihil melius, nihil glorioſius ac fructuoſius hac beatiſsima unione, ab exordio naſcentis Eccleſiæ in populo Chriſtiano uiſum, nihil auditum fuiſſe: Neque expedire, in re illa de loco cōtendendum fore, ſed pro ea conſequenda, nedum huius mundi ſubſtantiam, ſed & corpus atque animam exponi debere, pro hoc toto orbe clamantes, & ad id cōmonentes populum Chriſtianum, Veluti in ſuis Decretis & epiſtolis plene continetur. Nunc uerò tam furioſe, tam impie, quantum in eis eſt, id idem perſequuntur, ut ad illud Baſilienſe latrocinium totius orbis dæmonia confluxiſſe uideantur. Et infra. Nos igitur ſolenne & ſalubre declarationis Decretum, cōtra ſacrilegos illos autoritate Apoſtolica, in ſacro Ferrarienſi Concilio Generali XV. Calendas Martij per nos æditum, hoc ſacro Florentino Concilio approbante, innouamus. Per quod quidem inter alia, omnes & ſingulos Baſileæ, ſub prætenſi Concilij nomine, quod uerius conuenticulum eſſe diximus, contra tranſlationem & declarationem noſtras conuenientes, & illa ſcandaloſa & nefaria præſumentes, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Abbatiali & alia quauis dignitate Eccleſiaſtica uel ſæculari præfulgentes, Excommunicationis, priuationis, dignitatum, beneficiorum ac officiorum, ac inhabilitatis ad futura, pœnas in dictis literis noſtris tranſlationis contentas, ipſo ſacro Ferrarienſi approbante Concilio, incidiſſe declaramus: Decernentes etiam nunc ac declarantes, quæcunque per dictos homines Baſileæ exiſtentes, facta aut attentata, de quibus in præfato noſtro Ferrarienſi Decreto fit mentio: Similiter omnia & ſingula per prædictos ex poſt facta, geſta & attētata, ſpecialiter in duabus prætēſis Seſsionibus, ſeu uerius cōſpirationibus ultimo nominatis, ac quicquid ex eis uel ab ea forſitan ſecutū ſit, & in futurū ſequi poſſet, tanque ab impijs hominibus & nullam poteſtatē habētibus, ſed à Deo abiectis & reprobatis, fuiſſe & eſſe nulla, irrita, & de facto præſumpta, ac nullius penitus effectus, roboris uel momēti. Ipſas propoſitiones ſuperius deſcriptas, iuxta prauum ipſorum Baſilien

Baſilienſes ſibi ipſis contrarij.

Decretum contra Baſ. Concil.

Geſta irrita poſt tranſlationem.

ſium intellectum, quem facta demonſtrant: ueluti ſano ſenſui ſacræ ſcripturæ ac ſanctorum patrum & ipſius Conſtantienſis Concilij contrarium, Necnon præfatam aſſertam declarationis ſeu priuationis ſententiam, cum omnibus inde ſecutis, & quæ in futurum ſequi poſſent, tanquã impias & ſcandaloſas, necnon in manifeſtam Eccleſiæ Dei ſciſſuram & omnis Eccleſiaſtici ordinis, ac Chriſtiani Principatus confuſionẽ tendentes: dicto ſacro approbante Concilio, damnauimus ac reprobauimus, & damnatas ac reprobatas nunciamus. Decernentes etiam et declarantes, omnes & ſingulos eſſe ac fuiſſe ſchiſmaticos & hæreticos, & ultra pœnas in præfato Ferrarienſi Concilio determinatas, tanquam tales cum omnibus eorum fautoribus & defenſoribus, cuiuſcunq; ſtatus, gradus et conditionis Eccleſiaſtici uel ſęcularis extiterint, Vt cum prędictis Core, Dathan & Abyron, meritam accipiant portionem, pœnis condignis omnino puniendos. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innouationis, declarationis, damnationis & reprobationis, nunciationis cõſtitutionis et diſpoſitionis, infringere, uel ei auſu temerario contraire. Siquis autẽ &c. Datum Florentiæ in Seſsione publica Synodali ſolenniter: In Eccleſia Beatæ Mariæ Nouella celebrata. Anno incarnationis Dominicæ M. CCCCXXXIX. Pridie Nonas Septembris. Pontificatus noſtri anno Nono.

Baſ. Conc. declaratur hæreticum poſt factã trãslationẽ.

Contra hoc Eugenij Decretum, Synodus Baſilienſis ędidit Reſponſionem, Cuius initium eſt. Beatus Hieronymus, cum lumen ueritatis ſalubri doctrina diffunderet &c. Quę prolixior eſt, quam ut hic commode recitari queat, Et aduerſus eam à quodam acerrime pro Eugenio replicatum eſt longiſsima diſputatione, Cuius initium eſt. Diſsimulare non poſſumus, quod pertinet ad omnes qui diligunt nomen Chriſti &c. Et in actis Concilij Baſilienſis extant multa Decreta alia, contra Eugenium Quartum, pro Fœlici Quinto, quæ ſua cõtentione plus tędij & ſcandali, quam fructus aut ædificationis lectori allatura eſſe uideãtur. Ideo illis omiſsis, alia potius referenda ſunt, quæ ad res geſtas pertinent. Mortuus eſt iſto anno Pragæ Reuerendus Pater, Philibertus, Conſtantienſis Epiſcopus, non Germanicæ, ſed Gallicæ prouinciæ, qui multis annis fuit in Bohemia Synodi Baſilienſis Legatus plena cum poteſtate, ſepultus honorificè in caſtro Pragenſi, in Eccleſia nimirum Metropolitana, In qua Barbaram Sigiſmundi coniugem ante biennium coronauerat in reginam Bohemiæ. Defunctus eſt autem die XX. Iunij. Sub idem tempus Albertus Rex è Buda exercitum contra Turcas eduxit in Seruiam, quam uulgo Raſciam uocant, uerſus oppidum

Varia Decreta utriuſquẽ partis.

Obitus Philiberti Epiſcopi

oppidum ſeu potius caſtellum, Synderouiam dictum, in ripa Danubij ſitum, & à Turcis obſeſſum, Caſtra inter Titiani amnem et Danubium collocat. Interea Turcarum Imperator, euicto caſtello, in cuius præſidio à Seruiæ Deſpoto (qui ad Albertum in Vngariam cum ſacerdotibus & Nobilibus confugerat) relictus fuerat filius, excæcato eo, & in matrimoniũ abducta eius ſorore, domum abijt. Vbi hæc cognouit Albertus, dimiſſo exercitu Budam, redijt, ſed inſolito feruentis Auguſti calore uexatus, dum Peponibus nimium oblectatur, in uentris ſolutionem incidit, ſentienſq; periculum, in patria mori ſtatuit, Viennæ ſcilicet. At iter ingreſſus, cum iam Strigonium præteriſſet, in uilla, quæ Longa dicitur, condito Teſtamento, ſexta Calendas Nouẽbris, in Vigilia Simonis & Iudę deceſsit, maximo cum luctu & deſiderio omnium Catholicorum. De quo ſic ſcribit Baptiſta Egnatius, Inclytus Cæſarum ſcriptor. Albertus cum exercitu contra Turcã profectus. Alberti obitus.

Nemo unquam maiore ſpe ad Imperium uenit, & ſane conceptam animis hominum opinionẽ haud fruſtratus eſſet, Siquidem toto biẽnio, quo pręfuit, Morauos ac Sarmatas, qui hodie Poloni ſunt, intra ſuos fines quieſcere compulit. Ptarſconem Bohemũ, factionis hæreticæ caput, ita attriuit, ut tota Bohemia ſibi cederet. In Turcas autem profectus, Synderouiam caſtellum, ad Danubij ripam munitiſsimũ obſidentes, dum copias in itinere maiores expectat, oppidani deditionem fecere. Ipſe Auſtriam repetens, apud locum, cui Longa uilla eſt nomen, Dyſenterię morbo cõfectus eſt. Sed redeamus nunc ad reliqua huius anni geſta, quæ ſcire operæ precium ſit. *lib. 3. de Ceſar.*

Proteſtatio Principum Electorum Romani Imperij, tempore ſchiſmatis, De Neutralitate, uacante Ro. Imperio per mortem Alberti Cæſaris.

Nos &c. ſacri Romani Imperij Principes Electores, attendentes ad ea, quæ pridie per Reuerendum Patrem, Dominum Antonium Epiſcopũ Vrbinenſem, pro parte ſanctiſsimi Domini noſtri Eugenij, Papę Quarti primum: Ac ad ea quæ deinde per Reuerendiſsimos Dominos, Patriarchã Aquilegienſem, Archiepiſcopum Panormitanum et Epiſcopum Vuarmienſem, nomine ſacri Concilij Baſilienſis propoſita fuerunt, Quæ utiq; in aduerſos ſibiq; contrarios effectus tendere noſcuntur, Cum ex his, quæ pro parte ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ propoſita fuerunt, clare liqueat, eundem Dominum noſtrum, præfatum ſacrum Concilium Baſilienſe minime pro legitimo ſacroq; Concilio tenere, nec ullam ſibi autoritatem deferre, Rurſus ex aduerſo liquidè conſtet, ipſum ſacrum Contrarij Legati & contraria mandata.

Baſilienſe Conciliũ nullum adminiſtrationis Papatus exercitium eidem Domino noſtro Papæ attribuere. Penſantes inſuper, quod in Diœceſibus & territorijs noſtris, quàm plurima edicta, proceſſus & mandata pœnalia, tum à præfato Domino noſtro, tum ab ipſo ſacro Concilio manantia, quotidie publicantur, Quæ ſimiliter ex præmiſsis cauſis uiciſsim repugnare uidentur. Quibus diſsidijs ſyncero corde condolentes, non immerito ueremur, niſi firmiſsima fraternaq́ conſtantia noſtra ſolidaretur integritas, ipſius diſſidij ſcintilla flammas diſcordiæ uſq; ad apicem columnasq́ ſacri Imperij protendat, ut ſic utriuſq; gladij poteſtate conciſa atq; confracta, alter alteri minimè ſubuenire poſſet. Electio quoq; Romani Principis, per nos de præſenti celebranda, ſub prætextu cuiuſcunq; cenſuræ annullari queat. Ideoq́ huiuſmodi periculis quærentes, quantum ualemus, occurrere, Ac unionem & zelum fraterni amoris inter nos tenacius cõſeruare: ante omnia proteſtamur, quod per ea quæ nunc dicimus, ac per alium quemcunq; actum, quem facturi ſumus, ab obedientia & reuerẽtia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ſanctæq́ matris Eccleſiæ, nullo unquàm tempore diſcedere uolumus, nec in aliquo uacillare: Quinimmò, pro ut debito Chriſtianæ religionis, cuius profeſſores ſumus, & Sacramenti uinculo tenemur, ipſam ſedem Apoſtolicam, ſanctamq́ uniuerſalem Eccleſiam, matrem noſtram, ſyncera mente ueneramur, & illi integraliter obedire. Quia uerò inter prædictum S. Dominum noſtrum, ac ſacrum Baſilienſe Concilium (quod dolenter ſuſtinemus) expreſſe uigent diſcordiæ, Aduerſa quoq; quotidie proceſſus & mandata procedunt ab eiſdem, quæ mentes noſtras adeo perplexas reddiderunt, ut pro debito fragilitatis humanæ, de illorum uiribus habeamus meritò dubitare. Sed quia pro electione Romani Principis, in præſentiarũ congregati ſumus, Cui dum adhæremus, iuxta traditam à Diuo Carolo IIII. Romano Imperatore, nobis normam, nullis debemus exteris cogitatibus perturbari, ſed eidem electioni quietis mentibus intendere. Ideoq́ edicimus, & proteſtamur, ac bona fide promittimus, quod in præmiſſa diſcordia, inter ſanctiſsimum D. N. & ſacrum Baſilienſe Concilium, nullam partem aduerſus alteram de præſenti quomodolibet fouere proponimus. Quinimmò, ſiqua mandata, proceſſus uel edicta, tam ab ipſo S. D. noſtro, quàm à ſacro Baſilienſi Concilio ad nos aut ſubditos noſtros emanare contigerit, quaſcunq; pœnas continentes, nos propter dubium probabile, & ad præſens indiſcuſsibile, animos noſtros ſuſpenſos retinebimus: Ne ulli parti aduerſus alteram fauere uideamur: Et in ſola ordinaria iuriſdictione

Ne ſchiſma fiat in Imperio.

Proteſtatio de obedientia.

Electio Ro. Imp.

Proteſtatio de neutralitate.

Iuriſdictione, citra præfatorum tam Papæ quàm Concilij ſupremam poteſtatem, Eccleſiaſticæ Politiæ gubernacula, per Diœceſes & territoria noſtra ſuſtentabimus, Donec Romanum Principem iuxta commiſſum nobis miniſterium elegerimus, Noſq; una ſecum de uijs & medijs aptioribus pertractemus, Quibus ſupradicta diſcordia inter præfatum Dominum noſtrum Papam & ſacrum Concilium Baſilienſe tollatur è medio, & pacis & tranquillitatis & unionis aura reſpiret. Quod ſi intra ſex menſes proximè futuros nequeat procurari (quod Deus auertat) Nos hoc iterum & ex tunc coniuncti cum ipſo Principe noſtro ac Pontificibus & Prælatis, ac diuini & humani iuris peritis, Deo propicio, conſulemus, Et quod ratio dictauerit, cui parti fauendum & obtemperandum ſit, id ipſum omnes unanimi conſenſu & ſyncero corde, cum omnibus Pontificibus ac Prælatis, & reliquis Principibus, Comitibus, Baronibus, Satrapis, & Optimatibus ſacri Rom. Imperij conſtantius amplectemur. Hanc quoq; noſtram profeſsionem, Proteſtationem, & certificationem inuicem bona fide, loco præſtiti iuramenti, promittimus obſeruare, ac illi tenacius inherere, ac eam ad omnium eiuſdem Imperij Pontificum, Prælatorum & Procerum notitiam perducere. Ne ſi (quod Deus auertat) in Eccleſia Dei ſchiſma inualeſcat, ipſum Rom. Imperium eius occaſione ſcindatur, uel in ſe diuidatur. Super quibus omnibus & ſingulis, à uobis Dominis Notarijs publicis, petimus Inſtrumentum confici ſeu Inſtrumenta, unum uel plura, quotquot fuerint neceſſaria & oportuna, cum alijs proteſtationibus & clauſulis apponi ſolitis, neceſſarijs & conſuetis. Actum Francfordiæ, Anno Domini M.CCCC XL. Die XXI. menſis Martij.

Colligatio Principum Rom. Imp.

Ex his perſpicuè uidet & intelligit prudens lector, quàm graue fuerit pijs mentibus tempus illud, Quod ſimul & ſemel habebat Duo Oecumenica Concilia, unum Baſileæ, alterum Florentiæ, & Duos Ro. Pontifices, Eugenium Quartum & Fœlicem Quintum, Sed reuera non poterant duo eſſe ſimul & eodem tempore Vniuerſalia Cōcilia, aut Duo ueri Pontifices Romani, Quia non ſunt Duæ Chriſti Eccleſiæ, nec Duo ſupremi ouium Chriſti paſtores, ſed unum eſt (ut ipſe ait in Euangelio Dominus) ouile, & unus paſtor. Vnde ſequitur, Baſilienſe Concilium, poſtquàm ab Eugenio translatum fuit, primo ad Ferrariam, deinde ad Florentiam, non amplius Concilium uerum & legitimum fuiſſe, quod Vniuerſalem Eccleſiam repræſentaret: ſed Conciliabulum & Conuenticulum ſchiſmaticum, cuius omnia deinceps acta, decreta & mandata, nullius penitus roboris aut momenti fuerunt, niſi quantum

Non erant duo ueri Papæ, nec duo Concilia ſimul.

Ioan. 10.

Quale fuit Con. Baſilienſe.

Ee iij per

per Romanos Pontifices,Eugenium,Nicolaum & Calixtũ approbatũ ex ijs fuit poſtea. Proinde Fœlix Quintus, Amedeus proprio nomine dictus, quantumuis bonus ac ſanctus uir antea fuiſſet, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus Pontifex erat, grauiſsime peccans, quod conſenſit in ſui electionẽ, Sede non uacante. Nolim equidem cuncta probare, quę fecit Eugenius, Cum & ipſe homo peccator extiterit. Nunquàm tamen probauerim Synodi Baſilienſis arrogantiã, qua ſibi tot annis contra ſedis Apoſtolicæ (cuius autoritate cõgregata erat & ſubſiſtebat) poteſtatem ſupremam, à Chriſto Petro eiuſq; ſucceſſoribus collatam, omnem Iuriſdictionem arrogauit, etiam in ipſum Papam, qui legitimè electus, de nulla hæreſi ſuſpectus aut diffamatus erat. In omnibus enim actis, decretis & tractatibus, ſupra commemoratis, quos habuit Synodus illa cum Bohemis, ne ſemel quidem facta eſt mentio Eugenij Papæ, quaſi nulla prorſus illi eſſet autoritas, ſed omnis poteſtas à ſede Apoſtolica mox in ipſam Synodum translata fuerit. Quo autem exemplo priorum Conciliorum, tanto contemptui habuit Synodus iſta ſedem Apoſtolicã et Papam legitime electum, confirmatum, & ab omnibus populis Chriſtianis pro legitimo Petri ſucceſſore agnitum, ut eo inconſulto & contemptim præterito, concederet hæreticis Compactata: daret Indulgentias populis, plenam in omnibus negocijs Eccleſiaſticis autoritatem Legatis: imponeret Quintas et Decimas Eccleſiaſticis, ex quibus delicati illi patres in Synodo ſuauiter uiuerent cum ſchiſmatico ſuo Pontifice, quem è ſancto uitæ inſtituto in tam grauia ſchiſmatis peccata et ſcandala, odioſa electione traxerunt. Iuſto igitur Dei iudicio, euanuerunt ſuperba eorum acta, quæ in ſedis Apoſtolicæ contemptum Synodo arrogauerunt. Iulianus Cardinalis, qui primus eam Synodum autoritate Apoſtolica inchoauit, eiq; aliquot annis præfuit, ſubtraxit ſeſe, quando uidit à patribus illis in Papæ iniuriam & cõtemptum plæraq; attentari. Æneas Syluius, quamuis ut iuuenis & priuatus, permanſerit in ea Synodo uſq; ad electionem Amedei, dicti Fœlicis Quinti, paulo poſt tamen inde abijt in Curiam Friderici, Romanorum Regis, & contra Amedeum (agnito errore) Eugenio præſtandam obedientiã ſuaſit Imperatori & Germaniæ Principibus. Ipſe quoq; Amedeus poſt multa & grauia data per aliquot annos ſcandala, ex Papa, immò Antipapa, factus eſt propter bonum pacis Cardinalis, clementia Nicolai Papæ, & Legatus Germaniæ. Deniq; ipſamet Synodus poſt odioſas exactiones, quibus longo tempore Clerum uexauerat, publico decreto tam Quintas quàm Decimas, reuocare coacta fuit, In hæc ſanè uerba.

Arrogãtia Concilij Baſ. contra Papam.

Reprehenſibile Concilium Baſ.

In irritum ceciderunt acta Concilij Baſ.

Caſſatio

Caſſatio Impoſitionis Quinti & Decimi Denarij, pro Papa Fœlice & ſuis Officialibus.

Sacroſancta Generalis Synodus Baſilienſis &c. Ad futuram rei memoriam. Cum iam dudum hæc ſancta Synodus, pro nonnullis ſanctæ Eccleſiæ Vniuerſalis, ac ſanctiſsimi in Chriſto patris et Domini Fœlicis negocijs, fecit Impoſitionem de beneficijs Eccleſiaſticis, certo modo exigendam & perſoluendã, pro ut in ipſo Impoſitionis decreto plenius continetur. Nos attendentes, huiuſmodi Impoſitionem Germanicæ Nationi, iuxta qualitatem & conditionem Eccleſiarum & beneficiorum ſub ipſa conſiſtentium, admodum fore onerosam. Qualem Impoſitionem Quinti Denarij, Septimi uel Decimi, uel alterius cuiuſcunq; taxæ qualitatis uel conditionis qualitercunq; factam, quo ad ipſam Nationẽ Germanicam præſentium tenore tollimus, caſſamus, reuocamus & annullamus, perinde ac ſi nullatenus promulgata eſſet. Ac inſuper eidem Nationi, quod nullam in ea Impoſitionem faciemus ſeu fieri permittemus, autoritate Vniuerſalis Eccleſiæ promittimus ac pollicemur. Quinimmo, ſiqua Impoſitio per quemcunq; quauis autoritate in dicta Natione facta foret, ſeu in poſterum fieret, præter Romani Regis ac ſacri Romani Imperij Principum Electorum, Oratorum ſuorum ſeu maioris partis ex eis expreſſum conſenſum: Illam, quo ad prædictam Nationem Germanicam, irritam decernimus & inanem nulliusq; roboris uel momenti, & pro non facta potius haberi. Inſuper, quando hæc Synodus cum dicta Natione de futuro Generali Concilio celebrando concordauerit, in quo cauſa ſchiſmatis in Eccleſia Dei (proh dolor) exorti præcipue tractabitur & expedietur. Vt igitur omnia ſine ſuſpicione procedant, promittit hęc Synodus ſancta, ſe curaturam, Quatenus, quam cito dicti Romanorum Rex ſeu Principes Electores, pro hoc ſacro Concilio ſe declarauerint, Sanctiſsimus in Chriſto pater & Dominus Fœlix Papa, in illo non præſideat, nec etiã in futuro Concilio: Quinimo Concilium ipſum in omnibus procedat, quemadmodum ante electionem pręfati ſanctiſsimi Domini Papę Fœlicis proceſsit, donec in ipſo futuro ſic translato Concilio deſuper fuerit declaratum &c.

Exactio quo ad Germanos ſublata.

Fœlix V. Papa uoce tantum.

Extat de Impoſitione illa longiſsimum decretum in XLII. Seſſione illius Concilij promulgatum, In quo conſtituti ſunt Collectores & ſubcollectores eiuſmodi pecuniarum. Breuiter omnia fere acta illius Concilij Baſilienſis talia ſunt, ut lectori longe plus tædij quam fructus afferant, & Eccleſię Dei multo plus nocuerint, quam profuerint. Quid enim boni prouenit ex omnibus Actis

Acta Con. Baſ. infructuoſa.

XVIII. annorum(utpote ab anno XXXI. uſq; ad annū XLVIII Incluſiue)In quibus Synodus illa, ſuperba contra Eugeniū Papam contentione, Eccleſiam Dei fœde turbauit, ac ſumptibus grauiſsimis onerauit? Nonne in caſſum & in irritum abierunt omnes fere conatus patrum illorum? Quid profuit tam longa et multiplex cum Huſsitis tractatio de unione? Nam cum de poteſtate arroganter contenderent cum ſede Apoſtolica, & inconſulto (ne dicam contempto) Eugenio Papa Compactata concederent Huſsitis, manifeſtis Romanæ Eccleſiæ hoſtibus et inimicis: confudit Deus ſuperbiam eorum, ut uani fierent omnes eorum conatus, ita ut ueram apud Huſsitas unitatem non inuenirent: & ueram ſalutiq; animarum neceſſariam cum Papa unitatem, amitterent, & execrabile ſchiſma per Antipapæ electionem ſuſcitarent. Merito igitur In exemplum poſiti ſunt futuris Concilijs, ne ſibi temere arrogent mox omnen poteſtatem in ſedem Apoſtolicam uerumq; & legitimum Papam, cuius autoritate congregantur. Non enim ouiū eſt, iudicare paſtorē, cuius iudicium Deo reſeruatū eſſe, antiquiſsimi Canones & Conciliorū Acta conteſtantur. Merito igitur funeſtum dixi hunc annū, in quo amiſimus Albertum Regem tam bonum, fortē ac religioſum Principem, qui relicta uxore (ex qua prius duas ſuſceperat filias) pregnante, quæ Ladislaum poſthumum in utero geſtabat, immatura morte decedēs, apud Albam Regalem, more Regū Vngariæ, ſolenni pompa funeratus ac ſepultus eſt, Quem nonnulli ſuſpicantur ueneno intoxicatum fuiſſe. Hoſtis uerò Chriſtiani nominis Turca, eodem anno eripuit nobis clariſsimam ciuitatem Macedoniæ Theſſalonicam, & propinquas regiones, Epirum & Ætoliam, ac Seruiæ maximam partem.

Annus funeſtus.

Anno Domini M.CCCCXL.

Bohemi, qui Alberti Regis cauſa inter ſe diſsidebant, cognita eius morte, apud Pragam conuenientes, unum totius Regni corpus efficiunt, atq; ad eligendum nouum Regem ad VIII. Calendas Maias diem ſtatuunt. Rokyzana, qui dudum apud Græcium exulauerat, domum reuertitur, ſuoq; more inſaniens, Romanā Eccleſiam Cardinaleſq;, Patriarchas, cæteroſq; per orbem Epiſcopos blaſphemans, apud ſolos Bohemos incorruptæ ueritatis inueniri Sacramenta dicit: precioſiſsimū Chriſti ſanguinē paruulis ac dementibus prębet, ſacerdotes ſuę temeritati aduerſantes, domo pellit: popularibus communionem ſub ſpecie uini recuſantibus, Eccleſiaſticam ſepulturam interdicit. Redeunt damnata tempora in Bohemiam, ſuumq; placitū, ſuum quiſq; ingeniū recipit, ſua dogmata diſpergit.

Tyrannis Rokyzanę poſt exiliū.

diſpergit. Ante præſcriptum diem peperit ex Alberto Regina Elizabeth filium, Ladislaum nomine, VIII. Calendas Martij, in feſto Cathedræ S. Petri. At Vngari iam miſerant in Poloniam ad conſtituendum nouum Regem, fratrem Caſimiri Regis Vladislaum, Lituuaniæ Ducem, qui ambitione Regni captus, mox præparato uiatico, milite ſtipatus in Vngariam proficiſcens, Budæ ad Regiam à multis Regni Proceribus eſt introductus. Mittuntur e Bohemia Legati ad Reginam, qui dicant, ad eligendum Regem diem ſtatutum, ſi quid iuris in Regno Bohemię ad ſe ſpectare confidat, Oratores mittat qui rem ſuam agant. Regina ex Alberto natum filium in cunabilis oſtẽdit, rogat, ne paterna hæreditate pupillum exuant. Erat inter Legatos Procopius de Rabenſtein, uir nobilis & eruditus, is cum Alberto ſeruiſſet, pollicetur ſibi curæ fore ca quæ Regina mandauerit, Petiit autem ut prorogetur terminus eligendi Regem, cum XV. tantum dies ſupereſſent. Legati ergò in Bohemiam reuerſi, exponũt Reginæ deſiderium, ac ſuadent proferri conuentum. Ptatſco autẽ Alberto aduerſarius, cum ſuis properabat ad electionem: Illi uerò diem ex die conſulto proferentes, moras nectebant, donec aduenirent à Regina Oratores, Qui in Procerum Regni conuentũ intromiſsi, rogant, Caroli, Sigiſmundi, Alberti, Regum ſuorũ meminerint, eorũ pronepotem ac filium ne reſpuant, contra ius gentium paternam & auitam hæreditatem puero ne adimant, fœdera cum Auſtralibus percuſſa ne uiolent, pupilli atq; orphani miſereãtur. Multis hæc Oratorum poſtulata placebant. Ptatſco uerò cum ſuis, qui Albertum pro Rege non agnouerant, negabant eius filium eſſe Regem: dicebant Infantem regno inutilẽ eſſe, Fridericum Auſtriæ Ducem, iam Romanorum Regem electum, Bohemis indulſiſſe, ut Regem quem uellent ſibi aſciſcerent: Regem à regendo dictum, qui autem regendus ſit, Regem uocari non poſſe: Reges regnis dari, non regna Regibus. Vicit hæc hæreticorum ſententia, Albertus itaq; Bauariæ Dux, maiore Procerum uoto Rex declaratur, qui apud Vuenceslaum quondam nutritus, Bohemicæ linguæ non erat ignarus. Mittuntur ergò ad eum Legati, primores regni. At quibus ea res indigna uidebatur, hi Procopium de Rabenſtein clam ire ad Fridericum Cęſarem iubent, rogantes, nobile regnum ne pupillo negligat, cuius tutelam ſuſceperit. Iam enim Regina, mater eius, hortatu quorundam Principum, Infantulum, qui nondum Quatuor menſes compleuerat, ad Albam Regalẽ portauerat, ibiq; in die feſto Pentecoſtes illum, uelut hæredem regni, per manus Archiepiſcopi Strigonienſis inungi, ac ſacro Diademate coronari ſolemniter procurauerat,

Natiuitas Ladislai Regis.

Tractatus Bohemorũ de Rege ſi-bi eligendo

Vicit ſentẽtia Ptatſconis.

Ladislaus Infans in Regẽ Vngarię coronatus.

rauerat, Et Vngarorum inconſtantiam ucrita, qui ad fratrem Regis Poloniæ defecerant, Ladiſlaum ad Fridericum Cæſarem miſerat educandum. Cæſar igitur audito Procopio, miſit Oratores ad Albertum Bauariæ ducem, qui ei dicerent, Ne regnum ſibi uſurpare præſumat alienum. Bohemis, quibus defuncti Regis hæres eſſet, non licuiſſe alium eligere, neque ſe poteſtatem eam dediſſe: Quemadmodum in Bohemorum conuentu nonnulli mentiti fuerunt. Procopium uerò in Bohemiã remittit, qui ius Ladiſlai haudquaquam ſe neglecturum aſſerat. Albertus itaque Bauariæ Dux, Legatis gratias agens, qui ſe unum ex omnibus elegiſſent, Alienum regnum cum alterius iniuria recuſauit accipere, Et hac animi moderatione maiorẽ ſe, ſpreto regno, monſtrauit, atque recuſando nobile regnum, clariſsimum reuera Regem egit. Bohemi ab Alberto iſto repulſam paſsi, habito iterum generali Procerũ conuentu, Legatos ad Cæſarem mittunt, petentes, tutorio nomine regnum ut accipiat. Ille in Belgicam Aquiſgranũ pro Corona Romanorum Regni accipienda profecturus, iuſsit rem differri in eius reditum. Ptaſco autem infantulo propter patrem infenſus, ſeorſum Cæſarem alloquens, petebat, ut ſeipſum Regem faceret, abdicata pupilli tutela. Verum Cæſar neque pro ſe ipſo, neque tutorio nomine regnum illud acceptare uoluit: Cauſas addit Æneas Syluius, quod Regnum Bohemiæ ſine profuſione pecuniarum retineri non poterat, Et fiſcus eius non abundabat, Quoniam Regiæ poſſeſsiones per hæreticorum bella, in priuatas manus peruenerant, & argenti fodinæ (unde opes Regiæ in immenſum creuere) maiore ex parte perierãt. Regi autem multa opus eſſe ait largitione, ſi Bohemos in officio retinere uelit. Suaſit igitur Cæſar, ut ipſi per ſeſe prouinciam regerent, donec pupillus adoleſceret, Donatoſque Oratores à ſe dimiſit. Domum itaque reuerſi, Gubernatores regni elegerunt, Mainardum & Ptaſconem: Hic hæreticorum: ille Catholicorum partes defendebat. Mainardus enim conuenta cum concilio habita, ſeruãda dicebat: Ptaſco ea ſpernebat, Rokyzanæ amicus, Stetit tum inter eos concordia diſcors. Inuento enim quodam temperamento, ab armis abſtinuerunt.

Cæſaris Frid. pietas erga pupillum.

Cæſar regnũ Bohe. pro ſe recuſat.

Duo conſtituti Gubernatores regni.

Anno Domini M.CCCCXLI.

Vir potens & bellicoſus erat Ptaſco, Cuius opera & ductu Sigiſmundus Imperator expugnauerat munitiſsimam arcem Syon, latibulum Roatij ſociorumque eius latrocinantium, Et qui fortiſsimo ac Potentiſsimo Principi Alberto Regi reſiſtere auſus fuerat. Eius itaque potentia & autoritate freti Pragenſes, in præiudicium Catholicorum, nouos ſtatuerunt articulos, ſub prætextu Compactatorum,

Ptaſco hæreticus, uir potens.

ctatorum, cum eſſent reuera Compactatis quaſi ex diametro contrarij, Quorum ſane tenor ſic habet.

Articuli editi per Magiſtros & Clerum Pragenſem, ac Dominos Conſules Communitatum Pragenſium, feria Quarta ante feſtum S. Viti.

Vt Compactata cum Eccleſia ſancta, ab omnibus efficaciter teneantur. I

Vt omnes Prædicatores affirment, Communionem utriuſque ſpeciei eſſe ueram, utilem & ſalubrem. II

Vt nullus audeat prædicare, quod tantum ſumitur ſub una ſpecie, quantum ſub utraq; Cum hoc ſit contra communicantes ſub utraq; ſpecie. III

Vt nullus audeat porrigere ſub una ſpecie publicè uel occultè. IIII

Vt omnes Plebani manu propria communicent populum, ſub utraq; ſpecie. V

Vt ſic Communicantes nullus audeat quouis modo diffamare, puta, hæreticos aut ſchiſmaticos dicere, ſed ab omnibus teneantur pro fidelibus Chriſtianis. VI

Vt omnes ſacerdotes Pragenſes & Monachi, ſint ſub obedientia Magiſtri Przibram & Magiſtri Procopij. Si autem quiſpiam nollet, non debeat foueri. VII

Ecce quãta cæcitate percuſſi fuerũt, propter ſchiſmatis & inobedientiæ grauiſsima peccata, miſeri homines, docti alioqui & acuti: Quemadmodum uidere licet in libris & opuſculis Magiſtri Ioannis Przibram. Ingens profectò cæcitas eſt, non uidere in paucis his articulis tam manifeſtam contrarietatem. Primus enim articulus Tertio, Quarto & Quinto maximè repugnat, Nam in Compactatis expreſſè probatur & admittitur, Communio Laicalis ſub una ſpecie: & adiungitur, ut ſacerdos, qui Laicos ſub utraq; ſpecie cõmunicat, ſemper dicat eis, ſub ſpecie panis non tantũ corpus Chriſti, ſed totũ Chriſtũ integre cõtineri. Similiter & ſub ſpecie uini non tantum ſanguinẽ Chriſti, ſed totũ omnino Chriſtũ cõtineri. Vere igitur hæretici ſunt & ſchiſmatici, quicunq; ideo ſub utraq; ſpecie uel dant uel ſumunt Sacramentũ, Quia credunt, non tantũ eſſe ſub una ſpecie, quantum eſt ſub utraq;. Quare nec ſextus eorũ articulus ſubſiſtere poteſt, Neq; item ſeptimus, Quia contra omnes leges & Canones eſt. Quo enim iure Clerus Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis ſubijcitur duobus Plebanis Pragẽſibus? quo Monachi? Quo Laici ſic ſtatuunt? Meræ igitur ſunt iniquitates ac temerariæ præſumptiones iſti articuli, ui & metu contra omne ius extorti.

Contrarietas in hiſce articulis.

Anno

Anno Domini M. CCCCXLII.

Nondum recuperauerat Pragæ locum & Eccleſiam ſuam Magiſter Ioannes Rokyzana, metuens Mainardum, qui tametſi non eſſet per omnia Catholicus, infenſus tamen erat Rokyzanæ, uelut inquieto homini et pacis inimico: Qui Compactatis manifeſte contrarius erat, & Monachos uidere non poterat. Alioqui ſi Pragæ fuiſſet, tantę profecto erat ſuperbiæ, ut minime paſſus fuiſſet ſe ſubijci duobus illis Magiſtris, Przibram & Procopio, Cum ipſi iam pridem, uiuo adhuc Sigiſmundo Imperatore, promiſſus fuerat Archiepiſcopatus Pragenſis. Quemadmodum uerò in Bohemia propter fidem duę erant pręcipuę factiones, immo Tres, Quarum una Ptatſconi hæretico, altera Mainardo Compactata amplexanti, Tertia Vlrico Roſenſi Catholico adhęrebat: Ita & in Vngaria duæ erant factiones Inter Nobiles & Barones, Quarum una partes Reginæ Elizabeth & filij eius Ladislai adhuc pueruli fouebat, quorum Capitaneus erat Giſcra Bohemus. Altera uerò, parte Vladislai Poloni, quem pro Rege elegerat, tuebatur, quorum Capitaneus erat Ioannes Huniades, uir fortiſsimus & multis contra Turcas uictorijs clarus. Regina autem Elizabeth, Heroina nobiliſsima, utpote neptis Caroli Imp. IIII. filia Sigiſmundi Imp. uxor Alberti Cęſaris, & mater Ladislai: licet Vngaris non confideret, Regnum tamen, quod filio ſuo debebatur, derelinquere nolebat. Breui igitur mortua eſt in caſtro Rab, ſiue fato naturali ſublata, ſiue intoxicata, quod plerięꝫ ſunt ſuſpicati, Viro ſuo tantū biēnio ſuperſtes, Mors eius Vladislao, magnam Procerum partē & ſequelam adiecit. Miſſus fuerat ab Eugenio Papa Iulianus Cæſarinus, Cardinalis Legatus in Vngariam, ut pacem inter Vladislaum & Reginā componeret: Qui, ut erat uir prudens, doctus & eloquens, iam flexerat utriuſꝗ corda ad concordiam, ſed Reginæ mors irritos fecit eius conatus.

Baronum in Bohemia Tres factiones. In Vngaria duæ.

Elizabeth mater Ladislai obijt.

Anno Domini M. CCCCXLIII.

Apud Bohemos in fidei diſcordia ſeruabatur pax regni, dū ęquatę uiderentur partium uires, Itaꝗ gladius gladium in uagina retinuit. Apud Vngaros uerò in fidei cōcordia remanebat diſcordia regni, dum pars pro Vladislao, pars pro Ladislao zelaret & contenderet, Giſcra enim Bohemus, armorum gloria clarus, quamuis mortua eſſet Regina, filij tamen partes ſtrenue tutatus eſt, Prædones ſæpe acie fudit, Ioannem Huniadem (qui Vladislai partes aſſerebat) bis caſtris exuit, ac rebellantes Vngaros magnis cladibus affecit.

Diſcordia inter Vngaros propter Duos Reges.

affecit. A ciuilibus tum armis reuocauit eos externa uis, regno ingruens. Nam Turcarum Imperator Ammurates cum Centum Milibus pugnatorū irruens, Vngariam ſibi totam ſubegiſſet, niſi commeatus penuria ex anni ſterilitate eum cohibuiſſet. Reſtitit ei Ioannes Huniades, qui leuibus prœlijs ſepe dimicās, proſpere illum è regno excedere coēgit. Paulo poſt aliū miſit Turca exercitum, cum quo Vngari confligere non dubitarunt, quibus & glorioſam Deus uictoriam dedit, cæſis XXX. Milibus Turcarum, multo aūt pluribus captis, ſi Vngaricis ad Fridericum Cæſarem literis creditur. Cardinalis autē S. Angeli Iulianus, qui in Vngaria Legatum Pontificis Rom. agebat, ſcripſit ſex tantum Milia Turcarum in eo prælio cecidiſſe, ac ſigna militaria Nouem capta fuiſſe. Ioannes Huniades, qui nō modo Ducis, ſed & militis partes eo in prælio egerat, exercitum Vngaricum ingenti hominū rerumq; præda onuſtum, in Regia caſtra reduxit. Hac territus uictoria Turcarum Imperator, miſsis ad Vngaros Caduceatoribus pacem petijt. Vngari oblatas ultro conditiones pacis non recuſarunt. Induciæ igitur factæ ſunt in X. annos, ac Iureiurando per ſacra utriuſq; partis confirmatæ. Eugenius uerò Papa hæc audiens, ac uictoriæ curſum remorari dolens, ſcripſit Legato ſuo, nullum ualere fœdus, quod ſe inconſulto cum hoſtibus religionis percuſſum eſſet. Regem igitur Vladislaum à Iuramento præſtito abſolui, & Inducias rumpi iuſsit.

Prælium & Victoria Vngarorū contra Turcas.

Io. Huniades.

Induciæ X annorum factæ.

Anno Domini M. CCCCXLIIII.

In Bohemia Ptaſcone, ui morbi (ut ait Æneas Syluius) repente extincto, Mainardi poteſtas aucta eſt, cui tum Pragenſes, tum fortiores regni ciuitates paruere. Cæterum de Ptaſcone ſic habetur in uetuſto codice Chronicorum. Anno Domini &c. XLIIII. obijt Dominus Hyntz Ptatzko in Ratage, feria Quinta in die Ruffi. Hyntz Bohemice Henricus dicitur. Ratage autem caſtrum eſt non longe à Praga diſtans, Cui & aliud celebri nomine caſtrum adiacet Sternberg. In Vngaria uerò, ruptis Inducijs, Rex Vladislaus magno cum apparatu Turcis bellum intulit. Ferunt XL. Milia Equitum ſub uexillis eius fuiſſe, & magnam Cruce ſignatorum manum adduxit Iulianus Cardinalis Legatus, caſtrorum cura Ioanni Hunradi commiſſa fuit. At Turcarum Imperator, ex Aſia magnum nauibus Genuenſium exercitum traduxit, cum quo circa Varnam X. die Nouembris cum Vngaris conflixit. Primo congreſſu tantus fuit Vngarorum impetus, ut Turcę retro pulſi in fugā uerterentur, Et fugiſſet ipſe Ammurates,

Obitus Ptaſconis de Sternberg.

Pugna & clades Vngarorum circa Varnam.

niſi circumſtantes Satrapę, appræhenſo equi freno, eum minis retinuiſſent. Cum ergò Turcæ numero longè ſuperiores eſſent, prælium inſtaurantes acerrime pugnauerunt. Rex Vladislaus, ut hoſtes ex acie uictores diuerteret, cum globo ſuorum ex Polonia, in tumulum, quē Amurates tenuit, circumiectosq́ currus impetum fecit, ubi nouus Amurati terror iniectus eſt, adeo ut totis caſtris trepidatum ſit. Quod ſi Huniadi par animus ac regi fuiſſet, & arridenti fortunæ dediſſet manus, haud dubium, quin ea dies & Amurati uitam & poſteris eius Imperium abſtuliſſet. Verum ipſe, quàmprimum cedere Chriſtiana ſigna conſpexit, cum X. Milibus Vngaris & Vualachis ex acie ſe ſubtraxit, atq; inſalutato Rege, nutante adhuc uictoria, fugam arripuit. Rex ſuæ ſorti dimiſſus, dum fortiter pugnat, equo deiectus & obtruncatus eſt. Caput eius haſtę infixum, per Græciam atq; Aſiam in ſignum uictoriæ poſt oſtenſum eſt populis. Poloni ad unum cæſi omnes, direpta caſtra, Epiſcopi & Proceres Vngariæ, qui aderant, oppreſsi. Iulianus Cardinalis dum fugit amiſſo prælio, cum iam hoſtes euaſiſſet, Vngarorum manus euadere non potuit, latrunculi eum equo deiectum necauere, & ablatis ueſtimentis, nudum cadauer dimiſerunt. Huniadem fugientem Seruiæ Deſpota† Georgius cepit, & quaſi hoſtem in uincula coniecit, nec prius dimiſit quàm oppida ſuæ ditionis, ab eo occupata, recepit. Amurates neq; fugientes hoſtes inſecutus eſt, neq; gloriabundus inter ſuos magnifica uerba iactauit, neque hilarem ex uictoria uultum oſtendit. De hoc à ſuis interrogatus, dixit. Nollem hoc modo ſæpe uincere. Plures enim in eo prælio ex Turcis quàm ex Vngaris ceciderunt.

Regis Vladislai interitus.

Io. Huniadis fuga.

Iuliani Car. interēptio.

aliàs † Dracoles

Cruenta uictoria.

Anno Domini M. CCCCXLV.

Bohemi, extincto Ptatſcone, quietius agebāt. Mainardus enim qui ſæcularibus, & Magiſter Ioannes Przibram qui Eccleſiaſticis præerat, ad ſeruanda Compactata & pacem cum Catholicis magis inclinati erant, quàm fuerant Ptatſco & Rokyzana. Vngari uerò, Vladislao occiſo, facto Procerum ciuitatumq́ conuentu generali, uno omnium uoto Ladislaum puerum Regem ſuum appellant, miſsisq́ ad Cęſarem Legatis ex Primoribus regni, electionis decretum exponūt, ac Ladislaum in Vngariam mitti coronandum poſtulant. Quibus reſponſum eſt, Recte Vngaros egiſſe, qui regem ſuum tandem recognouerint, electione proinde haudquaquam opus fuiſſe ei, quem ius gentium dediſſet regem, neq; coronandum eſſe, qui ſemel coronatus ſit: Puerum adhuc egere tutore, nullius tutelam ei ſalubriorem eſſe quàm Friderici Cæſaris, expectarent

Ladislaus ab Vngaris in Regem petitus.

ctarent ergò ætatem regno idoneam. Tum inter Vngaros & Cæſarem, ob negatum regem inimicitiæ fuerunt, atq; etiam bella. Nã Huniades, gubernator regni electus, infeſtis copijs Auſtriam ingreſſus, ferro & igne agros uaſtabat, Regẽ tamen, & coronam à Regina Elizabeth aſportatam, atq; caſtella quæ repetebat in Vngaria, obtinere non potuit. Extat inter Æneæ Sylуij epiſtolas pia Cæſaris ad Eugenium Papam pueri commendatio, In hæc ſanè uerba. Bellum inter Cæſarẽ & Vngar.

FRIDERICVS, Dei gratia Romanorũ Rex, ſemper Auguſtus ſanctiſsimo patri, Domino Eugenio Papę Quarto, Salutẽ plurimam dicit. Etſi non dubitamus, Apoſtolicam ſedem, tanquàm ueritatis doctricem, iuſtamq; uitæ magiſtram, quorumlibet iuribus fauorabilem eſſe, nulliq; prorſus iniuriã facere, Quia quicquid ab eius ſolio manat, iuſtitiæ lancibus libratur & æquitatis. Nõ tamen ab re fore putamus, aliqua per nos ſcribi Beatitudini tuæ, quibus ius Sereniſsimi Principis, Ladislai Vngariæ Regis, Patruelis noſtri chariſsimi, pueri, pupilli & orphani, commendatum efficiamus: et eorum qui ficta pro ueris referunt, impijs reſiſtamus conatibus. Scit enim tua Beatitudo, Patruelem noſtrum pręfatum (qui poſt obitum uitæ diuæ memoriæ Patrui & Anteceſſoris noſtri Alberti, Romanorum atq; Vngarię Bohemiæq; Regis, in utero materno poſthumus remanſerat) ut primum natus fuit, & ſacri fontis unda renatus, adhibitis ex more ſolennitatibus, ueram Vngarię & ſanctam ſuſcepiſſe coronã. Nunc autem (ſicut accepimus) magnopere quidam inſtant, ut tua ſanctitas Titulũ regni huius in alium trãsferat: Multa illinc emolumenta tum ſanctitati tuæ, tũ regno præfato prouenientia dicentes. Quę licet nullatenus mentem Apoſtolicam mouere credamus, quia nullũ commodum eſt tã ingens, pro quo bene uendi iuſtitia poſsit: mirandus tamẽ eſt eorum conatus, qui ex alieno incõmodo ſuum quærentes cõmodum, altiſſimi ſanguinis puerũ, et paterno & auito regno cupiunt ſpoliare. Iniquum profecto & abominabile ſcelus. Fecerit enim alius quiuis magnalia, ſit potens, ſit aptus regimini, ſit per aliquos accerſitus. Nolumus iſta diſcutere, nec cum iniuria uolumus loqui cuiuſquã. Nulla tamen ratio ſuadet, huic puero ſuum adimi regnum. Qui ſi propter ſe nõ eſſet magni putandus, ei tamen propter facta paterna, uniuerſa Chriſtianitas fauorabilis eſſe deberet. Quis enim noſtri tẽporis homo eſt, qui patris huius glorioſos conflictus tum contra Turcas, tum contra Huſſitas, non audiuerit? Debent præterea & huic puero fauorem præbere aui ſui clariſsima geſta, & illa Eccleſiæ unio Conſtantiæ reparata. Tum uero & Caroli

Epiſt. 118. Commendatio pupilli Regis. Alij ad regnum Vngariæ aſpirantes. Glorioſi Maiores Ladislai Regis.

Quarti & Henrici ſeptimi, Quorum ultimus hic ſanguis eſt, memoria Cæſarum. Tacemus Inclytæ domus noſtræ Auſtralis opera, tam pro Imperio, quam pro Eccleſia, in fauorem fidei, per noſtros & huius pueri progenitores ædita. Quis tandem non compati deberet innocenti puero, parentibus orbato, uero Vngariæ Regi & heredi? Inſanæ profectò mentis & animi trucis ſunt, ac totius hoſtes iuſtitiæ, qui tam Generoſum puerum regno priuare, & ius tam clarum conculcare nituntur &c. Arbitror uerò hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe mox poſt mortem Reginæ Elizabeth, quando Vladislaus eos quoq; Proceres, qui Reginæ fauebant, in partē traxit ſuam. Extat et alia Æneę Syluij epiſtola ad Sbigneum

Epiſtola 417. Cardinalem & Epiſcopum Cracouienſem, in qua ſub finem hac de re illi reſpendens: inter cætera ſic ait. Quis excluſo Regis filio, regnum poſsidens non dicitur occupator? Aut ſucceſsioni locus eſt apud Vngaros aut electioni, cum Rege mortuo filius in promptu eſt. Si patri ſuccedit filius, nō uideo, quid iuris in Vladislaū popularis electio transfuderit. Si regem electio facit, attribuo tuæ parti uictoriam. Mihi tamen, qui regni ſe mores noſſe affirmāt, ſuccedere patribus apud Vngaros in regno filios, iniuſſu populi dicunt, idemq; Romanū Pontificem diffiniuiſſe, Apoſtolicis demonſtratur apicibus &c.

Anno Domini M. CCCCXLVI.

Eugenio Pp. reddita eſt Germanorū obedientia in Dieta Frācfordienſi.

Quieſcebant iam ſub egregijs regni gubernatoribus, Bohemi ſub Mainardo, & Vngari ſub Huniade. Germani autem, qui iam VIII. annis ſub neutralitate fluctuauerant, durante diſsidio inter Eugenium Papam & eos qui Baſileæ Antipapam conſtituerant, tandem miſerante & inſpirante Deo, reiecta neutralitate ad Eugenij obedientiam reuerſi ſunt: Quemadmodum ex Actis nunc recitandis plenius cognoſcitur. Ita enim habetur ſcriptum in uetuſto quodam codice. Anno domini 1446. prima Septembris congregati Electores Imperij, Dux Albertus, Marchio Brandeburgenſis, Epiſcopi Auguſtenſis & Chiemenſis nomine Regis Romanorum, Comes Palatinus, Archiepiſcopi Maguntinenſis, Colonienſis, Treuerenſis, proprijs in perſonis, ac Ambſiatores Ducis Saxoniæ, & Friderici Marchionis Brandeburgenſis in Marchia reſidentis, in Francfordia, cum Legatis Papæ Eugenij, Cardinali Bononienſi ſeniore omnium, & Doctoribus Nicolao de Cuſa & Ioanne Caruial, concordarunt, ut Eugenius maneret in papatu, ſic tamen, quod Decreta Cōcilij Baſilienſis conſeruaret. Super qua concordia literis ſigillatis ſigillis Electorum. Ex poſt dabatur primitus

mitus audientia Legatis Concilij Baſilienſis Cardinali Arelatenſi, qui erat iunior omnium, cum inſigni Doctorum comitiua, Qui petierunt autoritatem Generalium Conciliorum corroborari. Hæc concordata, debent publicari proxima Dominica Lætare, anno Domini 1447. In ciuitate Nurenbergenſi. Et ex poſt celebrabitur + Ycomenicum Conciliũ in Alemania, in menſe Maio, & loco uno ſex locorum, per Eugenium nominando & eligendo. Extat eadem de re Decretum Patrum Concilij Baſilienſis, qui adhuc hærebant in illo diſsidij & contentionis conuenticulo. Et quamuis iam Octo annis habuiſſent ſuum Papam, Fœlicem Quintũ, ita tamen diſsimulauerunt & tacuerunt eum in ſuo Decreto, tanquam puderet iam ipſoſmet ſuæ electionis contra Eugenium factæ, per quam nouum in Eccleſia ſchiſma ſuſcitauerant: Et tamen in tanto conſtituti diſsidio, arrogabant ſibi nihilominus ſpiritum ſanctum, Qui ſecundum Apoſtolum pacis Deus eſt, non diſſenſionis. At illi perfricta fronte cõtra ſedem Apoſtolicam pertinaciter contendentes, ita ſunt exorſi. Sacro ſancta Generalis Synodus Baſilienſis, in ſpiritu ſancto legitime congregata, Vniuerſalem Eccleſiã repræſentans, ad futuram rei memoriam: Ad laudem omnipotentis Dei, pacem & exaltationẽ Eccleſiæ, ſic tranquillitatem populi Chriſtiani, prompto corde & efficaci deſiderio intendentes, ea libenter ordinamus & quærimus, per quę huiuſmodi pax & exaltatio tranquillitatis meritò ualeat promoueri. Cum itaq; chariſsimus Eccleſię filius, Fridericus Rex Romanorum Illuſtris, necnon Venerabiles patres & dilecti Eccleſiæ filij, Nobiles uiri, ſacri Romani Imperij Principes Electores, per multa retro acta tempora, labores indefeſſos & operas ſollicitas impenderint, quibus pax & tranquillitas in Eccleſia Dei floreſceret, & ſacrorũ Generalium Conciliorum illibata luceret autoritas, Nec ulla uideatur aptior, & toti populo Chriſtiano uia gratior, quam ut ad aliud Generale Concilium deueniatur, in quo cauſa ſchiſmatis omniumq; aliarũ differentiarum & diſcordiarum, quæ in Eccleſia Dei ortę ſunt, quantum fieri poteſt, examinetur & expediatur. Et infra. Ex nunc pollicemur & bona fide promittimus, nos Generale Conciliũ indicturos, noſq; ſeu hanc ſacroſanctam Baſilienſem Synodum translaturos in locum, quem præfatus Sereniſsimus Rex, & prædicti Principes Electores, ſeu eorum Oratores & nuncij, in conuentione ſua, in dicto oppido Francfordienſi, Tertio Calendas Septembris proximo uẽturi, duxerint nominandum et deputandum: Initiandum etiam eſt in die, quem ſimiliter duxerint nominandum, & deinde celebrandum ac cõtinuandũ &c. Ecce quo miſeros illos patres perduxit ac redegit

+ Oecume.

Patres in conuenticulo Baſilienſi.

1. Cor. 14

Decretum Baſ.

improba & pertinax contra Papam Eugenium contentio & diſcordia, Cum pauciſsimi iã eſſent et ab omnibus ferè deſerti, nihilominus dicebant ſe ſacroſanctam Generalem Synodum, Et tamen ſuam autoritatem ultro ita ſubmiſerunt Regi & Electoribus, ut non ſolum ipſis, ſed etiam eorũ nuncijs & Oratoribus ſeſe ſubijcerent, ad nominandum diem & locũ pro alio celebrando Concilio, Qui iam XVI. annis miſerrimè ſuo Concilio uexauerant Eccleſias Dei, Impenſarum oneribus, & contentione improba, ſceleratoq; ſchiſmate nefandiſsime turbauerant, Adhuc tamen arrogabant ſibi autoritatem indicendi aliud Concilium, cum non ignorarent id uetuſtiſsimo iure pertinere ad Romanum Pontificem. Si ergo nolebant id honoris deferre Eugenio, cur non detulerunt ſuo Fœlici, immo Infœlici Antipapæ? Confuſi igitur ſunt, quia caput Eccleſiæ Papam confundere uolebant, à quo omnem autoritatem acceperant. Sedandi itaq; diſsidij & tollendi ſchiſmatis gratia (quod Patres illi ſuſcitauerant) miſerunt Rex Romanorum & Germaniæ Principes Romam Oratores ſuos ad Papam Eugenium, ad quem nomine omnium egregiam habuit orationem Æneas Syluius à Rege Romanorum miſſus, in qua hoc uſus eſt exordio. Non habet me dubium, Pater ſanctiſsime, quia apud te ſit illa domus, quam Dominus in Euangelio ſuper firmam petram laudat ædificatam. Ad quam recurrendum eſt regnante diluuio. Nam extra eam non eſt ſalus, & eius decorẽ diligere ſe propheta teſtatur. Et infra. Quæris forſitan ex nobis, Pater Sanctiſsime, an amici uenimus, quid quærimus, quid offerimus, Dum nos nomino, nõ noſipſos qui aſſumus nũcios, ſed Dominũ Cæſarem Fridericum, tuũ deuotiſsimũ filiũ, ac præclariſsimos Principes & Reuerẽdiſsimos Patres, ſacri Imperij Electores, Tum Proceres & Prælatos tibi dediti ſsimos (Quorum hic Oratores uides) intelligi uolo, Sumus igitur non ſolum amici, ſed etiam adiutores: Pacem afferimus, pacem quærimus. Atq; idcirco cũ filijs Beniamin & Iudæ dicimus. Pax pax tibi, pax adiutorib. tuis. Te enim adiuuat Deus tuus. Plena pacis petitio eſt, plena pacis oblatio. Et poſt multa. Afferunt pacẽ Germaniæ Principes, ſed pacem etiam expetunt. Cupiunt etenim aliqua, quæ niſi obtineant, nec curari uulnera poſſunt, nec pax nationis haberi. Et Quatuor principalia ſunt. Primum eſt, ut Generale Concilium in tempore locoq; deſignando conuocetur. Alterum eſt, ut profeſsio poteſtatis, autoritatis & præeminentiæ Generaliũ Conciliorũ, Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantium, per tuos Oratores facta, tuis literis approbetur. Tertium eſt, ut Nationi Germanicæ ſuper grauaminibus oportune prouideatur. Quarto et ultimo

loco

Marginalia: Ridicula illorum patrum autoritas. — Oratio Aeneæ Syluij ad Eugeni. Papam. — Pſal. 25. — Oblatio pacis. — 1. Paral. 12. — Conditiones pacis IIII.

loco petimus, ut quæ in + iudicium duorum Principum Electorum uel ſuarum Eccleſiarum acta ſunt, ex tuæ ſanctitatis clementia reuocentur, & in priſtinum ſtatum redigantur. Et infra in fine. Hæc ſunt ſanctæ Pater, quæ noſtri Principes ex te petunt: magna ſanè, ſed rationi et poteſtati conſona. In prima petitione communis uerſatur utilitas, in ſecũda tua humilitas. In Tertia æquitas. In Quarta benignitas & tua deſideratur humanitas. Tuum eſt, quod iuſte petitur, libenter annuere. In tua manu nunc eſt, radicem ſchiſmatis omnem euellere, pacem orbi concedere, conſolari Nationem, & eius obedientiam recipere. Hæc Æneas Syluius ad Eugenium Papam.

+ preiudicium

Hoc eſt Colonienſis & Treuerenſis.

Anno Domini M.CCCCXLVII.

In Bohemia ſub Mainardo, gubernatore pacifico, quieſcebant arma, Cui aſtutus hæreticus Rokyzana ſe per amicos paulatim inſinuabat, ut gratiam & beneuolentiã eius nactus, facilius uoti compos fieret. Aſpirabat enim ad Archiepiſcopatus Pragenſis dignitatem & Infulam, pro cuius aſſecutione die noctuꝗ; uarias excogitabat practicas, Cum eſſet eloquio Bohemico potens, & eruditione præſtans, ac fama clarus in regno. Qui iam ſupra XXV. annos concionibus & diſputationibus publicis, ac magnis rerum tractatibus, Baſileæ & in regno habitis, uelut præcipuus inter Bohemiæ ſacerdotes, inclaruerat. Romę uerò Eugenius Papa ab Oratoribus Germanorum perſuaſus & exoratus, ad tollendam Inclytæ Nationis neutralitatem, longam concordię Bullam ædidit. In qua ſane pacis gratia, multa Germanis diſpenſatiue indulſit, admiſit, approbauit & ratificauit, quæ tẽpore ſchiſmatis facta, circa & contra ſedis Apoſtolicæ autoritatem, per ſeſe inualida erant. Quoniam uerò Bulla illa admodum prolixa eſt, nos hic, principium tantum & finem eius recitabimus, ex quibus lector pleniorem hiſtorię & rei geſtæ cognitionem accipere queat.

Rokyzana ad Archiepiſcopatũ aſpirabat.

Pax Germ: cum Eugenio Papa.

Bulla concordatorum inter Papam Eugenium IIII. & Nationem Germanicam.

Eugenius, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Inter cætera deſideria cordis noſtri, filios quoslibet ad noſtram & Apoſtolicæ ſedis obedientiam exoptantes adduci, illa temporum qualitate penſata, aliquando cõcedimus, ordinamus & ſtatuimus, per quæ Chriſti fidelium tranquillitati & commodis, remotis diſſenſionibus & ſcandalis, conſulatur, ut exinde animarum ſalutem ualeant adipiſci. Sanè cum propter diſſenſionem inter nos & eos,

qui Baſileæ ſub nomine Generalis Concilij remanſerunt, dudum exortam, Nõnulli Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares, Nationis Germanicæ, in quadam neutralitate & animorum ſuſpenſione, à Die XVII. menſis Aprilis, de anno Domini 1434. uſq; in præſentem diem ſe tenuerũt, ea mente (ut aſſerunt) ut poſtmodum unanimi conſenſu, in noſtra & ſedis Apoſtolicę reuerentia & obedientia, paribus greſsibus incedere poſſent. Et Chariſsimus in Christo filius noſter Fridericus, Rex Romanorum Illuſtris, ac Venerabilis frater noſter Theodericus, Archiepiſcopus Magũtinus, & dilectus filius Nobilis uir Fridericus Marchio Brãdeburgenſis, Sacri Imperij Electores, ac Venerabiles fratres noſtri, Fridericus Magdeburgenſis, Fridericus Saltzburgẽſis, & Gerardus Bremẽſis, Archiepiſcopi, ac quidam alij Prælati & Principes dictæ Nationis, nobis debitam obedientiam, per ſuos Oratores præſtiterunt, ac nos ſolum in Chriſti Ieſu Vicarium recognouerunt & profeſsi fuerunt. Nos attentis, quod dictę neutralitatis & ſuſpenſionis tempore, plurima in ipſa Natione acta, geſta & facta fuerunt, quæ confirmationem, Indulgentiam, & diſpenſationem ſuper eis ſedis Apoſtolicæ autoritatem requirunt, præfatorum Regis Archiepiſcoporum Marchionis, cæterorumq; Prælatorum & Principum ſupplicationibus inclinati: Omnes & ſingulas tam Metropolitanarum quam Cathedralium, aliarumq; Eccleſiarum, necnon dignitatum: etiam Abbatialium & poſt Pontificales maiores, & in Collegiatis Eccleſijs Principalium & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunq;, etiam ſi Eccleſiæ Curatæ, Canonicatus & præbendæ fuerint, Electiones, Poſtulationes, Confirmationes, Collationes, prouiſiones & diſpoſitiones, necnõ proceſſus, ſentẽtias, aliaq; Acta iudiciaria autoritate ordinaria, huiuſmodi ſuſpẽſionis et neutralitatis tempore factas ſeu facta. Quæ omnia & ſingula hic uolumus habere pro ſufficienter expreſsis, ac ea grata & rata habentes, autoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus. Volentes, ac etiam ſtatuentes, ut nulli, qui in poſſeſsione Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, Beneficiorũ & officiorũ huiuſmodi quacunq;, Etiam eorum, qui Baſileæ poſt translationem & diſſolutionem Concilij, ibidem remanſerunt, autoritate ea fuerint aſſecuti, ſuper huiuſmodi Eccleſijs, dignitatibus, beneficijs & officijs ac ſententijs, ac proceſsibus. Etiam ſi in Romana Curia uel extra eam, lis (cuius ſtatum pręſentibus habemus pro expreſſo) indeciſa pendeat, Etiam ſi per eas ad ea uel contra ea fuerit alteri ius quæſitum, uel ius aliqui ſe habere prætẽderint, ex nunc & in antea, in Curia uel extra eam, Apoſtolica uel alia quauis autoriate impeti, aut quomodolibet

Principes Ro. Imper.

Approbatio actorũ & Collationum tempore neutralitatis factarum.

Laium recisio ſuper adeptis beneficijs.

cx

ex quauis ratione & cauſa moleſtari poſſent. Sed in ſuis poſſeſſionibus pacifice remaneãt. Lites quoq;, & cauſas quaſcũq; ſuper huiuſmodi Eccleſijs, dignitatibus, beneficijs & officijs, pendentes: Illis duntaxat exemptis, quæ coram Ordinarijs Iudicibus, Apud quos iuxta formam dictæ ſuſpenſionis & proteſtationis exinde ſecutæ, licuit litigare, indeciſæ pendent, Ad nos aduocantes autoritate & ſcientia prædictis, extinguimus, & ſuper eis, aduerſarijs perpetuum ſilentium imponimus. Poſſeſſores uerò ipſos uolumus in ſuis Eccleſijs, Monaſterijs, dignitatibus, beneficijs ac officijs pacifice remanere. Et in fine. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, uoluntatis, ſtatuti, aduocationis, extinctionis, impoſitionis, collationis, prouiſionis, conceſsionis, caſſationis, irritationis, annullationis, conſtitutionis, abolitionis, rehabilitationis, reſtitutionis, repoſitionis, remiſsionis, relaxationis, donatiõis, abſolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, diſpenſationis, pollicitationis, & iudicationis, infringere, uel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurſurũ. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Dominicę incarnationis M.CCCCXLVII. Idibus Februarij. Pontificatus noſtri anno XVII. Concluſio.

Hæc dulcis concordiæ Bulla, fuit ultimum Eugenij opus publicum, in quo aſsimilari haud inepte queat Cygno, quem Poëtę ſub finem uitę dulciſsime canere ferunt. Iſte enim Papa mox poſt æditam hanc Bullam, obijt Romæ VII. Calendas Martij, qui eſt dies XXIIII. Februarij. In Vigilia Mathiæ Apoſtoli. Et ſtatim eodem anno, VII. die Martij electus eſt Nicolaus Quintus, cum uacaſſet ſedes Dies XII. His Romæ peractis, ubi Bulla per Germaniam publicari cœpit, mox euanuit Patrum Baſileæ remorantium autoritas, Quemadmodum ex ſubſcripta liquet epiſtola, quæ exempli gratia producitur. Obitus Eugenij Papę.

Epiſtola Epiſcopi Merſeburgenſis.

Ioannes Dei gratia Epiſcopus Merſeburgenſis, Venerabili uiro Domino Burcardo, Præpoſito Monaſterij Sancti Thomæ in Lyptz Canonicorum Regularium, Deuoto nobis in Chriſto dilecto, Salutatione amicabili præmiſſa. Venerabilis Domine Præpoſite, quia magna delibertatione præhabita, nos declarauimus, una cum Reuerendiſsimo in Chriſto Patre & Domino noſtro, Archiepiſcopo Magdeburgẽſi, & Domino Numburgenſi, & innumerabilibus Principibus & Prælatis, tam ſpiritualibus quam ſæcularibus, Declaratio Principum pro obedientia Nicolai Papę V.

ſæcularibus,pro ſanctiſsimo in Chriſto Patre ac Domino noſtro, Domino Nicolao, Papa moderno. Mādamus igitur uobis,Quatenus peramplius literas peregrinas Fœlicis,in ſua obedientia nuncupati Papæ,nec eorū qui ſunt in Baſilea,ad exequendum in Diœceſi noſtra non recipiatis. Datum Merſeburgi in craſtino S.Laurentij,noſtro ſub ſigillo. Anno Domini M. CCCCXLVII.

Alia eiuſdem Epiſcopi Epiſtola.

Ioannes Dei gratia Epiſcopus Eccleſię Merſeburgenſis, Venerabilibus uiris,Dominis Rectori,Magiſtris & Doctoribus Almę Vniuerſitatis ſtudij Lyptzenſis,amicis noſtris ſynceriter dilectis. Syncera ſalutatione præmiſſa. Venerabiles amici dilecti, Recepimus literas ueſtras continentes, quod quidam Nicolaus Vuinther de Leyptzk in artibus Baccalaureus,Magiſtrum Ioannē Vueyſe, & Fridericum Rodolff ueſtræ uniuerſitatis ſuppoſita, occaſione quarundam cauſarum, Vniuerſitatem ueſtram (ut arbitramini) tangētium,ad Baſileā procurauit citari. Et prout in ueſtris ſcriptis eiſdem narratis,ex relatu intellexiſſe, nos pro ſanctiſsimo Domino noſtro, Domino Nicolao, Papa moderno,declaraſſe, Ac deſideratis in hac parte uobis impartiri conſilia noſtra,pro redimendis uexationibus. Credimus quod dudū ſanè intellexiſtis, Quod, ſicut altiſsimo placuit,Principes tam ſpirituales quam ſęculares,cooperante Spiritus Sancti gratia, in magna multitudine ſunt reducti ad obedientiā memorati ſanctiſsimi Domini noſtri:Ita Reuerendiſsimus in Chriſto Pater et Dominus noſter,Dominus Fridericus Archiepiſcopus Magdeburgenſis,ac Primas Germaniæ, qui noſter Metropolitanus exiſtit,ſe cum ſuo Clero pro dicto Domino noſtro Papa Nicolao declarauit.Demum nos cum alijs Pręlatis dictę prouincię, maturas deliberationes habuimus,tandemq́ conſyderatis conſyderandis, pro ſalute animarū noſtrorum ſubditorum ac propria,Similiter cum Reuerendo in Chriſto Patre ac Domino, Domino Petro Epiſcopo Numburgenſi, duximus nos declarandos dicti ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ Nicolai.Et ad præſens ſcribimus Domino Præpoſito Monaſterij ſancti Thomę Lyptzenſis,quod nullas literas peregrinas,tam Fœlicis in ſua obedientia nominati, quam illorū qui ſunt in Baſilea, peramplius recipere debeat, ſeu exequi, ſiue executioni facere demandari, per ſe uel per ſuos Plebanos & diuinorum rectores.De hoc uos & ueſtros ſubditos,ſiue ueſtra membra aut ſuppoſita,auiſamus.Datum Merſeburgi, feria ſexta poſt Laurentij, noſtro ſub ſigillo.Anno &c.XLVII.

Studentes duo Lyptzenſes citati à quodā ad Baſileam.

Fridericus Archiepiſcop. Magdeburg.

Exhortatio & Mandatum Friderici Regis Romanorum, contra Baſilienſe Concilium, pro eius deſolatione & Nicolai adhæſione, poſt mortem Eugenij.

Nos Fridericus, Dei gratia Romanorũ Rex, ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux, Comesq́ Tyrolis &c. Omnibus & ſingulis Principibus ſacri Imperij Electoribus, Comitibus, Baronibus, Dominis, Militibus, noſtris ſacriq́ Imperij ſubiectis, Quibus præſentes literæ uiſæ præſentatæ fuerint, noſtra cum gratia omne bonum. Reuerendi, Illuſtres, Chariſsimiq́ Nobiles, cum nos ad Romani Imperij dignitatem, per diuinam Omnipotentis ordinationem fuerimus electi, Eccleſiam Dei ſchiſmatibus, diſcordijs, uarijsq́ erroribus reperimus grauatam.

Vide ſupra ſub anno 1439. proteſtationem Principum Imperij de neutralitate.

Quapropter Patruus & anteceſſor noſter, bonæ memoriæ, Rex Albertus, ac ſacri Imperij Electores, ſe in proteſtationem ſeu animorum ſuſpenſionem poſuerũt, Ne iſtius ſchiſmatis occaſione, in ſacro Romano Imperio periculum oriretur, Et quod eo facilius poſſet ad unionẽ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ deueniri. Quam uiam nos ex ſacri Romani Imperij Electorũ informatione, poſt plures labores & Dietas, corã utriſq́ partibus attentauimus, Et denuo coram alijs Chriſtianis Regibus et Principibus, nũc in propria perſona, nũc per Notabiles noſtros, magnis fatigis laboribus & expẽſis: quibus mediantibus, errorem & ſchiſma in Eccleſia Dei (heu quod fieri nequiuit) extirparemus. Quapropter nos diutius ſuſtinere non potuimus, ſed unanimiter cum aliquibus noſtris ſacriq́ Imperij Electoribus, Archiepiſcopis, ſpiritualibus & ſæcularibus, & maiori Almaniæ parte, Papę Eugenio fœlicis recordationis: cui dum adhuc uiueret, omnes Nationes, Reges & Principes totius Chriſtianitatis (paucis demptis) fuerũt obedientes, ſicut nouiſsime Romæ fuit declaratum: plenariam fecimus obedientiam, coram ſua Paternitate & ſedis Apoſtolicæ ſanctitate. Et non potuimus laudabiliorem, poſsibiliorem, ac magis deificum excogitare modum, pro Eccleſiæ Dei unione, quàm ſanctæ Romanæ ſedi aſſociari, & à cõmunione Chriſti fidelium minime ſegregari.

Obedientia Eugenio reddita.

Et quia idem Eugenius, uniuerſæ carnis debitum exoluebat, ex tunc ſanctiſsimus noſter Papa Nicolaus Quintus, ex ſacro Concilio Venerabilium Patrum ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium, unanimiter ritè deificeq́ electus, & ad ſedem S. Petri Romæ eſt erectus, nobiſq́ uidebatur ab eo immerito fore recedendum, ſed potius animo bene deliberato, ſanoq́ conſilio ſpiritualium & ſæcularium Principum, qui nuper in feſto Margarethæ in Aſchafenborgk per ſe ſuoſq́

Declaratio obedientiæ pro Nicolao PP. V.

Legatos

Legatos comparebant, Vbi nos unanimiter de nouo pro ſanctiſsimo Papa Nicolao declarauimus, & ſibi (ut merito debebamus) fecimus plenam obedientiam. Quapropter à uobis omnibus & ſingulis affectuoſè deſideramus, monemusq́ uos omnes & ſingulos, ſub illo debito, quo ſanctę Romanę ſedi ac Imperio ſacro eſtis aſtricti, Imperialiq́ autoritate uobis diſtrictè ac ſerioſè pręcipiendo mandamus, in his ſcriptis, Quatenus uos & quilibet ueſtrum, huic declarationi & obedientię, per nos noſtrosq́ Principes factę, conſentiatis. Et quod præfatum ſanctiſsimum Papam noſtrum Nicolaum Quintum, uerum & indubitatũ Papam, Vicarium Chriſti, & uerum ſucceſſorem ſancti Petri, ſine dolo & fraude recognoſcatis, & firmiter teneatis, & ipſi ſuisq́ mandatis, tanquàm indubitato Papæ, plenariè obedire, minime recuſetis. Alia omniaq́ mandata, à quocunq́ emanent, ſiue ab illo, qui Papatum uſurpauit, ſiue à Communitate in Baſilea, aut aliquo alio titulo nõ obſtante quocunq́, totaliter dimittere curetis, ſpernere & integraliter refutare. Quibus mediantibus concorditer in unione Rom. Eccleſiæ ac ſacri Imperij uiuere ualeamus. Et ſi quis mandatis noſtris huiuſmodi (quod abſit) contraire præſumpſerit, ſciat, contra ſe pœnas & correctiones Romanæ ſedis euenire, ac pœnas ſacri Imperij incurrere, quæ ad talem inobedientiam fuerint opportunæ. In his omnibus ſciat unuſquiſq́ ſe auiſatum. Datum Nauenſtat, cum ſigilli noſtræ Maieſtatis appenſione. Secunda feria ante feſtum Bartholomęi Apoſtoli. Anno Domini M. CCCCXLVII. Noſtri Imperij anno octauo.

Vt omnes Nicolao Papæ obediant.

Vt Amedei & Concilij Baſilienſis mandata reſpuantur.

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM

LIBER DECIMVS.

Anno Domini M.CCCCXLVIII.

SVb Mainardo, qui Friderici III. Regis & Cæſaris autoritate Regni gubernator erat, ita tractabiles uidebantur Bohemorum animi, ut aliqui inſtarēt apud Nicolaum Papam, Quatenus mitteret ad eos Legatum, pollicentes, fore, ut breui ad perfectam Eccleſiæ unitatem ſint reuerſuri. Miſit ergò ad eos Papa Ioannem Caruaial Cardinalem S. Angeli, qui ante biennium tanta dexteritate tractauerat ſedis Apoſtolicæ negocia in Germania, quādo agebatur de ſuſtollenda neutralitate, ut Papa Eugenius ipſi & duobus eius collegis, Thomę Sarſano & Nicolao de Cuſa, Galeros, Cardinalatus inſignia, obuiam miſerit, quando erant prope urbis Romæ portas in reditu. E quibus Thomas paulò poſt, omnium electione factus eſt Papa, dictus Nicolaus Quintus, qui hunc Legatum, cuius probitatem & prudentiam iam pridem perſpectam habebat, in Bohemiam miſit, Cuius & Æneas Syluius in epiſtolis plerumq; mentionem facit. Multis enim annis in Germania & Vngaria, Boſna item & Bohemia Legationis munere functus eſt. Hic igitur Legatus, cum appropinquaſſet urbi Pragenſi, honorifice conducebatur à Primoribus Regni, Domino Vlrico de Roſis & Domino Mainardo, Ac priuſquam intraret urbem, uenerunt ei obuiam cū ſolenni proceſsione totus Clerus ac tota Vniuerſitas ſtudij Pragenſis, cum ingenti populi multitudine, in die Philippi & Iacobi, qui & Aſcenſionis Domini Vigilia erat. Fuit eo tempore Vniuerſalis totius Regni conuentus Pragæ, ad tractandum & de Rege et de reformatione Regni. Hac igitur oratione ad illum uſi ſunt Bohemi.

Platyna ait. Caruagiallam, Alij Caruaiam

Tres Card. ab Eug. creati, propter concordiā in Germa. factam.

Cardina. S. Angeli Pragæ honorifice ſuſcepius.

Propoſitio Bohemorum coram Cardinali S. Angeli.

Reuerendiſsime in Chriſto Pater & Domine, Domine Colendiſsime, Paternitas ueſtra Colendiſsima, parte & nominibus

 Magnificorum

Magnificorum & Generoſorum, ſtrenuorum, ſpectabilium & Prudentum uirorum, Baronum, Nobilium, Clientum, ciuitatum & totius communitatis huius inclyti regni Bohemiæ, cauſarumque diſcidij longis à temporibus in ipſo regno exorti, pio + dignemini Paternitatis affectu ſuſcipere, necnon ſi quę minus debitè in ipſius Paternitatis ueſtræ Reuerendiſsimæ audientia referri contigerit, ſingula in patientia gratioſius ſupportare. Paternitati ueſtræ Reuerendiſsimæ claret, quod cum pro uſu Communionis diuiniſsimi ſanguinis et calicis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad Laicalē populū in hoc inclyto regno Bohemiæ, differentiarum non mediocrium ſubortæ fuiſſent materiæ quædam, innumerabilia tam corporum quam rerum emerſerunt diſpendia, in tantum etiam, quod circum uicinę quaſi ad omnes mundi plagas prouinciæ, non paucis eorum periculis ac damnis, diſſenſionis eiuſdem participiū receperę. Tandem cum hi, qui ſacroſancti calicis Communione, ardentibus animis & ſynceris allecti affectibus, quam plurimis in locis, dictis & conuentionibus optaſſent, ſibi dari debitam audientiam, ut poſſint modis debitis & congruis, iuxta legis diuinæ monimenta, necnon Domini noſtri Ieſu Chriſti inſtituta ſaluberrima, ac Eccleſiæ ſuæ primitiuæ obſeruantiam, & ſanctorum doctorum ſententias, in ipſius Communionis praxi conſeruari, necnon eandem obtinere, Sed iteratis uicibus huius rei cauſa, remotiſsimarum etiam & circum circa adiacentium prouinciarum Potentiæ innumerabiles (uti credimus ueſtrę dudum nouerunt Paternitates) manu ualidiore, qua potuerūt, hoc regnum Bohemię rapinis, incendijs, & ſtragibus (nec ętati parcētes, nec ſexui) hoſtiliter inuaſerūt: Ipſe tamen altiſsimus & miſericors Dominus (in cuius potētia et arbitrio cuncta ſunt poſita, cui etiā iuxta immenſam pietatis ſuæ clementiā, cum decreuerit, non eſt difficile uel in paucis uel in multis ſaluare) dignatus eſt huic Regno auxilium de ſancto præſtare, & de Syon miſericorditer intueri, ita quod ſolius ineffabilis clementiæ ſuæ muniti prędidio, non ſumus per uim aliquam oppreſsi, & (ut machinatum eſt) totaliter conſumpti. Demum poſt multos multarum guerrarum, litium, bellorum, & ſeditionum inſultus, per medium Sereniſſimi Principis & Domini noſtri, Sigiſmundi, Diuæ memoriæ Cęſaris glorioſiſsimi, huic Regno audientia cōpetens in Concilio Baſilienſi eſt conceſſa, pro materia digniſsimi calicis et ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, aliorumque articulorum, Sicut hæc per ſcripta patētia, ſigillis munita pendentibus, hoc clarius eſt expreſſum. Cum autē Magiſtri & presbyteri, cęterique huius regni inclyti Oratores tam ſpirituales quam ſæculares, ad Conciliū Baſilienſe: quod tunc

+ dignetur.

Narratio de bellis propter Cōmunionem ſub utraque ſpecie geſtis.

Audientia Baſileæ data.

tunc ſanctiſsimi Domini noſtri, Domini Eugenij Papę Beatiſsimi autoritate celebrabat, Ac Reuerēdiſs. in Chriſto Patris et Domini, Domini Iuliani Cardinalis S. Angeli (cuius nūc ueſtra Paternitas Reuerendiſsima locū digne obtinet) regebat præſidentia: Fuiſſent deſtinati, Scripturas ſacras de cōmunione calicis, & alijs articulis produxerunt in medium Conciliū, ſic (ut loquamur breuius) quod cum dominis Legatis à Concilio tunc ſub autoritate & præſidentia iam dictis, huic regno miſsis, in certum & in debitum conuenimus ordinem, prout Compactata, ſuper his confecta, nedum ſcripturis, uerumetiam ſigillis munita pendentibns, ſingula teſtantur. Per hæc itaq; Compactata Regnum hoc Bohemiæ, Altiſsimi cooperante gratia, immo & circumuicinæ partes, à b his litium, guerrarum, bellorum, & cędium tribulationibus, notabiliter re pirauerunt. Quibus ita geſtis, cum Sereniſsimo Principe ac Domino, Domino Sigiſmundo, Imperatore Glorioſiſsimo, concordias fœliciter iniuimus, & ditioni Maieſtatis ſuæ, tanquam Domini noſtri nos ſubdidimus. Cuius etiam Serenitas tam promiſsis quam literis ſuæ Maieſtatis nobis firmauit, quod nos & regnū hoc Marchionatumq; Morauiæ, circa tenorem & continentiā Compactatorū eorundem, contra & aduerſus omnes & ſingulos, in his quomodolibet impedire (quod abſit) uolentes, uelit & debeat tenere & protegere, atq; gratioſius conſeruare. Quocirca, de ſuæ Cæſareę Maieſtatis plenitudine, Electionē Domini Archiepiſcopi Pragenſis, pro ea uice in nos tranſtulit, & à nobis ſeu per nos fiendam inſtituit & decreuit. Quam in uenerabilem uirum, Magiſtrum de Rokyzan, unanimi omnium conſenſu tam ſpiritualium quam ſæcularium, tunc temporis in hoc regno commorantium, fecimus & ereximus. Cuius confirmationem ipſe Dominus Imperator Sereniſſimus promiſit, literiſq; patētibus ſe aſtrinxit, laboribus et ſumptibus proprijs ſine debito procurare. Nec alienum quemcunq; ritè ad ſua tempora, præter Magiſtrum Ioannem prætactum, pro Archiepiſcopo Pragenſi habere. Item, Maieſtas Domini Imperatoris memorati, realem iam huius regni poſſeſsionē adepta & retinens, ad Concilium Baſilienſe Ambaſiatam notabilem tam ſpiritualium quam ſæcularium deſtinauerat, ſuo ac Regni ac Marchionatus nominibus, intime poſtulando, Quatenus Compactata per Dominos Legatos ipſius Concilij inita, tenerent, & effectu debito terminarent, & Magiſtrum Ioannem Electum (ut dicitur) in Archiepiſcopum confirmarent. Similiter & alios articulos, necnō† optata parte Domini Imperatoris per eoſdem Ambaſiatores oblata, benignius amplecti & ſuſcipere dignaretur. Concilium

Cōpactata à Legatis Concilij cōceſſa.

Pactiones Sigiſ. Imp.

Electus in Archiepiſcopum Rokyzana à Baronib.

Oratores ob id Baſileam miſsi.

† pæ:

Reſpõſum Concilij. itaq; taliter dinoſcitur dediſſe reſponſum, quod uidelicet Oratores ſuos Notabiles in continenti, poſt Ambaſiatores noſtros ad Bohemiam, plena fulcitos autoritate, cum reſponſis ad oblata & petitiones dimitteret, qui de his atq; alijs, quæ Compactata ſunt, talia offerre debeant reſponſa, unde totum regnum lætari debeat meritò & gaudere, Nec unum iota omnium eorum quæ in Compactatis incluſa ſunt, irritum facere aut inane. Tandem cum Cæſar ille diuus, uitæ ſuæ terminum conſummaſſet, nouæ iterum & magna ſui parte ſopitæ, in hoc regno repullularunt diſcordiæ. Ad quarum præciſionem frequenter per medium Compactatorũ pacem reduximus, hanc pacem firmantes, necnon promiſſionibus & ſigillis proprijs aſtringentes melius quo poteramus, ad tenendum eandem, Ioannem de Rokyzana electum in Archiepiſcopum Pragenſem, ad conſecrationem noſtris ſumptibus promouendo, ac iuxta tractatus cum Domino Imperatore præfato initos rem gerendo. Quemadmodum quædam ſigilla in litera reconciliationis partium, poſt Domini Regis Alberti obitum, literis opportunis appoſita clarius deſcribunt, & ſcriptis continentur.

Conuenia Bohemorum poſt obitũ Sigiſ. & Alberti.

Literæ ad Euge. pro Rokyzana. Poſtea ſanctiſſimo Domino noſtro, Domino Eugenio Papæ, pro electo ſæpe tacto, Domini ſupradicti ſcripſerunt, à ſanctitate ſua cupientes edoceri, ſi conſecrationis munus ei conferre benignius dignaretur. A cuius ſanctitate Bullæ dulciſsimæ paternæ pietatis reſponſionibus pleniſsimæ ſunt relatæ & reportatæ. Nouiſsime uerò ad ſedem Apoſtolicam, parte & nominibus totius Regni Bohemiæ, Ambaſiata iterum notabilis expedita eſt, quæ ad Sanctiſsimi Domini noſtri Nicolai Quinti præſentiam eſt ✝ deuenta. Cuius ſanctitas, pij paſtoris more, nos iuxta ſuæ Beatitudinis promiſſum, in Reuerendiſsimę Paternitatis ueſtræ perſona, cum plenitudine autoritatis ſedis Apoſtolicæ, dignata eſt gratioſius uiſitare. Sanctitati itaq; Domini noſtri, ſimul & Paternitati ueſtræ Reuerendiſs. humiles et deuotas, quas maiores poſſumus, gratias referimus. Opus quoq; Paternitatis ueſtræ Reuerendiſs. inexhauſta pietas, ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum quæ à ſæculo ſunt, creſcere faciat & fructificare, ad laudem & gloriã nominis ſui, pacem & concordiam huius regni indyti, necnon fœlicem omnium profectum pariter & ſalutem. Vt & uos de labore & ſollicitudine Legationis ſuæ Apoſtolicæ, qua fungimini, immarceſsibilis etiam gloriæ manipulos reportetis. Inſuper Paternitatem ueſtram Reuerendiſs. Omnes, totius Regni Bohemiæ nomine, rogamus humiliter & obſecramus, Quatenus autoritate & mandato ſedis Apoſtolicæ, ſibi conceſsis, iam ſaltem noſtris compatiendo ſudoribus,

Ambaſiata ad Nicolaũ V.

✝ deducta

Petitio Bohemorum à Card.

ribus,quos pro bono pacis hactenus tulimus uſq; nunc, opem adhibere & operam, ut quæ pro honore & utilitate huius regni indyti & noſtris, iuxta Compactatorum tenorem, facienda ſunt, finem debitum effectualiter ſortiantur. Magiſtrum quoq; Ioãnem de Rokyzana,electũ per Dominos Legatos Concilij Baſilienſis, in Domini Imperatoris Glorioſiſsimi præſentia, multorũ etiã hominum proborum aſsiſtentium,probatum,& tam in fidei integritate quàm uenuſtate compertum, dignetur Paternitas ueſtra Reuerendiſsima in Archiepiſcopũ Pragenſem, ad noſtrum & totius regni ſingulare ſolatium,cõſecrare,& benignius confirmare. Speramus nanq; in domino,quod per ipſum diuinus honor,fides Catholica, ordo debitus, & cætera Chriſtianæ profeſsionis opera, necnon pax & unitas concordiaue, melius & citius reſtaurabuntur quàm per alium,& uotiuum,auſpice Domino,ſuſcipiant incrementum. Et cum defectus hi, qui per Paſtoris tam diuturnam carentiam,in regno creuerunt,per Paternitatis ueſtræ Reuerendiſsimæ diſpoſitionẽ (uti optamus & ſperamus) autoritate ſedis Apoſtolicæ ſuppleti fuerint,tã ſpirituales quàm ſæculares facilius multo poterũt in ipſa ſedis Apoſtolicæ (quam ſemper amplexi ſumus) obedientia ſe tenere. Vnde Paternitatis ueſtræ Reuerendiſs. honor hic maxime in præſentis uitæ ſæculo,& in futuro retribuet uobis æternæ retributionis præmia,per infinita ſæcula permanſura.

O quanta bona potuiſſet procurare Rokyzana,ſi Eccleſiæ Rom. conſenſiſſet.

Reſponſum Cardinalis S. Angeli, Legati de Latere, ad articulos ſibi oblatos per generalem Congregationem Regni Bohemiæ. XI. die Maij,feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes.

Magnifici,Illuſtres,Generoſi,Spectabiles,+ famoſi & prudentes Domini. Pridie Illuſtres Dominationes ueſtrę, obtulerũt mihi duos articulos. Primum,de Compactatis cum Concilio Baſilienſi & ratificatione ipſorum. Secundum, de cõfirmatione & conſecratione Archiepiſcopi ad Eccleſiam Pragenſem. De primo igitur, uidelicet de Compactatis,quia heri tardè per Magnificum Dominum Georgium ſunt mihi oblati, & nondum ſuper his deliberaui (ſed tamen cum conſilio ueſtro,pro bono pacis huius regni indyti,deliberare uolo) pro hac uice loqui non intendo. Sed de ſecundo,uidelicet de cõſecratione Archiepiſcopi,Quia dimiſsis alijs, primum de religione inſtatis,deſiderium ueſtrũ in eo laudandum eſt. Nam poſt Dominum Apoſtolicum primus in dignitate eſt Archiepiſcopus,Et eſt magnę dignitatis. Nam cum Dominus Papa Sanctiſsimus,qui caput eſt Eccleſiæ totius, primus eſt in dignitate:

alius + non habetur fa.

Archiepiſcopatus magna dignitas.

aliàs + non habetur, & ſu. ſuff. tate: Archiepiſcopus poſt ipſum, qui caput eſt ſuæ Eccleſiæ + & ſuorum Suffraganeorum. Secundus eſt in dignitate, et ab illo ſanctiſ-
Pſal. 132. ſimo Domino Papa gratia redundat in iſtũ: prout dicitur in Pſalmo. Sicut unguentũ in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram ueſtimenti eius. Et cum Archiepiſcopus ſit tam magnæ dignitatis, ideo ſancti patres inſtituerunt, ut Archiepiſcopus in ciuitate Metropolitana, quæ caput eſt & ſedes alicuius prouinciæ, ſuam habeat reſidentiam. Et quia iſta inclyta ciuitas Pragenſis, quæ eſt caput huius regni, digna eſt Archiepiſcopo: cõueniens eſt, ut etiam Archiepiſcopus ſit dignus, qui eidem debeat præſidere. Et cum etiã inſtitutione ſanctorũ Patrum ſacerdos eſt nomen magnæ dignitatis, ideo aliquis non debet ordinari uel promoueri in ſacerdotẽ, niſi habeat ſufficiens beneficiũ uel Patrimonium, quo mediante debitè poſsit ſuſtẽtari, ne nomen ſuum uileſcat, uel ex eo poſsit leuipendi: Omnino Archiepiſcopus debet habere ſufficiens Patrimonium, & dotes plurimas, quibus ipſe & eius familia debeat ſuſtentari. Debet enim Archiepiſcopus, qui caput eſt ſuæ Eccleſiæ, cui præeſt, habere membra, puta, Capitulum, Officiales, Abbates & Presbyteros in ſua Diœceſi, & illi omnes debent habere dotes, quibus poſſunt debitè ſuſtentari. Etiam propter autoritatem, qua fungitur, ut poſsit eam exequi, debet habere dotationem ſufficientem. Nam ſi Archiepiſcopus Capitulum & membra non haberet, eſſet quaſi caput ſine membris, & quaſi monſtrum in natura. Si etiam eſſet pauper, cogeretur fortaſsis mendicare hoſtiatim, & poſſet nomen ſuum uilipendi, nec poſſet debite exequi ſuum officium, prout decet. Et ideo Magnifici Domini, qui Archiepiſcopum optatis, & à religione incepiſtis, in eo eſtis plurimum commendandi. Nam religio eſt tantæ uirtutis, quod quaſi ex inſtinctu quodam naturæ ad ſe allicit & prouocat. Gentiles enim, qui colebant Deos uanos & adulterinos, ex quodam inſtinctu naturæ, templa magna & ſumptuoſa, pariter & ornata, Dijs ſuis conſtruxerunt, & ſacerdotes ſuos abundantiſsime dotauerunt. Sperabant enim quod per talia ſacrificia placatis
Gen. 47. Dijs, licet falſis, Reſpublica optime diſponeretur. Pharao etiam, qui populum Domini opprimebat, ſacerdotes ſuos honorauit,
aliàs + omnino & bona eorum + omnia habere uoluit exempta. Et ideo antiqui religionem præpoſuerunt Imperio, ſic, quod poſt religionem Imperium locum habeat. Tempore autem legis Templum Domi-
aliàs + ordinatiſsime ni + ornatiſsime eſt inſtructum, & ſufficientiſsime dotatum. Et ſacerdotes illi, qui ſacerdotes nouæ legis figurabant, fuerunt ſuf-
Act. 8. ficienter dotati. Et non ſolum Iudæi, ſed & Gentiles, de remo-

Vt Archiepiſcopus habeat ſufficiens patrimonium

Religio inſita nobis ex inſtinctu naturę.

tis

tis partibus propter religionem ad hoc templum ueniebant, & magna munera ibi offerebant. Et cum ſacerdotes Gentilium, & illi ſacerdotes ueteris legis: qui tantũ ſignificabant ſacerdotes nouę legis, & ſanguinem taurorum immolabant, cinerem uitulæ aſpergebant: fuerunt ſufficienter dotati, & à populo principaliter honorati, omnino ſacerdotes iam moderni, qui non ſanguinem taurorum, nec cinerem uitulæ immolant, ſed uerum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti conficiunt, ſunt dotandi, & maxime propter huiuſmodi dignitatem honorandi: & templa ſunt conſeruanda & ornanda, ad cuſtodiendum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ideo Magnifici & Illuſtres Domini, date operam efficacem, ut illa quæ ſunt ablata Archiepiſcopo & Clero, reſtituantur + uniuerſa, & ſi illa non ſufficiant ad ſuſtentãdum, quod magis augeantur, pro ſalute animarũ, tranquillitate & concordia huius regni. Ita etenim in ſæculari dignitate agitur, quod Reges & Principes nõ conferũt alicui dignitatem, niſi talis fuerit dotatus, quod poſsit eis + tali dignitate ſeruire. Et cum iſta Dominationes ueſtræ fecerint, Archiepiſcopus conſecrabitur ad uota ueſtra, quod hoc inclytum regnum erit merito conſolatum. Iſta tractãtes inter uos, poſtmodum ſuper his me auiſabitis, & ego + cũ conſilio ueſtro uolo facere ſecundum Deum. Ad Dominationes inſuper ueſtras Magnificas, ex confidentia & animo ſyncero, quam ad hoc regnum inclytum habeo, materiam aliam intendo dicere, optans, ne mihi aſcribatur, quod in alienã meſſem falcem uellem mittere. Teneor enim hoc facere, ex duplici officio, Generali uidelicet & ſpeciali. Quia hoc inclytum regnum Regem habere debet & Principem, per quem, tanquam per unum medium gubernari debeat: Cum per unum tota Reſpub. melius & efficacius regatur quã per plures. Quia hęres, ut frequenter, + charitatem & fauorẽ maiorem ad ſuos ſubditos habet, quam alij Rectores uel Directores. Et ideo melius regit Rempub. Etenim quod calorem in ſe habet, fortius calefacit. Et quia Dominus pluralitatem Rectorum odio habens, ideo eos deteſtando loquitur, dicens. Paſtores plurimi demoliti ſunt uineam meam. Et econuerſo approbans unum Rectorem, dicit. Sit ergò unus paſtor. Et quia uos Domini Magnifici, Pridie optaſtis ratificationẽ Compactatorum, magnificaſtis & extuliſtis Sereniſsimum Principem & Dominum, Dominum Sigiſmundum Imperatorem, Regem ueſtrum uſq; ad ſydera. Et cum ipſe fuerit Auus, et conſequenter Rex Albertus, qui ſibi in hoc + regno ſucceſsit, Pater iſtius Regis Ladislai, & ipſe eius filius, ergò & hæres huius regni, iuxta illud Apoſtoli. Quod ſi filius, & hæres per Deum. Et cum ego ſim Legatus à ſan-

Sacerdotes nouæ legis dotãdi ſunt & tẽpla ornanda.

Vt Clero reſtituãtur bona ablata.

aliàs + uiceuerſa.

aliàs + in tali.

aliàs + facere uolo uobis ſecũdum Deum & conſcientiam, quicquid potero.

aliàs + feruorẽ maiorem.

Hiere. 12.

Ioann. 10.

aliàs + regnum.

Gal. 4.

ctiſsimo Domino noſtro ad hoc regnū, & eidem Domino Apoſtolico & mihi ex officio incumbit, cauſam uiduę & pupilli promouere. Quia hoc eſt officium cuiuslibet Legati à ſede Apoſtolica,
Pſal. 9. De quo dicitur. Pupillo tu eris adiutor. Suadeo igitur, quod hæ-
Ira Dei in eos, qui regem hæreditarium abijciunt. redem ueſtrum nō abijciatis. Nam ſi ſecus feceritis, timendum eſt, ne Dominus Deus faciat in uos pro illo uindictam. Punit enim illos Deus plagis multis, qui proprium hæredem abijciunt, aut ſibi inferunt iniuriam. Prout patet per Roboam, qui poſtquàm cœpit ſæuire in populum, Decem tribus ab eo ſunt amotæ. Pro quo ma-
3. Reg. 13. gna indignatio Dei uenit ſuper eos. Cum enim Dominus ad eos miſerat prophetā, præcepit, ne comederet nec biberet circa ipſos, Sed quia comedit & bibit circa eos, eum ipſum Leo in uia dilace-
Matth. 10. rauit. Deinde Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum intraret cum diſcipulis ſuis, ne tranſiret per Samariam, propter huiuſmodi peccatum. Et ideo, cum iſte iuuenis Ladislaus eſt uerus hæres huius regni, inſtandum eſt, quod pro Rege ſuſcipiatur. Et ſi quid Sereniſsimi Regis Romanorum tutoris eius Maieſtas, quæ facere debuit, non fecit, uel aliqua neglexit, propterea ſecundum iura naturæ, immo ſecundum omnia diuina & humana, iſti iuueni in ſua hæreditate non poteſt fieri in præiudicium atque damnum, Quoniam ipſe ſub tutore eſt tanquàm ſeruus, & non liber, uſque ad præfinitum
Gal. 4. tempus, iuxta ſententiam Apoſtoli. Quanto tempore hæres par-
Sedes Apoſtolica pro iuſtitiæ cōplemento implorāda uulus eſt, nihil differt à ſeruo, &c. Ideo Magnifici & Illuſtres Domini, conformate uos alijs Regnis Chriſtianis. Agite pro bono concordiæ & pace. Et ſi (ut prædixi) aliqua Sereniſsimi Regis Romanorum tutoris ſui, quæ fuerūt facienda, non fecit, uel aliter fecit quàm debuit, uel facere neglexit, Ego uolo fideliter, tanquàm unus ex uobis, operam dare, ut talia emendentur. Et confido Clementiæ & pietati ipſius, quod faciet, & exaudiet me in hoc facto. Quod ſi facere nollet, aut forte iuſtitiam huic indyto regno recuſaret, quod tunc ſedes Apoſtolica ſuper eo eſt imploranda, & Dominus noſter ſanctiſsimus ipſum ad hoc aſtringet, aut huic regno faciet iuſtitiam, uel amicabili tractatu interueniente, uel iure ipſum ad hoc compellendo. Sic enim Vngariæ regnū fecit, quod orta inter eos diſſenſione, pro dicto iuuene & inter Serenitatem Regis Romanorum, à ſede Apoſtolica Legatum Mediatorem poſtulauerunt, qui ipſos ad pacis & unitatis cōcordiam reduceret. Quod
Nobilitas Ladislai Regis. ſi facere non poſſet, ad ſedem Apoſtolicam eſſet recurrendum. Et ideo Magnifici Domini, ſic agite pro hærede ueſtro Ladislao, qui ex ſemine Sereniſsimorum Principum & Regum Romanorū eſt exortus, Qui etiā in toto orbe Conſanguinitatē notabilem habere dinoſcitur,

dinoſcitur,pro ut pacem,unionem & tranquillitatem huius regni habere optatis. Nam ſi aliter feceritis,odiū et inimicitias omnium Conſanguineorum Maieſtatis eius poſſetis incurrere. Hęres enim ueſter eſt. Iſta dicens,quia multa uerba poſui, peto, ignoſcant Dominationes ueſtræ. Et ſi aliqua dixi,quæ fortaſſe alicui diſpliceret, confido,cum omnes eſtis nobiles et Generoſi, quia non imputabitis perſonæ meæ, Quia hoc feci ex officio meo, pro bono pacis & concordiæ huius regni. Quam pacem & ſalutem nobis præſtare dignetur in ſęcula ſęculorum Benedictus Deus, Amen. Iſta tractare uelitis inter uos, & ego uobiſcum ſuper his conſiliari uolo, quotiens fuerit opportunum. Actum feria ſexta ante Pentecoſtes, Die XI. menſis Maij. Anno Domini M.CCCCXLVIII.

Mox altera die, hoc eſt,ſabbato, in Vigilia Pentecoſtes,Domini Barones Quatuor, & Terrigenæ Quatuor, & Quatuor de ciuibus,cum quatuor Magiſtris Vniuerſitatis,Paternitati Domini Legati,ad præmiſſa,nomine totius congregationis reſponderunt + Interrogātes. Primo, Si Paternitas ſua iam de ratificatione Cōpactatorum deliberauit,quod Paternitas ſua id eis dicere dignaretur. Secundo, quod de reſtitutione bonorum Eccleſiæ + P. S. quaſi rem impoſsibilem poſtulauerit, Cum non de uoluntate Baronum illa bona Eccleſiæ Imperator Sigiſmundus, tanquam Rex Bohemiæ,obligauit tempore Guerrarum,& inuoluit pro ut ſibi placuit. Et etiam aliqua bona Archiepiſcopus pręcedens,Conradus Vueſtphalus inuoluit & implicauit, ac in debita non modica obligauit, cum conſenſu Capituli. Et ideo talia bona non poſſunt de facili exbrigari, & per conſequens reſtitui. Sed Domini Barones & Terrigenæ uolunt prouidere, una cum ciuitatibus, quod Archiepiſcopus electus,ſi fuerit conſecratus, erit ſufficienter dotatus,quod poterit in dignitate ſua honorificè præſidere, & poſtmodum ulterius pro reſtitutione + ampliorum bonorum ſpiritualium cogitare. Interrogant ergò, dum ſic dotatus fuerit, ſi ille electus conſecrabitur in Archiepiſcopū Pragenſem? Ad primum igitur Paternitas ſua reſpondit,quod de Compactatis,quia eſt res ardua et grauis,non dum deliberauit, ſed quod deliberare intendit cum conſilio Terrigenarū. De ſecundo,uidelicet de prouiſione Archiepiſcopi,reſpondit ſic dicens. Quia ut puto,niſi fallor,neminem ego pro illis bonis accuſaui,ſed in hoc magis eſtis collaudandi,quod uultis Archiepiſcopo prouidere. Ad utrunq; igitur poſt craſtinum(quia Dies feſtus eſt)reſpondebo. At quid reſpōderit ulterius ad utrunq;,nuſquam inuenio. At in Chronicorū breuiario uetuſto habetur,quod Dominus Legatus,feria Tertia poſt Trinitatis(hoc eſt XXII. die Maij)

Reſponſio Bohemorū ad dicta Card.

aliàs + non habet. Interr.

+ Paternitas ſua.

Prouidere Archiepiſcopo ſufficienter.

aliàs + ampliori.

Reſponſio Card.

Diſceſſus Card. re infecta.

Maij) receſsit de Praga, mane, cum Domino de Roſis, Et nihil
profecit †profuit, propter aliquorum impedimēta. Res ipſa autem indicat, illum in neutro condeſcendiſſe ad uota eorum. Memini me itaq; legiſſe (locus modo non occurrit) Legatum in graui conſtitutum periculo, ægre per Dominum Vlricum de Roſis, manus Huſsitarum euaſiſſe. At uir prudentiſsimus non poterat illis condeſcendere circa Compactata, quæ ipſi nequaquam ſeruabant, & longe aliter ijs utebantur, quam à Concilio Baſilienſi acceperant, uti oſtenſum eſt ſupra. Et minime licebat ſedis Apoſtolicæ Legato, Ioann. Rokyzanam, publicum Eccleſiæ Romanæ hoſtem & manifeſtum hæreticum, in Archiepiſcopum conſecrare, ac tam dirum ac ferum lupum fidelibus Chriſti ouiculis præficere. Poſt receſſum igitur Legati, fruſtratis petitione ac ſpe ſua Huſsitis, ac ſoluto regni conuentu, in Mainardum murmurare cœperunt Pragenſes Huſſitæ, ſtudia ſua conuertentes pro Ro'yzana ſuo, ad Georgium de Cunſtat ſeu Podiebrat, iam tum rei militaris peritia rebuſq; ſtrenue geſtis inſignem. Orabant igitur illum, ne iacere partes ſuas ſinat, Mainardum in dies creſcere: Pragam regni Metropolim in poteſtate habere, ſacerdotes qui Romanum ritum introducant magnifacere, eos autem, qui ueritates patrum ſequerētur, perſequi. Occurrendum temeritati hominis, qui peregrinos mores Patriæ antepenat. Pragam ei auferendam, neq; id eſſe difficile, Cum non placeat ciuibus Mainardi regimen. Georgius, collaudatis ſuaſoribus, nonnullos in urbem ire iubet, qui pertentatis ciuium animis, quæcunq; inuenerint, ad ſe referant. Poſtquam multi aures adhibent, coniuratione facta, inuadendæ urbis dies conſtituitur. Coniurati incendium in parte urbis admodum remota excitant, Concurritur ad reſtinguendum ignem. Interea Georgius ex aduerſa parte cum copijs muros inuadit. Nec mora, proditores in inſtanti portas aperiunt. Extollitur clamor, ut capta urbe ſolet: Hinc tremor ſuprema timentium, inde exultatio uictorum exaudiri. Trucidantur paſsim reſiſtentes, Mainardus in eo tumultu captus, in arcem coniectus ibiq; tandem obijt, ſiue tædio diutini carceris, ſiue (ut pleriq; putauerunt) exhauſto ueneno. Ex illo tempore ſine controuerſia Praga in poteſtate Georgij fuit. Hæc Æneas Syluius.

Cōſpiratio Huſsitarū contra Mainardū Gubernatorē.

Praga à Georgio de Podiebrat capta. Qui Bohemicè Gyrziko dicitur.

Cęterū in uetuſto temporū breuiario, clarius, licet nō elegātius, res iſta exprimitur, In hæc ſane uerba. Anno Domini M.CCCC XLVIII. Dominus Gyrziko Borzek de Cunſtat, alias de Podiebrad, cum ſibi adhærentibus, uenit feria ſecunda poſt Ægidij, cuius feſtum fuerat die Dominico, mane, & poſuit ſe ante Pragam iuxta Viſſouuitz contra Vuiſſegradum, & ipſa nocte ſuper feria III. intrauit

Dominus Mainardus à Gyrzikone captus.

traуit & obtinuit Pragam. Et Dominus† Menhardus de noua domo, qui fuit Capitaneus Pragenſis, eſt ibidem captiuatus in ciuitate antiqua per Pragenſes, & traditus Domino Gyrzikoni, Et eſt ductus in Podiebrad captiuus. Quidam Cultelli faber, Ioannes Clamperna cum glande, ille eſt cauſa ſuæ captiuationis. Mox igitur feria III. ipſe Dominus Gyrziko fecit & locauit alios Conſules in ciuitatibus Pragenſiũ, in Antiqua & noua. Poſt hæc, feria III. poſt Natiuitatis Mariæ, hoc eſt, X. die Septembris, uenit Pragam Magiſter Ioannes Rokyzana, ac magno cum honore ſuſceptus, reſtitutus eſt in Eccleſiam B. Mariæ, quæ ad lætam Curiam dicitur, ubi & antea prædicauerat. Verum Sigiſmundi Imperatoris metu inde aufugiens, XI. annis abſens fuit. In cuius locum ſubſtitutus à Sigiſmundo Imperatore fuerat Magiſter Ioannes Papuſko, qui pulſus inde, Lythomericij poſtea factus eſt Præpoſitus. De quo ait Æneas. Rokyzanę Eccleſia Papuskoni, bono & docto uiro commiſſa eſt, quem nos poſtea exulem, perturbatis iterũ rebus, in noua domo uidimus, Cæterum uetus temporũ codex, affirmat, eum Lythomericij, ut Præpoſitum, obijſſe. Anno M.CCCCLV. in feſto Purificationis B. Mariæ. Poſt rediũ Rokyzanæ, obijt doctiſsimus uir Magiſter Ioannes Przibram, Rector Parochialis Eccleſiæ S. Ægidij in antiqua ciuitate, qui multa aduerſus Vuiclephiſtas poſt ſe reliquit opuſcula. De quo ſupra perſæpe habita eſt mentio. Obijt autem in Vigilia Thomæ Apoſtoli, XX. die Decembris, Anno Domini &c. XLVIII.

† alias† Meynhardus, quem Æneas Mainardum dicit.

Rokyzana Pragæ ad Eccleſiam S. Mariæ reſtitutus.

Io. Papuſko.

Obitus M. Io. de Przibram.

Supra lib. 6.

Anno Domini M. CCCCXLIX.

Multi Barones miſerati ac dolentes caſum Domini Mainardi, qui tot annis in ſumma apud Bohemos, atq; etiam apud Clariſsimos Principes, Sigiſmundum Imperatorem & Albertum Regem, exiſtimatione, honore & autoritate fuerat: apud Dominum Gyrzikonem inſteterunt, pro eius liberatione, maximè uero Dominus Vlricus de Roſis, qui inter Catholicos Barones ſummę erat & autoritatis & potentiæ. Tractaturi igitur de pace & concordia, indixerunt conuentum, non ſane omnium regni ſtatuum, ſed Baronum & Nobilium, in Pelzimo, ad X. diem Ianuarij. Quo & Gyrziko cum ſuis aduenit. At non proceſsit concordia, Quia Dominus de Roſis uolebat, ut Dominus Mainardus eſſet liber, & reſtitueretur ad Officium ſuum in priſtinũ ſtatum, id quod maxime recuſabat Gyrziko. Re igitur infecta diſceſſum eſt ab inuicem. Fractus diuturno carcere Dominus Mainardus, cũ eſſet uir grandæuus, & ad carceris inſuetum ſqualorem accederent & ſenectutis incommoda ſus obijt.

Cõuentus Baronũ & Tractatus, inter Mainardum & Gyrzikonem.

Mainardus æger è carcere dimiſſus obijt.

incommoda & graues animi curæ, ægrotare cœpit. Primo igitur die Februarij, è carcere de Podiebrat dimiſſus, uenit æger & infirmus in Britzan prope Aulam Regiam, uolens progredi in arcem Karlſtein, at præualente corporis ægritudine, remãſit in Britzan, ubi tertio die Februarij, qui ſacer eſt ſancto Blaſio, extinctus eſt. Cuius corpus in nouam domum aſportatũ, in ſepulchro maiorum ſuorum cõditum eſt, filius eius Dominus Vlricus, poſt grauia cum Gyrzikone diſſidia, non multis annis patri ſuperſtes fuit. Nam & ipſe obijt, Anno Domini &c. LII. die XXIIII. Ianuarij.

Tractatus Baronum de concordia inter ſe. Deinde feria Quinta ante Dominicam Palmarũ, rurſus fuit Baronum congregatio, non tamen in uno & eodem loco. Gyrziko enim cum ſuis erat in Pelzimo, Dominus autem de Roſis erat cum ſuis in noua domo, ubi habitabat Dominus Vlricus Mainardi filius, ubi iterũ de pace inter ipſos agebatur. Quæ cum concludi non poſſet, & maiora regni negocia urgerent, ac requirerent generalem totius regni congregationem: factæ ſunt inter eos Treugæ ſeu Induciæ belli, à feſto S. Georgij uſq; ad integrum annum ſeruandæ.

Generalis cõgregatio regni Pragæ habita. Indicta eſt igitur Generalis omnium regni ſtatuũ congregatio Pragæ celebranda, in diem XXVI. Iulij poſt feſtum S. Iacobi Apoſtoli, Cumq; ibi permanſiſſent uſque ad XVII. diem Septembris, ut unanimi conſenſu concluderent, de uarijs regni negocijs, In primis de accerſendo in regnum Rege Ladislao, de tollendis diſcordijs: quæ erant, tum in religione inter Eccleſiaſticos, tum in regni adminiſtratione inter Barones, Cum nondum eſſet Gyrziko Regis autoritate, ſicut fuerat Mainardus: aut generali omnium ſtatuum electione (ſicut fuerat Alſcio de Ryſenberg) Regni Gubernator conſtitutus, Nihil tamen concludere potuerunt, adeo uehemens ac multiplex erat in regno diſcordia.

Vſurpata poteſtas Rokyzanæ. Magiſter Ioannes Rokyzana, Gyrzikonis potentia & autoritate fretus, poteſtatem & iuriſdictionem Archiepiſcopi Pragenſis uſurpabat audacter, ac propria temeritate arrogabat ſibi. Is igitur, ad augendum diſcordiæ incendium, quod proditione urbis & captiuitate Mainardi cõflatum anno ſuperiore fuerat, celebrem ac feſtum præcepit agi eum diem, quo ante annum Praga in poteſtatem

Proceſsio. Gyrzikonis uenerat. Mandauit itaq; omnibus ſæcularibus, & ſpiritualibus ac religioſis, de omnibus ciuitatibus & partibus Pragæ, ut ad feriam III. poſt Ægydij conuenirent, & adeſſent circa Ædem S. Mariæ ante lætã Curiam, ad faciendam proceſsionem & ſupplicationes publicas, in memoriam diuini illius beneficij atq; miraculi, quo Deus urbi Pragenſi reſtituit ſalutares Euangelij ueritates, pro quibus tot bella ſuperioribus annis geſſerant ipſi & patres

patres eorum. Cunctis igitur ita conuenientibus, facta eſt proceſſio à dicta Æde S. Mariæ uſq; ad Eccleſiam Vuiſſegradenſem: uia ſanè admodum longa, per ueterem & nouam ciuitates, & extra portas longe uſq; ad illam Eccleſiam, portante Venerabile Sacramentum corporis Chriſti ipſo Rokyzana. Cumq; uentum eſſet ad eam portam, qua Gyrziko cum armatis anno ſuperiore irruperat, iuſsit fieri ſtationem, donec decantaretur glorioſus ille Ambroſij & Auguſtini hymnus, Te Deum laudamus. Deinde ubi peruentum eſt ad Eccleſiam Vuiſſegradenſem, concionaturus ad omnem populum Rokyzana, hoc uſus eſt Themate, Omnia bene fecit. Quamuis autē & Catholici & alij, qui erant de parte Mainardi, eſſent tum Pragæ in generali congregatione, nemo tamen illi quicquàm contradicere audebat, cum non ſolū Gyrziko cum ſuis, ſed etiam utriuſq; ciuitatis populus ei adhæreret. Iampridem enim aufugerat Lupus, presbyter Thaborita, qui uanæ gloriæ æmulatione plebem nouæ ciuitatis aduerſus eum† incitauerat.

Statio ad portam.

† Rokyzanam uidelicet.

Anno Domini M. CCCCL.

Erant iam arbitri delecti, qui inter Gyrzikonem de Podiebrat, & Vlricum de noua domo Mainardi filium, pacis conditiones conciperent, Cumq; cōueniſſent XIII. Aprilis poſt Octauam Paſchæ, permanſerunt ſimul uſq; ad feſtum S. Georgij. Verum uſque adeo nihil effecerunt, ut ne treugas quidem obtinere potuerint. Pars enim Gyrzikonis nequaquam uolebat ſtare in treugis cum Marchione Miſnenſi, qui à parte Mainardi ſtare uidebatur. Domum igitur abeuntes, abſq; omnibus Inducijs diſceſſerunt ab inuicem, in die S. Georgij, qui terminus erat Induciarum prioris anni. Erat dies S. Georgij feria Quinta ante Dominicam Iubilate, quem ſequebatur feſtū S. Marci, ſabbato ante Iubilate, In quo Letania maior, ex inſtitutione S. Gregorij, cum proceſsione publica, quotannis celebrari ſolet. Verum cum falſa Pragam perueniſſet fama de Baronum concordia, Rokyzana (Papa Pragenſis) eiuſq; Epiſcopi, Eccleſiarum Parochialium Rectores, pacis inimici, ea fama turbati, nullas fecerunt eo die proceſsiones. Vbi uerò Dominus Gubernator ipſe Gyrziko, reuerſus eſt ſabbato hora ueſperarum, ac diuulgatum fuit, Barones abſque omni concordia receſsiſſe, tum exhilarati Bellonæ ſacerdotes, Rokyzana cum ſuis, mox in ipſa Dominica Iubilate, præter morem, fecerunt proceſsiones ſolennes cum corpore Chriſti, per circulos & plateas utriuſq; ciuitatis. Te Deū laudamus, hilariter decantantes propter diſcordiam, quæ belli & fundendi ſanguinis cauſa haberetur.

Alius de concordia inter Barones Tractatus.

Rokyzana inimicus concordiæ.

Sacerdotes Bellonæ.

Bellum à Gyrzikone parti aduerſę illatum.

Pragenſes itaqꝫ mox ad bellum ſe præparantes, XVIII. die Marij, exierũt cum Gyrzikone uerſus Coſteletz caſtrum partis aduerſæ, quod circumuallantes & oppugnantes, in Vigilia Pentecoſtes obtinuerunt, diripuerunt, ac exuſſerunt. Inde cum toto exercitu conuerſi ad terras Dominorum de Roſis, Solennitatem Pentecoſtes pro nihilo habentes, obſederunt Buſticuues, A quo receſſerunt feria IIII. Pentecoſtes, arma uertẽtes in diſtrictũ Pilznenſem, contra Dominum de Roſis eiusqꝫ confœderatos. Cum ergò eſſent armis magnisqꝫ ac multis bombardis egregie inſtructi, Dominus de Roſis, ad præueniẽda belli damna, iniuit Inducias cũ Domino Gyrzikone, ut eſſet pax inter partes uſqꝫ ad feſtum S. Georgij. Rurſus ad componendam cauſam inter Gyrzikonem & Vlricum Mainardi filiũ, delecti ſunt Quatuor arbitri, Duo ex parte Gyrzikonis, Sdenko de Konopiſt & Sdenko Koſchka, ac totidem ex parte Vlrici de noua domo, Dominus Henric. de Roſis & Dominus Vuilhelmus de Rabij, Et Quintus uelut Superarbiter, Dominus Sbinco de Hazenburg, qui Latine de leporibus dicitur. Hi ergò conuenientes in Pelzimo feria II. poſt feſtum S. Iacobi, eam diſcordiam compoſuerunt, ita ut pronunciaretur pax generalis in toto Regno Bohemiæ uſqꝫ ad feſtum S. Georgij.

Quatuor Arbitri inter partes conſtituti.

Excurſus Bohemorũ in terram Miſnenſem

Cum eſſet itaqꝫ Gyrzikoni pax undiqꝫ cum Bohemis, comparato exercitu exiuit Quarto Septembris uerſus Miſnam, contra Illuſtriſsimum Principem, Dominum Fridericum, Saxonię Ducem Electorum, Turingię Lantgrauium & Marchionem Miſnæ, cuius plæraqꝫ territoria Bohemiæ uicina & cõfinia ſunt. Cum igitur ſubito irrueret, priuſquam compararetur aduerſus eum à Principe illo exercitus, grauia damna intulit, multis uillis uiciſqꝫ & Eccleſijs direptis & exuſtis, Atqꝫ etiam oppidum Gera expugnatum ac direptum diruit & incendit. Baronem de Gera cepit, & captiuum duxit ſecum, qui et in carcere perijt peſte. Exercitum itaqꝫ ſuum ſpolijs onuſtum ac multa præda locupletatum, Pragam reduxit incolumem, feria III. poſt feſtum omnium ſanctorum III. die Nouembris. Ad eam uerò excurſionem inuitatus ac rogatus fuerat à Vuilhelmo Lantgrauio Turingiæ, fratre Germano ſupradicti Friderici Electoris, Qui ciuile aduerſus fratrem ſuum bellum gerens, cum obſideret Geram, oppidum Bohemicę ſyluę propinquum euocauit Gyrzikonem, Gubernatorem Regni Bohemiæ, qui auxilium ei facile præbuit, eò quod Vilhelmus eſſet ſororius Regis Ladislai, cui ſenior ex ſororibus in coniugium data erat.

Anno Domini M. CCCCLI.

Fuit hoc anno grauis Pragæ peſtilentia, quæ cœpit in Quadrageſima

dragesima, & durauit uſq; ad festũ S. Martini, Quo tempore miſerè affligebantur homines Catholici. Morbo enim correpti, cum peterẽt Venerabile Sacramentũ corporis Christi in uiaticũ, cõpellebantur per ſacerdotes Rokyzanæ ad communionem utriusq; ſpeciei. Qui uerò nolebant de calice communicare, quando morieban tur, non dabatur eis ſepultura Eccleſiaſtica, nec permittebantur ſepeliri uel circa Parochiales Eccleſias uel in Monaſterijs, ſed efferebantur extra urbem in locum caluariæ, ut ibi ſepelirentur ſepultura aſini. Et hac crudeli Tyrannide uidebantur ſibi Huſſitæ Pragenſes pulchre ſeruare Compactata, quæ conceſſerat eis Concilium Baſilienſe, cum nihil facerent minus. Tum uerò increbreſcebat fama de Rege Romanorũ Friderico III. quod profecturus eſſet Romam, ad accipiendam à Romano Pontifice Coronam Imperialem. Bohemi igitur de Rege ſuo, Ladislao, ſolliciti, inſtant & petunt à Gubernatore, Gyrzikone, ut mittat Legatos ad Cæſarem, qui ab eo poſtulent, ut ipſis Regem ſuũ dimittat. Et niſi id faciat Cæſar, non imputandum deinceps fore Bohemis, ſi aliũ ſibi Regem quærant. Miſsi autem ad Cæſarem Oratores, nihil impetrauere. Pupillaris enim ætas tutori excuſationẽ præbebat. Id Bohemi iniq; ferentes, indixerunt generalem Regni conuentũ, Pragæ celebrandum in die S. Margaretę. Cæſar ergò ueritus ne forte alium ſibi Regem eligerent, niſi mos eius gereretur, miſit ad eos ſplendidã Legationem, in qua erant præclari uiri, Dominus Æneas Syluius, factus iam Epiſcopus Senenſis, cum fuiſſet antea Tergeſtinus, et cum eo Nobiles uiri, Albertus de Eberſtorf Baro, Procopius de Rabenſtein, & Henricus Truchſes, Equeſtris ordinis milites. At cum Prægæ ita ſeuiret peſtis, ut per ſingulos dies non minus quam CC. capita efferri dicerẽtur, Proceres regni ea reterriti, cum Pragã ueniſſent in die S. Margaretæ, diſceſſerunt inde, transferentes conuentum generalem in uillam Benedicti, quæ uulgo Beneſſouia dicitur, ubi Cæſaris Legatis data eſt audiẽtia: Æneas Epiſcopus nomine omnium Legatorum egregiam habuit ad eos orationem, qua non ſolum perſuaſit eis, ut Rege ſuo carerent uſq; ad reditum Cæſaris ex Italia, uerum etiam, ut ex nobilitate ſua primarios iuuenes mitterent ultro, qui Cæſarem Italiam petentẽ ſequantur eiq; miniſtrent.

Afflictio Catholicorũ in peste quibus denegabatur ſepultura.

Miſsi Oratores ad Cęſarem pro Reg. Ladislao.

Legatio Cęſar. in Bohemiam.

Translatio Dietæ propter peſtem

Oratio Aeneæ Syluij ad Bohem.

Eius orationis hoc fuit exordium. Petiuiſtis ex Cæſare, uiri Bohemi, Ladislaum, Regis quondam ueſtri filium, ad uos mitti: idem Vngari, idem Auſtriales, importunis precibus exigunt. Si uobis mos geritur, illos offendere neceſſe eſt, Si preces aliorum audiantur, contemnere ueſtras oportet. Si neceſſarium ſit alterum ex duobus, ueſtram amicitiam præferet Imperator. Vetus eſt enim ma-

iorum ſuorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum ultro citroq́ꝫ beneficiorum memoria recens. Et infra. Si ſit inter uos & Vngaros contentio coram extraneo iudice, de cuſtodia corporis Regis, par cauſa ueſtra atq; illorum iudicabitur, utriq; Regem petitis, utriq; fidelitatis documenta præſtabitis. Verum in hoc illi ſuperiores erunt, quia natum apud ſe Regem coronatumq́ꝫ dicent. Apud Cęſarem ueſtra cauſa longe iuſtior eſt, quàm Vngarorum: ſeipſum tamen in cura patruelis uobis præfert. Curate regnum, pupillum ſibi dimittite, quem poſtquàm pubes fuerit, uobis in primis credet. Quod uerò Oratores ueſtri dixere, alium Regem accerſiendum à uobis eſſe, id magis terroris incutiendi cauſa dictum Imperator exiſtimat, quàm quod animo ueſtro ea ſententia ſedeat. Neq; enim ueſtra fides, incorrupta prius, hoc repromittit, neque progenitorum Ladislai in uos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens eius ætas quicquam demeruit. Cæterum, uoluite animo prius, ut ſapientes decet, Quemnam Ladislao præferre poſsitis, Cuius ſanguinem, ſi matris originem memoria tenetis, Quatuor Romanorū Imperatores produxere. Si paternam proſapiam exquiritis, Quinquies Imperatoria dignitas in Auſtriali domo reſedit: Obſcuritatem quærat neceſſe eſt, cui tanta claritas non ſatisfacit. Addite potentiam, amicitias, clientelas: Auſtriam uobis uicinam poſsidet, Morauia & Sleſia illi parent, Vngari, etſi res nouas moliri uideantur, ab officio tamen non recedent. Imperator, à quo regnum ueſtrum dependet, ſanguini ſuo non deerit, nec ius familiæ ſuæ negliget &c. Dum hæc Beneſſouiæ agerentur, Barbara, uxor quondam Sigiſmundi Imperatoris, & Ladislai Regis Auia, apud Græcium Bohemiæ mortua, ac Pragam delata, ſepulta eſt intra Arcem in Eccleſia Pragenſi, ubi Regum ſepultura eſt. De qua ſanè peſsima fuerat fama, quod fuerit inexhauſtæ libidinis, ac nullius prorſus religionis & fidei: Quēadmodum in hiſtoria cōmemorat ſupradictus Æneas. Veruntamen in eo libro, quem ad Cardinalem S. Angeli ſcripſit, è Bohemia eo tēpore reuerſus, ſic habet. Cordata mulier fuit, ſed futurę uitæ (ut aiunt) parum credula. Nunc ſi pie uixit, mercedē habet. Sunt qui defunctam bene, & ut Chriſtianam decuit, ſupremū ſpiritum emiſiſſe dicunt. Sub idem tempus uenerūt ad Dominos Barones Beneſſouię congregatos literæ Marchionū Brandeburgenſiū, qui nouū petebant regni conuentum Lytomericiæ habendum, cum Cardinali Legato Domino Nicolao de Cuſa, ſub feſtum S. Martini. Verum nihil reperio actum aut tractatum cum eo fuiſſe iſto anno. At Æneas Epiſcopus Senenſis, priuſquam è conuentu abiret, petijt & obtinuit

Alium regem eligere minimè decebat.

Nobilitas Ladislai.

Obitus Dominæ Barbarę Reginæ Sigiſ. *Hiſtoriæ c. 53. epiſt. 130.*

Nicolaus de Cuſa Card. ad Bohe. Legatus.

tinuit colloquium ſeorſum cum Domino Georgio Gyrzikone Gubernatore, per Procopium de Rabenſtein utriuſq; interpretem. Æneas enim Latine, & Georgius Bohemice loquebatur. In quo ſane multa ſunt ultro citroq; dicta, quæ ad concordiam & Eccleſiæ unitatem optime conducere & uiã parare uiſa ſunt, ſi in effectum deducta fuiſſent. Gyrziko enim ibi ęquitati conſona & proponere & acceptare multa uidebatur: Quæ ſi in publico tractatu concluſa & in executionem realem deducta fuiſſent, Inclytum Bohemię Regnum potuiſſet ad perfectam Eccleſiæ unitatem reduci, & à multis incommodis, quæ poſtea per uaria bella intulit & accepit, præſeruari. Deſcripſit colloquiũ iſtud idem Æneas in ſupradicto libro ad Cardinalem S. Angeli. Ad quem tamen poſt aliquot annos, factus iam Cardinalis, in quadam ex urbe Roma epiſtola ſcripſit, cum ille ad nuptias Ladislai Regis, iuſſu Papę Calixti III. Pragam redire intenderet. Illud (inquit) uaticinor. Nunquam uel tua dignatio uel mea paruitas Bohemiam ex integro Apoſtolicæ ſedi unitam uidebit.

Colloquiũ Æneę Syl. cum Gyrzikone.

Æneas Sylu. in epiſt. 308.

Eodem anno miſſus eſt in Germaniam à Papa Nicolao V. frater Ioan. de Capiſtrano, Ordinis S. Franciſci, Italus, patria Aprutius, nõ longe ab Aquila urbe oriundus, Magiſter in Theologia, & Iuris utriuſq; Doctor: Qui ad prædicandum uerbi Dei ſingulari gratia præditus, magno cum fructu in plurimis regnis & prouincijs, populis uerba ſalutis annũciauit, extra Italiam ubiq; interprete uſus. Mira profecto res, ut uir† LXVI. annos natus, tantum itineris facere, tantum laboris ferre, tantum uocis & ſpiritus in debili, macilẽto, & exhauſto corpuſculo habere poſsit. Nam qui cum Nurenbergæ uiderunt, affirmant, hominẽ fuiſſe corpore puſillum, aridum, exhauſtum, ſola cute neruiſq; & oſsibus cõpactum, lætum tamen & in labore fortem ac ſtrenuum: ſine intermiſsione ſingulis diebus prædicantem, atq; altas materias profundaſq; ſententias declarantem. Vitæ eius inſtitutum in hunc modum fuiſſe deſcribunt. Veſtitus dormire, ante lucem ſurgere, Matutinum, laudes, Primam & Tertiam orare, diuina deinde celebrare, his peractis, ad populum Latine ſermonem pronunciare, & eum poſtea per interpretem populo exponere: finito ſermone ad Cœnobium ſui Ordinis redire: Sexta & Nona completis infirmos uiſere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere. Birretum S. Bernardini & in linteo cruorem (quem illi mortuo è naribus fluxiſſe ferunt) ſingulis ægrotantibus admouere, precari ſupplex pro omnibus. Exin cœnare, deinde his, qui ſe accedũt, audientiã prębere: mox ueſperas dicere, & ijs completis, ad ægrotos reuerti, atq; cum his uſq; ad

Ioan. de Capiſtrano Nuncius Apoſt.

† Chronica Nurenberg. habet 75. ſed ipſemet infra dicit 66.

Quale uitæ inſtitutum.

noctem ſe exercere. Demum Completorio et alijs delectis precibus expletis, corpus quieti dare. Quod ſanè tempus minimum eſt, & ſomno fermè nihil. Ad reuiſendos ſacrę ſcripturæ codices puſillum temporis furari. Ingens profecto & per diuinam gratiam infatigabilis in modico illo regnabat corpore uirtus, quam nec labor nec ætas frangere potuit. Et talis erat eius pronunciatio, ut etiam non intelligentes ad lachrymas et uitę emendationem prouocaret.

Quanta cũ reuerentia populorũ ſit ſuſceptus. Miſſus itaq; à Papa in Germaniam, ut nuncius & Commiſſarius Apoſtolicus, atq; ut generalis hæreticorum Inquiſitor, per Carinthiam ac Stiriam uenit in Auſtriam, cum tanta populi reuerentia ac ueneratione, ut ſacerdotes cum plebe eum, uelut Legatum ſedis Apoſtolicæ, cum ſanctorum Reliquijs obuiam procedentes, ſuſceperint. Et complebantur in eo, quæ olim Apoſtolis contingebant. Nam plerique è populo feſtinabant ad eum, ut uel fimbriam ueſtimentorum eius tangerent, & ægrotos ante pedes eius deferrent, Gal. 4. Et planè illud complerent in eo, quod Paulus ad Galat. ſcribit, dicens. Sicut Angelum Dei excepiſtis me. Neq; uerò ſola plebs eius uirtutes admirata eſt, ſed etiã magni ac docti uiri magna et glorioſa ei teſtimonia perhibuerunt. Etenim Nicolaus de Cuſa, Cardinalis & Epiſcopus Brixinenſis, in ultima ad Bohemos epiſtola, anno &c. LII. data, ſic ait. Et duę Synodi, Conſtantienſis & Baſilienſis diffinierunt, talem Communionem non eſſe de ueritate praecepti Euangelici, quoad populum Laicalem. Et quod non licet contra ritum Eccleſiæ rationabiliter introductum, alicui illam ſua ſponte uſurpare. Prout nunc homo, utique à Deo miſſus, cui nomen, frater Ioannes de Capiſtrano: uir religioſiſsimus, potens opere & ſermone, non ceſſat ex fundatiſsimis ſcripturis, errantes Iacobellianos, ad ueritatem indefeſsis laboribus reuocare. Et Æneas Syluius eleganti ac prolixa epiſtola ad ipſum ſcripta, ex noua ciuitate Auſtriæ (dum ille Viennæ ageret) teſtatur, & declarat, quanta fuerit huic homini diuinitus collata ad prędicandum gratia. Sic enim ait.

Magna magnorum uirorũ de eo teſtimonia.

Clariſsimo uerbi Dei prędicatori, fratri de Capiſtrano, Ordinis Minorum profeſſori Æneas Epiſcopus Senenſis, & Apoſtolicę Sedis Legatus indignus S. P. D. Dabis mihi ueniã pater optime, ſi tuę reſponſurus epiſtolæ, non plurali (quemadmodum uſus Modernorum habet) ſed ſingulari numero te compellauerim. Et infra. Quod quæris de tuo ad Cæſarem tranſitu, paucis abſoluam. Videbit te libenti animo, quouis tempore Maieſtas Imperatoria, ac uelut Apoſtolum Chriſti uenerãter amplexabitur. Erit quoq; pręſentia tua Diuæ Auguſtę ad ſingularem lætitiam. Quæ quoniam multa de pręcellenti doctrina uitę'q; tuę ſanctitate ex auditu didicit,

Æneas Syluius epiſt. 420.

Quãtus fuit in ſermonib. ad populum.

magnopere

magnopere cupit, tuis aliquando ſermonibus intereſſe, uidere & audire te prædicantem, & dulcedinem cœleſtis eloquij deguſtare. Et infra. Fateor ego tuam præſentiam in hac ciuitate & in hoc populo ſemper futuram utilem, ſed multo magis Eccleſiæ Dei conſules, ſi congregato conſilio huc uenias. Nam quemadmodũ Francfordię mentes hominum ad tuendam religionem tuis ſermonibus erexiſti: ita et in loco, ſi qua † tepido aut ſomnolentia fuerit, te urgente atq; increpante pelletur. Et iterum. Omnes quaſi attoniti tempeſtati cedimus. Opus erit igitur ſermone tuo, calcari tuo, igne tuo: excitandi, urgendi, incendendi ſumus. Niſi compellimur benefacere, noſtropte ingenio nihil eſt, quod de Repub. cogitemus, atq; utinam uel compulſi aliquando uigilemus. Aderunt hic (niſi fallor) ex Alemania, ex Bohemia, ex Vngaria multi Proceres. Ex Italia quoq;, atq; ex ipſa Gallia nonnulli aduentabunt. Agetur tuendæ noſtræ religionis negocium. Quæ † mediata ſunt, quæ concluſa ſunt Francfordię, in manus recipientur. Tum, quę mens Principes noſtros habeat, intelligemus. Si feruere uidebimus animos, agemus Deo noſtro gratias, qui ſuam nolit Eccleſiam noſtris diebus exterminari. Laudabit oratio tua fortes ac magnanimos Proceres, plenosq; ſpei reddet, ac bene uadentes in curſum prouocabit. At ſi uel timidos uel diſcordes populi noſtri Duces inueneris, tunc tuo fungeris officio, tunc ſine ceſſatione clamabis, & quaſi tuba exaltabis uocem tuam. Accuſabis ignauiam, ſuperbiam criminaberis, auaritiam deteſtaberis. Hæ ſunt enim tres pernicioſiſsimæ peſtes, quæ religionem noſtram Turcarum gladio penè ſubijciunt. Et poſt multa. Nemo eſt qui talibus beſtijs obuiam eat, Neq; in hanc pugnam infamem duces, quia inteſtabiles uelint leges eos, qui cum beſtijs pugnãt. Iam ſupra XXX. annos huiuſmodi bellum geris, nunc Italiæ, nunc Galliæ, nunc Germaniæ beſtias inſectaris, Et aliàs quidem occidis, aliàs in humanam redigis formam &c. Et ipſe Papa Nicolaus V. uir ſanè doctiſsimus atq; pijſsimus, quodam Reſcripto tale perhibuit ei teſtimonium.

† tepiditas

† meditata

Nicolaus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio, Ioanni de Capiſtrano, Ordinis fratrum Minorũ profeſſori, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum intellexerimus, te in Regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, ac partibus illis adiacentibus, diuino tibi aſsiſtente ſpiritu, ſermonibus ac prædicationibus ad populum, uigilanter inſudare & utiliter proficere: Vt uniuerſorum Chriſti fidelium, qui ad te pro audiendo uerbo Dei confluũt, augeatur deuotio, & dono cœleſtis gratiæ uberius ſe conſpiciant refertos, deuotioni tuę omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, quos

Bulla Nicolai V. ad Capiſtranũ

Indulgentiæ.

 prædicationibus

prædicationibus tuis, celebrationi Miſſarum ac diuinis officijs pro tempore intereſſe contigerit, Quoties tibi uidebitur expedire, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, atq; noſtra autoritate, uere pœnitentibus & confeſsis, tres annos & totidem Quadragenas, de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxandi, illosq; eiſdem concedendi & pronunciandi. Necnon ut omnes & ſingulas utriuſq; ſexus perſonas, quæ ſub utraq; ſpecie communicarunt, ac aliàs erroribus, hæreſi & ſuperſtitione inuoluti, à ritu & unitate ſanctæ Rom. Eccleſiæ receſſerunt, ſi apertis intelligentiæ oculis, ac per ſacram ſcripturam & doctrinam tuam illuminati, de tenebris ad lucem ueritatis, prædictis erroribus, hęreſi & ſuperſtitione relictis & abiuratis, qui eorum coram te conciliari, uniri & incorporari uoluerint Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi & ſedi Apoſtolicæ, A quibuſcunq; Excommunicationum, Suſpenſionum & Interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, Cenſuris & pœnis, etiam hęreſis, in eos tam à iure quàm ab homine promulgatis, quotiens opus fuerit, in foro conſcientiæ duntaxat, autoritate noſtra abſoluendi in forma Eccleſiæ conſueta.

Poteſtas abſoluendi ab hæreſi redeuntes.

Et cum ſingulis perſonis eiſdem, & præſertim ſpiritualibus uel regularibus, ſuper irregularitate, ſi quam huiuſmodi ſentētijs & pœnis ligati, celebrando diuina uel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clauium, contraxerunt. Quodq; in ſuſceptis per eas ordinibus, ipſis tamen per te prius ad tempus, de quo tibi uidebitur, ab illorum executione ſuſpenſis, miniſtrare liberè & licite ualeant, eadem autoritate diſpenſandi. Deniq; ab eiſdem perſonis inhabilitatis & infamiæ maculam ſiue notam, per ipſos præmiſſorùm occaſione contractam, dicta autoritate abolendi, Necnon eaſdem perſonas ad honorem, famam & ſtatum priſtinos, in quibus anteaquam præmiſſa contingerent, erant, plenariè & integrè reſtituendi & reponendi, plenam & liberam, tenore præſentium, concedimus facultatem. Datum Romę apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCLI. V. Calendas Nouembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Et Rex Poloniæ in hæc uerba ad eundem fratrem Ioannem de Capiſtrano ſcripſit.

Diſpenſandi facultas ſuper irregularitate.

Kazimirus, Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, & hæres Rusſiæ, Venerabili & egregio uiro, Domino Ioanni de Capiſtrano, Ordinis fratrum Minorum, Patri noſtro ſingulariter chariſsimo. Venerabilis & egregie uir, Pater noſter ſingulariter chariſsime, Splendorem ſuum Princeps Regum terræ abunde in nos & nationes Slauorum effudiſſe cognoſcitur, dum pro gentis Bohemicæ reductione, quæ in regionem diſsimilitudinis abiens,

abiens,uaria hęreſum dogmata ſectabatur,et+unum olim ſibi cognitum & probatū,diuina mente & ſtupendis operibus inſignem tranſmiſit. Gaudet ob id omnis Aquilonaris plaga, & glorioſo Deo,cum ſummo Pontifice Vicario ſuo terreſtri, gratias + agit, & quidem + ingētes, quod de ſalute populi ſui ſollicitus,pro dragma decima & oue Centeſima recuperanda, ſingulare prouidit remedium.

aliàs+utrum

aliàs+habet

aliàs +immenſas

Senſiſti quidem & expertus es ſceleratas Bohemorum mentes,concepto & hauſto falſarum doctrinarum ueneno,Catholicæ fidei puritatem perſecutas eſſe. Et primum Regno ſuo quondam nobili, multiplicibus cladibus obruto, & tandem proſtrato, uicinis regionibus bella intuliſſe, templa ſuccenſa, uirgines ſtupratas,miniſtros & ſeruos Dei occiſos cognouiſti. Tentarunt plures Principes orbis, armis ſectam tam deteſtabilem obruere, ſed caſsi fuerunt multorum conatus, & crebro ſequebatur occulto Dei iudicio Catholicorum clades aut fuga. Tibi gentis prædictæ reductio ſeruata eſt, Tibi uni ex alto conceſſum,quod fuit pluribus negatum. Succumbet precibus & meritis tuis Amalech, & ſuperbiſsimus proſternetur Golias, populus quoq; Domini exercituum liberatus, ſaluabitur.

Damna ab Huſsitis in & extra regnū data.

Tu autem Pater mi, gentis illius reductione, in quantum phas erit,expedita, ingredi & uiſere Regnum noſtrum Poloniæ non graueris,ſed per nos rogatus,declina paululum, & nos filium tuum deuotum, precor & per miſericordiam Domini obteſtor,ne pretereas. Eſt nobis Regnum Poloniæ tenaci fide Catholicam religionem obſeruans.

Inuitatur in regnū Poloniæ.

Eſt & Ducatus Lituaniæ, cuius populus genitor noſter clariſsimæ memoriæ Vladislaus Poloniæ Rex Chriſtianiſsimus,ab Idolorū cultura ad unius ueri Dei agnitionem reduxit. Vtriuſq; Dominij noſtri populus,magnopere te geſtit uidere,& tuam pręſentiam ſummo deſiderio & ſumma prece exoptat.

Lituaniæ populi recens ad fidem conuerſi.

Sunt præterea nobis terræ Ruſsiæ latiſsimæ, quæ etſi fidem profiteantur Chriſtianam, in ſectam tamen Græcorum ductum pertractæ ſunt,& illorum ritum pertractant & cuſtodiunt, Nec tanto tempore, quod earum lapſum & ab Eccleſia latina ſciſſionem ſecutum eſt,à caligine cæremoniarum ſuarum (quamuis in pluribus Concilijs multi fuiſſent interpoſiti labores) poterant abſtrahi aut auelli. Hi omnes uno ſpiritu te interpellant, ut non deſpicias uiſitare illos, ut aggregari in ſinum unitatis Eccleſiæ ſanctę Dei per te poſsint. Extant multi, qui ſola fama tui nominis+perlecti, renunciare ueteri ſectæ & ritui, & ingredi uiam, quam monſtraueris,repromittūt. Si te Bohemorum ſollicitat reductio,ut pro illorum ſalute,omnes aduerſitates & pericula ſubire dulce fuerit: multo magis Ruthenorū te moueat deuotio. Nam etſi utraq; gens

Rutheni fidem Græcorū tenēt.

aliàs +pellecti

caligine

Facilior Ruthenorum quàm Bohe. reductio. caligine errorum uelata ſit, Ruthenorum tamen faciliorem reductionem tibi ex multis reſpectibus perſuadeas, Quoniam natio boni cupida eſt, ſimplex, rudis, & omnis mundanæ doctrinæ expers, quæ errores ſuos debili oppoſitione tuetur. Nec illos niſi conſuetudo quædam, & ingenitus illius ritus amor, in quo nutriti ſunt, recognoſcere ſummi Pontificis autoritatem, & unitatem fidei uetat. Diſſolues tamen omnes hos nodos, & uno Sole operum & meritorum tuorum, inueteratam diriges &+ ſiccabis caliginem. (alias + ſecabis) Veniat tuæ charitati in mentem, Apoſtolorum, quorum ueſtigia imitaris, exemplum & forma: Quorum nonnulli plures luſtrarunt regiones, ferendo ueritatem Euangelij & doctrinam Chriſti, ut aliquos lucrifacerent. Tu certus quodammodo de præmio laborum tuorum, uenire pro ſalute multorum populorum, quorum conuerſio ex te pendet, non faſtidias. (Inuitatio in regnum.) Cogita, quantas animas inferes cœlo, ſi adueneris, Quantas detineri à Sathana permittes, ſi uenire differes. Accingere igitur, uir optime, ad uiagium hoc, ad quod te uox multarum nationum uocat, ad quod & nos tuam charitatem precibus noſtris inuitamus. Perſuadet hoc tuæ charitati profeſsio tua, perſuadet zelus animarum, compellit amor fidei, & charitas Deus ipſe, reſidens in excelſis, mandat & imperat. Pro feſto S. Michaëlis proximo, tam Regni noſtri Poloniæ, quàm Ducatus magni Lituaniæ, Prælati & Barones Perlamentum celebraturi (Perlamentum.) ſunt, res arduas & magnæ importantiæ, quæ bellum aut pacem ſecum uehunt, diſcuſſuri. Precamur te, ut omnipotentem Deum ſingulari prece orare uelis, ut gratia ſpiritus ſancti corda Prælatorum & Baronum noſtrorum uiſitet, eorumq́ue mentes & corda conciliet, ut concordi & unanimi uoto, negocia regni & Ducatus ordinent, conficiant & gubernent. Datum in + Grodeli. (alias + Grodek) feria III. In Vigilia Natiuitatis S. Mariæ. Anno Domini M. CCCCLI.

Extant & Vniuerſitatum, Lypſenſis & Vienenſis, honorifica de hoc uiro teſtimonia, quæ referre longum eſſet. (Rokyzana territus Capiſtrani fama.) Dum ergò huius uiri fama & uirtutum claritas etiam apud Bohemos diuulgaretur, Rokyzana metuens, ne ſecta ſua tota ad Eccleſiæ unitatem per eum reduceretur, quæſiuit aduerſus eum occaſiones criminandi. Cum igitur prædicaret in Morauia, miſit ad eum literas, in hunc ſanè tenorem.

Epiſtola Ioannis Rokyzanæ ad Ioan. Capiſtranum.

Venerabili uiro, fratri religioſo, Ioãni de Capiſtrano, ſibi in Chriſto dilecto. Cuiuſuis boni affectum cum obſequio in Chriſto Ieſu famulandi. Fama diſcurrente frequẽter audimus, in eo, quem

de

deſpiritus ſancti gratia fideles conceperunt,pio feruore perſiſtere & aduerſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi uiribus dimicare.Hinc eſt,frater in domino dilecte, & quanquam facie ignotus mihi extiteris:Opere autem, fama & ſcripto quodam ueſtro,intentionē(ut autumo)ueſtri animi rimari,ut poſsibile eſt, ex parte ualeo & cognoſco. Audiens nanq; percipio,quod Communionem ſacroſanctam ſpecie ſub utraq; Laicales ad+ uulgus deteſtamini, ab eadem modis quibus ualetis exquiſitè abducendo. Et cum in Concilio ſacroſancto Baſilienſi, ſpiritu Domini legitimè congregato, longo tempore in eodem humeros ad ferendum laborem ſuppoſuerim,pro ipſius ſacri Calicis defenſa,ſcripturas legis Doctorum & Canonum allegando,rationibus & argumentis deducendo,Adhuc zelo ueritatis prætactæ inflāmatus, Ieſu Chriſto duce,uobiſcum,frater dilecte, pro præfata ſancti Calicis Communione,ad plebes, ſcripturis ſacris, Doctorū ſanctorum ſententijs, Canonum deductionibus & rationibus, gaudens & lætus,uolo habere collationem:ut ſic oppoſitis iuxta ſe poſitis,quid ſit ueritatis ſæpe dictæ & plebium ſalutis, clarius eluceſcat. Qua de re,dilecte in Chriſto,ad prætactatum actum attentandum & perficiendum ex tribus ciuitatibus,in Trebonia ſcilicet Morauienſi, Broda Teuthonicali,ſiue in+Pelzimouu, unum locum eligendo, mihi ſcripto ueſtro placeat inſinuare, Vt & ego paratus exiſtens, tēpore certo & loco, in eodem comparere, ad prætactam collationē conſummandam. Nec ullus periclitationis pauor ueſtrum aſcendat in cor, Quoniam intendo gratia diuina, ſæculari quoq; brachio ſuffultus, tutiſsimos, immo & ſufficientiſsimos, ueſtra pro tuenda uita, ſaluos conductus fideliſsime ordinare. Peto humiliter litteratorio pro reſponſo nuncium per præſentem. Datum Pragæ Sabbato ante feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis. Anno &c. LI.

Proponit diſputatio nē de utraque ſpecie. alias+populi.

alias+ Pellitz Monaſterio.

Saluus conductus.

Magiſter Ioannes de Rokyzan.

Reſponſum Ioannis de Capiſtrano.

Venerabili Magiſtro, Ioanni de Rokyzan, in fidei ueritate, tanquam patri præcolendo. Ieſus Chriſtus.

Venerande Magiſter,cum feruenti animo ad æternā gloriam capeſcendam, in Chriſto Ieſu gratiam ſalutarem & pacem in Domino ſempiternam. Tuas honeſtas, quales alij non dixerunt, hodie, duobus Epiſcopis pluribusq; Magnificis ac præſtantiſsimis uiris præſentibus, literas accepi. Quibus, frater, incognitum te uirum, compoſitum ac moraliter ornatum intueor complacentia ſpeciali,

Laudat uiri modeſtiam

dali. Scribis etenim. Fama diſcurrente frequenter audiuiſſe in eo, quem de ſpiritus ſancti gratia fideles conceperunt, pio feruore perſiſtere, & aduerſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi uiribus dimicare. Ex quibus quidem uerbis clare percipere non ualeo, quos fideles, quoſúe hoſtes Eccleſiaſticę diſciplinæ palam in tendas efferre. Si hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ noſtros Catholicos ſub una tantum ſpecie Euchariſtiæ Sacramentum, ſemel in anno, iuxta Eccleſiaſticam traditionem ſumentes, appellas: non hoſtes, ſed ueros Catholicos Eccleſiaſticæ diſciplinæ cognoſcas. Si tibi autem adhærentes, ſub utraq; ſpecie communicantes, fideles dicis, aduerſus hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi uiribus dimicare, patet expreſsiſsime, ipſos non obſeruare Eccleſiaſticam diſciplinam, Niſi tunicam inconſutilem ipſius redemptoris Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcindere diuidereq; præſumas. Quod nec ipſi ſatellites, qui eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum impiè & iniquiſsime crucis patibulo affixerunt, ſpiritu ſancto prohibente, attentare ſunt auſi. Vna eſt enim ſponſa Chriſti electa, columba immaculata, ſancta mater Eccleſia Catholica, Vnum corpus myſticum Domini noſtri Ieſu Chriſti, Cuius ipſe caput eſt myſteriale & inuiſibile, Qui Petrum ſubſtituit, dicẽs. Tu uocaberis Cephas, et caput + myſteriale & uiſibile totius Eccleſiæ militantis. Cui principalem ſuper omnem terrarum orbem, ſedem in urbe locauit, Nedum ante paſsionem ſuam, dicens. Tu es Petrus. Et poſt reſurrectionem. Paſce Paſce Paſce: ſed etiam per annos poſt eius Triumphaliſsimam aſcenſionem, Petro Romam exeunti apparuit: Cui interroganti, Domine quo uadis? reſpondit. Vado Romã, iterum crucifigi, Romæq; crucifixus remanſit Petrus. De his aliàs. Quod in Concilio ſacroſancto Baſilienſi, humeros ſuppoſueris ad labores, rimatus ſum & diſcuſsi, & ſæpe uidi, necnon & poſt tuum diſceſſum, Decretum ſacri Baſilienſis Concilij in tali cauſa declaratum authentica deciſione, te ſuſcepiſſe indubitanter autumo. Quid autem ſit ueritatis, quidúe ſalutis neceſſario obſeruãdum, et ibidem & in Decreto ſacri Conſtantienſis Concilij, te ſæpe numero puto legiſſe. Collationẽ autem tecum habendam, prompto animo hilariq; uultu ac læto corde affectuoſiſsime opto, pariter & ſollicito. De loco uerò, die, modo, & perſonis interuenturis in actu, oro te, ut patrem amandum, in Chriſti ueritate colendum, non te pigeat, aliquos ex tuis interim deſtinare, cum quibus tractare poſsim & concludere de prædictis. Veni etenim de longe ſatis ab urbe Roma & ultra, circuiens uſq; Olomucium. Locus eſt igitur determinandus, communis, idoneus, accommodus & ſecurus, pro quibuſcunq; aduenturis

Hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Ioan. 19.

Caput miniſteriale Eccleſiæ eſt ſedes Apoſt.

+ miniſteriale.

Vbi, quando & qualiter diſputãdum ſit.

aduenturis in actu, In quo diuinæ ſapientiæ irradiāte fulgore manifeſta fiat & clara notitia ueritatis, & uia ſalutis cunctis Chriſti fidelibus illuceſcat. Immortales inſuper tibi gratias ago, tanquam Patri in Chriſto colendo, iuxta Catholicam ueritatem, ſub debita obedientia, & humili reuerētia, & deuotione ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ Nicolai V. & ſacroſanctæ Rom. & Vniuerſalis Catholicæ Eccleſiæ militantis, quod ſaluos conductus pro tuenda noſtra uita te fideliſsime ordinaturum inſinuas. Quamobrem tibi obnoxium de tua grata oblatione cognoſco, pias ad altiſsimum Dominum preces offerens, ut tuam mentem clara luce reſpergat, tuosq́ collegas & ſequaces illuminet una mecum & cum alijs Catholicis Chriſtianis, faciatq́ ſe mercedem communem, ad impartiendam nobis gloriam ſempiternam Amen. Ex Brutia XX. die Septembris. Anno &c. LI.

Poſt has literas Rokyzana tardius reſpondens, per Duos Barones practicabat, per Dominum Ioannem de Pernſtein, & Dominum Vuenceslaum de Boskouuitz, ut præfigerent Capiſtrano diſputandi locum & tempus: locum Cruminouu, tempus, Feſtum Simonis & Iudæ Apoſtolorum: Iudicem, ſacram ſcripturam. Interea Capiſtranus tranſierat in Bohemiā, in Cruminouu, oppidum Domini de Roſis, ubi accepit literas Baronum & Rokyzanæ, ad quas reſpōdens, propoſuit plurima loca inſignia, è quibus ille unū pro futura diſputatione eligeret. Et addebat in epiſtola hæc uerba. Fui in Morauia pluribus diebus, expectās literas tuas & nuncios, ſed quia nihil mihi ſignificaſti, ne tempus fruſtra conſumerem, Bohemiam, quam tanto tempore uiſere deſiderabam, adiui ſummis cum laboribus: Illam quidem illuſtrare & imbuere intendo uerbo Dei, quo + ab ex alto facultas mihi conceſſa fuerit. Spero adhuc, diuina ſuffragante uirtute, magno Pragenſi populo prædicare, & + deuioſos ad unitatem ſanctæ fidei Catholicæ reducere: uitia explantare, & uirtutes ſeminare. Et infra. De ſaluo conductu nequaquam cōfido, cum uiderem literas Magnifici Georgij gubernatoris Pragenſis, ad Magnificum Dominum de Roſis directas, ut me nullo pacto recipere deberet. Quid igitur faceret, ſi me in ſuis manibus haberet? Quanq́ ex tua induſtria id factum fuiſſe, facile mihi perſuadeam &c. Ioannes Rokyzana, ubi intellexit illum recuſare diſputationē in Cruminouu, triūphabundus apud ſuos, inſultabat abſenti per cōuitioſas literas, quibus famam & exiſtimationē illius deprimeret. Itidem fecit Ioannes Borotin, unus complicum eius, Calumniantes eum, quod faceret ſeipſum prophetam, quod rejceret autoritatem Concilij Baſilienſis, quod negaret Compactata

Rokyzana per Duos Barones cū illo egit de loco & tēpore.

Verba Capiſtrani.

+ ad.

+ deuiantes ſeu deuios

Calumniæ & conuitia Roky. & ſociorū eius in Capiſt.

fuiſſe conceſſa, quod damnaret cõmunionem ſub utraq; ſpecie &c. Hinc eam Baronum partem, quæ affirmabat Compactata, maxime in odium Capiſtrani concitabant. Extant amarulentæ eorum epiſtolæ, in quibus eum contemptim & probri uice uocant Monachum: Melancholicum, hypocritam, ſeductorem populi, turbatorem pacis &c. ut eiuſmodi criminationibus eius famam & autoritatem eleuarent. Verebantur enim, ne, ſi eum ſic dimitterent intactum, omnes ſequerentur illum. In Morauia enim multos per Dei gratiam ad Eccleſiæ unitatẽ reduxerat, Quemadmodum teſtatur ipſemet in epiſtola ad Vniuerſitatẽ Vienenſem data, ubi ſic ait. Poſtq; hanc patriã Morauiã ſum ingreſſus, prꝍſtantiſſimi Magiſtri & Doctores, ut debui, ſemper pro uiribus cõtra Bohemorũ damnatas hęreſes egi, id eſt, neq; minis nec aliquo alio timore unquàm à prædicationis officio deſtiti, ſed palam locutus, omni quo ualui ſtudio, ad repellendam illorum damnatã opinionem, qui dicunt: Neceſſarium eſſe ad ſalutem, ſub utraq; ſpecie communicare, me contuli. Quo factum eſt, ut non ſolum multi Barones, Nobiles, & ſacerdotes, ab omnibus Compactatis, ultra quàm Quatuor Milia, meis in manibus omnes Huſsitarum errores abiurauerunt, Vt ſileam multos alios conuerſos, qui ſub ipſorum Baronum conuerſorum dominio degunt &c. Reſpondit & ipſis criminatoribus, bene prolixis, acutis ac eruditis epiſtolis, quas referre longum foret. Copioſe enim & acutè diluit eorum argumenta, quę ex ſcripturis pro ratione utriuſq; ſpeciei obiecerant.

Plurimi in Morauia per ſermones Capiſt. ab hęreſi reuerſi ſunt ad Eccleſiã.

Incitauerunt præterea in eum, dum in Morauia prædicaret, Dominum Ioannem de Zuuiburg, aliàs Tauuatzauu, Marchionatus Morauiæ Capitaneum Generalem, Qui contumelioſam ad eum ſcribens epiſtolam, ait.

Iniurioſa epiſtola Capitanei Morauię.

Frater Ioannes, licet ſcripta tua dulcia canunt blandimenta, tamen uenenum Aſpidum includũt pulchro ſub colore. Cum ex ſcriptis tuis aperte cognoſco, quia fideles Euangelica ſeducere ſatagis à ueritate. Quare certus eſſe potes, doctrinam tuam fallacem nõ ſuſcipiam: Mallem potius reuera extingui in corpore, quam ad aliqua, quæ dogmatizas, ut refertur, in oppoſitum Euangelicę ueritatis conſentire. Datum Tauuatzauu. feria III. poſt Bartholomæi. Anno 1451.

Reſponſio Capiſt.

Ad quam Capiſtranus modeſte reſpondens, ait. Graues, periculoſas & pernicioſas recepi literas, Ignorans tamen, ſi ex tuo pectore talia proceſſerint, quod ex famoſiſsima intelligentia tua & circumſpecta diſcretione mihi credendum non autumo. Video tamen intentionem tuam non paſsim, non diſtincte, non diſcuſsiue ad Compactata innixam & totaliter conuerſam. Quamobrem

tanto

tanto magis compatior, ac dolore cordis affligor, quanto magis tantum uirum ignorare, + quales Compactatores in his, quæ ſpeciale mandatum requirebant, autoritatem habuerunt, aſpicio. Et in fine. Vale (inquit) interim, dum te proprijs oculis inſpexero ad finem gloriæ ſempiternæ. Ex Olumutz Tertio Septembris. Puſillus ſeruulus Ioannes de Capiſtrano, Ordinis fratrum Minorum, minimus & indignus. Scripſit & ad Gyrzikonem Regni Bohemiæ Gubernatorem, ex Brunna oppido Morauiæ, XX. die Septembris, In hæc uerba. + qualem

Magnifice & Excellens Domine, reuerenti commendatione cum promptitudine obſequendi, In Chriſto Ieſu Saluatore, in lumine ueritatis gloriam ſempiternam. Hac die uenerabilis uiri Magiſtri Ioannis de Rokyzan literæ mihi allatæ ſunt, humiliterq́ꝫ ſuſceptæ, Quarum copiam cum meis reſponſis tuæ Magnificentiæ dignum cenſui deſtinare, ut tua Magnificētia lympide cognoſcat, hoc meum eſſe deſiderium, hanc meam intentionem, ad hæc tantos & tales elegi ſuſtinere labores, ad diuinam gloriam propalandam, ut pro ſalute Chriſti fidelium, ueritas ſæpe examinata, magis explendeſcat in lucem, & per amplius & perfectius clareat notitia ueritatis. Tuam ob id dignitatē exoro, peto & obſecro, ut digneris operā dare, ut ſine furore, ſine turbine, tantum ac tale miniſterium tranquille, pacifice & quiete ſuum læte conſequatur effectū: Ceſſent arma bellica, certamina uacent, abſint opprobria, ſubmoueantur cōtumeliæ, cōminationes, rapinæ: diſcutiatur ueritas, pacis & cōcordiæ gaudia cumulentur &c. Hæc in Morauia. Deinde cum perueniſſet Egram, ubi celebrabatur Dieta (ut uocant) Imperialis, multiq́ꝫ Bohemię & Morauię adeſſent Barones, ſcripſit ualde prolixam & acutam epiſtolam aduerſus Ioannē Rokyzanam, Cuius initium eſt. Quomodo te ſentis Ioannes? Si bene te ſentis, caueas à cacumine ſentis &c. Finis uerò ſic habet. Scribendi prolixitatē non accuſabis, tum quia à iuuentute, etiam in ſęculo exiſtens, contra hæreticos decertaui, tum quia alta materia hoc requirit. Si tamen hæc non ſatisfaciant, me remitto ad ea, quæ prolixe ſuper hac materia in quodam Tractatu ſcripſi. Nunc autem hęc pauca ſuſcipe, calamo decurrente uelociter & feſtine, tuæ ſalutis & cæterorum zelo feruente. Hæc ibi. Poſtea uerò ex Egra in Pontem, Bohemiæ oppidum Catholicæ fidei, tranſgreſſus, ſcripſit pro ſe Apologiā aduerſus Rokyzanam ad Barones regni, Cuius initium eſt. Credo Magnifici & Præclariſsimi Barones, Cæteriq́ꝫ Nobiles & famoſi Inclyti Regni Bohemiæ, pro ſumma iuſtitia & æquitate, quæ in uobis plurimum lucere debet, Vos non admirari ac moleſte ferre,

Epiſtola Capiſt. ad Gyrzikonem Guber. Bohe.

Alia eius epiſtola ad Rokyzanā ex Egra.

Alia item epiſtola e Ponte.

Quinimmò uehemēter lætari,& in rem gratiſsimā accipere, ſi modo his meis literis,contra nōnullos inſolentes garrulatores, immò uerū fatear,nefarios obtrectatores,me agere et ſcādere uiſuri eſtis. Et poſt multa. Si qui aūt cum Cōpactatis excuſare uoluerint,legant libellum ad Rokyzanā deſtinatū, Vbi diffuſe habetur declaratio, non ſolum Compactatorū, ſed omnium ſuarū uanarum opinionum,quibus populos allicere conatur ad cōmunicandū ſub utraq; ſpecie,ui uel precibus uel falſiſsimis ſuaſionibus. Qui quidē libellus, ſi diligēter à ueſtris Magnificētijs examinatus & perlectus fuerit, facile intelligetis,Cōpactata eſſe magis in dedecus et confuſionem Rokyzanę,quàm in laudem & defenſionē:Quorū quidem Compactatorū nunq; ipſe extiterit obſeruator,ſed perfidiſsimus perſecutor. Compactata nanq;,nō omnibus cōcedunt indifferenter communicare ſub utraq; ſpecie, ſed conditionatim & diſtincte, ut clare in illis apparet:Licentiam quidem promiſerunt,ſeruatis ſeruandis, ſed quantū ſeruata ſunt,quę in Cōpactatis cōtinentur, uos ipſos in teſtes adduco. Ad reliqua uerò,quæ in me Rokyzana mugit, falſe quidē, noſter libellus ſufficientiſsime reſpōdet. Quanq; nimis graue mihi eſſet,ad ſingula, quæ ſtulti & maleuoli contra me dicunt, reſpondere,Et quæ maxime ad quaſdam literas, per totam Bohemiā diuulgatas,quas neſcio qui perditi homines & mendaces mihi aſcribunt. In quibus dicitur,quod ego me iactitauerim,habere ſpiritum prophetiæ,ſed & multa alia,quæ (ut uulgo dicitur)+ os furni nō diceret. Quæ profectò,teſte Deo, nunquàm à me neq; prolata neq; dicta neq; ſcripta fuerunt. Sed animaduertant obtrectatores mei,tantum eorū ſuſurrationes æſtimare,quantū lutū, quem meis pedibus calco. Satis mihi eſt, à ſapientibus cōmendari,Satis etiam mihi eſt,quod mea opera in manibus peritiſsimorū uirorum uerſentur, qui multo melius de mea doctrina ualent quàm Rokyzana iudicare. Qui ſi totū populum Chriſtianū & Catholicum,ſub cœlo exiſtentem,maledicere & hæreticare non erubeſcit,omnes inimicos ſuos appellans,multo magis Ioannem de Capiſtrano. Cui ſi omnes ſapientes benedicunt,pro leuitate & ſtultitia exiſtimabitur, ſi unus iniquus ſtultus ſenex maledixerit. Non improborū calūnię æſtimandæ ſunt ab ijs, qui pro ueritate,fide,religione:pro iuſtitia, pro uitijs extirpandis,& uirtutibus plantandis certant. Quiſq; pro ſuo arbitrio in aliū dicere poteſt, ſi placet. Satis mihi eſt,quod infamiā,quam in me cōiecit Rokyzana,tota Italia,Flandria,Francia,Burgundia,Alemania,In quibus iam XXXVI. annos continuo euangelizaui,refellant. Vt taceam Angliam,Hiſpaniam,Portugaliam,Cathaloniā,Dalmatiam,Vngariā,Poloniam: Quibus quidem

Cōpactata eſſe contra Roky. non pro eo.

Ficta ſub nomine Capiſt. epiſtola.

aliàs + in os ſurni nō deberent

Calumniæ hæreticorū cōtemnendæ ſunt.

Geſta Capiſt. per totam Europam.

quidem omnibus regnis ac regibus & Principibus eorundem, ſi non facie, fama ſaltem notus ſum. O Rokyzana, hominũ infœliciſsime, Dicis tu me profugum, ſeductorẽ & Antichriſtũ, qui notus ſum omnibus. O magnifici & excellentes Barones, Rokyzana eſt oculoſior toto populo Catholico, ac omnibus Vniuerſitatibus ſtudiorũ infra ſcriptis. Putat ſe doctiorẽ & oculoſiorẽ, ſcilicet Romanæ, Neapolis, Senarum, Peruſij, Florentiæ, Ferrariæ, Bononię, Paduæ, Papię: In quibus quidẽ per tot annorũ curricula, uerbum Dei prædicaui, In quibus mea doctrina non hæreticata, non damnata, ſed laudata & approbata eſt. Vt ſilentio prętercam multas clariſsimas urbes, in quarũ ſingulis non pauciores ſunt Doctores & doctiſsimi uiri, quàm in qualibet Vniuerſitate de prædictis. Et belua inſenſata, tu me ſeductorem appellabas. Dicturus es forte, remota teſtimonia adduco, quæ hic mihi ſuffragari non poſſunt. Si quis remotis & longinquis non credit, credat propinquis & uicinis. An forte, cum eſſem aduena, & Almana lingua omnino priuatus, ab Inclyta ciuitate Vienenſi ſumma cum honorificentia ſuſceptus fui, à ſuis Clariſsimis Doctoribus & Magiſtris: Quorũ ſapientiæ doctrinæq́ relinquitur, quod Rokyzana plurimũ indigeat. Mea Doctrina per continuos Quinquaginta dies ibidem ſeminata, non hęreticata, ſed ſummopere cõmendata. Vbi tanta extitit populorũ cõuentio, quanta nec audita nec uiſa eſt à diebus noſtris. O belua tu inſenſata, Tu me profugũ appellare nõ erubeſcis; & ſortilegum. At cum eſſem alienigena, & facie incognitus, in ciuitate Olumucenſi, quodam die dominico (ſicut omnium fuit iudicium) noſtris prædicationibus Centum Milia perſonarũ tunc interfuerunt. O belua & lingua uiperea, Tu me profugum prædicas, Nunquid ab omnibus Auſtralibus, Olumucenſibus, Brũnenſibus, Znaymẽſibus, Magnificis Dominis de Roſis, Patauiẽſibus, Ratiſponenſibus, Egrenſibus: Ab Illuſtriſsimis, Excellentiſsimis Principibus, Domino Ludouico Duce Bauariæ, Domino Alberto, Domino Ioanne Marchionibus Brandeburgenſibus, atq́ ab Illuſtriſsimo & Excellentiſsimo Principe, Domino Friderico, Duce Saxoniæ, atq́ ab omnibus & ſingulis ciuitatibus eorundẽ Principum, apud quos tranſitũ feci, tanta cum honorificentia fui ſuſceptus, quanta nemo religioſus hac noſtra ætate habitus eſt. O maledicta lingua, Tu me profugum & ſeductorẽ nuncupas, atq́ Antichriſtum prædicas, Cui ſexaginta ſex annorum eſt ætas &c.

Hæc Capiſtranus ex Ponte, oppido Bohemiæ. Cum aũt epiſtola iſta non eſſet, procurante Gyrzikone, Baronibus publice prælecta, ſcripſit ad Gyrzikonem, aliam epiſtolam, Cuius hoc eſt initium.

In multis Vniuerſitatibus fuit Capiſt.

L. Diebus prędicauit Viennæ.

Centum Milia hominum in prędicatione eius Olomucij.

Loca Germaniæ, in quibus fuit & prędicauit Capiſt.

Alia eius epiſtola ad Gyrzikonem.

Magnifice & Excellens Domine, gratiã ſalutarẽ, & pacẽ in Domino ſempiternã, ac id deſiderare in terris, quod placeat in cœlis. Et infra poſt multa. Videte igitur Magnifice Domine, Diligenter attendite, ad quæ pro ueſtra ſalute & honore cõſeruando, ſtrictius obligamini. Noſtis me fore Inquiſitorẽ hæreticæ prauitatis, & Cõmiſſarium Apoſtolicũ. Et pro officio mihi cõmiſſo, neceſſariũ eſſe mihi ueſtrũ patrocinium, auxilium, conſiliũ uel fauorẽ, Ad quę impendenda, humiliter & deuote, ueſtrã Magnificentiã requiro, precor & obteſtor, in Domino Ieſu Chriſto, ob reuerentiam & deuotam obedientiã ſacroſanctæ Ro. Eccleſiæ. Et quod factũ non fuit in congregatione omnium Baronũ ſuperius his diebus, in Praga ſaltẽ & conſiſtorio horũ XV. deputatorũ, noſtræ literæ cum libello, quẽ ueſtræ Magnificentiæ tranſmiſi: dignemini operã dare, ut fideliter præſentetur pariter & legatur, ęternã retributionis mercedem, à Domino Ieſu Chriſto firmiter expectans, & gratiam & benedictionẽ ſanctiſsimi Domini noſtri Nicolai Papæ V. Cui quàm citius de omnibus ueſtris, & his et alijs bonis operibus notitiã nunciabo. Valete in Domino ad gaudia ſempiterna. At bonus pater non tale reportauit reſponſum, quale ſperabat. In hæc enim uerba datũ eſt è Praga reſponſum, feria ſexta Pentecoſtes, Anno Domini 1452. Religioſo uiro, fratri Ioanni de Capiſtrano, nunc in ciuitate Ponte demoranti, Georgius de Cunſtat & de Podiebrat Gubernator, conſilium'que Regni Bohemiæ. Religioſe uir, tua parte oblata nobis epiſtola, magis (ut uidetur) libelli quàm epiſtolæ uicem continet, minime religioſi uiri redolet naturam, Quæ, ſalua pace, cum uenenoſis extat cõtexta ſentẽtijs, ut uix ab Hiſtrionũ moribus ualeat diſcrepare. Certe, ſi autoritate ſedis Apoſtolicæ, quam in hac parte habere te iactitas, hæc tibi licere prætendis, multũ ſanctitatis ipſius pietas tuo præſumitur ſenſui diſſona, Immò totaliter apparet contraria, Quæ paterna ſemper amoris uiſcera, ſemper ſolita eſt miſericorditer exhibere. Nanque dato, quod ipſe Venerabilis uir Magiſter Ioannes de Rokyzan, metas in aliquo utcunque exceſſiſſet, quod tamen nõ credimus nec uidemus, Nihilominus † à pulſu nos ubique aggrediens religioſi decreuiſſe uiri debuiſſet prudentia, Et non ſic animo inuadere turbulento, Sciens, quod ſermo durus ſuſcitat furorẽ. Tragico enim quodam more Capiſtrane, bo atque & ore ampullato tu Monache, necnon obtrectatione tua Ioãnes, conſueta'que, qua contra Doctores noſtros fideliſsimos, tam crudeliter & † inaniter inuehis, aures noſtræ tinniunt: Mirantes, talia mendacia bina in conſignatione tui ſigilli impreſsione, quod ex nobis data eſt licere, te ſcripſiſſe &c.

[Margin: Epiſtola Guber. & Cõſilij Bohe. ad Capiſt.]

[Margin: † aptius]

[Margin: Prouerb. 15.]

[Margin: † immaniter]

HISTORIÆ

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM

LIBER VNDECIMVS.

Anno Domini M.CCCCLII.

> Profectio Fride. III. in Italiam pro corona Imperiali.

PRæparauerat iam omnia Cæſar Frideric. III. ad iter uerſus Romam pro ſuſcipienda de more corona Imperiali, Quando Natalem Domini celebrauit in oppido S. Viti, Deinde in Villaco, oppido Carinthiæ, conuenerunt ad eum multi Nobiles ex Vngaria & Bohemia. Atq; etiam Albertus, frater Cæſaris, qui ſplendidum ex Sueuia comitatum ſecum adducebat, quem Cæſar equitibus præfecit, eoq; cum parte copiarum præmiſſo: ipſe ſecum ducens Ladislaum Regem adhuc puerũ, Alpesq; tranſcendens: Calendis Ianuarij fines Italiæ attigit. A Venetis itaq; ſummo honore & beneuolentia exceptus, per omne territorium eorum, omnem ſumptum ac uictum pro ſe & omnibus copijs ſuis gratis habuit. Deinde Ferrariæ à Borſio ſimili honore exceptus, multos ibi reperit Nobiles equites Germanos, qui ex Sueuia Franconiaq; & Rheni partibus, per uallem Tridentinã illuc uenerant, ut ipſum comitarẽtur. Inde Bononiam profectus, à Beſſarione Cardinale, Sedis Apoſtolicæ Legato, ſimili hoſpitalitate ſuſceptus eſt, Et Florentię IIII. diebus permãſit, cum fuiſſet maximo honore ſuſceptus. Senis uerò ſponſam ſuã, Leonorã, Regis Luſitaniæ filiã, è Piſis ad ſe uenientem ſuſcepit, ſecundo Die Quadrageſimæ, cui in occurſum proceſſerunt ciues natu maiores, ac Cæſaris Equitatus cum Rege Ladislao & Alberto Duce. Deinde per Viterbium & Sutrium Idibus Martij Romam uenit. Pulcherrimum ſanè fuit illius Diei ſpectaculum, Cæſar ipſe trabea indutus, inter Pontificis Legatos, omnium in ſe oculos conuertit. Ipſa uerò ſponſa, Luſitanis ornata cultibus, puella XVI. annos nata, læta fronte, nigris & illuſtribus oculis, ore paruo & genis ad gratiam rubeſcentibus, omnibus admirationi fuit. Sed & Ladislaus Rex, puer formoſiſsimus pariter & nobiliſsimus, omnium ora in ſui contemplationem traxit. Deinde Albertus Dux Auſtriæ, ſplendidiſsimum ducens equitatum,

> Senis acceſsit ſpõſam è Portuga.

> Ingreſſus Cæſa. in urbem Rom.

magnam intuentibus attulit uoluptatem. Longum foret omnem pompam & apparatum recitare magnificentiæ, Qua Cæſar in urbe à Papa Nicolao V. ſuſceptus, coronatus, deſponſatus, Neapolimq́ʒ cum coniuge dimiſſus iterumq́ʒ receptus fuit. Hæc enim ad aliam pertinent hiſtoriam. Hic uerò recitabo eam orationē, quam Ladislaus Rex Vngariæ & Bohemiæ ad Papam tunc habuit, ex qua Bohemi cognoſcere poterunt, quam deuoto & Chriſtiano erga ſedem Apoſtolicam animo fuerit Rex eorum, puer ille Nobiliſsimus.

Oratio Ladislai Regis ad Papam Nicolaum V. Romæ habita, cum eſſet adhuc puer Duodecim annorum.

Cum animaduerto, Beatiſsime Maxime Pontifex, me apud inclytos pedes ſanctitatis tuæ conſtitutum, quæ inter mortales Dei omnipotētis uicem gerit, Coram hoc ſacratiſsimo Senatu, ad quem Illuſtriſsima totius mundi ſydera, atq; homines doctrina & ſanctitate lectiſsimi conuenerunt: Non iniuria equidem in tanta rei magnitudine ſubſiſtens, unde initium orationis ſumam, quibus uerbis te unicum Chriſtianorū Principem, te Regū regem atq; in terris Deū adorē, non facile conſtituere poſſum. Hęc enim tanti numinis præſentia, hic tam celſus audientiū cœtus, eruditiſsimum quoddam elegansq́ʒ dicendi genus exquirit, cui me & ingenio & eloquentia longe imparem eſſe cognoſco. Quare tacendum exiſtimarem, ne tantam prouinciam aggrederer, in qua etiam ipſius Ciceronis aut Hortenſij robur exudaret: Niſi admirabilis tuæ ſanctitatis Clemētia collapſas ingenij uires, & ſuccūbentis humeros ſubleuaret. Quæ cum omnibus ad ſe integra mente conuerſis, incredibili benignitate patere non deſinat: Mihi quoq; (ut confido) conſuetæ manſuetudinis aditum non præcludet. Te nanq;, Beatiſsime Pater, non ſine ratione Beatiſsimum appellamus, Quem admiranda probitatis, omniumq́ʒ uirtutum merita, incorrupta uitæ integritas, adhanc eminētiſsimam Sedem iure optimo extulerunt. Quis enim dignius in ea potuit collocari, quàm ille quem à primis annis cœleſtem in terris uitam ſemper egiſſe conſtat: qui pro Chriſtiana religione per innumeros caſus, per uaria itinera, per diuerſas mundi prouincias, omnem ætatem, in maximis laboribus, in omni rerum difficultate contriuit. In cuius pectore omnes liberales artes, omnes ſcientiæ, & præſtantiſsima in primis ſacrarum literarum doctrina, patrios (ut ita dixerim) penates, ſibi à tenera eius ætate conſecrarent. Tu, inquam, digniſsime militantis Eccleſiæ es Caput

Dignitas Ro. Ponti.

Laudes Nicolai V.

Caput, Quæ non ſine ratione ad triumphantis exemplar dicitur ordinata. Nam ut in illa unus Deus creator omnium, ſceptrum tenet; Ita & in hac tibi uni tantū Dei Vicario, totius orbis Imperium delegatum eſſe conſtat. Vt enim ſancta fatetur Eccleſia, conſtituit Dominus Pontificem ſuper gentes & regna, ut euellat, diſsipet & plantet. Quanquàm igitur non ignorē, complures hoc in dubium reuocare, differentes, ſolam ſpiritualium rerū curam ſummo Pontifici datam eſſe: Terreſtre autem Imperium Romano datum Imperatori affirmantes. Quid enim aliud credendum eſt Chriſtum ſignificare uoluiſſe, dum ad ſe Petrū ſolum ſupra mare uocat: dum ei ſupremam ligandi atq; ſoluendi facultatem conceſsit: dum ſibi chariſsimi gregis curam demandauit? Vnum certè in terris Principem conſtituere uoluit, qui ſummi Dei uice ac poteſtate inter homines fungeretur: A quo una uera ſapientia, uera fides, ad reliquum genus humanum perueniret. Conſiſtit enim in hoc uno Chriſtianæ fidei Sacramentum, Cui ſcilicet Dominus dixit, Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Tuam igitur ſanctitatē atq; Domini noſtri locum tenentem in terris, & magiſtram & ducem Vniuerſalis Eccleſiæ recognoſcimus omnes. Te certum et indubitatum Beati Petri ſucceſſorem, Te paſtorem dominici gregis, Te ſanctorum Euangeliorum uerum interpretem, Te doctorem ſalutaris uitæ, Te denique clauigerum regni cœleſtis profitemur. Quo fit, Beatiſsime Pater, ut mihi quidem lętiſsimam omnium hodiernam diem illuxiſſe ſentio, in qua diuinitus datum eſt, & tantum & tam præſens Numen intueri, colere, et ſaltem integra mente ac uera fide uenerari. Cum enim ſanctitatem tuam inter hos fœliciſsimos ac cœleſtibus perſimiles aſtantium Ordines, in hac ſublimi Sede Apoſtolica collocatam ſuſpicio, nihil aliud profectò quam ſupernam illam in terris Maieſtatem uideor admirari. Maiores etiam mei, qui uel Vngariæ, Bohemiæ uel Auſtriæ, præfuerunt, huius diuiniſsimæ Sedis præcipui ſemper amatores & cultores fuerunt. Eorundem progenitorum meorum ueſtigijs inhærendo, te æternę uitę clauigerum, ſumma, quoad uixero, reuerentia proſequar. Et cum omnes ſacræ literæ Deum colendum clamitent, huic me primum dabo commendaboq;: Hic meus eſt autor, meus Dominus, huic omnia debeo. Cumq; omnes homines Deo gratias referre debēt, ego illi maxime regratiari & ſeruire teneor. Cuius munere factum eſt, ut ego Rex naſcerer. Poteram ergo unus ex plebe aut unus ex rure naſci, Sed inſcrutabile Dei iudicium, me collocat in ſublimi ſolio. Non efferri debeo, non tumeſcere, non ſuperbire. Quod mihi datum eſt, alteri dari

Caput Eccleſiæ militantis.

Matth. 16. Ioan. 21.

Luc. 22.

Autoritas Ro. Pont.

Reuerentia erga ſedem Apoſt.

Religio ergà Deum.

dari potuit, Quanto maior ſum natus, tanto me debeo humilius gerere, & ſubijcere collum religioni, intereſſe diuinis officijs. Nam cui diuinus cultus eſt cordi, reliqua facile famulantur. Primum quęrite regnum Dei, ſcriptura dicit, poſt hæc omnia adijciētur uobis.

Matth.6. Val.Max.lib. 1.cap 1.

Romani, quamuis gentiles erant, omnia tamen poſt religionem duxerunt. In quibus etiam ſummæ Maieſtatis Decus conſpici uoluerunt, Nec dubitauerunt, ſacris Imperia ſeruire: Ita ſe humanarum rerum futura regimen æſtimantia, ſi diuinæ potentiæ bene ac conſtanter fuiſſent famulata, Quod nos, ueri Dei notitiam habentes, facere decebit. Cauebo igitur, ne mihi religionem putem eſſe ſubiectam, quamuis magni Principis nomine gaudeam. Non

Exempla religioſorum Principum.

Dominus, ſed filius Eccleſiæ, ſacerdotis Imperio in his quę Dei ſunt ſubiectus ſum. Theodoſius Cæſar, quamuis potentiſsimus eſſet, & Romanum Gubernaret Imperium, Ambroſio tamen Mediolanenſis Eccleſiæ Præſulatum tenenti, collum ſubiecit, imperatamq́; pœnitentiam peregit humiliter. Conſtantinus autem, maximam ſacerdotio reuerentiam præbuit, nec iudicium ſuper Epiſcopis in in Concilo Nicæno ferre uoluit, aſſeuerans, Deos ab hominibus non eſſe iudicandos. Eorundem Chriſtianiſsimorum Principum ueſtigijs inhærendo, ſacerdotium ſumma reuerentia proſequi non poſtponam. Ad quod natura & ipſe Deus omnipotens, greſſus meos ab ineunte ætate direxerit: Ad quod omnes conatus, omnia deſideria, omnes cogitationes animi mei ſemper proſpexerunt. Ego tandem me ipſum, Dominia & Regna, quæ mihi hæreditario iure debentur, tuæ clementiæ, tuæ fidei, tuæq́; protectioni commendo, Pro cuius tuæ ſanctitatis fœlicisſimo ſtatu, nihil unquam arduum, nullum periculi, nullum laboris aut difficultatis genus recuſabo. Hæc Rex Ladiſlaus ad Nicolaum PP. V.

Præceptor Regis Laſlai, fugã puero ſuaſit.

Verum non ex ingenio ſuo aut Marte proprio (quod aiunt) hanc compoſuit orationē, ſed à pręceptore ſuo ſcriptā pronunciauit. Erat illi nomen Caſpar, qui, priuſquam Cæſar in Italiam tenderet, occulte conſpirauerat, cum nonnullis Vngariæ & Auſtriæ Proceribus, de abducendo Rege clanculum ex aula Cæſaris. In Italia quoq́; conſtitutus, puerũ ad capiendam fugam inducebat, præſertim Florentię cum redirent è Roma. Nam erant ibi aliquot Vngari & Auſtrales, qui Cæſari obuiam miſsi fuerant, quorum ope et conſilio puerum è manibus Cęſaris eripere ſatagebat. Vbi ea fraus non proceſsit, aufugere ipſe uoluit, cum iam eſſet Cæſari ſuſpectus. Retractus autem ex fuga, in cuſtodiam miſſus ac detentus, nihil tale

Epiſt. 424.

amplius attentare potuit. Extat ea de re bene longa epiſtola Æneæ Syluij, qui tum in comitatu Cæſaris conſtitutus, erat Epiſcopus Senenſis

nenſis & Apoſtolicæ per Auſtriã Legatus. Cæſar in reditu, cum fuiſſet per ciuitates Italię honorificentiſsime ubiq; receptus, ubi domum rediit, in grauiſsima incidit pericula. Nam Auſtriales, inſtigantibus duobus Vlricis, Comite Ciliæ & Eycingero: uolentes Regem ſuum Ladiſlaum, ui eripere de manibus Cæſaris, obſederunt eum in Noua ciuitate, cum haberent XII. Millia bellatorum, Quibus ſe coniunxerat Dominus Henricus de Roſis cũ CC. equitibus & D. C C C. peditibus. Verum ubi audiuerat iſta Gubernator regni, Dominus Gyrziko de Cunſtat & Podiebrat, collegit XVI. Milia Bohemorũ, ut Cæſari opem ferret. Sed antequàm fines Bohemię exiret, audiuit rem compoſitam eſſe inter Cęſarem & Auſtriales, ope Caroli Marchionis Badenſis, & Sigiſmundi Archiepiſcopi Saltzburgenſis. Omiſsis igitur Auſtrialibus, in terras Dominorum de Roſis exercitum duxit, ac late popularis eorum agris, ultus eſt Cæſarem. Eodem anno in Vigilia S. Bartholomęi Apoſtoli, eduxit è Praga exercitũ uerſus Thabor, cum quibus ſanè ciuibus inita cõcordia, progreſſus eſt ad Buduueys, & in deſtrictũ Pilzenẽſem, ad urbes + Zatz & Lunã, quibus ad unitatem reductis, Pragam rediit Sabbato poſt Michaëlis. Dimiſerat Cæſar Ladiſlaum Regem ſub ea conditione, ut III. Idus Nouembris fieret Viennæ cõuentus Conſanguineorũ utriuſq; partis. In quem & Vngari atq; Bohemi uenirent, ut de tutela plenius cognoſceretur. Interea autem Rex puer, ſub Vlrici Comitis Ciliæ poteſtate, abſq; adminiſtratione, extra Viennam remaneret. At Auſtriales nihil horum ſeruabant, ſed ſtatim perduxerunt eum Viennam, ac plenam regendi poteſtatem ei tribuerunt. Cunq; dies cognitionis aduenisſet, ad quem multi Principes Imperij conuenerant, Auſtriales, uelut uictores, neq; leges neq; pacta ſeruare uolebant, ſed ius omne in armis reponebant. Re itaq; infecta diſceſſum eſt. Rex Ladiſlaus triumuiros creat, è quibus Ioanni Huniadi Vngariam, Gyrzikoni Bohemiam, Vlrico Ciliæ Comiti Auſtriã regendam commendauit. Miſerant enim Bohemi Inſignem Legationẽ, in qua multi erant Barones, ciueſq; Pragenſes & alij, qui nomine totius Regni Ladiſlaũ pro uero hęrede et Rege ſuo, cũ promiſſione fidelitatis acceptarent, & in poſſeſsionẽ Regni adducerent. Verum Comiti Ciliæ, qui Regis tutelã gerebat, uiſum eſt, Regem Vngaris prius exhibere, apud quos natus fuerat. Cum aũt plærique ex Bohemis deſiderarent integre uniri ſedi Apoſtolicæ: quemadmodum priuatis ad uicinos Catholicos literis declarabant: Nicolaus Papa V. Legatum creauit Cardinalem de Cuſa, uirum doctiſsimum, patria Germanũ. Cuſa enim oppidulũ eſt ad Moſellam ſitum,

Frid. Imp. ab Auſtrialibus domi obſeſſus.

Geſta Gyrzikon. Guberna.

+ Zatzium.

Pacta Cæſariah Auſtrialibus nõ ſeruata.

Triumuiri ſub Rege Ladiſlao.

Legatus ad Boh. Card. de Cuſa.

ſitum, ſub ditione Archiepiſcopi Treuerenſis, Qui & in hoc miſſus erat, ut pacem inter Imperatorem & Regem Ladislaum componeret. Sed ab Auſtrialibus, qui ius in armis habebant, reiectus, nihil efficere potuit. In Bohemiam quoq; non uenit, quia præmiſſo pro ſecuritate ſuo Sacellano, clarum ab omnibus reſponſum non accepit. Scriptis igitur cū illis egit, miſsis ad eos epiſtolis Sex, Quarum quædam Ratiſponæ, quædam Brixinæ datæ fuerunt. In quibus ſanè docte & acute confutat Huſsitarum errorem & confidentiam de Compactatis, & de neceſsitate dandi Laicis Euchariſtiam ſub utraq; ſpecie. E quibus unam, quæ hiſtoriam commemorat, recitare hic libet.

Epiſtola Nicolai de Cuſa Cardinalis, ad Bohemos.

Nicolaus miſeratione diuina, Tituli S. Petri ad uincula, ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicę Sedis Legatus, Epiſcopus Brixinenſis: Vniuerſis & ſingulis Nobilibus, Venerabilibus, Strenuis, honorabilibus prudentibusq;, Baronibus, Prælatis, Militibus, presbyteris, Religioſis, Militaribus, Magiſtris ciuiū, Oppidanis, & cunctis Eccleſiaſticis & ſæcularibus, Inclytum Regnum Bohemiæ & Marchionatum Morauiæ inhabitantibus, ueræ pacis deſideria fœliciter adipiſci. Poſtquàm diuina pietas ſtatuit (uti firmiter ſperamus) Regnum & Marchionatum prædicta hoc tempore ad obedientiam ſacroſanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſię reuocare, Sanctiſsimus Dominus noſter, Dominus Nicolaus Papa V. nobis curam & ſollicitudinē tam ſancti operis commiſit, & Legati de latere plenam tribuit facultatem. Et quoniam nuper ex Nobilibus Regni ipſius Oratoribus, in Dieta Ratiſponenſi, latenter intelleximus, deſideria omnium ueſtrorum, diuina inſpiratione, nunc ad ueram & effectualem unionem inclinari. Et quod ea propter Apoſtolicam Legationem in regno ipſo conſtitui optatis, Pro complemento tam ſancti propoſiti, mox operam dedimus, ut hoc ſummo Pōtifici noſtro quàm ocyſsimè innoteſceret. Et quoniam ad rem ipſam fœliciter conducendam, neceſſe eſt, ut ante acceſſum Apoſtolici Legati ad regnum, de mente ſingulorum aut ſaltem maioris & ſanioris partis inhabitantium, quoad puram, ueram & effectualem obedientiam & ſubiectionem, ſimus certiores facti. Nam niſi eſſet propoſiti ueſtri, uos uelle conformare progenitoribus ueſtris, qui ante hanc differentiam Catholicam uitam duxerūt, Qui fidē Orthodoxam ab Apoſtolica ſede atq; Priuilegia Metropolitanæ ſedis, & Generalis ſtudij, pro ſua deuotione & obedientia, ad matrē ſuam, ipſam ſcilicet Sedem Romanam meruerunt,

Deſideriū uiuendi ad Ro. Ec.

Rectum propoſitū uiuendi.

meruerunt: Quēadmodum & alia Chriſtiana regna, quæ adhuc in eadem obedientia perſeuerant, ſuperuacue Apoſtolicus Legatus inquietaretur: Et re non peracta, in non paruum omnium ueſtrorum dedecus rediret. Ideo, ut experiamur, quem fructū introitus Legati efficere queat, Honorabilem Ioannem Dorſenit, præſentium Latorem, Capellanum noſtrū deuotum, ac dilectum, ad uos omnes & ſingulos tranſmiſimus. Cui dedimus in mandatis, ut his noſtris patentibus literis oſtenſis, uniuſcuiuſq; mentē & intentionem inueſtiget, circa iam dictā obedientiam præſtandā, & quæ circa ipſam atq; ſecurū acceſſum Apoſtolici Legati fuerint opportuna, Prout de hoc per nos latius eſt informatus. Quare rogamus uos, & in Domino exhortamur, ut ipſum Capellanum noſtrū admittere, benigne audire, & quę mente geritis, ſcripto patefacere uelitis. Nec putetis nos à uobis rem magni ponderis leuiter exigere. Nam cum impoſsibile ſit, uerā pacem Eccleſiaſticam conſtitui poſſe, quam diu nō eſt omnimoda conformitas corporis & membrorum. Turpis enim eſt omnis pars, quæ toti non congruit. Hinc in ea re, ubi, qui non eſt cum Vniuerſali Eccleſia, contra eam eſſe conſtat, neceſſe eſt, purè & ſimpliciter, abſq; pacto & conditione omnium conformitatē obedientiæ amplecti. Necq; quenquàm moueat, quod, cum Oratores tunc Baſilienſis Concilij, de pace Eccleſiaſtica Pragæ tractarent, ad compactiones deuentum ſit. Nam experimento compertum eſt, modum illum integram pacem & unitatem cum ſancta Ro. Eccleſia non effeciſſe. Quæ cum ſit pijſsima mater omnium fidelium, nulli redeunti, quem in fide genuit, gremium claudere poteſt: & omnia quæ filij ſui poſtulant, ſi ſalutaria ſunt, liberaliter concedit. Sicut enim mater ipſa, per quæcunq; pacta non poſſet trahi ad conſentiendum in ijs, quæ filiorum ſuorum ſaluti ſciret obuiare: ita etiam quæ ſalutis ſunt ſine pactis, aſſenſum nequit denegare. Et infra. Nolite igitur tales pro fratribus honorare, qui ſe matris ueſtræ filios nominari uerecundantur. Aperite quęſo oculos, & conſyderate unde excidiſtis, & quo perducti eſtis, & per quos, Et credite plus matri ueſtræ (à qua omnia, quæ ſalutis & honoris ſunt, recepiſtis) quàm ſeductoribus illis, qui adeo cæci ſunt, quod lumen non uident: adeo beſtiales, quod matrem nō cognoſcunt. Parui facite omnia, quæ ipſi de Compactionibus ingerunt. Nam ad illorum ſciolorum confuſionem Deus illas ſic fieri permiſit. Necq; religioſus frater Ioannes de Capiſtrano, uir utiq; zelum Dei habens cum ſcientia. Nec alius quiſquàm aſſerit, Compactiones hæreſim in ſe continere, ſed conſtanter negatur, in eis talia concedi, quæ uobis falſo ſuggeruntur. Poteritis, ſi uolueritis,

Promiſsio Capellani ad explorandum.

Vt fiat omnimoda cōformitas.

Compacta nō profuerunt ad perfectam unitatem.

Contra ſeductores.

ex Compactionibus ipſis ſeductores ueſtros facile conuincere.

Extra Ecclesiã Vniuerſalem et Romanã, nõ eſt ſalus

Nam cum extra Vniuerſalem Eccleſiam, quæ Catholica Græce dicitur, non ſit ſalus, Et ut ipſi negare non poſſunt, uidete in Compactionibus, ubi eſt illa Catholica Eccleſia, Et reperietis in capite primi articuli eſſe ſcriptum, quod Regnum Bohemiæ & Marchionatus Morauiæ, in fide conformare ſe debent Vniuerſali Eccleſiæ. Et non poteſt intellectus alius dari, quàm quod Romana illa ſit Vniuerſalis Eccleſia, cui ſe debent Regnum & Marchionatus conformare. Et infra. Nam ſi aliquid ſingularitatis ex ipſis habere putatis circa ritum Communionis ſub utraque ſpecie, ut ſeductores nonnulli perſuadent, legite textum, & ponderate mentem Concilij ex litera, & reperietis, negligentia illorum ſacerdotum, uos omnia ibi uobis oblata perdidiſſe. Eſt enim uobis notorium, quod illi tales ſacerdotes nunquàm ea, quæ fieri debebant ad habendam permiſſionem illius Communionis, procurarunt aut obſeruarunt. Sed non obſtantibus Compactionibus, continuarunt illa, quæ dimittere tenebantur. Ideo ex eorum negligentia permiſſio etiam quoad perſonas, quæ uſum habebant, non eſt ſortita effectum: minus permiſſio de libertate concedenda obtineri potuit à Synodo, ſemper ob talium presbyterorum præſumptam pertinaciam, Qui toto tempore, quo Cõcilium ſedebat, Compactata nulla ex parte obſeruare curarunt, Et ita ſoluta eſt Synodus, antequàm euentualis promiſſio fieri potuerit. Videte nunc quæſo, quomodo quidam tales ueſtri ſacerdotes, in ſuam confuſionem ad Compactiones refugiunt, Ex quibus penitus nihil, ex eorum ſeductorum culpa, etiam quo ad eos qui uſum communionis habebant, eſtis aſſecuti. Sic alia, quæ in Compactionibus ſunt, nonne manifeſtè condemnant tales allegantes? Ipſi enim ſua ſponte currere ſe ingerunt, & abſq; miſſione, expreſſè contra Compactiones, prædicant. Et cum nullam habeant poteſtatem ligandi & ſoluendi, populum decipiunt. Videtis ne, quomodo obedientiam illam, de qua ſimiliter in Compactionibus, quoad ſuum ſeruãt Romanum Pontificem? Ex his intelligitis, Compactiones nihil ſingularitatis uobis præſtare, ſed ſolum confuſionem eorum, qui ſua præſumptione ſeducti, uos ſeduxerũt, exprimere, ut ore ſuo iudicentur. Quare merito, inſtar aliorum fidelium, obedientiam puram, ſimplicem, ueram & effectualem, quæ ſola Deo grata, uobis utilis & ſalutaris exiſtit: ſuademus, in Legati aduentu, alacri animo acceptare, & nos de illa certiores facere, Per quam ſolam ab illa liberaliſsima Apoſtolica Sede indubie omnia, quæ ſalutis & pacis ſunt, potius ſine pacto quàm cum pacto, quàmprimũ in laudem poteritis obtinere.

Huſsitæ Cõpactata nunq̃ obſeruarunt.

Tranſgreſſio Compactatorum.

Obediẽtia pura & ſimplex.

Datum

Datum Ratiſponæ ſub noſtro ſigillo, die XXVII. Iunij. Anno à Natiuitate Domini M. CCCCLII. Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Nicolai diuina prouidentia Papæ Quinti, anno ſexto.

Anno Domini M. CCCCLIII.

Maxime infauſtus ac funeſtus fuit Chriſtianis annus iſte. In Italia nanque graue erat bellum inter maximos potentatus, Inter Venetos & Franciſcum Sphortiam, Ducem Mediolanenſem, & inter Alphonſum Regem Neopolitanum ac Florentinos. In Germania malè conueniebat Cæſari cum Rege Ladislao. In Vngaria Bohemus quidā ignobilis genere, at ingenio & manu promptus, cognomēto Axamic, latrocinijs in tantam creuit potentiam, ut Quinque atque aliquando XIII. Millia pugnatorum ſub ſe habens, ipſi etiam Gubernatori Ioanni Huniadi (qui de Turcis glorioſas ſæpe uictorias reportauerat) formidabilis fieret. In Pruſsia contra Magiſtrum Ordinis S. Mariæ, Teuthonicorum percuſſerunt fœdus Quinque & Quinquaginta oppida illius prouinciæ, quorum partes adiuuabant Rex Poloniæ & ciuitates Imperij, quæ Stagnales dicuntur. Et tanquam parua ſint hæc mala, amiſimus iſto anno Conſtantinopolim: Decus Orientis, & Peram illi uicinam Chriſtianorū urbem. Expugnationem Conſtantinopoleos pulcherrimè deſcripſit Æneas Syluius in eo libello, quem de rebus in Europa geſtis ſub Friderico III. ſcripſit ad Cardinalem Hilerdenſem. De qua & in multis lamētatur epiſtolis, In quarum una, ad ipſum Papam Nicolaum V. ſic habet.

Annus Funeſtus.

Vide epiſtolas Æneæ Syluij 140. & 162.

Ex epiſtola Æneæ Syluij, de capta per Turcas Conſtantinopoli.

Egredior Germaniam, & ad Græciam pergo. Turcarū Imperator magnis militū copijs Conſtantinopolim, proximis his diebus obſidione terra marique cinxit, atque admotis machinis, & inſultu ter facto expugnauit, populum omnē gladio extinxit, ſacerdotes diuerſis tormentorū generibus excarnificauit, Neque ſexui, neque ætati pepercit, Quadraginta & amplius Milia perſonarū illic occiſa referūtur. Qui res geſtas ad nos ex Raſcia uenientes enarrant, Paleogolum, qui apud eos imperauit, capite mulctatum, filiū eius ereptum fuga in Pera modo obſeſſum aiunt. Vrbs, quæ poſt Conſtantinum in annos M.C. & ultra durauerat, neque unquàm in poteſtatem uenerat infidelium, ſpurciſsimorum Turcarum hoc infœlici anno direptioni patuit. Roma quoque poſt ſuam cōditionem

Epiſt. 161. Capta à Turcis Cōſtantinopolis.

in anno M. C. L X I I I I. per Gotthorum Regem Alaricum direpta refertur. Sed hic, ne templa ſanctorum uiolarentur, edixit. Turcas autem in Eccleſias Dei ſæuituros quis dubitet? Doleo templum illud, toto terrarum Orbe famoſiſsimum Sophiæ, uel deſtrui uel pollui. Doleo infinitas ſanctorum Baſilicas, opere mirando conſtructas, uel ruinæ uel ſpurcitiæ Machumeti ſubiacere. Quid de libris dicam, qui illic erant innumerabiles, nondum Latinis cogniti? Heu quot nunc magnorum nomina uirorum peribunt? Secunda mors iſta Homero eſt, Secundus Platoni obitus. Vbi nunc Philoſophorum aut Poëtarum ingenia requiremus? Extinctus eſt fons Muſarum. Vtinam tantum nobis ſuperaret ingenij, ut hanc calamitatem dignis uocibus deplorare poſsimus: Admodum iſta cor meum urgent atq; expungunt ſanctiſsime pater. Video ſimul & fidem & doctrinā deleri, Idq; noſtra deſidia accidit, qui ſolum præſentia reſpicimus &c. Qualis autem in Bohemia fuerit eo anno religionis ſtatus, ex eadem Epiſtola declarat idem autor, dicens.

Templa Conſtantinopoleos.

Iactura librorum.

Interea Bohemorum Legati Viennam uenere, petiuerūtq; regem ad eos quàm primū iter facere, coronamq; regni accipere. Niſi hoc ageret, mutationes in Bohemia timendas dicentes. His reſponſum eſt, Regem ad feſtum S. Michaëlis iturū, Prius & ſi maxime uelit, non poſſe: multis in Auſtria Morauiaq; negocijs occupatum, & auro excuſſum, non habere comitatum Regi conuenientem, Cum tempore fieri omnia. Legati quamuis reſponſi eos tæderet, illud tamen in Bohemiā relaturos ſe promiſere. Interea fratres S. Franciſci, qui per Sigiſmundum Cæſarem, poſt multas Huſsitarum clades, ad Pragam deducti fuerāt, conante Rokyzana, repulſi ſunt. Sacerdotes, ſiqui bene de fide ſapiunt, infinitis contumelijs afficiuntur. Omnia in manu hæreticorum habentur, neq; illic Chriſtiana religio, poſtquam Bohemi Baptiſmum ſuſceperūt, magis unquam oppreſſa quàm modo. Neq; prædia neq; corpora tueri poſſunt, qui fidem Orthodoxā ſequuntur. Ex arbitrio perfidi, & hominum qui uiuunt ſceleratiſsimi Rokyzanæ cuncta geruntur. Ladislaus enim Rex Georgio Gubernatori poteſtatem regni in Clericos Laicoſq; conceſsit. Is uerò, quia Communionis labem induit, Rokyzanæ, quem maxime timet, nihil contradicit. Temporalia ſolum curat, Spiritualia Rokyzanæ permittit. Sic regnum illud nobile, et olim opulentiſsimum, ab hæreticis ex integro gubernatur: Quod ante hunc diem inauditum eſt. Quamuis enim Huſsitarum rabies primas in Regno partes aliquando poſſederit, ſemper tamen aliquot ciuitates atq; Barones Eccleſiæ Romanæ ritum ſeruantes, extra Imperium illorum manſere. Nunc omnis Nobilitas omniſq; plebs

Catholicorū uexatio in Bohem.

Rokyzanę poteſtas.

Totum regnum parebat Gyrzi.

plebs Georgio paret. Hic princeps, hic caput habetur. Nec dubium eſt, quin mores Dominantis imitari ſeruientes ſtudeāt. Inde malum ingens regno imminet, & uicinis regionibus immenſa calamitas: niſi Rex Ladislaus cito Bohemiam ingrediatur, rebuſq; modum adhibeat meliorem, Quod futurum multi ſperant. Hæc Æneas Syluius ex Grætzio Stirienſi. Die XII. Iulij. Anno Domini M. CCCC. LIII.

Erant eo tempore Decanus & Capitulum Eccleſiæ Pragenſis extra Pragam, Pilzinæ in urbe Catholica reſidentes, Qui apud ſe ipſos dubij, quidnam facere debeant, ſi à Gubernatore per literas uocarentur, ut ad diem Coronationis Regis Pragę adeſſent, ſuper ea re, ſupradictum Æneā, Epiſcopum Senenſem (cui Papa ad Bohemiam dederat autoritatem Legati de Latere) per literas conſuluerunt, Qui ſanè XXVII. die Iulij Capitulo inter cætera, in hæc uerba reſpondit. Nunc ad Conſilium, quod petitis, reſpondere pergimus. Grauis res & ardua, quæ uobis imminet, & maior, quam per nos dirigi poſsit. Scimus uos eſſe prudentes, nec dubitamus, ex duobus malis quin id recipiatis, quod minus poſsit nocere. Tamen aliqua pro captu noſtro, bona fide et ſyncero dicemus animo. Sanè percipimus in utranq; partem uobis imminere pericula, ſiue Pragam intretis uocati, ſiue recuſetis ire. Si pergitis, duo pericula inſtant: Vnum, ne per inſidias aduerſantium in mortis aut carceris incommodum rapiamini: Alterum, ne Compactatis conſentire, ac Rokyzanæ electioni ſubſcribere cogamini. Magna ſunt hæc, & animi corporiſq; diſcrimen in ſe habent. At ſi uocati, nolitis ire, contemptus regius opponi uobis poterit, multaq; contra uos dicentur, forſitan & in locum ueſtrum alij ponentur, & implebitur nobilis Eccleſia ſchiſmaticis & hæreticis miniſtris. Quid hic conſulamus, ſanè hæremus, timemusq́;, ne Scyllæ uoraginibus immergamur, dum cupimus euitare Charybdim. Vtcunq; ſit, illud nobis prima fronte ſuadendū uidetur. Si uocat uos Regia ſublimitas, nō exiſtimamus declinandum imperiū, ſed petendum ſaluum conductum, ad tempus non breue: Quo recepto, poterunt aliqui ueſtrum intrare Pragam, ſemper aliquibus extra manentibus. Inuenietis apud Regem multos bonos uiros, qui cauſę ueſtrę aſsiſtēt. Informabitis Conſiliarios eius, ius ueſtrū dicetis. Credimus equidē plures erunt cauſæ ueſtræ affecti quam Rokyzanę, Neq; putamus uos compelli ad aliquam rem iniuſtam, & contra ſtatum Eccleſiaſticum, dum publicæ ſecuritatis literas habebitis. Quod ſi uobis aut de Rokyzana in Archiepiſcopum recipiendo, aut de Compactatis amplectendis uerba fiant, poteritis uos ſemper ad Dominum no-

Dubitatio Capituli Pragenſis.

Epiſt. 157.

Periculum anceps ex utraq; parte.

Conſilium Aeneæ pro Capitulo Prag.

ſtrum Papam referre, dicentes, quod ſine eius ſpeciali mandato nihil in talibus uos agere liceat, & ita uobis conſulimus. Scripſit eadem de re ad Cardinalem Firmanũ, in hæc uerba. De Bohemia hæc ſunt, quæ cupio ſanctiſsimo Domino noſtro fieri nota. Rex Ladislaus ad feſtum Michaelis eo ſciturum, recepturumq́ue regni Diadema promiſit, Georgiconem regni gubernatorẽ, uſq; in diẽm coronationis & ultra ad annum recepit. Compactata (ut aiunt) cum Baſilienſi olim Concilio facta confirmauit. Catholici in regno male mentis ſunt, dolentq; ſe Georgiconi, utriusq; ſpeciei fautori commiſſos. Canonici Capituli Pragenſis ad me ſcripſerunt, uocatos ſe ad coronationem dicentes, dicuntq; ſe neſcire quid agant. Si non eunt, timent Regis indignationem. Si pergunt, formidant inſidias Gubernatoris & Rokyzanæ. &c. Scripſit item ad Dominum Vuenceslaũ de Crumnau, Decretorũ Doctorẽ, qui erat Decanus & Adminiſtrator Eccleſiæ Prag: adhortans eum, ut uocatus in arcem ſollicitudinis, forti pectore cunctis procellis reſiſteret, ac uim omnem aduerſantis inimici ſolido ſcuto fidei repelleret, Quia dominus ſuis aſsiſtit. Et quamuis urgeri uentorum turbinibus nauim ſuam patiatur, non tamen ſinit ſubmergi. Cum magis tribulatur Eccleſia, tunc fortior aſſurgit. Conſideret igitur in Domino, & uiriliter pugnaret pro cauſa Dei. Erat inter Bohemiæ Barones Ioannes de Smyrzitz, quem Bohemi Smyrzitzky: Æneas in hiſtoria Smiricheum uocat, uir conſilio clarus & facundia, Qui ad Regem ſcripſit epiſtolam, in hanc ſententiam, uti recitat Æneas.

Epiſt. 165. *Epiſt. 158.* *Decanus et Adminiſtrator Eccleſiæ Prag.* *Epiſtola Smirichei Nobilis Bohemi ad Ladislaum Regem.*

Ioannes Smiricheus Ladislao Regi ſalutem. Venturum te quam primum in regnum tuũ probo, ſi modo imperaturus ueneris, non pariturus, inermem impotentemq; intrare non laudo. Si non bicipitem mater peperit, ut ex duobus capitibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale.

Hæc epiſtola Comiti Ciliæ reddita eſt, qui cognito tenore Gyrzikoni eam remiſit. Ille accerſito Procerum Concilio, inter quos Ioannes iſte non poſtremus erat, Literarum ſenſum, ſuppreſſo ſcriptoris nomine, recitat, quid mereatur ſcriptor interrogat. Dignũ morte omnes pronunciant, tanquam proditorem patriæ. Profertur ergo epiſtola illius manu ſcripta, & eius annulo ſignata, Damnatus ore ſuo comprehenditur miſer, eiq; duarum horarum tempus datur, in quo & animæ ſuæ saluti & rebus domeſticis conſulat, ſi uelit. Nec diutius uitæ dimiſſus, gladio percutitur in uigilia Natiuitatis Mariæ, in ciuitate antiqua Pragenſi, & ſepultus eſt in hoſpitali circa Pontem Pragenſem. Qui dum pro alterius uita ſollicitus eſſet, ſuã prodidit. At proditor epiſtolæ eius Comes Ciliæ,

Ob eam epiſtolam gladio cæſus eſt.

mox

Comes Ciliæ repente ex Aula Regis eiectus.

mox luit pœnam iuſto Dei iudicio. Nam conuocatis Auſtriæ prouincialibus, cum indiceret exactionem publicam, quam uulgo Steuram uocant, pro deducendo in Bohemiam Rege; Conſilio & opera Eytzingeri ita odioſus repente factus eſt cũctis Auſtralibus, & adeo acriter accuſatus apud Regem, ut mox omni poteſtate & adminiſtratione iuſſu Regis priuatus, coactus ſit e Vienna inglorius & exul diſcedere, multis à plebe, dum excederet, uexatus probris, Et niſi Albertus Marchio Brandẽburgenſis eũ uſq; ad portas conduxiſſet, lapidibus quoq; & luto inſectata eum plebs fuiſſet, Qui paulo ante in ſumma erat poteſtate, ipſum Regem quoq; gubernans. Et ſucceſsit in locum eius Eytzingerus, cuius ſtudio deiectus fuit.

Rex Lad. in Bohe. magnifice introductus eſt

Approquinquante itaq; feſto Michaelis, Dominus Gyrziko Gubernator cum alijs Baronibus, Terrigenis, & ciuitatum Conſulibus, exierunt de Praga uerſus Iglauiam, ad introducendum Regem ſuum. Atq; ut eum quam magnificentiſsime ſuſciperent, contulerũt unuſquiſq; Cenſuum ſuorum Tertiam partem. Ex qua ſanè pecunia, & coronationis ſolennia peracta ſunt, & Curiæ onera ſupportata. Quædam item caſtra Coronæ redempta, ſed ita, ut ipſi Gubernatori uel amicis eius committerentur.

Coronatio Regis.

Die igitur XXIIII. Octobris introduxerunt Regem Pragæ in arcem ſummo cum honore. Et poſt Quadriduum, in feſto Simonis & Iudę Apoſtolorum, coronatus eſt Rex in Eccleſia Pragenſi, annos natus 13. à Domino Io. Epiſcopo Olomucenſi inauguratus & unctus, præſentibus alijs quoq; Epiſcopis ex Auſtria & Vngaria, utpote Patauiẽſi, Strigoniẽſi, Varadiẽſi, Principib. itẽ multis, Proceribuſq; et Baronibus atq; Oratoribus Regum, prouinciarum, & ciuitatum innumeris. Omnia autem ſacra Catholico ritu peracta ſunt. Roky. cum ſuis nullũ apud hunc Regẽ honoris aut gratię locũ repperit,

Rex Rokyzanã odio habuit.

Nec unquam hæreticorum ſacris aut conuenticulis intereſſe, aut corũ Eccleſias intrare Rex uoluit, quamuis rogatus: Quinimmo cum à Rokyzana quidam ſacerdos ſubornatus eſſet, ut Regi Miſſam celebraret, Rex, ubi accepit hæreticum eſſe, miſit ad eum Magiſtrum militum: iubens, ut niſi protinus abſcederet, alterią; locum daret ſacerdoti, qui Catholico ritu celebraret, ui abriperetur, ac de proxima rupe præcipitaretur. Sabbato autem poſt feſtum omnium ſanctorum die Tertia Nouembris, Rex præſente Gubernatore alijſq; Baronibus, Conſules et Senatum legit de more, tum in antiqua tum in noua Ciuitate Pragenſi, multóq; tempore Pragę permanſit.

Duæ ſorores Regis deſponſatę

Et altera ſororũ eius hoc anno deſpõſata fuit Vratislauiæ, Sereniſsimo Regi Polonię. Altera Illuſtriſs. Principi Vuilhel. Duci Saxo. & Lantgrauio Turingię, iam antea deſponſa fuerat.

Kk iiij Anno

Anno Domini M.CCCCLIIII.

Dux Glogouiæ.

Cum Pragæ ageret Rex, uenit ad eum Illuſtris Princeps Henricus, Dux Glogouiæ maioris è Sleſia, qui à Rege ſolenni pompa in antiquę ciuitatis Prętorio, ius ſui Principatus (quod feudum uocant) accepit, præſtito ei fidelitatis iuramẽto, quod Homagium dicunt XVIII. Februarij. Quo tempore filia eius deſpõſata fuit Magnifico Domino Ioanni de Roſis, Qui eam adiuncto ſibi fratre Domino Henrico, eodem anno è Glogouia in Bohemiam ſplendido cum comitatu abduxit. Eodem anno uenit Pragam Dominus Ioannes Epiſcopus Papienſis, Referẽdarius Nicolai Papæ, miſſus ab eo Legatus ad Regem: Venerunt item è Germania plærię ad Regem Principes: Dominus Frider. Archiepiſcopus Magdeburgenſis & Primas Germaniæ: Dominus Caſpar Epiſcopus Miſnẽſis: Illuſtriſsimi Principes, Vuilhelmus Dux Saxoniæ, Lantgrauius Turingiæ, & Marchio Miſnæ. Item Fridericus Lantgrauius Haſsiæ, Cui cum ægrotare cœpiſſet, quidam è familia ſua, Rokyzana cum ſuis Clericis inſtabat, ut ſub utraq; ſpecie in extremis communicaretur, Quod cum ille renuiſſet, nolebat Rokyzana funus eius ad ſepulturam Cœmiterij ſacrati admittere, ſed cogebatur pius Princeps famulo ſuo de ſepultura occulte et nocturno tempore prouidere apud S. Iacobi Ædem, quæ fratrum Minorum erat.

Quidam Germaniæ Principes Pragam uenerunt ad Regem.

Dominus Henricus de Gera captiuus. Vide Supra anno 50 in fine.

Idem prius contigerat Nobili Baroni, Magnifico Domino Henrico de Gera, qui à Gyrzikone captus ac turri in arce Podiebrat incluſus, cum peſte correptus, petijſſet confiteri & communicare ritu Catholico, denegatum eſt ei utrunq;, Cunq; ſub utraq; ſpecie communicare nollet, atq; ita ſine uiatico decederet, denegata fuit eius funeri Eccleſiaſtica ſepultura, & uelut uiliſsimum morticinũ ſub turri in loco prophano terrę conditum eſt.

Feſtum Dedicationis in Eccleſia Rokyzanę.

Cum autem Principes illi aliquandiu Pragæ agerent, & Gyrziko cum pleriſq; alijs Baronibus inter Regem Ladislaum, & Ducem Vuilhelmum ſuper quibuſdam articulis mediatores eſſent, incidit eo tempore feſtum Dedicationis Eccleſiæ B. Mariæ ante lætam Curiam, ubi præſidebat Rokyzana, celebrandum, in Dominica proxima ante feſtum S. Michaëlis, quod feſtum Diui Vuenceslai die proximo præcedit, in menſe Septembri. Quod ut quam magnificentiſsime peragеretur, pręcepit Rokyzana cunctis in utraq; ciuitate Pragenſi Plebanis, ſectæ ſuæ adhærentibus, ut in omnibus ſuis Eccleſijs eadem Dominica die Dedicationis feſtũ peragerent. Vnde factum eſt, ut per omnes Eccleſias protenderentur uexilla, feſtum Dedicationis indicantia. Id quod Hæreſiarcha pro magna ſibi gloria reputabat

tabat, quod ei tanquàm Archiepiſcopo ita parerent Eccleſiarum Parochi. Cum autē frater quidam Ordinis Prædicatorum, in Monaſterio & Eccleſia S. Clementis, contra hunc nouæ ſuperbiæ faſtū prædicaret, quod non ſit ſimplicis ſacerdotis (qualis erat Rokyzana) feſta Dedicationis pro libitu ſuo trāsferre: miſer ille frater mox altero die deperditus fuit, nuſquam ulterius Pragæ comparens. De quo non ſatis compertū erat, ſubmerſus ne an clam eiectus fuerit. Quātumuis uero poteſtatē ſibi uſurparet Rokyzana, Rex tamen, licet adoleſcens, nunquam perſuaderi potuit, ut Eccleſiam eius intraret. Cunqꝫ ille in celebritate corporis Chriſti ſacrā Euchariſtiam per urbem deferret, Rex illum è feneſtra conſpicatus, nullum reuerentiæ ſignum præbuit, percunctantibus amicis, ut quid Sacramentum inhoneſtaſſet? Non me latet, inquit, diuiniſsimum Chriſti corpus dignius eſſe, quam ut per me ſatis honorari poſsit, nec mea reuerentia gloriam eius auget, neqꝫ dehoneſtatio decus imminuit: Verum mihi cauendum eſt, ne dum Chriſtum honoro, ſacrilegum presbyterum Rokyzanam popularibus approbaſſe uidear, quorum plerumqꝫ mores ex Principe pendent. Nec illi me Deum contempſiſſe putabunt, cuius ſacratiſsimum corpus in Catholici presbyteri manu me ſummis ſemper honoribus proſecutū fuiſſe uiderunt. Cum igitur uiderent hæretici, ſua ſacra à Rege deſpici, grauis eis eſſe cœpit mora Regis. Vnde cōtigit, ut cum Auſtriales & Vngari peterent ad ſe reuerti Regem, Huſsitæ illi diſceſſuro minime aduerſarentur. Creatis igitur de more per Regem nouis in utraqꝫ ciuitate Conſulibus, feria Quarta poſt feſtū omnium Sanctorum, & conſtitutis Pragæ Capitaneis, Domino Sbincone de Hazenbergo, nobili de familia leporum Barone, & Domino Henrico de Stratz: Aſſumpto ſecum Domino Gyrzikone, Gubernatore Regni aliiſqꝫ Baronibus non paucis, à Praga diſceſsit Rex Ladiſlaus, die Dominica ante feſtū S. Catharinę, uerſus Vratislauiam, nobilem ciuitatem, & caput Sleſiæ, ut illam inuiſeret, priuſquam in Auſtriam & Vngariam rediret.

Rex Rokyzanā ubiqꝫ contempſit

Diſceſſus Regis è Bohemia.

Anno Domini M. CCCCLV.

Rex à Clero Senatuqꝫ & populo Vratislauienſi quam honorificentiſsime ſuſceptus, in comitatu ſuo multos habebat Epiſcopos, Principeſqꝫ & Barones. Inter quos Gyrziko, Gubernator Regni Bohemiæ, minime inter poſtremos erat. Accidit aūt, cū Rex in Eccleſia Cathedrali ſacris intereſſet, & proxime aſsiſteret ei Gyrziko, acceſsit ad eum Kilianus, Paraſitus quidam: qui ſtultitiam ſimulare ſolitus, ut alios ſtultos faceret, dicebat illi, Nōne ſatis nitida uidetur tibi

Kilianus Paraſitus

tibi religio noſtra? Vides, quam multi ac magni Principes, & ipſe Rex noſter, unum ritum ſequuntur. Cur non his potius quam Rokyzanæ conſentis? An plus ſapere paucos Bohemos quã reliquam Chriſti Eccleſiam cenſes? Quin relicta incondita plebe, nobilitati te iungas nobiliter. Ad hæc Gyrziko cum grauitate reſpondens, ait. Si tua hæc ſunt uerba, non es quem ſimulas, Tibi tanq̃ prudenti reſpondeo: Sin aliena, ſatisfacere me illis oportet. Audi ergò, Eccleſiaſticas Cæremonias ſua quiſq; pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quæ credimus Deo grata. Neq; noſtri arbitrij eſt, credere quid uelimus, Victa magnis rationibus mens humana, uolens nolenſq; capitur, utq; natura inſtituta eſt, altera facile trahitur, altera elabitur. Mihi perſuaſa eſt meorum ſacerdotum religio. Si tuam ſequor, homines fortaſſe fallam, animæ meæ contrarius: Deum qui corda inſpicit, nequeo fallere. Neq; me tui ſimilem eſſe decet: Aliud Hiſtrioni, aliud uerò nobili conuenit. Hæc uel tibi habeto, ſi ſapis: uel his referto, qui te ſubmiſere.

Graue reſponſum Gyrzikonis.

Varia erat Aulicorum Regis fortuna, Comes Ciliæ, qui erat Regis auunculus, Eitzingeri delatione & aſtu ab omni adminiſtratione rerum amotus & turpiter eiectus, ab eo ſalutem petijt, cuius ſaluti maxime inſidiatus fuerat, Nempe ad Cæſarem ſe conuertit, petens ab eo ueniam, ac magna promittens, ſi in gratiam reciperetur. Cæſaris uerò clementia fruſtratus, ad Venetos mittit, quibus graue tum bellum erat cũ Franciſco Sphortia, Duce Mediolani, promittens illis magna Bohemorum auxilia ſe adducturum, ſi ſtipendia in milites dare uellent. At illi maluerunt oblatam à Sphortia pacem acceptare, quam incertum belli euentum emere.

Comes Ciliæ ad Cæſ. tranſire uoluit, Deinde ad Venetos, repulſus utrobique.

Interea Eitzingerus cœpit inuiſus eſſe Baronibus, quorum auaritiæ atq; rapinæ obſiſtebat. Illi igitur nunc per ſeſe, nunc per filios ſuos, qui Regi die noctuq; aſsiſtebãt, Eitzingerum criminabantur, Comitemq; Ciliæ, auunculum & aſſertorem regnorum & prouinciarum eius, in gratiam recipiendum eſſe ſuadebant. Vnde factum eſt, cum Rex Viennam rediſſet è Vratislauia, ut Comes Cilię per amicos Regi reconciliatus, reuocatus ad priſtinos ſit honores. Is ergò Viennam rediens ſummo cum ſplendore (Mille enim equites eum ſequebãtur) cum ueniſſet ad urbem, extra portas obuium ſibi habuit, Ipſum Regem cum uniuerſo comitatu regio, Vnus Eitzingerus per auerſam portam effugiens, fortunæ ceſsit, ac mortem fuga euaſit.

Eitzinger eiectus & reſtitutus Comes Ciliæ.

Affuerunt paulo poſt Legati Vngarorum, petentes, ut Rex ad Vngaros propter uarias regni neceſsitates uenire dignetur. Multa in Ioannem Huniadem, Regni Vngarici Gubernatorem dicta ſunt, cum ab alijs, tum maxime à Comite Ciliæ, qui cauſabatur, illum in Vngaria Regem agere,

Criminationes contra Ioan. Huniadem.

agere, uectigalia ad eum cũcta deferri, munitiſsima regni oppida, arces, equos, arma, in poteſtate eius eſſe. Si ergo Rex in Vngariam pergat, uerendum eſſe, ne ſub manu illius conſtitutus, ui aut ueneno pereat. Extinguendum prius eſſe Huniadem, ut ſecure in regnum ſuum Rex proficiſci queat. Hinc uarijs artibus actum eſt, ut euocatus ad Regem Huniades, dolis circumuentus interiret. Ille autem de fraudibus ijs certior per amicos factus, omnes Comitis dolos & inſidias eluſit, habens in comitatu ſuo Duo Milia equitũ.

Gubernator Regni Bohemiæ Gyrziko, audiens male conuenire Regi cum Huniade, profectus eſt Viennam, ut Regem tuto reduceret in Bohemiã. At uarijs interim tractatibus eo deuentum fuit, ut Rex conſtituerit Budam proficiſci. Reuerſo igitur domum abſq; Rege Gyrzikone, Rex Budam profectus eſt, unde miſit ad Pragenſes epiſtolam, in hæc uerba.

Epiſtola Ladiſlai Regis ad Pragenſes.

Honorabilibus & prudentibus Magiſtris ciuium et Conſulatui Pragenſi, fidelibus noſtris dilectis. Ladiſlaus, Dei gratia Vngariæ & Bohemiæ &c. Rex, Auſtriæ Dux & Morauiæ Marchio.

Honorabiles & prudentes, fideles dilecti. Quoniam proſperos ſucceſſus rerum noſtrarum ſynceritati ueſtræ iocundos fore non ambigimus, ut cum ijs, qui Maieſtatem noſtram diligunt, gratulari lętariq; ualeatis, notificandum uobis duximus, Celſitudinem noſtram nuper elapſis diebus Inclytum Regnum Vngariæ adiuiſſe: aſsiſtentibus nobis Reuerendiſsimo Archiepiſcopo Strigonienſi, Comite Palatino, alijſq; Prælatis, Proceribus & Nobilibus Regni prędicti, ipſiſq; Serenitatem noſtram comitantibus, cum lęto populorum occurſu, magnaq; omniũ exultatione, uſq; Budam, Regni ipſius præclaram urbem perueniſſe. Itaq; præfati regni noſtri nacti poſſeſsionẽ, acceſſu noſtro trãquilla pace & quiete nobis firmius ſolidamus. Hæc uobis ad ueſtram conſolationẽ de noſtris proſperitatibus nunciata, alijs, qui uobiſcum congaudeant, nota facere non omittatis. Datum Budæ, Die Octaua Menſis Februarij: Regnorum noſtrorũ Anno Vngariæ &c. Decimo Quinto, Bohemiæ uerò Tertio.

Proſper Regis trãſitus in Vng.

Hęc annorum regni diuerſitas, ex coronationis tempore attenditur.

Mortuus eſt eodem anno Romæ Nicolaus, Papa Quintus, uir optimus & doctiſsimus, Cui Philippus frater, Ro. Eccleſiæ Cardinalis, egregij operis monumentum in B. Petri templo extruxit, hoc adiecto Epitaphio. Hic ſita ſunt Quinti Nicolai Antiſtitis oſſa, Aurea qui dederat ſęcula Roma tibi: Cõſilio illuſtris, uirtute illuſtrior omni, Excoluit doctos doctior ipſe uiros &c. Cui in Pontificatu

Mors & Epitaphium Nicolai V.

ſucceſsit

Calixti integritas. ſucceſsit Calixtus Tertius, natione Celtiberus ex Hiſpania, patria Satiuenſis Valentinę Diœceſis, uir utriusq; iuris peritiſsimus, ſummæ grauitatis & modeſtiæ, qui nunquam in Senatu aliquid per adulationem & gratiam loquutus eſt, ab omni pompa & inani gloria alienus. Hic tanto flagrabat zelo Chriſtianæ religionis & Turcarum odio, ut proprio Chirographo ſcripſerit iuramentum, de inferendo Turcis bello, In hæc ſanè uerba, uti Platyna recitat. Iuramētum Calixti contra Turcas. Ego Calixtus Pontifex, Deo omnipotenti uoueo, & ſanctæ indiuiduæ Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuſcunq; rebus potero, Turcas Chriſtiani nominis hoſtes ſæuiſsimos perſecuturum. Affirmat autē Platyna, hoc illum ſcripſiſſe antequam creatus fuiſſet Pontifex. At alia habetur eius iuramenti formula, in uetuſto quodam Chronographiæ codice, in hæc uerba.

Forma iuramenti quod iurauit Calixtus P P. III:

Iuramētum pro recuperanda Conſtātinopoli Ego Calixtus Papa Tertius, promitto & uoueo ſanctiſsimę Trinitati, Patri & filio & ſpiritui ſancto, Dei genitrici ſemper uirgini, ſanctis Apoſtolis Petro et Paulo, totiq; Curię cœleſti, quod etiā ad effuſionem ſanguinis proprij, ſi opus fuerit, dabo operam, & adhibebo omnimodam diligentiam, quantum potero, iuxta cōſilium uenerabilium fratrū meorū, pro recuperatione ciuitatis Conſtantinopolitanæ, quę heu peccatis hominum exigentibus, noſtris temporibus occupata & euerſa eſt, per Ieſu Chriſti Crucifixi Saluatoris noſtri inimicum, filium Diaboli, Machometum & Turcarum Dominum. Pro liberatione deinde captiuorum Chriſtianorum, necnon ad exaltationem fidei Orthodoxæ, ad exterminationem Diabolicę ſectæ reprobi perfidiq; Machometi, in partibus Orientalibus, ubi maxime lumen fidei occubuit. Pſalm.136. Quod ſi oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextra mea, Et adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, Et ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia. Vt aūt quod promiſerat, re ipſa pręſtare poſset, Prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique facultatum aliquid & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent. Ex his autem facultatibus XVI. Triremes Romæ ædificatas in hoſtem miſit, Patriarcha Aquileienſi pręfecto, Qui triennio maritima hoſtium Aſianorum uexauit. Inſulas quaſdam cepit, ac magnas calamitates hoſtibus intulit, uti refert Platyna. Apparente deinde per aliquot dies Cometa crinito & rubeo, ad auertendā iram Dei, Calixtus aliquot dierum

rum ſupplicationes decreuit: ut ſiquid hominibus immineret, totum id in Turcas Chriſtiani nominis hoſtes conuerteret. Mandauit præterea, ut aſsiduo rogatu Deus flecteretur, in Meridie campanis ſignum dari fidelibus omnibus, ut orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas continue dimicabant.

Anno Domini M.CCCCLVI.

Miſit igitur Calixtus Papa in Germaniam Cardinalem Sancti Angeli, Ioannem Caruaiam, uirum induſtrium ac magnanimum, Legatum de Latere, ut Septentrionis uires in Turcas concitaret. Machumetes enim capta Conſtantinopoli ſuperbus, cōgregabat ingentes copias, ut per Triballos in Vngariam eas duceret, Qua deuicta, Illyricos penetraret ſinus, atq; intima rura Liburnorum, rerumq; caput Italiam atq; Romam uno impetu ſibi ſubigeret. Legatus Car. S. Angeli.

Verum parua urbs, munita alioqui ac nobilis, Thaurinū, quæ nunc Alba Græca dicitur, ad confluentes Danubij Sauiq; ſita, tantos eius conatus retinuit. In quam ſanè Ioannes Capiſtranus, de quo ſupra dictum eſt ad longum, cum accepiſſet illuc appropinquare Turcas, cum magna manu cruce ſignatorum properauit. Sed & Ioannes Huniades, Vngariæ Gubernator, contractis raptim copijs, eo profectus eſt, Cardinalis Budæ remanſit, auxilia undiq; ciens. Rex Ladiſlaus, ubi aduenîſſe Turcas cognouit, nec Vngaris uires eſſe, quæ tantam uim ferre aut repellere poſſent, mobiles gentis animos ueritus, neq; ſatis tutam Budæ moram arbitratus, ſub ſpecie uenationis urbem egreſſus, in Auſtriam propere ſe recepit. Taurinum ſeu Alba Græca.

Machumetes, Turcarum Imperator, apud Albam caſtrametatus, ſummis uiribus eam urbis partem oppugnare adoritur, qua planus patuit aditus, ubi cruce ſignati ſtationes habebant, parum tecta armis acies, gladijs haſtiſq; tantum hiſpida, uerum ſerioſitate (ut ait Æneas Syluius) animi & cœleſti auxilio tuta. Ingreſsi ergò per muri ruinas Turcæ, atrox cum his prælium commiſere. Capiſtranus ex turri clamitans, Chriſtianos hortari, uexillum crucis oſtendere, opem de cœlo promittere, maledicere hoſtibus, Dei præſentiam implorare. Huniades modo huc, modo illuc cum globo militum currere, inſtaurare ordines, pro feſsis ualidos, pro ſaucijs integros ſufficere, Imperatoris ac militis officiū exequi. Pugnatum eſt ſumma ui utrinq;, modo noſtri, modo Turcæ pedem referre. Poſtremo repulſi à Chriſtianis Turcæ, oppidum fœda fuga relinquere. Rurſus ſequentibus cruce ſignatis, extra muros pugnam inſtaurare, mox data opera fugere, & quam remotiſsime ab oppido Atrox prælium in oppugnatione urbis. Io. Capiſtrani fidelis opera.

 Chriſtianos

Chriſtianos protrahere, Interim aciē à latere immittere, quæ reditum in urbem egreſsis intercipiat, Quod & factum fuiſſet, niſi Ioannes Capiſtranus ex muris has uidens inſidias, ſuos reuocaſſet. Cum autem parum exaudiretur, Tympanis et tubis uocem confundentibus, præceps in pugnam ruit, extra urbem, atq; inter Duas acies, inter tela uolantia percurrens, clamoribus ac ſignis crucē ſignatos redire coēgit. Fruſtrati magna ſpe rei bene gerendæ Turcæ, in caſtra redierunt, cum XXIIII. horis interdiu noctuq;, nunc muros quatientes, nunc manu pugnantes, prælium protraxiſſent. Machumetes amiſsis eo prælio plurimis militibus, ſequenti nocte incenſis caſtris ac machinis, cum toto exercitu trepidus abijt. Victoribus ea tantum præda relicta eſt, quę non potuit ab igne abſumi, tormenta ſcilicet ænea, & arietes ferro graues, machinarumq; ingens uis. Poſt hanc uictoriam Huniades morbo correptus, obijt in Zemplen oppido, ubi aſsiſtente & orante Ioanne Capiſtrano, ſpiritum Deo reddidit, Nec longe poſt ipſe quoq; Capiſtranus ſenio confectus, fœliciter obijt in oppido Villach. Fœlix nimirum mors utriusq;, quibus tam claro peracto prælio, ac tanto populorum fauore quæſito, ægra relinquere corpora datum eſt, ut perpetuo fruerentur in cœlis gaudiorum præmio. Ladislaus Rex, audita Huniadis morte, ſuadente Ciliæ Comite, in Vngariam redijt, atq; ut Turcarum relicta ſpolia, campoſq;, in quibus barbara caſtra fuere, uideret, Suaſu Comitis Albam profectus eſt, Retinebat eam urbem ualido præſidio Ladislaus filius Huniadis, maior natu, Qui uenieñti Regi, purpuratisq; ac togatis eius portas aperuit, armatos uerò, circiter Quatuor Milia, ab ingreſſu prohibuit. Hic dum mora trahitur, rem diuinam ſpectante Rege, conſilium de morte Comitis in abdito conclaui Proceres ineunt, Vocatus eo Comes, an iret aliquandiu hęſit: Exin diploide, uix penetranda ferro, indutus, proficiſcitur. Venientem Ladislaus proditorem compellat, qui patri ſæpe necem parauerit, infenſumq; ſibi Regem fecerit, nunc diem ueniſſe, quo ſcelerum pœnas luat. Comes, arrepto ex manu armigeri gladio, Ladislai caput petijt, & quibuſdam interijcientibus manus, digitos eo ictu amputauit. Exorto autem clamore irruperunt Vngari, qui defendentē ſe magno animo Comitem, multis confoſſum uulneribus obtruncauerunt. Rex tam atroci facinore uehementer commotus, dolorem ſupra quam ferebat eius ætas compreſsit, neq; tamen dubitauit ui cæſum Comitem profiteri, iuſsitq; defuncti cadauer plauſtro impoſitum, Ciliam deferri, atq; in ſepulchris maiorum condi. Deinde relicta Alba Budam repetere ſtatuit, comitante Ladislao Huniadis filio. Inter

[Margin: Victi Turcæ.]
[Margin: Obitus Huniadis et Capiſtrani.]
[Margin: Rex in Vngariam reuerſus.]
[Margin: Comes Ciliæ in Alba Gręca interfectus.]

equitandum ad oppidum Huniadum peruenit, ubi Huniadis coniunx obuiam ei facta eſt, lugubri ueſte ob mariti mortem induta. Rex matronam complexus, in conſolationem eius multas commemorauit laudes, & præclara facinora Huniadis, iuſsit lugubria ueſtimenta ponere, & purpureas tunicas auro diſtinctas afferri, quas uiduæ duobusq́ filijs eius Ladislao & Mathiæ dono dedit. Puellas quoq; pro dignitate donatas, mutare habitum iuſsit, totumq́ diem lætitiæ dari. His blandimentis allecti Huniadis filij, poſito metu de cæde Comitis, Regem Budam uſq; ſecuti ſunt, Aulam in primis æſtimati cultiq́ frequētantes. Verum amici Comitis regias aures quotidianis pulſabāt querelis, quod mors Illuſtris Principis & auunculi Regis maneret inulta, corrigendum eſſe audacem iuuenem, ne prope diem in caput ipſius Regis facinus aliquod intendat, qui Regi proximum obtruncare nō ſit ueritus. Iam ei regnandi ſpem factam eſſe, patrem eius idem concupiuiſſe, animum ſeni, non uoluntatem defuiſſe, grauiorem ętatem diſcrimina quæq; metiri, iuuenem quodcunq; libuit factu facillimum credere, per æqua & iniqua ad regnum tendere. Rex ijs motus, deſignata hora, diſpoſitisq́ in regia armatis, compræhendi & in carcerem rapi iuſſit ambos Huniadis filios, Cum quibus & Ioannes Epiſcopus Varadienſis & plæriq́ alij, tanquàm conſcij, tum cædis Comitis, tum inſidiarum quæ Regi pararētur. Ladislaus XXIIII. annos natus, egregio corpore iuuenis, flauis de more crinibus ſuper humeros paſsis, reuinctis poſt tergū manibus, talari atq; aurea ueſte: quam Rex paulo ante donauerat ei: indutus, in publicū producitur, Qui erecta ceruice, oculis hinc & illinc ſpectantibus, intrepidus ad ſupplicium pergit, ac pauca pro ſua excuſatione locutus: iuſſus genua flectere, Carnifici paruit ceruicem ſibi amputaturo. At carnifex religata illius coma, ne collū impediret, nutās + libansq́ uix tandem Quatuor ictibus candidam ceruicem abſcidit. Frater eius Mathias, in uinculis retentus, Viennam perductus eſt, Epiſcopus Varadienſis duobus Cardinalibus, Ioāni S. Angeli & Dionyſio Strigonienſi cuſtodiendus, & ſecundum Canones iudicādus traditur: paulo poſt à Rege, cum per Strigoniam iter faceret, dimiſſus. Cæteri fractis carceribus euaſere. Rex Budæ non diu moratus, Viennam redijt.

Rex uiduā Huniadis relictā conſolatur.

Accuſatio cōtra filios Huniadis.

Captus & gladio cæſus Ladiſlaus Huniadis filius

+ titubans

Anno Domini M.CCCCLVII.

Erat Rex iam XVII. annos natus, quando cœptum eſt ei de uxore proſpicere. Multæ quidem uirgines offerebantur, tantum coniugium expetētes, Verum nobiliſsimo Regi nulla dignior uiſa

Sponſa Ladislai Regis.

eſt Magdalena, Caroli Regis Franciæ filia, tum propter ætatem conuenientem, egregiam formã, pudicos mores, tum propter ſanguinis excellentiam & maiorum eius gloriam. Placet itaq; Legatos mittere, qui ſponſam petant. De loco autem nuptijs eligendo contentio exoritur. Vngari Budam, Auſtriales Viennam, Bohemi Pragam, tantæ celebritati deputandam aiunt. Diu res trahitur, nutante Rege. Ob eam cauſam Gubernator Regni Bohemiæ Gyrziko, in Auſtriam cum DCCC. expeditis equitibus proficiſcitur. At Viennam intrare nolens, tanquàm ſuſpectam ſibi ciuitatem (Nam paulo ante fuerat ibi mortuus Dominus Henricus de Roſis, XXV. die Ianuarij, cum ex Vngaria rediſſet à Rege) euocauit Regem ad colloquium, magna ſe habere dictitãs, quę ei pandat. Verum neq; Danubium tranſire, neq; alteri quàm ipſi Regi pandere quicquàm uolebat. Indignum hoc Senatui uiſum eſt, tantum permittere licentiæ ſubdito, Inſolentiorem inde fieri, & Maieſtatem Regis uileſcere. At Regem mouebat autoritas Gubernatoris, & aliquid ſubeſſe arduum exiſtimabat. Cedens igitur tempori, ac honeſtati utilitatẽ pręferens, inermis perrexit ad armatum trans flumen. Secuta ſunt Regem tria Millia equitum, ſed Togatus magis quàm Loricatus exercitus. Tentoria in ulteriore Danubij ripa protenſa, dimiſſo ſpacio inter bina caſtra, & tabernaculum in medio collocatum, In quo Rex cum Gubernatore cõueniret. Quatuor diebus colloquium productum eſt, Rex per noctem in urbem redijt. Primus congreſſus publicus fuit, in quo ſalutatio de more facta, & honor Regi habitus eſt. In altero atq; item in altero, duo tantum ſermonis teſtes adhibiti. In Quarto, ſemotis arbitris, ſolus cum Rege Gyrziko tabernaculum introiuit. Verba inter eos habita, non ſunt prodita, Ex ijs autem, quæ ſequuta ſunt, apparet, de tranſitu Regis in Bohemiam tractatum fuiſſe. Vbi autem, ſermone ſępius habito, nõ conuenere uoluntates, Gubernator indignabundus minabundusq; retro flexit iter in Morauiam. Regi haud ſalubre uiſum eſt conſilium, dimiſiſſe hominem male pacatum, quem penes Regni poteſtas eſſet, qui nocere pariter ac minari poſſet. Miſit ergò primores ex Curia Proceres, qui placatum retraherent: Sin minus, facturum poſtulata Regem promitterent. Inuentus in itinere, nec de reditu uerbum fieri paſſus eſt, nec de ſententia ſua quicquàm detraxit. Promiſſus eſt itaq; in Bohemiam Regis tranſitus, & nuptiarum ſolennitas Pragæ deſtinata.

Contentio de loco nuptiarum.

Rex è Vienna trans Danubiũ ad Gyrzikonẽ perrexit.

Colloquiũ 4. dierum.

Gyrziko Regi formidabilis.

Diſcordia inter Cæſ. & Ladislaũ

Erat adhuc antiqua inter Cæſarem et Ladislaum Regem diſſenſio, ab eo tempore, quo Rex ante iuſtam pubertatem è manibus Cæſaris, qui tutor eius erat, per arma ereptus fuerat. Ad quam

ſane

ſane ... llendam, non ſolum Dux Bauariæ, ſed & Papa Calixtus III. uices per Legatum ſuum interpoſuit: Quemadmodum intelligere licet ex ea epiſtola, quam ad Regem dedit, in hæc ſanè uerba.

Calixtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Chariſsimo in Chriſto filio Ladislao, Regi Vngariæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Intelleximus, non ſine graui diſplicentia mentis noſtræ & amaritudine cordis, quod adhuc inter Chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Fridericum, Romanorum Imperatorem Auguſtum, & tuam Serenitatem, non ſolum diſcordia, ſed apertum bellum perdurat, & hinc inde ſubditi ueſtri uexantur & lacerantur. Quæ res tanto moleſtior nobis eſt, quãto magis ex inde Chriſtianæ Reipub. detrimentum reſultat. Eſt profecto res deteſtabilis, quod uos, qui unà ex familia nati eſtis, proximi ſanguine, fratreſque patrueles, tantis adinuicem odijs feruetis, ut etiam armis decertetis. Dolendum eſt, quod opulentam et nobilem patriam ueſtrã, nunc ferro nunc igne diſſenſio ueſtra deuaſtat, Et illas uires inter uos conſumitis, quas deberetis in hoſtes fidei, pro tutela Chriſtianæ religionis effundere. Et quamuis Imperatori præfato, tanquam primo inter ſæculi Principes, aduocato Eccleſiæ, & protectori fidei Catholicæ, potiſsime incumbat, pace in ſuo Imperio procurato, totis conatibus in eos militaria ſigna trãsferre, qui nomini inſultare Chriſtiano nituntur: Tibi tamen nõ minor cura eſſe debet, ad hoſtes fidei propulſandos, & maxime Turcas, qui Regno tuo Vngariæ latiſsimo & quondam florentiſsimo, non ſolum uicini ſunt, illicque moleſtias indies inferunt, ſed etiam non paruas eius prouincias ſibi uſurpauerunt. Dolemus certe, et angimur uehementer, cum indies ex illo regno Chriſtianos capi, & in barbaricam deduci captiuitatem accipimus, Miramurque te non maiori ſtudio teneri pro defenſione ipſius regni quam uidemus, Qui dum in Auſtria cum patruele tuo contendis, præfati regni curam poſtpoſuiſſe uideris: Tanquam plus doleas, unam tibi per Chriſtianos uillam auferri, quam ſi per Turcas una prouincia ſurripiatur. Certe illud palam eſt, quod cum tu & dictus Imperator inuicem diſcordes eſtis, & domeſtico bello impliciti, non ſolum Vngaria, ſed tota uere Chriſtianitas in periculo ponitur. Nam quomodo Gallici & Hiſpani uel Anglici contra Turcas exercitum ducere curabunt, in remotis agentes: quando uos, qui prope eſtis, & quorum potiſsime res agitur, inter uos diſsidentes, nihil cogitare uidemini ſuper his, quæ Turcarum perfida

In epiſt. Æneæ Sylu. epi. 345.

Deteſtabile bellum inter conſanguineos

Repræhenſio Regis, propter neglectã Vngariam.

Bellum cõtrũ toti Chriſtianitati nociuum.

gens aduerſus Chriſtianos indies molitur? Eſt igitur ſupra, quàm dicere poſſumus, periculoſa hæc ueſtra diſcordia: Nec uidemus, quin mala infinita prorumpant, niſi quàm celerrime tu & Imperator præfatus ſimul concilie mini. Audiuimus tamen unum, quod nobis conſolationi eſt, dilectum filium, Nobilem uirum, Ludouicum Bauariæ Ducem, in Auſtriam deſcendiſſe, concordiam inter uos, tanquàm communem amicum practicaturum. Nos autem dilecto filio noſtro, Ioanni Cardinali S. Angeli, Apoſtolicæ ſedis Legato, qui iam dudum pro ſalute Regni tui Vngariæ, procꝗ communi Chriſtianorum utilitate, non ſine magnis laboribus & expenſis, ibidem commoratus eſt: literas dedimus, ut ad Imperatorem & tuam Serenitatem confeſtim ſe conferens, omne ſtudium ſuum ad id conuertat, ut tandem lites ueſtræ tollantur & penitus ſopiantur, redeatcꝗ ea inter uos beneuolentia, quam propinquitas ueſtra requirit & nos deſideramus. Interea dilectus filius Laurentius Ronardella, ſacræ Theologiæ profeſſor, nuncius & Subdiaconus noſter, ſimul cum dilecto Duce ad eam pacem pro uiribus ſe agitabit &c.

Studiũ pro concordia.

Eodem anno cum iam Cardinalis factus eſſet Æneas Syluius (qui mox anno ſequenti ex Cardinali factus eſt Papa Pius Secundus) & Romæ conſtitutus, accepiſſet de Archiepiſcopatu Pragenſi quoſdam, priuatis commodis magis quàm publicæ utilitati proſpicere, ea de re monuit per literas Inclytũ uirum, Dominũ Procopium de Rabenſtein, Cancellarium Regni Bohemiæ, in hæc uerba.

Admonitio de Archiepiſcopatu Pragenſi.

Epiſt. 260. Scripſimus tibi, quid egerimus in re Bohemica, necꝗ à te reſponſum habemus. Interea tuus Roratus, homo multiuolus & magniuolus, ex Bohemia procurauit offerri poſtulationem ad Pragenſem Eccleſiam cuiuſdam Datarij Apoſtolici: boni quidem uiri, ſed Cathelani, & ſermonis Bohemici prorſus ignari. Poſtulationem attulit Lucas tibi notus Monachus, quem Lucrifaſium appellare ſoles. Impediuimus huc uſcꝗ promotionem huius rei, ne rei noſtræ nocumentum inferret. Timemus, ne diutius impedire poſsimus. Nam Datarius plurimos fauentes habet, & Roratus die noctecꝗ hos illos adit, ſuadens, nil regno utilius quàm promotionem hanc fieri. Velis de his & Regem & Gubernatorem commonefacere, ut ſciant, quibus in terminis res ſunt, & an iſta placeant eis, nos certiores facito. Nam Regi & regno ueſtro ſeruire præſto ſumus. Ex Roma die X. Martij, Anno Domini M. CCCC. LVII.

Poſtulatus in Archiepiſcopatũ Datarius.

Fuit Procopius ille uir ſummæ apud Regem pariter & Gubernatorem autoritatis, qui antea cum eodem Ænea diu uerſatus fuerat in Aula Cæſaris. At ex familia eius, eodem anno iſto, duo præclari

Procopius & Ioannes de Rabenſtein.

prædari uiri, eiuſdem nominis, diuerſis fatis uſi ſunt. Nam Ioannes de Rabēſteyn, Miles auratus, uir fortis ac ſtrenuus, moritur Pragę feria Tertia poſt dominicam Inuocauit, In Quadrageſima. Alter uerò Ioannes de Rabenſtein, Decretorum Doctor, factus per Regem Præpoſitus Eccleſiæ Vuiſegradenſis extra mœnia Pragę, poſſeſsionem Præpoſituræ obtinuit XIII. die Nouembris, X. diebus ante obitum Regis. Rex memor promiſsi, ordinatis Auſtriæ rebus, ingenti apparatu Bohemiam petīt, atq; in feſto S. Michaëlis Pragam intrauit, cum iam tres annos abfuiſſet. Primum igitur obuiam proceſsit Rokyzana cum Clero ſuo, magno comitatu pompam ducens, & habita oratione, de fauſto ac fœlici reditu Regi congratulatus eſt. Rex autem, hæreticum ac peſtiferum Clerum toruis oculis inſpiciens, uix admonente Gyrzikone, gratias egit. Vbi uerò Maioris Eccleſię ſacerdotes, ſacra ferentes occurrerunt. Hos (inquit) Dei miniſtros agnoſco, atq; ab equo proſiliens, conſalutatis omnibus, ſacram crucem oſculatus eſt. Ea enim Eccleſia ſemper in Catholica fide permanſit: Cuius ſanè Prælati & Canonici, pro teſtamento Dei, multas ab hæreticis tribulationes, damna & exilia perpeſsi ſunt. Hæc autem Ladiſlai Regis pietas, multorum offendit animos, qui Rokyzanæ ſtudebant ineptijs, ſuppreſſum tamen ac diſsimulatum eſt odium. Decretæ ſunt ergo Tres Legationes. Vna ad Imperatorem Fridericum III. de pace actiua, in qua Princeps fuit Eitzingerus, qui poſt necem Comitis Ciliæ Regi reconciliatus fuerat. Altera, ad Carolum Francię Regem, huius nominis ſeptimum, eius filiam petitura. Hæc omnium ſplendidiſsima extitit, In qua primas partes geſsit Dominus Vlricus, Epiſcopus Patauienſis, moribus ac doctrina præditus, quem ferunt LXXX. equos albicantes duxiſſe. In ea autem Legatione DCC. equites à Praga profecti ſunt uerſus Franciam, X. die Octobris, in feſto S. Gereonis. Inter quos ſanè multi fuere Barones & Proceres, tum utriuſq; Regni, Vngariæ, inquam, & Bohemiæ, tum nobiliū prouinciarum, Auſtriæ & Morauiæ, Et cum ijs Duo Epiſcopi, Patauienſis & Vuaradienſis. Quadrigæ præterea auratæ, & in ijs Matronæ ac uirgines nobiles ſplendido apparatu, quæ ſponſam ducerent. Veſtes item precioſæ, & dona tanto matrimonio digna, ſimul miſſa. Tertia uerò Legatio ad Calixtum Pontificē Maximum decreta erat, quę controuerſias de religione dirimeret, Regnumq; Bohemię Ro. Eccleſiæ ex integro coniungeret. Quarta Regis cura erat, de comparando contra Turcas ualido exercitu, quo tandem ſcelerata Machumetis ſuperſtitio ab Europa pelli poſſet. Conuenerat iam de concordiæ formula cum Imperatore. Inſtrueban-

Regi obuiā Pragæ proceſsit Rokyzana cū ſuo Clero.

Regis pietas erga Clerum Catholicum.

Tres Legationes è Praga miſſæ.

Maximus nuptiarum apparatus.

tur regiæ nuptiæ maximo ſumptu, ſplēdidiſsimo apparatu. Vocabantur ad nuptias Imperator & Auguſta. Duę item ſorores Regis & earum mariti, Rex Poloniæ, & Dux Saxonię Vuilhelmus. Duces item Bauariæ, Sleſiæ, Franconiæ, & Rheni Principes. Multi quoq; ex Gallia Reguli, uenturos ſe promiſerant, non ſolum nuptias ornaturi ſua præſentia, uerumetiam de tuenda contra Turcas Repub. Chriſtiana cum Rege acturi. Sed hos tantos cogitatus, has pulcherrimas inſtitutiones, tantum rerum ordinem & apparatum, immatura ac repentina mors Regis interrupit. Vt cognoſcamus, incertas ac uanas eſſe cogitationes hominū: ac futurum, quicquid caligine cæca, in qua uerſamur, Deus occuluit. Ipſe enim ſibi gubernacula retinet uniuerſi, ſapienter ac iuſte cuncta diſponens.

Controuerſia inter duos Barones. Ladislaus igitur Rex die XXII. Nouembris, cum ſediſſet in iudicio: quod de nobilitate inter Gyrzikonem, hoc eſt, Georgium de Cunſtat ſeu Podiebrat, Gubernatorem Bohemiæ, & Ioannem de Czirnburg ſeu Tauuazau, Generalem Capitaneum Morauię, agebatur magnis contentionibus, ita, ut alter alterum ad duellum prouocaret, licet ambo Huſsitæ eſſent: Triſtem Rex uultum præ ſe tuliſſe uiſus eſt, Quod præſagientis ægritudinis iudicatum eſt fuiſſe ſignū. Dimiſſo tribunali, cœnauit inter purpuratos, compoſito ac graui ſermone uſus. Poſt multam noctem in cubiculum ductus, oblatas rapulas, quæ apud Bohemos dulciſsimæ ſunt, auidè comedit, cereuiſiamq; ſeu (ut Æneas ait) ſicerā bibit. Priuſquàm lecto decumberet, orationem de more ad ſuperos habuit, Qua finita, grauatum ſe dixit, & ſtomachum uehemēter dolere. Cui unus ex cubicularijs, natione Bohemus, Aſcende, inquit, ſtratum: dolorem ſomnus excludet. Paruit Rex, quietiq; ſe tradidit, Cumq; ad horam dormiuiſſet, uocato iterum cubiculario, uim doloris, qui ſenſim creſceret, intolerabilem eſſe ait. At ille de ſe iudicium faciens, nihil melius ſomno affirmabat. Rex itaq;, ne cubicularijs moleſtus eſſet, in diē uſq; dolorē pertulit tacitus. Tum medici accerſiti, quod ſuarum partium erat, deſperata ſalute fecerunt. Vocatus & ipſe Gubernator, iuſsit Regem bono eſſe animo, ac petere quæcunq; uellet, omnia in arbitrio ſuo eſſe, mandaret ergo parere cupientibus.

Rex ægrotare cœpit.

Verba Regis ad Gyrzikonem. Ad quem Rex. Tua mihi Georgi iam pridem cognita fides ſpectataq; uirtus eſt, Per te Bohemus uſque in hanc diem me Regem appellauit. Speraui me potiturum regno, quod ipſe parau eras. Nunc contra ſuperi iubent, Mihi moriendum eſt, regnum in manu tua erit. Duo ex te peto: Alterum, ut prouinciales iuſte regas: Alterum, ut qui me ſecuti ſunt ex Auſtria cæteriſq; prouincijs, in patriam ſuam inuiolatos remittas, hoc mihi ſupremū beneficium

ne

ne deneges. Age igitur, promitte quod cupio. Nam me mori certum eſt. Non potuit tenere lachrymas Gyrziko, deditq; fidem, ſe facturum quod Rex imperaſſet. Finito ſermone, intromiſsis ſacerdotibus, de curatione animæ actum eſt, Chriſtiano more, Sacramenta exhibita. Rex ornamenta ſua Eccleſiæ Pragenſi legauit, iuſsitq; crines in auri modum fulgentes (ne qua ſupereſſet uanitas) amputari. Id miniſtri, cauſas moræ nectentes, neglexere. Vbi anima ægra amplius demorari non potuit, ſacram candelam petijt, camq; manu præhendit, & intuens ſaluatoris imaginem Crucifixi, orationem Dominicam dicere orſus, ad finem uſq; perduxit, pronunciatisq; ultimis uerbis, Sed libera nos à malo, nihil amplius locutus: non extrema pati, ſed quietem arripere uiſus, mortalis uitæ lumen reliquit. Hæc Æneas in hiſtoria. Mortuus eſt igitur Nobiliſsimus Rex, adhuc adoleſcẽs, in ipſo ætatis flore, annum ætatis Duodeuigeſimum nondum egreſſus, in ſummo gloriæ culmine, in maxima de ſe omnium expectatione, mutato repente nuptiarum gaudio in funeris acerbiſsimũ luctum. Mortuus eſt autem Pragæ, non in arce, ſed in antiqua ciuitate, in domo Regia ad S. Benedictum, In feſto S. Clementis, ſub ueſperam, die XXIII. Nouembris, quæ eſt IX. Calendas Decembris. Mortem eius alij morbo, alij ueneno imputauere, adeo, ut Germaniæ populi etiam uulgari cantilena Gyrzikonem & Rokyzanam de ueneno ſuſpectos pronunciauerint. Rokyzanæ quidem ſeni calidiſsimo & ueteratori peſsimo, regiam mortem nemo non acceptiſsimam iudicauit. Gyrzikonem uerò uidentur excuſare ipſius uerba Regis, ſupra ex Ænea recitata. Inter epiſtolas uerò eiuſdem Æneæ, extat una hac de re, quæ mihi falſo uidetur Æneæ aſcripta, Cum is eo tempore, nec Pragæ nec Viennæ, ſed Romæ fuerit Cardinalis: Quemadmodum ex ſequentibus patet epiſtolis, Quarum quædam VI. Calendas Decembris, aliæ VII. Calendas Decembris, aut VIII. Calend. Decembris Romæ datæ fuerunt. Cæterum quiſquis illius epiſtolæ ſcriptor fuit, cum præſens apud Regem fuerit in morte, eius uerba ueluti teſtis ocularis præterire non libet, quamuis de autore eius mihi non conſtet, niſi quod Æneæ, cui falſo aſcribitur, eſſe non poteſt, uti iam diximus, ſed potius ab alio ad illum ſcripta uidetur.

Teſtamentum Regis.

Leuis mors & exitus Regis.

Vbi & quando mortuus eſt Rex.

Robertus Gaguinus, lib 10. Et Michael Ritius lib. 2. aiunt, Eius interitum ueneni ſuſpicione non caruiſſe.

Epiſtola Aeneę Syl. falſe aſcripta. Vide epiſt. 346. 347. & 348.

Verba epiſtolæ de morte Ladiſlai Regis.

Calamitatem illam lugubrem, deplorandamq; Regis Ladiſlai mortem, aliorum officio tuæ Dignationi innotuiſſe autumo. Ob quam rem, pro tua erga ipſum deuotione iam plene inueterata, incredibili

epiſt. 338.

incredibili te dolore affectum eſſe certo ſcio. Nunc autem, ut è Praga, ad quam infauſto totius orbis auſpicio cum Regia Celſitudine conceſsi, Viennam remigraſſem, putaui, mihi ad te de hac re aliquid ſcribendum eſſe. Conantem tamē id facere, ſuſpiria, lachrymæ, & ſingultus ita impediunt, ut mihi ex ea morte conceptus dolor, non modo renouari, ſed augeri uidetur. Quid autē potiſsimum in hac publica clade explicem, neſcio. Magna eſt uarietas ſermonum, quo genere mortis fatum obierit. Ego uero etſi ſcio, nemini prorſus me cedere oportere, habitudine notitiæ huiuſce rei, Qui quam creberrimè apud Regem, etiam ægrotantē, ſum uerſatus. Tamen ſilendum potius eſſe duco hoc tēpore, quam loquendum, Cum ſciam, rem illam indies magis clareſcere. An adoleſcentem Regem robuſtiſsimū, nullum prorſus uel doloris indicium ſentientem: Cum quo die Lunæ prætereunte mortē, uſq; ad noctis horam tertiam, ſumma poſtrema & facili lætitia fui, XXXVII. horarum interuallo, aliquod genus mortis naturalis, proſternere potuiſſet: ante quem, uel minimus quiſq; ex eius familia, neq; poſt eum ullus, etiam eorum qui ei ægrotanti quotidie aſtetimus, aut aliorum quiſpiam minimo fortis, hoc genere mortis interijt. Sed reprimam ego me, ne dolori nimiū indulgere uidear. Scio Procopium & Nicolaum tuum, aliter ad te ſcripſiſſe. Quibus certe nihil cedo huius rei notitia. Nam neuter eorum Regem ægrotantem alias uidit. Et ut quiſq; optime de Bohemis ſentit, ita hanc rem maxime diſsimulat.

Variæ ſententiæ de morte Regis.

Argumenta de ueneno.

Proco. de Rabenſtein. Nico. Liſtium.

Cum igitur mortuus eſſet Rex in die S. Clementis, ad ueſperam mox altero die conuocatis Proceribus, Gubernator dixit. Gubernationem ſuam morte Regis non expiraſſe, quam uſq; ad Pentecoſten ſibi commiſſam fuiſſe affirmabat. Quid facerent? arma tenenti nemo fuit obijcere auſus, morte mandantis finiri Imperium ſeu poteſtatem mandatarij. Cunctiq; Pragenſes nihil morarentur, ſe illius Gubernationi ſubmittere, cæteri quoq; acquieuerunt. Ferunt Mathiam, alterum Ioannis Huniadis filium, eodem die quo Rex Pragę obijt, captiuum è Vienna Pragam perductum fuiſſe. Quem Vngari, de morte Regis certiores facti, in Regem ſuum elegerūt. Nam Michaël Zilagi, auunculus eius, cum Budam uocati eſſent Barones regni ad Calendas Ianuarij, pro eligendo rege, magna cum potentia illuc uenit, adducens ſecum XIII. Milia equitum & VII. Milia peditum. Qui cum multa in laudem Huniadum commemoraſſet, alijſq; ob potentiam terrori eſſet, reconciliatus iam ijs, cum quibus ſibi, ob mortem Ladiſlai, fratris Mathiæ, ſimultas fuerat, effecit, ut Mathias communi omnium uoto unanimiter in Regem eligeretur, cum adeſſent ad XL. Milia uirorum, qui in medio

Mathias in Vngariæ Regem electus.

Hunc Michael Ritius Gilaſgium uocat. Et addit, quod ſponſionem ab eo acceperint Vnga. Mathiā fratris ſui Lad. necem non ultu rū, itaq; eū abſentē regē appellatum eſſe, hac lege, ut quinquennio Michael Vng. rē gubernaret, quouſq; Math. imperio maiurior eſſet.

dio

dio conſiſtentes Danubio, glacie conſtricto, Calendis Februarij Mathiam abſentem Regem acclamauerũt: miſſaq; in Bohemiam celebri Legatione, à Gubernatore, in cuius manu captiuus erat Rex eorum, magnis pollicitationibus Regem Mathiam obtinuerunt, & è carcere in regnum ad regale ſolium abduxerunt. Qui poſtea ſumma cum gloria & fœlicitate XXXII. annis regnauit. Michael Ritius Neapolitanus, affirmat, eum obijſſe, nulla ſuperſtite ſobole, Trigeſimo ſeptimo quo regnare cœpit anno. Duaſq; habuiſſe uxores. Priorem ſane, filiam Georgij Bohemię, Poſteriorem uerò Beatricem Ferdinandi Regis Siciliæ, natu minorẽ filiam, quæ poſt mortem eius nupſit Vladislao, fratri Regis Poloniæ, qui Georgio in Bohemię, Mathiæ in Vngariæ regno poſtea fœliciter ſucceſsit. Hic profecto pius & cordatus lector merito fatorũ ſecreta & diuini iudicij arcana, admirabũdus uenerabitur potius, quam perſcrutabitur, ne ſcrutator Maieſtatis opprimatur à gloria. Quis enim hominum poſsit hic perſcrutari cauſam, cur Duorum adoleſcentum, qui ætate & moribus pene pares erant, tam diſpar fuerit fatorum curſus. En Ladislaus Rex, & Mathias Huniades, ambo erant in XVIII. ætatis anno conſtituti, ambo eximiæ Indolis, ambo paternæ uirtutis æmuli, glorioſis parentum geſtis clari, At longe diuerſiſsima fuit utriuſq; fortuna. Ladislaus enim è regali ſolio, dum nouæ nuptæ Thalamum adornat, ſubito defertur ad tumulum luctu publico. Mathias uero captiuus, dum capitale ſupplicium trepidus expectat, inſperate è carcere ducitur ad regnum maximo cum gaudio. Quam hic, quæſo, cauſam tantæ diuerſitatis afferet intellectus humanus? Nunquid conſiliarius Dei unquã fuit? Quin potius dicat religioſe ac uenerabiliter cum Pſalmiſta. Iudicia Domini uera, iuſtificata in ſemetipſa. Item, Iudicia tua abyſſus multa. Item, Æquitas iudicia tua. Certum eſt enim, apud Deum nullam eſſe iniquitatem. Ladislaus igitur Rex VII. Calendas Decembris, in feſto S. Catharinæ, magno mœrore & publico totius regni luctu, elatus eſt è domo regia, per ciuitatẽ antiquam uſq; in arcem Pragenſem, ubi regia pompa, peractis exequijs, defuncti corpus appoſitum eſt ſepulchro maiorum ſuorum in Choro, Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis, ad oſſa Caroli Regis & Imperatoris hoc nomine Quarti, proaui ſui. Circumuectio autem corporis per urbem, more maiorum, omiſſa eſt, conſilio (ut ſuſpicari licet) Rokyzanæ, qui metuit, ne populus uiſo funere tam pulchri ac nobilis adoleſcentis, cõmiſeratione motus, ipſum, uelut ueneficum, & immaturę mortis procuratorem, raperet ad ſupplicium. Aduenæ qui Ladislaum ſecuti fuerant, peracto funere, mœſti abierunt è Praga quiſq; uiam ſuam.

De Regib. Vngariæ lib. 2.

Fatorũ arcana inſcrutabilia.

Prouerb. 25.

Pſalm. 18. 35. & 118.

Funus & ſepultura Regis Lad.

Tituli uero nobiliſsimi Regis, ita habentur in uetuſto quodam codice deſcripti:

forte† Raſciæ aut Romaniæ.

Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatię, Croatiæ, †Ramię, Seruiæ, Galbitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ Bulgariæq́ꝫ Rex: Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Lucenburgiæ: Marchio Morauiæ, Dominus Marchiæ, Slauoniæ, ac Portus Naonis: Comes in Habsburg, Tirolis & Feretis Kyburgi, Tiſsini, ac Lanigrauius Elzatiæ, &c.

HISTORIAE HVSSITARVM PER IOANNEM COCHLÆVM LIBER DVODECIMVS.

Anno Domini M.CCCCLVIII.

Cõgregatio ſtatuum regni, pro eligendo alio rege.

ORatores, qui pro ſponſa adducenda miſsi fuerant, de morte Regis certiores facti, triſtes redierũt Pragam, feria Quinta ante Dominicam Inuocauit, in Quadrageſima. Deinde poſt Dominicam Inuocauit, fuit Pragæ Congregatio Vniuerſalis totius Regni Bohemiæ, Baronum, Terrigenarum, Clientum & ciuitatum, pro eligendo nouo Rege. Ad quam ſanè congregationem diuerſæ aduenerunt Legationes Principum, regnũ illud ambientium & iura ſua allegantium.

Multi petitores Regni.

Fridericus Imperator, Regni ordinationẽ, ſuam eſſe affirmabat, eò quod feudi ſolennia neglecta fuiſſent, cum non præſtitiſſet ſibi Homagium, uti oportuerat, Rex Ladislaus. Carolus Rex Franciæ, qui filiam ſuam Ladislao deſponderat, petebat regnum uel alteri ex filijs ſuis, uel ei cui filiam tradere non dedignaretur. Caſimirus Rex Poloniæ, cui ſoror Ladislai nupta erat, regnum ad ſe iure ſucceſsionis pertinere dicebat. Nam, uti recitatum eſt ſupra, extant & literæ Imperiales & clariſsima exempla, quibus probatur, ius ſucceſsionis in Regno Bohemię etiam ad fœminas pertinere. Sic enim ſucceſſerat in regnum illud per uxorem, filiam Vuenceslai Tertij, Regis Bohemorũ Sexti, Ioannes, filius Henrici Imp. VII. Dux Lucelburgenſis, Atauus Ladislai: Sicut pater Ladislai, Albertus, Dux Auſtriæ, per filiam Sigiſmundi

giſmundi Cæſaris & Regis Bohemiæ ſucceſſerat. At idem ius arrogabat ſibi Dux Saxoniæ Vuilhelmus,cui ſoror altera maior natu nupta erat.Nec ſine ſpe Sigiſmundus & Albertus Auſtriæ Duces erant,qui ex antiquo fœdere,inter Auſtriæ & Bohemiæ Principes icto, uolebant regnum ad ſe pertinere, eò quod Rex Ladiſlaus ſine ſobole deceſsiſſet. Affuerunt & aliorũ quorundam Principum Oratores, utpote Ducis Bauariæ Ludouici, Marchionis Brandeburgenſis Alberti, Marchionis Miſnenſis Friderici &c. Qui de regno ſolliciti erãt,ſiue pro ſe,ſiue pro amicis ſuis impetrando,ſub quocunq; iuris,officij aut fauoris prætextu. At Rokyzàna, uenenorum ſator (ut ait Æneas Syluius) crebris ſermonibus uſurpabat, aut Regem ſuæ profeſsionis eligendum eſſe, aut ſi nemo tanto faſtigio dignus uideretur, Hebraico more iudices aſſumendos,per exempla ueteris legis probare nitebatur. Ante omnia uerò præcauendum eſſe cenſebat, ne quis Teuthonicorum Principum in Regem eligeretur,propter multas, quas Bohemis inculcabat,rationes. Si Teuthonicum elegeritis, inquit, ipſe longe maiorem habebit reſpectum ad Teuthonicos quàm ad Bohemos, Ipſe Regiæ Cameræ alijsq; officijs publicis Teuthonicos, præteritis Bohemis,præficiet, Ipſe per ciuitates regni Teuthonicos,neglectis Bohemis,ad magiſtratus & publicos honores euehet, Ipſe Conſiliarios,Aduocatos,Capitaneos, Præfectos, & id genus cuiuslibet officij utilis & lucroſi adminiſtratores, ex Teuthonicis eliget,tum in regno,tum extra regnum, Ipſe Bohemicæ linguæ ignarus, nullum Bohemorum uel in conſilium admittet, uel in iudicijs & cauſis per ſe audiet, Ipſe non tam de nobis iuuandis, quàm de rebus noſtris auferendis curam habebit, Et quod maximum eſt, ipſe fidem noſtram,pro qua tantum ſanguinis fudimus,extirpare conabitur. Vidiſtis (inquit) quæ ſub Ladislao contigerunt, quibus ille uijs & modis Teuthonicos,repudiatis Bohemis, ad ſe traxit ac prætulit, altiusq; prætuliſſet,ſi auſus fuiſſet. Nec dubium erat,quin multa Bohemis mala illaturus fuiſſet, ſi ad plenũ regimen perueniſſet. Quod ſi ab iſto,qui hæres regni erat & linguã noſtrã callebat, tantũ oppreſsionis nobis imminebat, quanto magis ab alijs metuendũ nobis eſt, qui linguã noſtram iuxta & ignorãt & oderũt, fidemq; noſtram uelut hæreſim deteſtantur? Conſulo igitur (inquit) & admoneo uos fideliter, ut hæc omnia diligenter expendentes, caueatis, ne ullum eligatis nobis in Regem, niſi ſit Bohemus natus, noſtrisq; moribus conformis, ac fidei noſtræ conſentiens, qui ad defendendum fidem noſtram promptus ſit & idoneus, qui ad reſiſtendũ fidei noſtræ aduerſarijs audax ſit & imperterritus, Qualis

Rokyzana pro eligẽdo Gyrzikos, ne practicabat.

Argumenta contra Teuthonicos.

Argumenta pro Gyszikone.

maxime eſt Dominus Gubernator Gyrziko de Cunſtat & Podiebrat, cuius conuerſatio, ſapientiã, ſtrenuitas, modeſtia, ſolertia & prouidẽtia nobis nota eſt, & tot annis iam longe lateq́ per omne regnum ſpectata uirtus, Quem abſq́ interprete alloqui, quem confidenter adire, ad quem in periculis tuto confugere poſsimus. Nam & conſilijs & armis iuxta præſtat, domi ac militiæ apprime clarus, Qui fidem noſtram, quam tot annis fortiter aſſeruit & defendit, in minoribus conſtitutus, contra omnes aduerſarios noſtros fortiſsimè defendere poterit, regali poteſtate ſublimatus. Hæc & id genus multa, cum in publicis ſermonibus, tum in priuatis colloquijs, & ad amicos diuerſarum ciuitatum regni tranſmiſsis literis, iactauit & inculcauit ſuæ ſectæ hominibus Rokyzana, ut præpararet uiam ad eligendum Regem quem uellet. Et ipſe Gyrziko, uir prudens & magnæ per omne regnum autoritatis, occulte ſollicitabat amicos, atq́ etiam inimicos & aduerſæ partis Barones interea ſibi reconciliabat, ut in electione minus impedimenti pateretur. Cumq́ eſſet Gubernator, ſub diem electionis multos diſpoſuit pedites armatos, pro ſtationibus, tum publicè in prætorio & foro, tum occultè per domos priuatas paſsim, quibus terrorem incutiebat ſuis aduerſarijs. Auditis igitur Principum diuerſis Legationibus, feria Quinta, ante Dominicã Oculi, cõgregatis in Prætorio antiquę ciuitatis Pragenſis Baronibus, Terrigenis, & ciuitatum regni Conſulibus, tractatum eſt ſuper noui Regis electione. De qua ſanè ſic habetur, in antiquo quodam Calendario (ut ſic dicam) & Ephemeridum libro à Bohemo quodam conſcripto.

Prouidentia Gyrzikonis pro ſui electione.

Diuerſi fuerunt ibi tractatus, Quia aliqui uolebant, ut eſſet Rex potens, qualis erat Rex Francię, qui poſſet regnũ iſtud, uarijs calamitatibus deſolatum, ſubleuare, & alienis atq́ externis opibus adiuuare. Alij autem uociferabantur, ut eligeretur Rex Bohemus. In ea autem altercatione, erant iam aliqui diſpoſiti & ſubordinati de parte Vuicleph & Rokyzanæ, qui inualeſcebant uocibus pro Domino Gyrzikone de Cunſtat & Podiebrat, Gubernatore regni. Altera itaq́ pars Baronum & Terrigenarum, quando intellexerunt, quod fuit eis laqueus poſitus, ne capita perderent, oportebat eos conſentire, & illum in Regem ſuſcipere. Contra hanc electionem nouelli Regis, Sleſita quidam, uir doctiſsimus, admodum prolixum ſcripſit tractatum, & quidem accuratiſsime, Verum nomen eius non eſt libro appoſitum, & nimis longum foret, ea referre, quæ ille in contrarium allegat: Æneas breuiſsime ait. Nobis perſuaſum eſt, armis acquiri regna, non legibus.

Duæ præcipuæ ſententiæ.

Electio Gyrzikonis in Regem.

Rex igitur à Bohemis electus, & omnium conſenſu (nulli enim tu-

tum

tum erat, contradicere) pronunciatus, ex Prætorio primū in ædem S. Mariæ, quæ ante lætam Curiam dicitur, ubi præſidebat Rokyzana, ſolenni pompa deductus, Deo gratias egit, ibiq; ſalutatio publica ei exhibita eſt. Solenne erat, Regem Bohemiæ inungi, ab Archiepiſcopo Pragenſi, aut ab Epiſcopo Olomucenſi, ſi nō adeſſet Pragenſis. Cum autem Sedes Pragenſis per hæreticorum uim ac deprædationem uacaret, & Olomucenſes hunc Regem agnoſcere nollent, miſit Rex in Vngariam pro duobus Epiſcopis, Iaurinenſi ſcilicet & Vuatzouienſi, qui ipſum coronarēt et inungerent. Illi ergo ſic euocati, uenere Pragam, & coronationis ſolennia in arce Pragenſi peregerunt: Regem coronantes et inungentes die Dominica, proxima ante feſtum Aſcenſionis Domini, quæ uocem Iocunditatis dicitur. Reginā uerò mox altera die, quæ erat feria ſecunda Rogationum, coronatio utriuſq; per Iaurinenſem facta eſt.

Salutatio noui Regis

Gyrziko à Duobus Epiſcopis Vngariç inunctus.

Erant quidem de nobili Baronum genere ambo coniuges, Rex Georgius ſeu Gyrziko de Cunſtat & Podiebrat (quem Æneas Poggebratium uocare ſolebat, Bohemicæ linguæ ignarus) uxor eius Domina Ioanna de Roſmytal (uti uetus habet codex Ephemeridum) ſed longe infra nobilitatem Ladislai Regis, qui fuerat de altiſsimo tot Regum Imperatorumq;, & magnorū Principum ſanguine. Verum quod ſtirpi (quam natura dat) deerat, induſtria ſuppleuit, qua ſibi Rex tantam comparauit autoritatē & gratiam, ut ſi una defuiſſet labes Huſsiticæ ſectæ (quam infœliciter à puero imbiberat, & Rokyzanæ perſuaſionibus firmatam mordicus tenebat ac protegebat) inter optimos Reges haud immerito commemorari poſſet. Quis enim fuit eo uel in conſilijs circumſpectior, uel in armis expeditior, uel in iudicijs çquior, uel in Regia poteſtate moderatior? Quamuis enim Huſsitarum ſectæ adhæreret, Catholicos tamen Imperio ſuo ſubiectos, à ſacris & ritibus Eccleſię non arcuit, neq; in ſectam ſuam coēgit, Quin etiam Sedi Apoſtolicæ obedientiam & in coronatione ſua iurauit, & in literis Legationibusq; publicis exhibere non eſt ueritus. Tantus autem erat eo tempore zelus Catholicæ fidei, in circumiacentibus populis Morauiæ, Sleſiæ, Luſatiæ, tam ſuperioris quam inferioris, atque etiam in plerisq; Bohemiæ oppidis, ut odio ſectæ Huſsitarum noluerint hunc uirum pro Rege agnoſcere, aut ullam ei obedientiam pręſtare, quamuis ad coronam regni pertinerent. Hinc ſane multæ turbationes & plurima incommoda utrinq; acciderūt. Rex enim cum eſſet & in armis promptus ac ſtrenuus, & à Bohemis Huſsitis maxime dilectus, crebris expeditionibus rebelles ad obedientiā compellebat: Catholici uero zelo fidei armati, & Sedis Apoſtolicæ au-

Gyrziko de ſanguine Baronū erat.

Qualis Rex fuit Gyrziko

Prouinciæ Regni Bo. à Gyrziko. ne defecerūt propter hæreſim.

toritate freti, malebant in rebus & corporibus damna perferre; quàm Regi hæretico aut ſaltem de hæreſi diffamato parcere. Cauſabantur plærique, non eſſe uocatos ad electionē Regis plæroſque ſtatus regni in circumiacentibus prouincijs, qui de iure & conſuetudine uocari debuerant, Neque etiam in coronatione ſeruata fuiſſe antiqua regni priuilegia, Inter quæ commemorabant quoddam Friderici Imperatoris, huius nominis Secundi, Cuius hic eſt tenor.

Priuilegium Imp. Friderici II. Regno Bohemiæ datum.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen, Fridericus, diuina fauente Clementia, Imperator Romanorum, ſemper Auguſtus. Cum tam lege naturæ quam ſcripta, bonum operari monemur ad omnes, præcipuè ad eos, qui in adminiſtratione Imperij & Reipub. ueraci conſilio, & indefeſſo laboris nobis, ſtudio aſsiſtunt, & pro gloria Imperij propaganda ſtrenuiſsime decertando, in omnibus inimicorum incurſibus & quibuslibet periculis ſe obijciunt: Prærogatiua ſpeciali honoris ſublimare dignum duximus, ut de uirtutum præmijs & gloriæ corona, diffidere non debeant, qui legitime certauerunt. Nouerit igitur omnium Chriſti Imperijque noſtri fidelium tam præſens ætas, quam ſucceſſura poſteritas, qualiter nos Vladislao, Illuſtri & ſtrenuiſsimo Duci Bohemiæ, ob inſignia ſeruitij, & deuotionis tam eius quam omnium Bohemorum merita, honoris inſignia: quo nos & cæteri progenitores eius Duces Bohemiæ, beneficio Imperialis Excellentiæ cæteris Ducibus præeminebant: Videlicet circulum geſtandum concedimus, & per cum omnibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. + Decernimus itaque & irrefragabili Edicto ſtatuimus, ut liceat præfato Duci Bohemiæ Vladislao, illis temporibus, quibus nos coronam & Diadema + portamus, in natiuitate Domini uidelicet, et in Paſcha & in Pentecoſte, circulum portare, & amplius in feſtiuitatibus, uidelicet S. Vuenceslai glorioſi Martyris, & S. Adelberti, eò quod illas ſolennitates propter patronos ſuos maiori reuerentia & celebritate uenerantur. Sicut itaque celebratio & impoſitio coronæ noſtræ non debet fieri, niſi per manus Archiepiſcoporum & Epiſcoporum: Ita præfato Duci Bohemiæ à nullo hominum circulus imponatur, niſi à dilecto noſtro Daniele, Venerabili Pragenſi Epiſcopo, et Ioanne Olomucenſi Epiſcopo eorumque ſucceſſoribus. Quod ſi forte Olomucenſis defuerit, nihilominus Pragenſis, pro Sede et dignitate excellentiore, uices compleat amborum. Similiter autem Olomucenſis, ſi forte Pragenſis defuerit. Ad hæc prædicto Duci Bohemiæ

Prærogatiua Ducum Bohemiæ Circulum portare.

alias + decreuimus itaque. alias additur + gloria.

A quibus Epiſcopis coronari debēt Duces & Reges Bohem.

Bohemię & ſucceſſoribus eius addimus & concedimus cenſum de terra Poloniæ, quem Anteceſſores eius, Duces Bohemiæ, à Polonis retroactis temporibus accipere ſolebant. Vt autem hæc noſtra donatio & confirmatio & conſtitutio, ſupra nominato Duci Vladislao chariſsimo noſtro, eiusq́ ſucceſſoribus omni tempore rata & inconuulſa permaneat, præſentem inde paginam conſcribi, & ſigillo noſtro inſigniri iuſsimus. Adhibitis idoneis teſtibus, quorũ nomina hæc ſunt. Eberhardus Saltzburgenſis, + Vucmannus Magdeburgenſes Archiepiſcopi, Henricus Ratisbonenſis Epiſcopus, Eberhardus Babenburgenſis Epiſcopus, Conradus Patauienſis Epiſcopus, Otto Friſingenſis Epiſcopus, Daniel Pragenſis Epiſcopus, Henricus Auſtrię Dux, Fridericus Dux Sueuorum, Ludouicus Lantgrauius Turingię, & Albertus Marchio Saxoniæ, Otto Marchio Miſnẽſis, Otto & Fridericus Comites Palatini. + Datum Ratiſponę XV. Calendas Februarij. Indictione Quinta. Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.XXXVI. Regni noſtri anno ſexto, Imperij autem Tertio.

Donatio Cenſuum.

alias + Boemannus

Nomina teſtiũ, Epiſcoporum & Principum ſæcularium.

alias additur + Signum Domini Friderici, Rom. Imperat. inuictiſsimi. Datum &c.

Rex igitur, cum per literas requiſiſſet Germaniæ circumiacentes populos, coronæ regni Bohemiæ ſubditos & incorporatos, ut obedientiæ debitũ ſibi præſtarent: illi autem recuſarent ei tanquàm Regi obedire, armis eos cogere aggreſſus eſt. Primum igitur mox poſt feſtum Trinitatis conſcripto militum exercitu, profectus eſt in Morauiam populabundus, ferro & igni agros deuaſtans, ut populis terrorem incuteret: Intendens, iuxta Virgilij monita,

Expeditio Regis contra Morauos.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. *Virg. lib. 6. Æneid.*

Vbi ergo ad Znoymam uenit, pacificè intromiſſus eſt in urbẽ. Inde ad Brunnam duxit, urbem longe munitiorem, cui Brunnenſes clauſerunt portas: Vbi autem uiderunt illum parare oppugnationem, aperuerunt & ipſi portas, eumq́ pro Rege ſuſceperũt. Itidem fecerunt & Olomucenſes. Subactis igitur Morauis, in Bohemiam reuertens, Iglauiæ occluſas ſibi portas repperit. At ille, dimiſſa ibi copiarum parte, Pragam redijt feria ſexta poſt feſtum S. Iacobi. Inde rurſus educens copias, in feſto S. Laurentij, Auſtriæ fines ad Danubium uſq́ depopulatus eſt, cædibus & incendijs deſæuiens in rebelles. Redijt autem Pragam in die S. Galli, ubi ſupplices ad eum uenerunt ciues Iglauienſes, ſubmittentes ſe illi eiſdem conditionibus, quibus & aliæ Catholicorum ciuitates, ad regnum pertinentes, ei ſeſe ſubmiſerant. Rex ſub feſtum S. Martini creatis de more Conſulibus utriuſq́ ciuitatis, Pragæ hyemare decreuit.

Contra Iglauiam.

Cõtra Auſtriam.

Anno Domini M. CCCCLIX.

Principes Prælatiq; & populi Sleſiæ atq; Luſatiæ, qui ad regnum Bohemiæ pertinebāt, cum requiſiti à Rege ad præſtandum obedientiæ debitum, in eum uſq; diem urbis rem diſtuliſſent, alijs ſunt literis nomine Baronum & Nobilium totius regni Bohemiæ admoniti, additis etiam minis, In hunc ſane uerborum tenorem.

Literæ Baronum regni Bohemiæ ad Sleſitas.

Nomina Baronum Bohe.

Ioannes de Roſenberg, Capitaneus Sleſiæ, Zdencko de Sternberg, Burggrauius Pragenſis, Henricus de Stratz, Magiſter Curiæ, Ioannes de Haſenberg, Iudex Curiæ Regalis, Henricus de Duba, Ioannes de Coldiuz, Iaroslas Plirhia de tzirotyn, Vuilhelmus iunior de Reiſenburg, Theodericus de Ianouuitz, Ioannes de Vuurtenberg, Bohuslaus de Suuanberg, Ioannes Sagunatz de Cunſtat, Vuilhelmus de Ilburg, Burianus de Gutſtein, Henricus de Colobrat, Iosko de Boskouuitz, Sobieslaus de periubita, Zdenko Roska de Poſtupitz, Magiſter monetæ montium Cuthnæ, Ioannes Czalta de Camenahora, Burianus Tirizka de Lipa, Tabularum Regni Bohemiæ cuſtos, Ialubko de Vuirzoſſouuitz, Ioannes Malouuitz de Potzo, Nicolaus de Labkouuitz, & Vuenceslaus de Vualeizeu, Subcamerarius Regni Bohemiæ, Cæteriq; Barones & Nobiles, in præſenti dieta congregati.

Nomina Ducum Sleſiæ.

Illuſtribus Principibus & Dominis, Domino Henrico Glogouienſi, Domino Balthaſſaro, & Domino Ioanni Zaganenſibus, Domino Conrado albo Olzinenſi, Domino Friderico Lignitzenſi, Ducibus in Sleſia: ac honorabilibus Adminiſtratori, & Capitulo Eccleſiæ Vratislauienſis, Vaſallis & ciuitatibus Vratislauienſi, Nouiforenſi & Namslauienſi: Dominis noſtris & amicis, Seruitiorum promptam uoluntatem.

Illuſtres, honorabiles atq; prudentes Domini & amici. Meminimus ſcripſiſſe nos ueſtris Dominationibus, ut quauis poſtergata dilatione, cum ſitis Coronæ Bohemiæ incorporati, ſicut Sereniſsimo Regi Ladislao, inconcuſſa ſemper fide & obedientia ſyncera adhæſiſtis: ita Illuſtriſsimo præſenti noſtro Regi, eadē fide integritate & obedientia pareatis. Vos aūt literis ueſtris ea reſponſa dediſtis, quæ & † petiſtis, inſufficientia & rationi fuere aduerſa. Nunc iterum atq; iterum rogamus, Quatenus omni renitentia ſemota, attento magis fidelitatis ueſtræ ſtatu, quo uos ipſa uetuſtas regno noſtro uinculis indiſſolubilibus adligauit, ut unum corpus inclytæ Coronæ Bohemiæ nobiſcum effecti, neceſſario naturæ iuriſq; ordine, exemplo aliorum ſubditorum, non putrida, ſed uiuentia membra, legitimo capiti, Sereniſsimo Regi noſtro pareatis.

† petitis

Neq;

Necq́ uos uana uerba obloquentiũ deterreãt, nec tenuis aliquorum cõſyderatio abducat. Cordi etenim eſt, Sereniſsimo Regi noſtro, in ea fide ſummaq́ religione, quã à patribus recepiſtis, integritateq́ obedientiæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſeruare, ſed & pro aduerſantibus uobis animo uiribuſq́ decertare. Quod ſi nec ea ratio uos ad iuſtum obedientiæ tramitem inclinat, apud ſanctiſsimum Dominum noſtrum, ſummum Pontificem, Et Glorioſiſsimũ Dominum noſtrum Imperatorẽ, Electores, alioſq́ ſacri Imperij Principes, proteſtari nos ipſa iuris ratio compellit, quod iuſta petita nõ conſequimur. At uos obedientiæ bonum, quo nihil in uita præſtantius, nulla + rationis duce reijcitis & poſtergatis. Conabimurq́ adiutorio eſſe Regi noſtro, ut iura regni, & Coronæ amplitudo conſeruentur, quæ fœlicioribus auſpicijs per Diuæ memoriæ Reges atq́ maiores noſtros, pro regni incrementis, diuerſarũ prouinciarum eidem Coronæ incorporatione adaucta unitaq́ fuere. Datum Pragæ in noſtra Generali congregatione, in die S. Ioan. Apoſtoli & Euangeliſtæ. Anno &c. LIX. ſub ſigillis præſentibus, uice & nomine omnium noſtrum appreſsis.

Rex Gyrziko ſubditos à fide Cath. non depulit.

+ratione.

Sub idem tempus uenerat è Roma Pragam Decanus Eccleſiæ Pragenſis, Dominus Vuenceslaus de Grimplou, Decretorum Doctor, ſecũ afferens literas Apoſtolicas, quibus declarabatur à ſummo Põtifice Pio ſecũdo (qui anno ſuperiore in menſe Auguſto, defuncto Calixto III. ſucceſſerat, dictus antea Æneas Syluius, Regi Gyrzikoni bene notus) motu proprio conſtitutus Eccleſiæ Pragenſis Adminiſtrator. Vbi autem literæ illæ in publica congregatione lectæ fuerunt, Proconſul Pragenſis alijq́ permulti, qui Rokyzanæ partes fouebant, publicè contradixerunt: ipſum Gyrzikonem tanquam Regem implorantes, quatenus eos iuxta iurata & promiſſa in fide ſua, & ad eam pertinentia cõſeruare dignaretur, Cui probe conſtet, Magiſtro Ioanni Rokyzanæ à tempore Sigiſmundi Imperatoris promiſſum fuiſſe Archiepiſcopatũ Pragenſem. At Dominus Zdenko de Sternberg, nomine alterius partis, Catholicorum ſcilicet, qui erant ſub fide & obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, contra Proconſulem eiq́ aſsiſtentes durè & acriter replicabat. Cumq́ Rex cum modeſtia & moderamine quodã interloqueretur, Dominus Zdencko fortiter abſq́ omni timore cœpit ipſum Regem itidem (ſicut Proconſul fecerat) inuocare ac obteſtari, Quatenus partem illam, quæ ſe Romanæ conformaret Eccleſiæ eiuſq́ fidem teneret, iuxta dudum repetitis uicibus promiſſa, manutenere ac defenſare dignaretur. Tum Rex, eo conflictu uerborum à contrarijs partibus in anguſtum coactus, hiſce uerbis ſeſe explicare

Contentio pro Archiepiſcopatu inter Cath. & Huſ.

ſtuduit. Fateor (inquit) Domine de Sternberg, me manutentionem, tuitionem, defenſionem & libertatem uobis & parti de fide ueſtra promiſiſſe: Cum hoc tamen non nego, immo fateor, me his quoq;, qui de alia fide ſunt, manutentionem & defenſionem promiſiſſe. Quod quidem promiſſum, tanquam in debitum cadens, uolo ijs qui de illa parte ſunt, poſsibiliter ſeruare. Ea autem diuiſio partium in hanc uſq; diem (proh dolor) Pragę perdurat, ut alius ſit Adminiſtrator Archiepiſcopatus Pragenſis legitimus & Catholicus, qui ſedis Apoſtolicæ autoritate per oſtium intrat in ouile: Alius uerò ſchiſmaticus & nothus, qui neſcio quo iuris prætextu Iuriſdictionem ſibi arrogat & uſurpat, in presbyteros Calixtinorum ac Thaboritarum. Vnde factum eſt, ut ex diuturnitate huius diuiſionis, inter diuiſos hoc modo adminiſtratores, concordia quędam ſeruetur, dum Catholicus prꝗeſt Catholicis, alijs uerò ſchiſmaticus. Sed nimium infœlix eſt ea diuiſio, Quandoquidem in ſchiſmate nulla poſsit eſſe uera Iuriſdictio, nec ulla poteſtas clauium. Ideo enim Chriſtus uni Petro claues ſe daturũ promiſit, ut omnes alij à Petro clauium poteſtatem acciperent, ad conſeruandam Eccleſiæ unitatem: Extra quam, neq; ſalus animarum, neq; remiſsio peccatorum ulla reperiri poteſt. Eo autem tempore Papa Pius II. generalem Principum Chriſtianorum conuentum Mantuæ celebraturus, ad inſtituendum bellum & expeditionem contra Turcas, admodum benignas, paternas, & honorificas literas ad Gyrzikonem Regem dedit, Quarum tenor ita habet.

Duplex Adminiſtrator Pragen. Archiepiſcopatꝰ.

Vide c. Ita Dominus. diſt. 19.

Pius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio, Georgio Bohemiæ Regi Illuſtri.

Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Vt perſolueremus omnipotenti Deo & fideli populo, uim ab infidelibus patienti, id cuius cauſa ad hãc ſedem ſumus aſſumpti, De uenerabiliũ fratrum noſtrorũ ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, per certas noſtras patentes literas, quas Celſitudini tuæ cum pręſentibus mittimus, omnes Reges & Principes Catholicos, ad dietam ſolennem Mantuæ uel Vtini, in proximis Calendis Iunij celebrandam, Apoſtolica uoce duximus conuocandos: Statuentes, concedente Altiſsimo, eo loco eodemq; tempore perſonaliter ibidem adeſſe, impedimentis poſthabitis, quæ circumſtant nos undiq;. Etſi ergo ea mente ad tuendum nomen ſanctum Dei te eſſe nõ ambigimus, ut nullius exhortatione tibi ad hoc ipſum ſit opus: Tamẽ quia hę res non ſolum nobis eſt cordi, ſed gregi dominico in primis

Inuitatio Regis ad generalem Dietam.

In primis neceſſaria, Serenitatem tuam hortamur in Domino,& per ſanctum illud Baptiſmum, quo in Chriſto renatus es,& nomen Chriſtianum geris: requirimus, ut uelis, per os noſtrum uocatus, abiectis reſpectibus omnibus,qui pro honore Dei non ſunt attendendi, ad ea loca, & ad præſcriptum diem, perſonaliter intereſſe. Etenim cum uicarius Ieſu Chriſti in terris hęc agat,quem recte credentem ſequi Chriſtianus populus debet, non debent Principes terræ graue ſibi ducere, laborem ab illo ſuſceptum amplecti. Habitus es ſemper,Chariſsime fili,deuotiſsimus Princeps, & fidei & religionis cultor præcipuus. Accedit & potentia ſingularis, qua ideo Deus omnipotens inſignire te uoluit: ut eſſet qui tempore neceſſario,quale nunc imminet, illam protectionem gregis ſui conferret. Erit (ut in Domino confidimus) aduentus tuus,magnæ ad ſalutare opus hoc utilitatis: non eo ſolum, quod ſapienti tuo conſilio iuuare tantam molem prudentiſsime poteris, ſed quia cæteri intuentes ſublimitatem tuam ad agendam cōmunem cauſam Altiſsimi, ad Romanum Pontificem te contuliſſe, mouebuntur & ipſi exemplo tuo,ad ueniendum feruentius, ut pene ad hoc ipſum plus+ momiti,quam cęteris rebus omnibus allaturus appareas. Pro Deo igitur,Chariſsime fili, pro æterna commendatione nominis tui,pro cōpaſsione fidelis populi quotidie+ Serenitati tuę Turcarum ſanguinem crudeliter dantis,exaudire clemēter uelis pias noſtras huiuſmodi preces,à fletu & lachrymis oppreſſorum nobis impoſitas. Hęc enim uera ſunt opera Regum,hic campus,in quo honeſte certare, & triumphum ueræ ſalutis reportare cum gloria poſsis. Cætera fluxa ſunt & caduca: nil ſolidæ laudis in ſe habentia, Altiſsimo etiā perſæpe ingrata. Quod ſi caſu aliquo (quod Deo nō placeat) carendum nobis erit præſentia tua, & per Oratores implere hoc munus conſtitues, requirimus eo caſu Celſitudinem tuam, ut cum pleno mandato illos tranſmittere uelis: Non ad decernenda ſolum ea,quorum cauſa uocatus es,ſed ad componendam pacem, uel ad indicendas treugas cum illis,cum quibus eſſet tibi forſitan contentio,ut demū pacatis ubiq; fidelibus, concordibus proſequi cœptum opus poſsimus. Speramus tamen conceſſurum Omnipotentem, ut tua Serenitas potius per ſe ipſam, quam per Oratores tuos ſit affutura: Attento quod relicta Romana urbe, ad tibi obuiandum, loca prædicta delegimus, ut ire Serenitas tua (quod primum expetimus) uel ſaltem Principes aliquos de latere tuo illuc facilius mittere ualeas. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M.CCCCLVIII. Calendas Octobris,Pontificatus noſtri anno Primo.

Laudes Gyrzikon.

lego+ momēti.

Zeloſa exhortatio.

forte+ ſeruitu-ti Tur.

Quale Oratoribus mādatum dandum.

Rex

Rex, acceptis his literis, reſcripſit ſummo Pōtifici, ſe in propria perſona uenire ad ipſum non poſſe, maxime propter Sleſitas ſibi adhuc rebelles: Miſſurū autem ſe Oratores ſuos. Interim uero, quantum ad Regni ſui negocia pertinebat, minime ocioſus aut oſcitans domi reſedit, ſed mox poſt ſolutam Regni generalem cōgregatiotionem Pragæ, ad expeditiones quaſdam ſeſe accinxit, ſub feſtum Cōuerſionis Pauli tranſiens in Morauiam ad Brunnam & Olomucium, ac rebus compoſitis, Pragam inde reuertens poſt feſta Paſchalia. Inde uerò Egram proficiſcens, cum Illuſtriſsimo Principe, Friderico Duce Saxoniæ Electore, atq; cum nonnullis alijs Principibus pacem inijt, atq; inde Pragam ante Pentecoſten reuerſus eſt. Nec diu ibi moratus, iterum in Morauiam tranſijt, ut ibi Fridericum III. Imp. Rom. conueniret. Inde autem iter in Sleſiam flectens, Vratislauiam obſedit, & deuaſtatis ſuburbanis, grauia ciuibus damna intulit: Vrbem tamen expugnare aut obtinere non potuit. Depopulatis igitur agris & uicis, domum redijt, Sabbato poſt feſtum S. Franciſci.

Rex laborioſus et inexpeditionib. promptus.

Vratislauienſes autem & alij Sleſitæ, ſolennem miſerant legationem Romam, ad conſulendum Pium Papam ſuper ea anguſtia. Zelus enim fidei non ſinebat eos præbere obedientiam ei, quem pro hæretico habebant, Et timor de malis à bellicoſo Rege ſibi imminentibus, merito anxios reddebat. Oratores igitur eorum, ubi in conſpectum Papæ admiſsi eſſent, multa commemorabant, tum de gloria maiorum ſuorum, qui à Iulio Cæſare ortum habuerint, tum de laudibus patriæ ſuæ, quod in fide Catholica ſemper ab omni ſchiſmate et hęreſi immaculata permanſerit. Quod in Ducibus & Principibus ſuis ſit Illuſtris & generoſa, In Prælatis & Clero notabilis & copioſa, In comitibus & Vaſallis ſpectabilis & animoſa, In ciuitatibus, oppidis & caſtris amabilis & numeroſa, In populis & plebibus pluralis & operoſa, In fundationibus ſacris ædibus & miniſterijs Deo deuota & ſtudioſa &c. De Bohemia uerò peſsima quæq; referebant propter hæreſim & crudelitatem Huſsitarum. Nominatim uerò plurima in Gyrzikonem & contra eius electionem allegabant, petentes, ut Papa eam electionem irritam declararet, eò quod iam pridem à Ioanne Capiſtrano, nuncio Apoſtolico fuerit, tanquam hæreticus, publicè proclamatus & excommunicatus.

Oratores Sleſitarum Romam miſsi.

Laudes patriæ Sleſitarum.

Papa uerò, qui omnem curam uertebat ad inferendum Turcis bellum, & Mantuę conſtitutus in Generali Principum congregatione, ore proprio crebris orationibus animos Principum ad illud ſuſcipiendum inflammabat, metuens ne Rex uicinis bellum inferens, Turcis obuiare non poſſet: Scripſit utriq; parti ea quę pacis ſunt, Probe enim cognoſcebat Gyrzikonē

Papæ cōſilia de pace.

&

& cõſilijs & armis plurimum contra Turcas poſſe, ſi domi pacem haberet. Extant quædam illius Pontificis epiſtolæ hac de re, licet non ſint cum ijs, quæ Æneæ Sylvio aſcribuntur, in lucem æditę. Quarum tenorem, ad uberiorem hiſtoriæ cognitionem, hic recitare conuenit, quoniam prolixæ non ſunt.

Pius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Iodoco Epiſcopo, & dilectis filijs, Toti Clero & Communitati Vratislauienſi. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Venerabilis frater & dilecti filij. Quia ſalua ueritate Catholicæ fidei, in qua omnino ſaluamur, ſummo deſiderio cupimus occaſionem omnem præſcindere, per quam ad bellum & cædes inter Regem Bohemiæ & uos poſſet ueniri. Ideo cum Serenitas ſua nuperrime ad nos ſcripſerit, miſſuram ſe Oratores ad hanc Mantuanam Dietã, opportunum + factum iudicaremus, ut ueſtri quoq; *+factu.* illo tempore adeſſent, unaq; opera & de expeditione in Turcas & de differentijs ueſtris, ſecundum Deum utiliter ageretur, Quod ut faciatis, plurimum ſuademus. Verum, quoniam intelleximus, eſſe aliquos ueſtros, qui multa diſſeminant, quæ famam ſuæ Celſitudinis non parum offendunt: uidentes ex hoc ipſo poſſe grauius aliquod ſcandalum exoriri, deuotionẽ ueſtram hortamur in Domino, uobisq; nihilominus in uirtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut deſiſtere ab ijs calumnijs omnino uelitis, & ita uos erga eundem Regem habere, ea non denegando, quæ ſibi debentur de iure, ut quod ex partium concordia quærimus, temptare armis non habeat. Ipſe enim quotidie ad nos ſcribit, uelle ſe deuotum filium Apoſtolicæ ſedis eſſe, & mandata noſtra reuerenter ſuſcipere, Ac omnia facere & ſequi, quæ Principem Catholicum deceant, Quæ nos magis ad hæc uobis ſcribenda inducunt: Credentes, hanc ueſtram modeſtiã Deo acceptam & uobis ſalutarem, Quam ut bona mente amplectamini, etiam atq; etiam pro conſolatione noſtra, & conſeruatione ſtatus, & bonæ intentionis ueſtræ requirimus. Datum Mantuæ, XVIII. Auguſti M.CCCC. LIX. Pontificatus noſtri anno primo.

Prohibẽtur calumniæ in Regem Georgium

Qualia Regis ad Papã ſcripta.

Pius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio, Georgio, Bohemiæ Regi Illuſtri. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Chariſsime in Chriſto fili, Per ultimas literas tuę Serenitatis cognouimus, quemadmodum cum propter nonnulla impedimenta perſonaliter

perſonaliter ad Dietam peruenire non ualeas, intendis Oratores tuos cum pleno mandato tranſmittere. Quod nobis fuit admodum gratum: Non ignorantes, quanto adiumento rebus gerendis adeſſe poſsis, ſi ea uoluntate, qua Regem Catholicum decet, fueris hoc opus amplexus. † Illa itaq; hortamur in Domino, et rurſum requirimus, ut eorum aduentum differre ulterius nō uelis, Quandoquidem nos hic ſemper futuri non ſumus. Et publica Chriſtianorum cauſa celeritatem (ut uides) deſiderat. Eoſdem autem uenientes, honorifice ſuſcipiemus, nec aliter omnibus in rebus habebimus, quam cōſueuerit Apoſtolica ſedes regios Oratores tractare.

† Illud.

Excuſat ſe Papa de Sleſitis.

Sleſitas autem, cum quibus contentionem tibi eſſe affirmas, nunquam uerbo, aut literis ad nō obediendum tuæ Serenitati induximus, Nec; huius rei dictum aut factum ullum in contrarium extare credimus: Quin ſi quid ad eos ſcripſimus, paterna potius conſolatio in eorum anguſtijs fuit, quam ad rebellionē ſuaſio. Etenim cum in fide Catholica & deuotione Apoſtolicę ſedis conſtanter perſeuerauerint, illos ad nos uenientes atq; mittentes, non ęquum erat, inconſolatos dimittere. Quotidie tamen optamus, ut ſalua fidei ueritate, tui omnino eſſent, & tibi in cunctis parerent. Nec; uero, cum te per alias literas noſtras hortati ſumus, ut à uia facti deſiſtens, diſſenſionem hanc patereris componi. Iudices inter te & illos nos declarauimus, nec; alio modo quam per concordiam conciliari eos poſtulauimus. Tuumq; etiam in Sleſitas, quodcunq; ius habes, tollere nullo modo intendimus. Mandare autem eiſdem, ut in ijs quę dominium temporale concernunt, tuæ Celſitudini parcant, officij noſtri eſſe non duximus. Ad Imperatorem, cuius nomen ſedemq; recognoſcis, totum hoc pertinet, & ab illo implorare ſuper his remedium potes. Nos autem, quos charitas fidelium ex officio paſtorali aſtringit, pacem inter eos, quātum poſſumus, curare debemus. Datū Mantuæ, ſub annulo piſcatoris, XIX. Auguſti M.CCCC. LIX. Pontificatus noſtri anno primo.

Nuncij Apoſtolici mediatores inter Regē & Sleſitas.

Idem Pontifex, ut pacem inter Regem iſtum & Sleſitas componeret, duos miſit ad eos nuncios, Dominum Hieronymum, Archiepiſcopum Cretenſem, & Dominum Franciſcum de Toleto, Archidiaconum Hiſpalenſem, Quibus & literas dedit cum pleno mandato, uice ſua agendi omnia, quæ ad pacem facere uidcantur: Quæ ſanè literæ datæ fuerunt Mantuæ XII. Calendas Octobris. Quas nos breuitatis gratia hic omittimus, cum ſint aliquanto prolixiores. Ipſi autem nuncij uenerunt Pragam circa feſtum Simonis & Iudæ Apoſtolorum XXV. die Octobris, & emollito Regis animo ad pacem, tranſierunt ulterius uerſus Vratislauiā, ibiq; peractis

actis negocijs, & aſſumptis ſecum Oratoribus Cleri & Communitatis redierunt Pragam, in Vigilia Thomæ Apoſtoli. Rex uerò interea profectus fuerat Egram, ubi filiam ſuã Illuſtrem Dominam Sedenã, deſponſauit Domino Alberto, Illuſtriſſimi Principis Electoris, ac Ducis Saxoniæ Friderici filio, cum nondũ eſſet plene nubilis, utpote Nouem tantum annos ætatis habens. Quam ideo tam cito & præpropere in Miſniam translatã putant, ut non inficeretur Huſsitarum uenenis in Bohemia. Vnde factum eſt, ut in omni ætate ſua, religioſiſsima fuerit & fidei Catholicę obſeruantiſsima mulier, in triplici ſtatu, Virginitatis ſcilicet Coniugijq́ & Viduitatis: multa præclara pietatis exempla cęteris præbẽs, ac ſubditis ſuis multiplici uirtutum luce præfulgens. Quę & Genitrix fuit Illuſtriſsimi Principis & Domini, D. Georgij, Ducis Saxonię &c. Domini & Patroni mei Clementiſsimi, Qui prouincias ſuas circiter XL. annos tam fœliciter gubernauit, hodieq́ gubernat, ut maximo cum incremento rerum, hominumq́ & oppidorum, ſint adauctæ, & adhuc indies in melius proficiant, Dei benignitate, maxime, quod Princeps iſte ſic materna pietate & religione imbutus eſt, ut nemo ſit eo in fide Catholica cõſtantior, nemo hæreticis nouisq́ ſectis infeſtior.

Filia Regis deſponſata Illuſt. Alberto Duci Sax. &c.

Hodieq́, id eſt, Anno Domini 1534.

Anno Domini M.CCCC.LX.

Formula concordiæ, inter Regem & Vratislauienſes factæ, admodum prolixa eſt. In ea enim compræhenduntur multæ epiſtolæ cõmiſsionesq́ & relationes, Quibus breuitatis gratia omiſsis, Regis tantũ epiſtolam, & concordiæ articulos recitabimus, ex quibus cõcordia per Nuncios Apoſtolicos cõcluſa lucide poterit intelligi.

Georgius Dei gratia Bohemiæ Rex &c.

Notum facimus tenore prę̃ſentium uniuerſis, quod pia (quam ad ſanctam Sedem Apoſtolicam Romanoſque Pontifices ſemper geſsimus, & gerimus gerereque intendimus) deuotio & obſeruantia, nos inducunt, ut ea, pręfatæ Sedis intuitu, ſuiſq́ Oratoribus & Legatis interuenientibus, admittenda decreuimus, quæ aliàs nullo pacto faceremus. Dudum ſiquidem nobis ad Coronę Bohemię gubernacula Regiæ dignitatis ſublimatis, Cum omnes Prælati, Duces, Barones, & Communitates regni pręfati & principatuum illi ſubditorum, debitam obedientiam & fidem præſtitiſſent: Capitula maioris & ſanctæ Crucis Eccleſiarum Vratislauienſium, ac Clerus et Communitates Vratislauienſis ciuitatis, et oppidi Namſlauienſis, nobis (neſcimus quo auſu & ſpiritu) reſtiterunt. Quare aduerſum eos bella mouimus, Non tamẽ ſine noſtri cordis dolore,

Obſeruantia Regis erga ſedem Apoſtolic.

Bellũ eius contra Vratislauienſes.

Nn Eò

Eò quod bellando eſſet nobis ſæuiendum in eos, quos magis (quandoquidem uoluiſſent ipſi) tanquam noſtros ſubditos, filios & ſeruitores, amplecti, regere & tractare cupiebamus. Fecimus tamen, ne præfati Clerus uel Communitates: dum nobis ipſis & Coronæ Regni Bohemiæ, quam pro tota noſtra poteſtate tueri, illæſamq́ defendere, in ipſius fœlici ſuſceptione promiſimus, deeſſe uideremur: in maiores elati auſus, pernicioſiora contra nos & Coronam præfatam molirentur. Tandem res hæc ad aures Sanctiſsimi Domini noſtri Pij, diuina prouidentia Papæ Secundi, delata eſt. Qui cum ea, quæ pacis & tranquillitatis ſuorum ſunt filiorum, paterna pietate cogitet & exquirat, Nuncios et Oratores ſuos ad hæc ſpecialiter deputatos, ad nos direxit N. & N. Qui uice ac nomine Sedis Apoſtolicæ ac Sanctitatis ſuæ, inter Serenitatem noſtram & pręfatos Clerum & Communitates, partes ſuas interponentes: ueram prędictorum obedientiā ad nos, noſtramq́; ad illos indulgentiam, clementiam ac benignitatem procurarent. Cunq́; præfati Domini Oratores, poſtquam nos ſuper ijs fuerunt allocuti, & nos eis omni cum reuerentia (uti debemus) ſanctæ ſedis Apoſtolicæ intuitu, reſpondimus: ſi ſe in Vratislauiam contuliſſent, pręfatoſq́; Clerum & Cōmunitates multis rationibus et exhortationibus ad propoſitum nobis obediendi cōduxiſſent. Illi eis ſupplicarūt, Quatenus pro obſeruantia iurium & Priuilegiorum omniū ſuorum, gratiarumq́; & laudabiliū conſuetudinū conceſſorū uel conceſſarū ſibi, à Diuæ recordationis Ducibus Regibuſq́; Bohemiæ, prędeceſſorib. noſtris, aut etiā à Regibus uel Imperatoribus Romanis, apud Serenitatem noſtrā parte Sanctiſsimi Domini noſtri Papæ inſtarent, Necnon aliqua alia à nobis peterēt, quę ſecundum exigentiā temporis, ſaluti præfatorum Cleri & Communitatum neceſsitatibuſq́ opportuna ſibi uidebantur. Quibus per nos conceſsis, nos in ſuum, uti debent, Regem ac Dominiū fideliter accepturi eſſent. Hæc omnia nihilominus ad certa Capitula redigentes, Quorum tenor ſimul & ſupplicationis præfatæ ſequitur in forma, & eſt talis.

Papæ ſtudium pro pace.

Nomina Oratorū ſupra ſunt expreſſa.

Reſponſio Vratislaui. ad Nūcios Papæ.

Quædam uerba ſupplicationis Vratislauienſium, ad Nuncios Apoſtolicos factæ.

Reuerendiſsime in Chriſto Pater, & Venerabilis ac Eximie Domine Doctor. Domini noſtri Colendiſsimi. Nos, qui repræſentamus Prælatos, Canonicos ac totū Clerum Eccleſiarum, Conſuleſq́; & Communitates ciuitatis Vratislauienſis, & oppidi Namslauienſis humilime audiuimus, & intelleximus uniuerſa, quæ nobis parte Sanctiſsimi noſtri, Pij diuina prouidētia Papę ſecūdi, propoſuiſtis:

Paterna

Paterna monita, ſuaſiones, atq; cōſilia ſuæ Beatitudinis per ueſtras Paternitates ad nos delata, cū ea qua decuit atq; decet reuerētia & deuotione ſuſcipimus & ueneramur. Agimus pręterea ſuę Beatitudini, nō quas debemus atq; tenemur gratias, ſed quas utiq; noſtra paruitas poteſt, quod inter tam multas atq; frequentes curas & ſollicitudines ſuas, quibus pro ſalute cōmiſsi ſibi gregis angitur, premitur laboratq; indies: et noſtri quoq; dignata ſit recordari. Nos ſanè postquam Sereniſsimus Dominus Georgius, Rex Bohe. modernus, pro ut ſuę Maieſtati placuit, bellū contra nos mouit, Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculos noſtros leuauimus ad miſericordiſsimū in primis Deū, ac deinde ad ſuam Sanctitatem, ut miſereretur noſtri: Non quidem, quod animum adipiſcendæ ſuperbę libertatis unquam habuerimus, uel quod nos diuidere ab inclyta Corona Regni Bohemiæ cogitauerimus: Quemadmodum nonnulli (pace ſua) detractores ac æmuli noſtri iactitant: Neque etiam, quod prędictū Dominum Regem ob priuatas paſsiones forſitan aliquas noſtras aut aliquorū odio recuſaremus. Nam Regem nos habere uolumus, ſub Rege uiuere, & cū inclyta Corona regni Bohemiæ perpetuo inuiſcerati permanere ſtatuimus. Et nunc quidem, quoniam Regem eligi oportuit, propter quædam, quæ noſtras conſcientias remordebant, differendam obedientiam eſſe cenſuīmus. Teſtem inuocamus Deum ſuper iſtis &c. Excuſatio Vratislauienſium à rebellione.

Capitula Concordiæ à Vratislauienſibus propoſita & petita, atq; etiam obtenta.

Supplicamus in primis, ut Regia Maieſtas dignetur prorſus omnē animi perturbationē, iram, odium, rancoremq; deponere, quem aduerſum nos Capitula maioris & ſanctæ Crucis Vratislauienſium Eccleſiarū, necnon uniuerſum Clerum & Communitates ciuitatis Vratislauienſis, & oppidi Namslauienſis, aut contra aliquem ex nobis uel ex noſtris ſubditis, adhærentibus & confœderatis, occaſione præmiſſorum conceperit & habuerit. I Deponere odium.

Itē, quod omnia & ſingula Priuilegia, gratias, iura, quę ab omnibus & ſingulis diuæ recordationis Ducibus, Imperatoribus, Regibuſq; Bohe. nobis pręfatis Cōſulibuſq; et Cōmunitatibus ſupradictis, cōſuetudines, ordinationes legitimè introductas, et à nobis factas & obſeruatas, Necnon dominia & poſſeſsiones cuiuſcunq; conditionis exiſtāt, quę nobis & ſingulis noſtrū aut alicui ex ſubditis, aut cōfœderatis noſtris, quocūq; modo uel titulo iuſte acquiſita ſunt uel fuerūt, in futuro per uniuerſam ditionē pręfati Sereniſsimi Domini Regis, cōfirmet, roboret & ſtabiliat perpetuo duratura. II Seruare priuilegia.

Item, Cum officium Chriſtiani Regis ſit, liberam, immunem, III

Defendere iura & libertates Ecclesiarum. pacatamq; cuſtodire, tueri, defendere, & obſeruare matrem Eccleſiam, ex qua + in Chriſto renati ſunt, in capite, in membris, in ædificibus, in dotibus, etiam in quibuſcunq; bonis, quæ ad eos quomodolibet ſpectare dinoſcūtur: Quod idē Sereniſsimus Dominus Rex, tanquam uerus & Catholicus Princeps, omnia & ſingula iura & priuilegia, gratias conſuetudineſq; laudabiles, Necnon omnia & ſingula dominia, poſſeſsiones et omnes omnino res ſtabiles & mobiles, quæ ad Epiſcopatum & Capitula Maioris & Sanctæ Crucis Vratislauienſium Eccleſiarum, & ad alias omnes & ſingulas Eccleſias Parochiales, Monaſteria cuiuſcūq; ordinis uel ſexus exiſtant, in ciuitate, & per Diœceſim Vratislauienſem ſita, Omnia & ſingula cis & ſingulis eorum integra, libera, abſolutaq; relinquat, Quemadmodum à diuæ recordationis Ducibus & prædeceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus eiſdem conceſſa, confirmata & roborata ſunt: Quæ etiam ſua Maieſtas de nouo confirmare, roborare ut dignetur ſupplicamus.

addo + & ipſi Reges.

IIII Admittere Cenſuras Eccleſiaſticas. Item, ut mandet omnibus & ſingulis Officialibus & ſubditis ſuis per Diœceſim prædictam, ut Cenſuras Eccleſiaſticas reuerenter ſuſcipiant, & denunciari ſeruariq; liberè & ſine perturbatione faciant. Et ſiquādo per iudices ſpirituales cōtra rebelles quoſcunq;, cuiuſcunq; ſexus, ſtatus, conditionis, autoritatis, dignitatis uel præeminentiæ tēporalis uel ſpiritualis exiſtunt, eos inuocatos eſſe contingat.

V Aſsiſtere contra hæreticos. Tum maxime contra quoſcunq; qui hæreſim in præfata ciuitate uel Diœceſi dogmatizare præſumunt: Aſsiſtant, auxiliū, conſilium & fauorem in omnibus præbendo, quouſq; executioni ultimæ demandatum fuerit, id quod præfati iudices per ſuas ſententias pronunciauerunt eſſe Iuris.

VI Præſtare inducias pro homagio ad trienniū. Item, Quia populus iſte ex uarijs ſuggeſtionibus, ſcādalis, cædibus & iniurijs hincinde ſecutis, formidat Regiam Maieſtatem, Cuperetq;, antequā homagium præſtaret, ut repulſis odijs & rancoribus, gratiam Regiæ Maieſtatis ſibi beneficijs, & bonis præcedentibus operibus, & obſeruantia cōpararet, & ex mutua cum Bohemis conuerſatione, exercitijs & continua Communicatione, animi & mentes ambarum partium, ad integram & uerā amicitiam conuertantur, Vtq; interius fatigata hæc ciuitas impenſis grauiſsimis reſpiret, & condigne erga Maieſtatem ſuam ſe habere poſſet: Supplicant pręfati Domini & Communitates, quod præſtatio ſolennitatis homagij ad trienniū ſuſpendatur. Quo tempore ex nunc ſub fide promittunt Maieſtati præfati Domini Regis, id ſibi tanquam uero & indubitato Catholico, Chriſtiano Regi Bohemiæ præſtare,

præſtare, Quod tamen infra tempus præfatum,tanquam Regi noſtro ac inclytæ Coronæ Regni Bohemiæ,tanquam fideles ſubditi,obediẽtes et ſeruientes, ac in omnibus unà cum alijs dominis, Principibus & Communitatibus Sleſiæ eorundem profectui amplitudini & ſaluti intendentes, Prout à retroactis temporibus ſuperioribus Regibus Bohemiæ facere conſueuimus. Dietis quoq; & congregationibus,ſi quæ forte pro utilitate ac commodo regni & Sereniſsimi Domini Regis,ſiue pro ſedis Apoſtolicæ amplitudine & conſeruatione Chriſtianæ religionis fuerint, uocati unà cum alijs membris regni intereſſe,& pro uiribus & facultate fideliter conſulere & operari promittunt: Saluis ſemper in præmiſsis omnibus iuribus & priuilegijs eorum Dominorum & Communitatum,tam præſentibus quam futuris. Rex hæc omnia admiſit, quin etiam menſem unum ſupra Triennium de præſtando homagio adiecit. Totũ uerò proceſſum concordiæ confirmauerũt Nuncij Apoſtolici, appenſo alterius ex ijs ſigillo, uidelicet Archiepiſcopi Cretenſis,de utriuſq; tamen conſenſu. Acta ſunt hæc Pragæ XIII. die Ianuarij, Anno Domini 1460. His uerò peractis,uno eodemq; die,nempe XVIII. Ianuarij,è Praga receſſerunt:Rex quidem uerſus Morauiam: Nũcij uerò Apoſtolici cum Vratislauienſibus uerſus Poloniam. Fuiſſet itaq; fœliciſsimum ſub hoc Rege Bohemiæ Regnum,ſi non fuiſſet Pragę Magiſter Ioannes Rokyzana,nequiſsimus ueterator & hęreſiarcha,qui Regem,in Huſsitarum hæreſi natum & educatũ, multiſq; ſucceſsibus auctum & glorificatum,& publicis ſermonibus,& priuatis colloquijs ita in hęreſi priſtina ſtabiliuit,& contra Ro. Eccleſiam falſis detractionibus & abuſuum obiectione commouit,ut uir iſte fortiſsimus cuncta maluerit ſubire pericula,quam ab ea hæreſi diſcedere. Rokyzana enim perſuaſerat ei,ſectam ſuam non eſſe hæreſim, ſed à Concilio Baſilienſi per Compactata approbatam,uelut Catholicam,& ab omni hæreſeos labe immunem: Cum tamen neq; ipſe Rokyzana,neq; ullus Huſsitarum,ea Compactata ſeruaſſet unquam aut ſeruare intenderet. Verũ Rokyzana,qui iam ſupra XX. annos ſumma familiaritate uirum hũc ſibi deuinxerat: homo callidus,diſertus, eruditus,& ad ſpeciem uitæ,mundicia,& morum honeſtate uenerabilis, Cum ſupremus ei & intimus eſſet Conſiliarius, ita confirmauit eũ in parte ſua,ut nullis monitis, precibus,aut perſuaſionibus, neq; per Papam,neq; per Imperatorem,neq; per ullos Principes, quantumuis ſibi uel amicitia uel affinitate coniunctos à Rokyzanę ſecta ad ueram Eccleſiæ unitatem reduci potuerit. O quantum boni per ſceleratum hæreſiarcham prępeditum fuit,quantum mali procura-

Concluſio concordię.

Gyrziko miſere a Rokyzana deceptus.

Rokyzana ſupremus & intimus eius Cõſiliarius.

Multiplex promiſsio obedientię.

rum. Promiſerat Rex in ſui electione Baronibus partis Catholicæ, ſe fidem Ro. Eccleſię totis uiribus defenſurum eſſe. Promiſerat in ſui coronatione Ro. Eccleſiæ obedientiam, qualem præſtare decet Reges Catholicos. Promiſerat ipſi Imperatori in regni confirmatione & Feudi acceptione, fidem & obedientiam Sedi Apoſtolicæ, cuius aduocatus eſt Imperator. Promiſerat deniq; ipſi ſummo Pontifici quam ſæpiſsime, per literas & Oratores ſuos, filialem deuotionem, reuerentiam, obſeruantiam & obedientiam, Ac ſpem præterea præbuerat reducendi Bohemiæ Regnum totum ad Eccleſiæ unitatem, & ſub ea ſpe benignè ac honorificè tractabatur, tum à Pontifice, tum ab Imperatore, atq; etiã ab alijs Principibus, quorum aliquot ea ſpe in affinitatem ſuam pellexit. Verum ubi à ſpe ad rem, à uerbis ad facta, à promiſsis ad præſtationem progrediendum eſſet, Rex omnium expectationem miſerè deluſit, acuanam reddidit, fraudulentis uſus ac ſubuerſus Rokyzanæ conſilijs, Qui perſuaſerat ei, ſectam ſuam non eſſe hæreticam, ſed per Compactata (ut dixi) à Concilio Baſilienſi approbatam, uelut Catholicam & Rom. Eccleſiæ conformem. Etenim Anno Domini M.CCCC.LXII. peracta Epiphaniæ Octaua, miſit Rex celebrem Legationem è Praga Romam, ad Pium, ſummum Pontificem, In qua ſane Legatione erant nonnulli Barones regni, Koska, Tizko &c. Aliqui itẽ Magiſtri de Collegio Caroli, et cum ijs nobilis Dominus Procopius de Rabenſtein, Cãcellarius regni, Pio Pontifici (dum in minoribus fuiſſet) familiariſsime notus ac ſummus amicus. Per eam itaq; Legationem uolebat Rex (ut circa fidem Eccleſiæ minus eſſet ſuſpectus Catholicis, maxime Vratiſlauienſibus, qui propter eam ſuſpitionẽ, obedientiam & homagium ei præſtare recuſauerant) Sedi Apoſtolicæ obedientiam præſtare, tanquam Princeps Catholicus, & acceptare Eccleſiæ unitatem, ſed ea lege, ut Compactata Bohemorum approbaret Papa. Quod ubi Papa denegauit, Oratores re infecta domum reuerſi ſunt, ſub feſtum Pentecoſtes. Rex hoc indigne ferens, indixit generalẽ Regni congregationem Pragæ, in feſto S. Laurentij celebrandam. Ad quam & à Papa miſſus eſt Nuncius Apoſtolicus, Dominus Fantinus de Valle, qui plenam à Rege obedientiam et unionem requireret. Rex igitur in plena Prælatorum, Baronum, aliorumq; ſtatuum Regni congregatione conſtitutus, aſſumptis ſecum uxore & liberis, fidei ſuæ confeſsionem in hæc uerba protuliſſe fertur Bohemice. Vos Bohemi ſcitis, quod ad Papam cum conſilio ueſtro Oratores miſimus, Qui nũc reuerſi, reſponſum quale obtinuerunt & quid accidit, expedit, ut communi præſentia audiatis. Tunc ſurrexerunt

Legatio à Rege Romam miſſa ut obedientiam præſtaret.

Rex publicè fidem ſuam profeſſus ab Eccle. Ro. receſsiſſe iudicatus eſt.

rexerunt Dominus Koſka, Dominus Procopius de Rabenſtein, & alij ipſis adiuncti comites, & omnia quæ in itinere apud ſedem Apoſtolicam & Imperialem Maieſtatem ſuſceperãt, longa & ſcripta relatione per aliquot horas manifeſtabant, & fideliter cuncta per Dominum Apoſtolicum commiſſa proponebant. Super quibus Rex, nõ apponẽs Sanctitati ſuæ meritum reuerentiæ, reſpondit, abſq; alicuius aut aliquorum interlocutione, dicens. Miramur quid Papa facit, Fortaſsis iterum hoc regnum, quod uix per Compactata unitum eſt, & ad tranquillum ſtatum peruenit, diſiungere uult. Quomodo poteſt nobis hoc delere & auferre, quod ſacrum Concilium Baſilienſe, plus eo, & ſuus anteceſſor Papa Eugenius, nobis dederunt? Si quilibet Papa ita uellet ſemper illud deſtruere, quod ſui anteceſſores conceſſerunt, Quis unquàm circa ſuam iuſtitiam eſſet ſecurus? Nos accuſamur à Papa, quod iuramento in coronatione noſtra præſtito non ſatisfaceremus, At legimus uobis iuramentum. Quo lecto in Bohemico, dixit. Auditis, quod iurauimus hæreticam prauitatem uelle abijcere, & omnes hæreſes de regno noſtro delere. Pro certo ſciatis, nos hæreticos non diligere, ſed ipſis infeſtos eſſe. Sed quod Papa uelit Communionem & noſtra Compactata hæreſim facere, nunquàm fuit de intentione noſtra, Cum fundata ſit in Euangelijs, ex Chriſti inſtitutione & praxi primitiuæ Eccleſiæ, & nunc nobis conceſſa, tanquàm priuilegium noſtræ uirtutis & deuotionis, à Concilio Baſilienſi. Et quod hanc abijcere iuraſſemus, Non quidem, ſed pro certo ſciatis, quod cum in eadem Cõmunione nati, nutriti, & in hanc regiam dignitatem, Deo diſponente, ſumus ſublimati, Ideo eam tenere, defendere, & circa eam mori & uiuere ſpõdemus. Immò & Conthoralis noſtra hic à dextris noſtris ſedens, & noſtri liberi, & omnes qui ob amorem noſtrũ facere uolunt, circa ipſa Compactata nobiſcum ita uiuere debent: Nec credimus, aliam uiam eſſe ſalutis animarum noſtrarum, quàm ſub iſta mori, & utraq; Cõmunione uti, iuxta Saluatoris inſtitutionem. Alloquens deinde ſuæ partis aſtantes, & unumquenq; ſeorſum interrogans. Quæro, inquit, à uobis omnibus: ſi alius, quiſcunq; ſit, qui nos & regnum propter Compactata diffidare aut diffamare uoluerit, an nobis auxilio adeſſe uelitis? Reſpondit Koſka ſupra nominatus, interlocutione cum ſuis præhabita. Rex, inquit, libẽter audiuimus, quod nobiſcum in fide ſis conformis, cum Conthorali & liberis tuis, & gratias agimus tibi per immẽſas. Deſuper promittimus tibi omnes & unuſquiſq; ſeorſum, te adiuuare, & tibi ad retinendum Compactata præſtare auxilium corporibus & rebus noſtris. Deinde Rex uertens ſe ad partem

Relatio Legatorum.

Reſponſio Regis contra Papam

Excuſat ſe Rex à periurio.

Compactata.

Reſponſio Huſsitarũ.

Catholicorum. Et quid, inquit, uos facturi ſitis, dicite nobis palam. Reuerēdi igitur Patres, Domini Epiſcopi, Vratislauienſis et Olomucenſis, cum Dominis Baronib. de Sternberg et de Roſenberg, ac alijs ſuæ partis, quorum non multo minor erat numerus quàm erat partis infectæ, prǣhabita interlocutione, per Dominū Zdenkonem de Sternberg, hanc dederūt reſponſionem. Gratioſe Domine Rex, Tu ſcis, quod cum Cōpactatis tuis huc uſq; nihil habuimus, Ita & + in antea nihil de eis curamus, Sed ſicut in unitate & obedientia ſanctæ Ro. Eccleſiæ, & cum progenitoribus noſtris uiximus & nati ſumus, Ita in unitate eadem fidelium uiuere et mori uolumus: Recte, ſicut tu arguis, ex natiuitate tua fidem tuā habendam eſſe, ſic & nos non minus fidem noſtram eſſe ſeruandam inferimus. Sed quod petis à nobis auxilium, licet nunquàm deſuper noſtrum requiſiſti conſilium, ſicut tamen tui prædeceſſores Réges omnes, ſine conſilio noſtrorum progenitorum nihil fecerūt, Compactata tenere concluſiſti, ergo illorum, quorum conſilio illud elegiſti, auxilio potieris. Omnia quæ ad honorē tuum & Regni ſunt, ſecundum Deum & iuſtitiam, promouere & auxiliari ſpondemus.

Reſponſio Catholicorum.

† Deinceps

Rex autem hac reſponſione non contentus, ſæpiſsime interrogans aliam poſtulabat, ſed aliam obtinere non potuit. Atq; ita dimiſſa congregatione, iuſsi ſunt redire in craſtinum, ad audiendum Papę Nuncium, Fantinū de Valle, iuris utriuſq; Doctorem. Mandauit autem Rex, ut ei in relatione ſua impedimentum non fieret. Audiemus (inquit) eum ut Nuncium Papæ, poſtea aduerſus eum, + tanquam procuratorem noſtrum, aliqua proponemus. Fantinus igitur, licet à Catholicis eſſet ſuper periculis ſibi imminentibus præmonitus, ut clam aufugeret: Ipſe tamen conſtāter permanſit, ac altero die dicere iuſſus, dixit omnia quæcunq; à ſummo Pontifice ſibi mandata fuerant. In primis tamen, cum non daretur ei ſeſsio, ut Nuncio Apoſtolico, orſus loqui ſic ait. Sereniſsime Rex, lex eſt generalis omnium Nunciorū, etiam ad Paganos & crudeliſsimas gentes miſſorum, ut commiſſa, liberè ſine timore recitare, & deinde reſponſo recepto, pacificè ad mittentem redire ualeant. Quam legē, ut tu Sereniſsime Rex mihi ſerues, nomine cuius miſſus ſum, humiliter te precor. Deinde cōmiſſa tam uiriliter, ornate & efficaciter narrauit, ut & Huſsitas terreret, & Catholicos plurimū lætificaret, Cū uteretur interprete, Domino Ioāne de Rabenſtein, Pręposito Vuiſſegradenſi. At Rex eius oratione uehementer commotus, dixit ad Proceres, cœtu dimiſſo, Vos Domini Bohemi audiſtis hoc mane à Fantino, quomodo noſtrū honorem offendit, atq; intellexiſtis, quomodo Papa nos uituperat. Amen dico uobis, non

Nuncius Ap. Fantinus de Valle.

† forte per

Oratio Fantini ad Regem.

Rex Fantino iratus.

non uiuemus, niſi in Fantino iſta ubi fuerimus. Nos ſemper huiuſmodi intendimus pro honore pugnantes, & ab eo nunquam diſceſsimus, neq; aliquis prædeceſſorum noſtrorum in hac ſede Regia ab honore diſceſsit. Scitur autem, quam in ſede Apoſtolica plures Apoſtatæ ſederunt, uiri iniquiſsimi: Non eſt hæc ſedes ſancta, ſed peſtilentiæ Cathedra. At unio fidelium omnium ſedes eſt ſancta, quæ Romæ non eſt. Hæc & id genus plura in ſedem Apoſtolicam contumelioſe proferens, Fantinum poſtea in Vigilia Aſſumptionis Mariæ, in carcerem rapi iuſsit. Sed & Dominum Procopium de Rabenſteyn, Cancellarium ſuum, ſuſpectum habens, eo quod ex antiqua familiaritate ſeorſum cum Papa Romæ confabulatus fuerat, cepit, & captiuum duci iuſsit in arcem Podiebrat, officio & dignitate priuatum. At interceſsione Imperatoris Friderici, & Ducis Bauariæ Ludouici, ambo e carcere liberati, In Vigilia Simonis & Iudæ: Fantinus rediit Romam, Procopius officio & dignitati priſtinæ reſtitutus, miſſus eſt a Rege ad Imperatorem. Non multo poſt, Imperator in arce Vienenſi a ciuibus atq; etiam a fratre ſuo, Duce Alberto, crudeliter obſeſſus & oppugnatus, atque ad extremum redactus periculum, Georgii Regis Bohemiæ, Vicini opem implorare coactus eſt, quãuis ille iam declaraſſet ſua conſeſsione, quo nam eſſet in ſedem Apoſtolicam animo. E Praga igitur profectus Octaua die Nouembris, cum in Auſtriam ueniſſet, arce uſus, Imperatorem, uelut arbiter inter partes, ad ſeſe euocans in colloquiũ, eripuit eum de manibus obſidentium, ſed ita, ut neq; periret neq; uinceret: Ipſe liberato Imperatore Pragã rediit, Quarto Nonas Ianuarij. Imperator beneficij huius memor, & apud Pium Papam pro eo interceſsit, ne cenſuris contra ipſum ageret ad tempus, propoſita emendandi ſpe, & filios eius, Victorinum & Henricum, autoritate Imperiali Principes creauit, Anno Domini M. CCCC. LXIII. Cæterum ab eo die feſto S. Laurentij, quo ſe publice declarauit Rex Eccleſiæ Ro. inobedientẽ, nunquam in gratiam cum ſede Apoſtolica rediit. Quanta uero damna per eam defectionem & obedientiæ ſubtractionem poſtea paſſus ſit, nemo ſatis explicare poterit. Nam & in regno & extra regnum multos per hoc aduerſarios ſibi conciliauit, utpote Dominos de Stellis, & Dominos de leporibus &c. Mitior quidẽ longe fuit in eum Pius II, quàm ſucceſſor eius Paulus II. Qui non ſolum diris eum perſecutus: & Anathemate percuſsit, atq; quotannis in Bulla Cœnæ Domini graui cum infamia excommunicatum publice denunciauit, Verumetiam Cruciatam cõtra eum erexit, & Mathiam Vngariæ Regem bellicoſiſsimũ aduerſus eum incitauit. Quẽ et titulo, quẽ a Georgio

Verba Regis contra ſedem Ap.

Capti a Rege Fantinus & Cancellarius.

Imperatorem obſeſſum liberauit Rex Georgius.

Imp. memor huius beneficij.

Quãta mala Rex Georgius per defectionẽ a ſede Apoſt. incurrit.

Georgio tulerat, Regni Bohemiæ, autoritate Apoſtolica donauit. Vnde factum fuit, ut Mathias Septēnali bello grauiſsime perſecutus ſit Georgium et filios eius, eripiens ei Morauiam, Sleſiamq́ et Luſatiam, et parum abfuit, ut non pelleret eum è toto regno: Quorum nihil paſſus fuiſſet, ſi ſummo Pontifici potius, quam perditiſsimo Hæreſiarchę, Rokyzanæ ſuo, adhærere uoluiſſet. Longum quidem eſſet omnes recenſere Bullas Pōtificias, quas Paulus Papa II. aduerſus eum ad diuerſos publicauit per ſeptem annos continuos, Vnam hic Pij Papæ ſecundi recitabimus, quæ & mitior eſt, & ad hiſtoriæ cognitionem plus conducit.

Pius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei.

Cogit nos gregis Dominici, humeris noſtris inſufficientibus, cura impoſita, ut tanto propenſiori ſtudio, in hæreticæ prauitatis erroribus extirpandis inuigilemus, quanto illi per humani generis inimici fallacias aſtutius, etiam ſub religionis ſpecie, cordibus mortalium immiſsi, plures trahere poterunt in Gehennam. Dudum ſiquidem Inclytum Bohemiæ Regnum, quod Chriſtianum & fidelem populum habere conſueuit, ad hanc perniciosam Iacobelli & ſuorum ſequacium, in aliquibus partibus Huſsitarum nuncupatam hæreticam prauitatem, pro magna eius parte prolapſum, Vt communionem Euchariſtię Sacramenti, ſub utraq́ ſpecie, uini uidelicet & panis, quoad Laicos & non conficientes, de neceſsitate fore æternæ ſalutis profitetur. Cum propter obitum fœlicis recordationis quondam Ladislai nouiſsimi, Rege careret, Georgium de Podiebrat ſibi Regem elegit. Qui dum ſe Catholicum affirmaſſet, poſtmodum, dum Coronationis reciperet inſignia: licet in uenerabilium fratrum noſtrorum Iaurienſis & Vuacienſis Epiſcoporum, ac nonnullorum Eccleſiaſticorum & ſæcularium uirorum notabilium, manibus tactis per eum corporaliter Sacramentis Euāgelicis, publicè & ſponte promiſerit, ſpoponderit, pollicitusq́ fuerit, atq́ iurauerit, quod deinceps fidelis & obediens eſſet ſanctæ Ro. Eccleſiæ, & illius pro tempore Pontificibus, in eiusq́ obedientia & conformitate, more aliorum Catholicorum & Chriſtianorū Regum, in unitate Orthodoxæ fidei, quam ipſa ſancta Ro. Catholica Eccleſia confitetur, prædicat & tenet: fideliter obſeruaret, ac deinceps fidem & Eccleſiam ipſam protegeret atq́ tueretur & defenderet. Et populum ſibi ſubiectum ab omnibus erroribus, ſectis & hæreſibus, ac articulis ipſius Eccleſiæ & fidei Catholicæ contrarijs, reuocaret & auerteret, Necnon Catholicæ fidei obſeruationem ac obedientiam, conformitatem, unionem, ritum cultumq́ ipſius ſanctæ Romanæ

Hæreſis Iacobelli.

Iuramentū Georgij in ſua coronatione.

Romanæ Eccleſiæ reduceret & reſtitueret in dicto regno: Licetq; dictus etiam Georgius deinde per dilectum filium Ioannem de Rabenſtein, Notarium noſtrum, eius ad nos Oratorem pro ſe eiusq; Conthorali & liberis pollicitaretur, ut præcepta noſtra reuerenter ſuſciperet, & eis obſequeretur, Ac deinde, cum ſe huiuſmodi Iuramento aſtrinxiſſet ac obligaſſet, per Chariſsimū filium noſtrum, Fridericum Romanorū Imperatorē Illuſtrem, ut talis extitit confirmatus. Nihilominus, cum ipſe Georgius his omnibus facta contraria ageret: publica, quæ & continuata, fama, aduerſus ipſum laboraret, quod contra tam ſolenniter factas ſuas promiſsiones & Iuſiurandum, dictam hæreticorum ſectam foueret & amplecteretur: Dilecti filij, Clerus, Capitanei, Conſules & Communitates ciuitatis Vratislauienſis, & oppidi Namslauienſis, tanquam Catholici & ueri Chriſti fideles, eundem Georgium pro Rege ſibi recipere, eiq; homagium præſtare debitè recuſarunt. Propter quod Georgius ipſe bello illos impugnare temptauit. Nos tūc de his certam notitiam habentes, ut tantis incommodis repagulo eſſemus, dictumq; Georgium, ac ipſum inclytum Bohemię Regnum, ad ueram obedientiam & unionē Apoſtolicæ ſedis, & ſanctę ipſius Romanæ Eccleſiæ, reducere poſsimus, Venerabilem fratrē noſtrum Hieronymum, Archiepiſcopum Cretenſem, & dilectum filium, ſacræ Theologiæ Profeſſorem, Franciſcum de Toleto, tunc Archidiaconum de Aſtigia in Eccleſia Hiſpalenſi, Oratores noſtros, ad partes illas miſimus, Et tandem huius homagij ſuſpenſio ad Triennium & unū menſem per eos facta extitit. Verum duobus deinde fere annis decurſis, Cum idem Georgius nihil de huiuſmodi iuramentis, per eum promiſsis, ſe facturū oſtenderet: nos tantæ rei moram eſſe periculoſam cenſentes, pręfatum Georgium, ut promiſsionibus & iuramentis prętactis ſatisfaceret, regnumq; præfatum ad unionē ſanctę matris Eccleſiæ reduceret, per certū nunciū noſtrum iterum fecimus ſollicitari. Sic demū Georgius ipſe, tranſacto poſt unius anni ſpacio, ſolennes ad nos Oratores tranſmittens, nobis obedientiam præſtitit uerbalem, ut prius, ſed non realem, ſui & regni, in unitate fidei & ritus Communionis, quam iuxta iuramentum ac promiſsiones ante dictas expectabamus. Eumq; tunc proprijs Oratoribus ſuis hortati, pro huius rei finali conſummatione, & dimiſſa uęſania ſua, atq; hæretica præſumptione ſuper articulo Communionis huiuſmodi, ipſe cum Regno Bohemiæ ſe nobis & Eccleſiæ ſanctæ, atq; alijs regnis conformaret: Dilectū filium, Fantinum de Valle, utriusq; iuris Doctorem, ad eundem Georgium, regnum & Marchionatū Morauiæ, ac uicina eius dominia tranſmiſimus

Alia eius iuramenta & promiſsiones.

Narratio negocij Vratisłauien.

Obedientia uerbalis per Oratores pręſtita.

Fantinus Nuncius Ap.

miſimus: Qui ſibi per nos iniuncta, fideliter in conuentu, ob id per dictum Georgium, in feſto S. Laurentij proxime elapſo indictum, coram Prælatis, Magnatibus & alijs multis expleuit. Idem tamen Georgius, Sathanæ laqueis ligatus, in ſua pertinacia obſtinatus permanſit. Nam publice inibi cum eius Conthorali ſibi conſedente, in Prælatorum, Procerum, Magnatorũ præſentia, poſtquam, ut intelleximus, in nos & ſanctã ſedem Apoſtolicam, ipſamq́ ſanctam Romanã & Apoſtolicam Eccleſiam, fidelium matrem, multis detractionibus & blaſphemijs, ore polluto & impudicis labijs inuexerat, etiam proferre ueritus non eſt hæc uel in effectu ſimilia uerba, uidelicet. Vt nemo deinceps de fide & religione mea, coniugis & liberorum meorum dubius exiſtat, nunc palam & publicè profiteor, Chariſsimos parẽtes meos, in hac ueritate Communionis calicis utriuſq; ſpeciei mortuos eſſe, meq́ in ea natum, educatum, atq; uſq; in hæc tempora uixiſſe, uiuereq́; & mori uelle cum uxore & liberis meis: Aſſerens Communionem illam de neceſsitate ſalutis. Et adiecit. Deo magis quàm hominibus eſſe parendum.

Profeſsio fidei Regis Georgij.

Nec his contentus, ſed etiam præfatum Fantinum Oratorem noſtrum, poſt factam per eum confutationem aſſertorum Compactatorum ſuper communione prædicta, Poſtq́ erroris illius declarationem & propoſitionem eorum, quæ ipſe Orator noſter à nobis habuit in mandatis, ſacrilege in eum manus iniecit, & turpiter duriſsimis carceribus mancipauit: in Dei, huius ſanctæ ſedis & Rom. Eccleſiæ opprobrium, atq; nobis (qui, licet immeriti, Chriſti uices in terris gerimus) in uilipendium & contemptũ. Nos autem, qui nobis factam iniuriam nihilipendimus, Dei tamen & Eccleſiæ ſuæ offenſam uindicare tenemur. Sic in præmiſsis animaduertere debite uolentes, ne error ille ſæuiſsimus arma habens, ſub religionis ſpecie, amplius ſerpere ualeret, Et ne fideles Chriſti, per ſubiectionem dicti Georgij eius erroribus ualeãt maculari. Nuper proprio motu, ex certa noſtra ſcientia, fidelium proſpicientes ſalutem: dictos Clerum, Capitaneos, Conſules, Communitates ciuitatis Vratislauienſis, necnon oppidi Namslauienſis, ab obſeruatione concordiæ prædictæ, autoritate Oratorũ noſtrorũ concluſæ, omniumq́; dependentiũ & cõnexorũ: etiã ſi eius uigore ad Homagium præſtandũ tenerẽtur: abſoluimus & abſolutos fore declaramus, ut in alijs literis noſtris cõtinetur, Quarũ tenores uolumus pro præſenti habere pro expreſsis. Et quamuis pridem Chariſsimus filius noſter Fridericus Imperator, ac Nobilis Ludouicus Bauariæ Dux, Illuſtres, pręmiſſa ſentiẽtes, nobis ſupplicarẽt, ut ab ulteriori proceſſu contra dictum Georgium, ob certas cauſas abſtinere, ſiue iam

Fantinus à Rege captus.

Vratislauienſium abſolutio à Regis obedientia.

Proceſſus contra Georgiũ Regem ſuſpenſi ad tẽpus.

iam factos proceſſus ſuſpendere uellemus, Cum dictum Georgium ad Eccleſiæ gremium rediturũ ſperarent: Nos eorundem, & præſertim ipſius Imperatoris, precibus inclinati, ab ulterioribus proceſsibus aduerſus ipſum Georgium decernendis, uſq; ad præſens diſtulimus. Sed cum iterum poſt hæc dictus Georgius, per alium nuncium exhortatus, ad cor redire, erroreſq; ſuos recognoſcere, & ad Eccleſiam Catholicam reuerti, & ſe illius ritui conformare non curauit nec curat, nihilq; nobis ſpei de hoc per Imperatorẽ ac Ducẽ prædictos hactenus allatum ſit: Conſyderantes debitum officij noſtri fore, hæreſes extirpare, & Chriſti fideles in obſeruantia, ritu & Orthodoxa fide ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ confirmare. Ne igitur Georgius ipſe ſuum uenenum liberius effundat, ac dictos Clerum, Capitaneos, Conſules, & Communitatem Vratislauienſem ac oppidũ Namslauienſe, quouis modo opprimat, contra noſtram ac huius Apoſtolicę ſedis prohibitionem, Vigore dictæ concordię, ad homagium & quæuis alia præſtanda, inducere & compellere poſsit: motu proprio et ex certa noſtra ſcientia, noſtroq; mero officio, non ad eorum ſeu alterius, pro eis oblatæ nobis petitionis inſtantiam, Clerum, Capitaneos, Conſules, Communitatem Vratiſlauienſem, ac oppidum Namslauienſe præfatos, ſub noſtra Apoſtolicæ ſedis protectione, uſq; ad noſtrũ & eiuſdem Sedis beneplacitum ſuſcepimus, ſuſcipimuſq; per præſentes. Nihilominus Apoſtolica autoritate dicto Georgio, necnõ Ducibus, Marchionibus, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Communitatibus, & cæteris quibuſcunq;, ipſi Georgio adhęrentibus, & cõplicibus ſeu ſubditis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam in his ſcriptis ferimus, inhibemus, Ne ſe de Clero, Capitaneis, Conſulibus & Communitate, & oppido prædictis, contra noſtram huiuſmodi prohibitionem, quouis modo intromittant, aut ipſos in rebus ſeu bonis ſuis directe uel indirecte impediant, ſeu bello diſturbent, aut ei & ſuis adhærentibus aliquem fauorẽ aut loci receptaculum, contra eos prębeant: Nec etiam prædicantes contra præfatam ſectam impediant. Quinimmo harum ſerie hortamur, et in uirtute ſanctæ obedientiæ, per uiſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, requirimus omnes & ſingulos, Chariſsimos Reges Chriſtianos, & dilectos filios Nobiles uiros, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Militares, Nobiles, Communitates & oppidanos, cæteroſq; quoſcunq; Bohemiæ Regni & Marchionatus Morauiæ Catholicos, ac Sleſię & Luſatiæ incolas, & alios quoſcunq;, Quatenus dictis, Clero, Capitaneis, Conſulibus, Communitatũ & oppidorum, omni potentia, auxilio & fauore aſsiſtant, nec permittãt eos per dictum Georgium

Vratislauienſes recepti in protectionẽ Sedis Ap.

Vt cęteri iuuẽt Sleſitas contra Georgium Regem.

gium aut alium ad Homagij præſtationẽ compelli, ſeu alias indebite uexari ſeu oppugnari, contra autoritatem noſtram, ſub pœnis & cenſuris, in alijs noſtris literis cõtentis: Quas contrarium facientes incurrere uolumus ipſo facto: Iuramento fidelitatis ſeu homagij, dicto Georgio aut quibuſuis alijs præſtito, nõ obſtãte, † Cum eos tenore præſentium, uigore dicti homagij, quo minus nobis in præmiſsis obediant, minime teneri declaramus. Aut ſi aliquibus ſit à Sede prædicta indultum, quod interdici, ſuſpendi uel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas, non facientes de huiuſmodi indulto mentionem, cæteriſq; contrarijs non obſtantibus quibuſcunq;. Et quia difficile foret has noſtras Apoſtolicas literas ad omnia, ubi de illis forte neceſſe fuerit, loca perferri, Idcirco uolumus, & dicta autoritate decernimus, quod eorum Tranſſumpto, ſigillo alicuius Prælati ſiue Iudicis Eccleſiaſtici, cum ſubſcriptione Notarij publici ſigillato, ubiq; etiam in iudicio & extra, ſtetur, & fides adhibeatur, ac ſi præſentes noſtræ Originales literæ exhiberentur. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M.CCCC.LXIII. Quarto Calendas Aprilis. Pontificatus noſtri anno Quinto. Hanc Pontificis indignationẽ & has cenſuras preuenire uolens dictus Rex Georgius, deprecatorias ad eum literas ſcripſit, quarum hic eſt tenor.

[Margin: fortet Quoniã] [Margin: Tranſſumptis habenda fides.]

Georgius, Dei gratia Rex Bohemiæ, & Marchio Morauiæ, Eiuſdem Sanctitatis ueſtræ deuotus filius.

Beatiſsime Pater, & Clementiſsime Domine, Obedientiam cum ueneratione ad pedum oſcula Beatorum. Venit ad nos nomine Sanctitatis ueſtræ Venerabilis Ioannes de Rabenſtein, Prepoſitus Vuiſſegradenſis, Sanctitatis ueſtræ Protonotarius & Referendarius, Decretorum Doctor, Conſiliarius deuotus & fidelis noſter dilectus, Ea quæ ſibi à Sanctitate ueſtra iniuncta fuerunt, nobis retulit. Quæ nos intelleximus, & credimus ueſtram Sanctitatem non fugiat, Sanctiſsime Pater, nunquàm aliud nobis menti noſtræ incidit, quàm ut honor ſummorũ Pontificum ac ſedis Apoſtolicæ, præſertim Sanctitatis ueſtræ, quantum in nobis fuit, omni cum diligentia & accuratiſsima opera intendimus. In hac quoque opinione & nunc perſiſtimus, ſtabimuſq;, Deo iuuante, in æuum. Id aũt, de quo præ alijs accuſamur, factum uidelicet Dietæ S. Laurentij proxime præteritæ, non ambigimus, intelligit Sanctitas ueſtra, quomodo aliter non erat faciendum, Secundum quod res &

[Margin: Ioannes de Rabenſtein.] [Margin: Excuſat ſe Rex de ijs, quę contra Fantinum egit.]

tempus

tempus & propoſitio publica illius rei poſtulabat. Fantinus captus eſt, Quas ob res, iam Sanctitati ueſtræ & nonnullis Reuerendiſsimis Dominis Cardinalibus præſcripſimus nunc aliqua. Tunc loco & tēpore poſtulantibus (ut diximus) materia rei, populo aſtante, hoc uolebat. Non eſt igitur, cur Sanctitas ueſtra nobis ſuccenſere ſummopere debeat: Cum ueſtra Beatitudo, Pontifex Prudentiſsimus, & rerum maximarum expertiſsimus exiſtat, Remq́ non ignorare poſsit, ex qua origine, quibus cauſis, quas propter rationes res hæ, in hunc finem deductæ fuere. Sunt quàm plures (credimus) delatores, famæq́ noſtræ (quantum eorum ſe extendit potentia) deſtructores, quibus quantū fidei adhiberi debeat, ſcit peroptime Beatitudo ueſtra. Prætactus etiam Ioānes, inter alia hortatus eſt, uerbis Sanctitatis ueſtræ, Quatenus cōtra Vratislauienſes nihil attemptemus. Quæ res ut clarius à Sanctitate ueſtra percipiatur, neceſſarium eſt, parumper principalius & altius eam ordiri. Cum nos uno conſenſu paribusq́ uotis in Regem electi, & more regio uncti & confirmati fuimus, ueſtra Beatitudo, Sereniſsimus Dominus, & Affinis noſter, Romanorum Imperator, Reges & omnes Principes, Comites & Barones, Militares & Communitates, tam ſacri Imperij Romani, quàm Regni & Dominiorum noſtrorum, tam non ſubditi amici, quàm ſubditi noſtri dilecti, nos (ut decens eſt) pro Rege ſcilicet Catholico & non perfido habebant: Vt Regem, etiam non ſubditi uenerati ſunt, & Regi fidelitatem ſubditi & obedientiam præſtabant. Soli Vratislauienſes, qui Regibus Bohemiæ ſubditi ac regno hæreditarie incorporati exiſtunt: neſcimus quo freti ſpiritu, aut quibus ducti cōſilijs, obedientiam, pro ut tenebantur, facere recuſabant. Nos eos bene & iuſtè potētia à Deo nobis data, ad obediendum & ſuis obligationibus ſatisfaciendum compuliſſemus: ſed Sanctitati ueſtræ (Cui ſemper placere nitimur) moram gerere cupientes, eos in ſubiectionē, tranquilla animi cum patientia, abſq́ armorum quauis ſæuitia accepimus. Ipſi quoq́ nobis, ut uero Regi Bohemiæ fidelitatem & ſubiectionem præſtiterunt. Et infra. Faciat itaq́ Sanctitas ueſtra, quam non dubitamus regnū Bohemiæ diſtrahi & diripi nolle, magisq́ in pace & trāquillitate+, ſpeq́ nominatos Vratislauiēſes hortetur & admoneat, Quatenus nobis & regno debitam fidelitatem, iamdudum præſtitam obſeruent, cæteraq́, quibus Regibus necnon Inclytæ Coronę Regni Bohemiæ obligantur, perficiant, & perfecta teneāt & cuſtodiant. Non enim ipſorū eſſe exiſtimamus, ut religionis & fidei Catholicæ quæſtiones diſſoluāt. Sunt quibus dubietas fidei ad decidendū eſt cōmiſſa. De his aūt rebus amplius latiusq́

Georgius ab omnibus pro Rege agnitus fuit, pręterq̄ à Vratislauienſibus.

Petitio Regis de Vratisla.

addo + manere

locuturus Orator & Nuncius Sereniſs. Domini, Imp. Rom. Regis &c. affinis noſtri, ueniet ad Sanctitatē ueſtrā, Quem nos iam cum Beatitudine ueſtra eſſe arbitramur, qui in eiſdē uerbis Sereniſsimi Domini Imperatoris, cum Sanctitate ueſtra loquetur ſperamus. Bene ualeat Sanctitas ueſtra, quā Deus clementiſsimus & glorioſus, nobis Eccleſiæ ſuæ ſacroſanctæ, ad bonū & beatū regimē, conſeruare & tueri incolumem dignetur. Datum Pragæ, Die Tertia Martij, Regni noſtri anno Quinto. Cæterum ubi Orator Imperatoris, apud Papam pro Rege Georgio intercesſiſſet literis & nomine Imperatoris, Papa in hunc modum reſcripſit Imperatori, ut ſequitur.

Pius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Chariſsimo in Chriſto filio, Friderico Romanorum Imp. ſemper Auguſto. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Intelleximus literis Serenitatis tuæ, per dilectum filium Vuolfgangum Oratorem tuum, Maieſtatem tuam Georgio, aſſerto Regi Bohemiæ, qui tibi in tuis iniurioſiſsimis & atrociſsimis oppreſſionibus, fideliter et efficaciter ſuccurrit, non immerito ut ſuis affici. Ideoq; te à nobis expetere, ut dilectos filios, Ciues Vratislauienſes inducamus, quod eidem ut ſuo Regi homagium præſtent, cum etiam ad id ex pacto nunc obligentur, & timere non habeāt, quod unquam compellantur, fidem atq; ritum Communionis, quam tenent immutare. Chariſsime fili, non eſt tuę Serenitati incognitum, ipſum Georgium, neq; nobiſcum & hac ſancta Ro. Eccleſia (quæ eſt mater fidei Chriſtianæ) neq; tecum atq; cum cæteris Chriſtianis Regibus, in fide Catholica & ritu cōcordare, ſed ſe ipſum per publicam declarationem à corpore Chriſti myſtico & ſancta Eccleſia, cuius Chriſtus caput exiſtit, damnabiliter (quod cum dolore referimus) ſeparaſſe. Et cum Chriſtus Dominus noſter, ſit Rex regum & Dominus dominantium, neceſſe exiſtat, omnes Chriſtianos Reges de ipſius regno eſſe, quod eſt Vniuerſalis Eccleſia: Cui nos, licet immeriti, ut eiuſdem Vicarius præſidemus. Certum profecto eſt, eum, qui ſeipſum ab Eccleſia Catholica ſchiſmaticè ſeparat, in Republica Chriſtiana nullam aut regiam aut aliam poſſe tenere dignitatē. Nos quoq;, ut fidelem Chriſti Vicarium decet, eundem pro Ethnico & Publicano atq; abſciſo de corpore Chriſti membro ſine ulla diſsimulatione habere tenemur. Ex quo intelligit Maieſtas tua, nos oportere mandare dictis Vratislauienſibus, ut nobiſcum ſentiant, & Georgium ipſum Regē eſſe nō poſſe, nec ut Regi obediendum fore ei, qui de corpore Chriſti ſe ſua ſponte prę̄ſcidit. Nec

Georgius ſeipſum ab Eccleſia ſeparauit.

Hæreticus inter Chriſtianos Rex eſſe nō poteſt.

in hoc quæcunq; pacta ipſis obſtare poſſunt. Sicut enim mors naturalis pacta præſtandi homagij diſſoluiſſet, Ita non minus hæc abſciſio à corpore Chriſti (extra quod Chriſtianus ut Chriſtianus non uiuit) pacta illa diſſoluit. Non enim Vratislauienſes à noſtris Oratoribus inducti fuere, ut ſe obligarent poſt Trienniū, & unum menſem præſtare Georgio homagium ut Georgio, ſed ut Catholico Regi. Poſtquam aūt Georgius ipſe ſe declarauit, à Catholica ac Vniuerſali Eccleſia, in fide & ritu ſeparatum, facto patefecit, ſe non eſſe illum, cui à dictis fidelibus Chriſtianis præſtari debeat homagium, ſed potius mortuum cenſeri, cui nullus Chriſtianus, etiam qui eidem præſtitit homagium, obedire tenetur. Et niſi alia ſcripta Celſitudinis tuæ ſpem dediſſent, quod ipſe Georgius, errore dimiſſo, tua opera ad Eccleſiam rediret, Iamdudum ea, quæ contra ipſum officij noſtri ſunt, uniuerſus Chriſtianorū orbis audiuiſſet. Hortamur igitur Maieſtatem tuam, Cum Georgium diligis, adhuc ipſum inducere coneris, ut noſtris monitis pareat, & ad unionem Eccleſiæ Catholicæ redeat. Et quādo ſic ſe regiæ dignitatis capacem fecerit, nos ſemper tuis deſiderijs pro ipſo, quantū cum Deo poterimus, complacebimus. Quod ſi tua Serenitas in hoc poſſe proficere ſperat, pro tanto bono, ac ut tuæ Celſitudini morem geramus, à publicatione ipſius ad tempus aliquod ſuperſedebimus: Ita tamen, quod interim Georgius ipſe & ſui, ab omni infeſtatione ipſorum Vratislauienſium, & aliorum Chriſtianorum abſtineant. De quo nobis quantotius reſcribi, & eoſdem Vratislauienſes certiorari depoſcimus. Si uerò tua Serenitas nō ſperaret, quod apud dictum Georgium in præmiſsis poſſet proficere, rogamus Celſitudinem tuam, & ipſam per uiſcera miſericordiç Dei noſtri requirimus, ut Catholicam fidem atq; ipſos Vratislauienſes, & alios Chriſtianos (uti ex Imperiali Maieſtate plus cęteris obligaris) tam ipſi Georgio, quam alijs cunctis Huſsitis & hæreticis pręferas, & iuxta poſſe defendas. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Domini M.CCCCLXIII. Die XVI. Maij. Pontificatus noſtri anno Quinto.

Hæreticis non ſunt præſtanda homagia.

Dilatio pro reductione Georgij.

Vt Imper. Vratislauienſes defendat.

Imperator, uir ſapientiſsimus, ubi Regem Georgium ad ueram & plenam Eccleſiæ unitatem & obedientiam, conſilijs & perſuaſionibus ſuis reducere non potuit, dimiſit eum in manibus conſilij ſui. Rex cum haberet omnes Barones regni, ac circumiacentes prouincias ad Coronam regni pertinentes, præter Vratislauienſes, præſtito homagio, ſubditos & obedientes, Duces pręterea Saxoniæ, uicinos ſuos, affinitate ſibi coniunctos, Et Vngariæ Regem Mathiam, quem è carcere ad Regnum dimiſerat, ueteri ſponſione

Rex multos habebat ſubditos & amicos.

obnoxium, Imperatorem denique recenti beneficio amicum: arbitrabatur ſibi difficile non fore, Vratislauienſes ad debitam obedientiam armis compellere. At longe aliter euenit. Vratislauienſes enim freti autoritate Rom. Pontificis, omne obedientiæ iugum excuſſerunt, & reiecto Georgio, Mathiam Vngariæ Regem, Principem Catholicum ſuſceperunt, qui & ſtrenue tutatus eſt eos. Nam & ipſum Papa liberum ab omni obligatione Georgio facta, declarauit autoritate Apoſtolica: eo quod fides ei ſeruanda non ſit, qui Deo & Eccleſiæ fidem non ſeruat. Vnde & in regno atque in prouincijs regni, Catholicis odio eſſe cœpit Georgius, poſteaquam à Papa reiectus & regia dignitate ſpoliatus fuit. Maxime, ubi poſt obitum Pij Secundi (qui anno Domini M.CCCCLXIIII. ſexto ſui Pontificatus anno Anconæ, cum uellet in propria perſona contra Turcas bellum gerere, mortuus fuit ex febri) Paulus Papa Secundus, Mathiam titulo Regni Bohemiæ donauit. Cui rei & Imperator facile conſenſit, præſertim, poſtquam Mathias ei promiſit, ſe non ducturum uxorem, ut poſt mortem ſuam Regnum Vngariæ domui Auſtriæ reſtitueretur. Indies itaque deterior cœpit fieri conditio & fortuna, fortiſsimi alioqui & rei militaris peritiſsimi uiri, Regis Georgij, propter hæreſim Huſsitarum, quam pro Catholica tenebat, à Rokyzana perſuaſus. Nō enim ſolummodo Epiſcopi Vratislauienſis & Olomucenſis, eorumque Capitula, ſed etiam magnæ & multæ ciuitates Sleſiæ, Morauiæque & Luſatiæ, ac plærique Duces & Barones, ab eo ad Regem Vngariæ, quem & Papæ & Imperatoris autoritate pro uero & legitimo Bohemię Rege agnoſcebant, defecerunt. Ea tamen animi moderatione & longanimitate erat Georgius, ut interim non ſæuiret in Clerum Catholicum, qui Pragæ & in cæteris Bohemiæ urbibus, palam Rokyzanæ ſectæ & doctrinæ contradicebat, & cum Eccleſia Romana (quæ ipſum Regem diris perſequebatur) conſentiebat in fide: Quemadmodum ex eo conſtat Tractatu, qui inter Capitulum Eccleſiæ Pragenſis & Rokyzanam, in Regis præſentia habitus fuit, Anno Domini M.CCCC.LXV. Quinimmò nec eos à conſilijs ſuis, neque ab officijs & rerum adminiſtratione amouit, quos nouerat maxime Catholicos, & Ro. Eccleſiæ fautores & obedientes filios exiſtere. Quales ſane erant, Dominus Procopius de Rabenſtein, Cancellarius: uir ſummæ autoritatis & ſpectatæ fidei, qui prius Friderico Imperatori, deinde Regi Ladislao à conſilijs diu fuerat, Cui & Æneas Syluius, antequàm Papa fieret, familiariſsimus erat amicus, Qui eum, cum à Georgio Rege cum nō nullis alijs in Legatione Romam miſſus eſſet, in publico conſiſtorio,

Vratislauienſes à Rege Mathia defenſi

Fortuna Georgij Regis decreſcere cœpit.

Magna animi moderatio in Rege Georgio fuit.

Procopius de Rabenſtein.

ſto, coram Cardinalibus, maxime propter merita uirtutum & fidei Catholicæ zelum, audientibus cæteris Bohemis, laudare non eſt ueritus, & in priuato colloquio multa cum eo tractauit. Item, Dominus Ioannes de Rabenſtein, Præpoſitus Vuiſſegradenſis, qui erat Papæ Protonotarius & Referendarius. Itē, alij quoq; Barones plærique, ueluti Domini de Stellis ſeu de Sternberg, Domini de Roſis ſeu de Roſenberg, Domini de Leporibus ſeu de Haſenberg &c. Huiuſmodi tamen uirorum opera & conſilio etiam in rebus aduerſis uti Rex Georgius non dubitauit. Cum autem in Morauiam miſiſſet filium ſuum, Dominum Victorinum, Cum Quinque Milibus armatorum, ut Morauos ad obedientiam reduceret, occurrit illi Mathias Rex Vngariæ ualido cum exercitu, & non ſolum coëgit eum retrocedere, uerumetiam quodam in Monaſterio depræhenſum obſedit. Quod ubi pater intellexit, confeſtim ſuperueniens, potenter eum è manibus Mathiæ eripuit. Quem profecto Mathias bello ſuperare nunquam potuiſſet (ut arbitror) niſi adiutus fuiſſet tum a Papa tum ab Imperatore. Vterque enim ſubſidia ei præſtitit: Papa per Legatum, qui Copias in Turcos parauerat, quas Mathiæ aduerſus Regem Bohemiæ ſubminiſtrauit: Et Cæſar unius anni redditus Auſtriæ, in eum uſum belli Mathiæ conceſsit. Neque tamen potuit Mathias Georgium è regno pellere, ſed poſt Septennale bellum cum eo pacem iniit, etiam inuito tum Papa tum Imperatore. Senſit enim quanto fuerit difficilius cum Bohemis ſub Georgio, quàm cum Turcis bellum gerere.

Alij quoque Conſiliarij eius Catholici.

Rex Georgius bellicoſior Mathia Rege uideri potuit.

Auxilia Mathiæ cōtra Georgium.

Rex autem Georgius, cum regnaſſet annis XIII. in morbum incidit, quo & perijt. Cum ergo cuperet reconciliari Sedi Apoſtolicæ, antequàm ex hoc migraret ſæculo, miſit ad Duces Saxoniæ, affines ſuos, fratres Germanos, Erneſtum & Albertum, Quorum hic gener eius erat: Ille Romani Imperij Princeps Elector, petens ab eis, ut Legatos Romam mitterent, ac pro ipſo intercedentes, ſupplicarēt Domino Apoſtolico, Paulo II. Quatenus Anathema aliasque Cēſuras Eccleſiaſticas, quibus percuſſus & innodatus erat, ad tempus ſuſpenderet ſaltem, ſi omnino tollere nollet, quoad ipſe audiri poſsit. Nam poſtquam auditus eſſet, cognita cauſa, uellet omnia facere, quæ obedientem & Catholicum Regem facere oporteat. Duces igitur illi (qui coniunctim ſuas prouincias tum regebant, & nondum diuiſerant commune patrimonium) cum eſſent religioſi & per omnia Catholici Principes, per Legatos ſuos facile à Papa impetrauerunt Anathematis & aliarū Cenſurarū relaxationem. Verum priuſquam reuerterentur ex urbe Legati, Rex Georgius morbo conſumptus obijt, Anno Domini M. CCCC. LXXI.

Rex Georgius ante obitū ſuum petijt abſolutionem à Papa.

Contentio de Regno Boh. inter Vngariæ et Poloniæ Reges.

Mortuo autem Georgio, Mathias Rex Vngariæ, fretus autoritate tum Papæ tum Imperatoris, qui eum titulo Regni Bohemiæ donauerant, exercitum duxit in Bohemiam, ad obtinendam Regni poſſeſsionem. Verum Rex Poloniæ Caſimirus, cum eſſet gener Alberti Regis, & ſororius Ladislai, cui Georgius ſucceſſerat, fretus antiquo ſucceſsionis iure, quo etiam fœminei ſexus naturales hæredes in Regno Bohemiæ ſuccedere poſſunt, deficientibus maſculis: magno cum exercitu ſuperueniens, cum haberet LXX. Millia pugnatorum, Mathiam è Bohemia diſcedere compulit. Facta deinde inter eos pace, Caſimirus Rex pro filio ſuo Vladislao regnum Bohemiæ obtinuit, Mathias uerò retinuit, quoad uixit, Morauiam Sleſiamq; & Luſatiam. Quas & retinuit uſq; ad annum Domini M. CCCC. LXXXX. In quo Viennæ (quam Cæſari eripuerat) mortuus eſt. Longe glorioſior uictorijs, quas aduerſus Turcas obtinuerat, quam bello, quod cum Rege Georgio, pro Regno Bohemiæ geſſerat. Ab eo igitur tempore uſq; in hunc diem, Regnum Bohemiæ Catholicis paruit Regibus, Quemadmodum ante Georgij regimen fecerat. Vladislaus enim diutiſsime regnauit, & poſt eum filius eius Ludouicus, Vngariæ & Bohemiæ Rex, magnæ ſpei Iuuenis, cum occurreret maximo Turcarum exercitui, Anno Domini M.D.XXVI. In Vngariam irrumpenti, deſtitutus Germanorum auxilijs, & ab Vngaris quibuſdam proditus (ut fertur) pie ac fortiter pro patria & regno ſuo pugnans, in eo prælio interijt. Cui in utroq; regno nobiliſsimus & genere & uirtute Princeps, Dominus Ferdinandus, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ etc. Pronepos Friderici Imperatoris, Nepos Maximiliani Cæſaris, Gener Vladislai, Ludouiciq; ſororius ſucceſsit. Et quidem multiplici iure, Nam & ſuo, ut Archidux Auſtriæ, & Nobiliſsimæ Coniugis ſuæ, Sereniſsimæ Dominæ A N N Æ, filiæ & ſororis Regũ Vngariæ & Bohemiæ, iure iuxta uigorẽ ac expreſſum tenorem atq; conſtitutionem antiquiſsimorum fœderum atq; diplomatũ, ſuperaddita etiam ſolenni & ordinaria electione, regnum utrunq; fœliciter poſsidere cœpit. Cui poſtea Anno Domini M.D.XXX. Romanorũ quoq; regni Corona Auguſtalis, Aquiſgrani, præſente & non ſolum conſentiente, ſed etiam cooperante C A R O L O. Imp. Auguſto, huius nominis Quinto, fratre ſuo Germano, præſentibus item Ro. Imperij Electoribus, ab Archiepiſcopo Colonienſi ſolenni ritu ac ſumma cum celebritate impoſita eſt. Quantas uero difficultates paſſus ſit, pro tutando Vngariæ Regno, multis iam annis & ab æmulo illius Regni & à Turcarum irruptionibus, dum Turcarum Imperator bis interim

Concordia per diuiſionem facta.

Vladislaus ſucceſsit Georgio. Ludouicus filius eius.

Ferdinandus gener eius Rex Ro. Vng. & Boh.

numeroſiſsimo cum exercitu, non ſolum Vngariam, ſed & Auſtriam crudeliſsime peruagatus eſt. C. Velius Vrſinus, nobilis hac ætate Hiſtoriographus, poſteritati fideliter commemorabit. Ego non tam Hiſtoriæ quam fidei Catholicæ defenſioni intentus, aduerſus Vuiclephi pernicioſam hæreſim, quam Ioannes Hus maximo cum detrimento Patriæ, in florentiſsimum Bohemiæ Regnum, ſceleſtis machinationibus induxit: hiſtorica fide res geſtas Huſsitarũ proſequutus ſum: Pia ſanè intentione, nempe, ut et Huſſitas admoneam per hunc laborem, quantum mali acceptum referre debeant Ioanni Hus, temerario nouorum dogmatum Vuiclephi aſſertori: & Germaniæ populos à nouis ſectis, quæ paſsim in Germania nunc pullulant & inualeſcunt, Bohemorum propoſito exemplo, deterream. Faxit Deus Optimus Maximus, ut uotorum meorum compos factus, uideam & Huſsitarum reliquias ad perfectam Eccleſiæ unitatem redire, & Germanos omnes, eiectis omnium nouarum ſectarum aſſertoribus, in priſtina Patrum ſuorum fide, & Eccleſiæ unitate concorditer permanere. Autoris excuſatio.

Scripta ſunt hæc Dreſdæ ſub Pio Orthodoxo Principe, Duce Saxoniæ GEORGIO. Anno Domini M. D. XXXIIII.

Aedita uero nunc primum, apud S. Victorem prope Moguntiam Anno Domini M. D. XLIX.

In officina Franciſci Behem Typographi.

TRACTATVS MAGISTRI IOANNIS ROKYZANÆ BOHEMI, DE SEPTEM SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri ac Domino, D. OLAO Magno, Natione & Nobili genere Gotho, Archiepiſcopo Vpſalenſi, Primati Regni Sueciæ & Gothiæ, Domino & Patrono ſuo Pijßimo, Ioannes Cochlæus S. P. D.

Hiere. 8. Rom. 9. *REuerendißime Pater ac Domine, Patrone multo pijßime ac fidelißime, Etſi fatorum arcana & conſilium diuinæ prouidentiæ non cognoſco: Deo tamen Opt. Maximo, (cui me, ut lutum figulo ſuo, plena fide quotidie commendo, ut faciat ex me, iuxta liberrimam potentißimamq; uoluntatem ſuam, uaſculum ſiue honoris ſiue contumeliæ) gratias deuotißime ago, quod uitam meam ita direxerit clementer & paterne, ut multo plus gratiæ auxilijq; & ſubſidij inuenerim, & inſperato quidem ut plurimum, apud Extraneos & Externos, quàm apud proximos & (exceptis parentibus) conſanguineos meos: Vnde intelligã, me nõ fortunæ aut naturæ, ſed ipſius potius Dei Miſericordiæ ac bonitati acceptũ referre debere, quicquid boni undecunq; mihi acciderit. Certe Reuerẽdißima* + *Dignitas Tua, quæ nullo mihi uel patriæ communis amore, uel propinquitatis aut neceßitudinis naturalis uinculo iuncta eſt, nec ullo familiaritatis officio deuincta, Dei ſolius inſtinctu & uirtutis opinione, in me homuncionem, ignotũ de facie ſibi, & ab hæreticis compluribus (qui ſtylo & ingenio magni celebresq; habentur à plurimis) exoſum & contemptum, ita gratioſe inclinata uidetur: ut arbitrer, tam paterno affectu ac pia ſollicitudine nullũ, ex uniuerſa cognatione & affinitate mea, complecti ac proſequi paruitatem meam, quàm facit ultro, & nullis meritis meis illecta Reuerendiß. D. T. Quæ non ſolũ notis & amicis, uerumetiam Externis quibuslibet, quos literis ac uirtutibus fauere comperit, commendare non ueretur paruitatem meam: Quam putas non paruos in tenui uirium rerumq; ſubſtantia ſubire & urgere conatus. Cum igitur ita cõmendaueris propoſitum & intentionem meam Reuerendiß. ac Illuſtriß. Principi ac Domino, D. IOANNI*

+ Dominatio

IOANNI de Hangeſt, Epiſcopo & Comiti Nouiodunenſi: Qui ſane inter Nobiliſſimos Pares Franciæ, in Chriſtianiſſimo Francorum Regno, uirtute ac eruditione percelebris habetur, ut ingratiſſimus merito ruſticus cenſeri queam, ſi cōmendationis tuæ inimemor aut ignauus diſſimulator forem. Quare illius bonitate gratiaq; & uirtute ac eruditione fretus, ablegata paruper uerecundia, tanto Principi & Heroi, tamq; docto iuxta pioq; Antiſtiti auſus ſum dedicare, ex qualibuſcunq; ſtudij mei laboribus XII. libros Hiſtoriæ Huſſitarum. Nouit profecto Deus Opt. Max. qua eos libros intentione & ante XIIII. annos ſcripſerim, & nunc in lucem ædere decreuerim. Certe in nullius mortaliū odium aut iniuriā: Quandoquidē non uiuūt amplius in terris, quorū in hac hiſtoria fit mentio, nec ullū mihi priuatim cum aliquo eorum fuit cōuerſationis cōmerciū: Et in præclaro & inclyto Bohemiæ regno, nihil unq; educrſi accidit mihi, Qui etiā cognatos & affines aliquot ibi habeo. Ad hæc omniū Clementiſſimū Regem piiſſimumq; Patronū: ut minime gentium uellem quenq; in hoc Regno ſciens prudēsq; offendere, ubi reliquū ætatis meæ peragere cupio & incēdo. Sed ſcripſi hæc omnia in exemplū & piā admonitionē Catholicorū quorumlibet, maxime Germanorum, quos ad conſimiles, atq; etiā grauiores adhuc magisq; impias & periculoſas, atq; blaſphemas, cōtra unanimē Eccleſiæ fidem, diſcenſiones ſollicitant nouarū apud nos ſectarū duces. Cum igitur R. D. T. ſit mihi Nuncupationis horum librorum author, uiſum eſt mihi par & operæprecium, ut adijciam uetuſtum Io. Rokyzanæ Tractatū de Sacramentis: Ex quo intelligant & ipſi Huſſitæ in Bohemia, & noſtri Lutherani ac Zuingliani in Germania, q̄ longe abſint in nouis impetatum ſuarū adinuentionibus, à ueteri Eccleſiæ fide, & ſanctorum patrum (quorū teſtimonijs hic utitur ipſe Rokyzana) doctrina & ueritate, traditionumq; conſtantia. Qui alioqui inter omnes Huſſitas, improbiſſimus fuit plurimis annis Eccleſiæ & Ro. Pontificū calumniator & hoſtis: Is ipſe tamen, cum ſuperbe ambiret, ac ui quadam ſeditioſe arrogaret ſib Archiepiſcopatum Pragenſem: contra Thaboritas hunc ædidit de Sacramentis Tractatū, quo Bohemiæ Morauiæq; Proceribus & Populis minus reprehenſibilis, & Archiepiſcopatu magis dignus uideretur. Hunc igitur Rokyzanæ Tractatum incorrupto fidei & pietatis tuæ zelo uenerabiliter nuncupo, ut inde & clarius intelligas meæ in hiſe XII. libris intentionis ſcopū, & ipſos libros confidentius apud Catholicos, maxime apud pium & inclytum Epiſcopum & Comitem Nouiodunenſem cōmendes & excuſes. Bene uale Ampliſſime Pater. E caſtello S. Victoris, VI. Idus Martij, M. D. XLIX.

Argumentum huius Tractatus.

Prologus Magiſtri Ioannis Rokyzanæ.
1 De ſeptem Sacramentis in genere.
2 De non ſcriptis Traditionibus Eccleſiæ.
3 De præſumptione hæreticorum contra Eccleſiæ Doctores.
4 De Sacramento Baptiſmi, & antiquis eius Cæremonijs.
5 De Conſecratione fontis Baptiſmalis.
6 De Exorciſmo, Deq; interrogationibus & Exufflatione.
7 De ſignaculo Crucis, quod hæretici omittunt.
8 De ſale & ſputo, quod datur puero.
9 De Chriſmatis & olei ſacri unctione.
10 De Alba ueſte, quæ datur Baptizato.
11 De Sacramēto Cōfirmationis et ſanctificatione Chriſmatis.
12 De reuerentia habenda circa Sacramentū corpors Chriſti.
13 De admixtione aquæ in calice.
14 De ſigno Crucis circa conſecrationem Euchariſtiæ.
15 De Cereis & luminibus coram Sacramento.
16 De Sacramento Pœnitentiæ, & tribus partibus eius.
17 De auriculari Confeſsione in ſcripturis fundata.
18 De Extrema unctione eiuſq; effectu & utilitate.
19 Teſtimonium Ioannis Vuiclephi de VII. Sacramentis.
20 De uirtute conficiendi Sacramenta.

PROLOGVS

PROLOGVS MAGISTRI IOANNIS ROKYZANÆ.

AD Chriſti Ieſu Domini noſtri laudem & honorem, paritérq; in fidei noſtræ robur et munimen: Pater & filius & ſpiritus ſanctus, unus Deus omnipotens, ex cuius potentia conſtat totius mundi confecta harmonia, Cuius ſapientia entium ſingulorũ multitudo eſt effecta, Cuiuſq; beneuolentia in eſſe+ perſiſtere extat conſeruata. Sine quo nullum rite fundatur exordium, Sine quo +non ſanus ſed æger eſt: Non prudens, ſed ſtultus. In ægritudine laborat aſsidua, & in cæcitate noxia ſtultus permanebit continue, donec ad ipſum fontem ſapientiæ totis uiribus ſe conuertat. Ipſe ergo tam magnificus, mirificus & laudabilis Dominus, concedat mihi, licet minimo in ſpe Ieſu Chriſti, ſuo & ſuorũ fruo, ſcientiam magnorum ſuorum & electorum ſanctorum, pro ipſis Ieſu Chriſti Sacramentis ita ſapienter & prouidè loqui, qui non poſsint filij iniquitatis reſiſtere, Et fidem potentiſsimam contra inſultus Diaboli, ipſe pater luminum uelit placide cõdonare. Quiſquis aũt domini eſt, iungatur mihi, ut fœliciſsima domini prælia præliando, hoſtibus legis, fidei Chriſtianæ Orthodoxæ, & inimicis Eccleſiæ poſsim uiriliter occurrere, & Ranas Ægypti tumentes & garrulas, atq; Cyniphes acriter +punientes exufflare et effugare: Det inquã, Ieſus Chriſtus, Dominus omnipotens, qui eſt Deus, et ſcientiarum Dominus, qui eſt laborũ merces optima, ueritas, uita & uia tutiſsima, mihi indigno cæteriſq; Eccleſiam ſanctorum, quæ ab ignitis hodie uexatur ſerpentibus, à negocijſq; tenebras colentibus agitatur, defendere, & uelut Orthodoxæ patres fidei, fecere, plurimos ab errore reuocare, & conſtanter liberare. Tria nanq; ſunt, Chariſsimi, quæ me ad præſens urgent negocium & inſtigant, puta, honor Dei, profectus ſanctæ matris Eccleſię, & conſcientia propria. Cum adhoc quilibet Chriſtianus adultus ex mandato domini ſtrictiſsime obligetur: eo quod quódãmodo infinite plus Ieſum Chriſtum ſponſum & ſuam Eccleſiam diligere, quã parentes carnales, quam bona temporalia, quam honorem proprium, aut ſeipſum debet. Pro Dei ergo honore, ſanctæ matris Eccleſiæ utilitate, & conſcien-

Margin notes: & — addo† homo — Intentio autoris cum Inuocatione. — †pungentes. — Triplex cauſa huius operis.

tiæ propriæ excuſatione, inter medios hoſtes Sacramentorum Eccleſiæ irrumpens, odijs, detractionibus, & uitæ periculis libenter me exponam: Electiſq; Dei, quorum ſocietatem diligo, utcunq; per hoc utinam proficiam: Et ipſam patriam noſtram, ſcilicet gentem Bohemicam, pro qua ponere corpus & animã cum debeam, ab ipſis erroribus impijſsimis, da dulciſsime Ieſu, ut inuolutos ſoluam & abſoluam.

De ſeptem Sacramentis in genere, Cap. I.

Primi igitur mei Magiſtri, Domini IESV innixus præſidio, in nomine benedictæ & uenerandæ Trinitatis: inchoans ab eo, qui eſt effectuum omnium principiũ, & à quo inchoatur omnis noſtra actio, & in quem libet tendere finaliter, pro defenſa ſeptem Sacramentorũ Eccleſię
Concluſio principalis, de VII. Sacramentis. Dei Catholicæ, conſtanter dico & aſſertiuè, Quod Sacramenta Nouæ legis, quæ ſunt Sacramenta Eccleſiæ ſacroſanctæ Orthodoxæ, ſunt Septem numero, à cunctis fidelibus tenenda, ſcilicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Coniugium.
Duplex ratio ſufficientiæ VII Sac. Et ad horum ſufficientiam Sacramentorum Septem hoc eſt ſciendum, Quod ſicut homo in uita corporali, primum naſcitur, Secundo, per augmentationem ad quantitatem debitam producitur, Tertio, per cibum uita hominis, et uirtus eiuſdem ſuſtentatur.
Prima. Et hæc ſufficerent, ſi eum nunquàm infirmari contingeret: Sed quia frequenter homo infirmatur, Ideo quarto indiget ſuæ ſanitatis recuperatione. Sic & in uita ſpirituali, primo homo indiget regeneratione, quæ fit per Baptiſmũ, Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei. Secundo, + reſpicit perfectam uirtutem, quaſi quoddam augmentum ſpirituale, & hoc fit per Sacramentum Confirmationis. Tertio, oportet quod homo ſpiritualiter nutriatur, & hoc fit pro Sacramentũ Euchariſtiæ ſacroſanctæ. Quarto, ut infirmatus ſanetur ſpiritualiter, & hoc fit per Sacramentum pœnitentiæ. Quinto, ſpiritualiter & corporaliter ſanantur plærique in Dei Eccleſia, per Sacramentum unctionis extremæ. Quantum autem ad communem utilitatem, alia duo ordinantur Sacramẽta, ſextum & ſeptimum. Per ordinem nanq; Eccleſia ordinatur & gubernatur, & in filios + Eccleſiæ gignitur. Per Matrimoniũ uerò, corporaliter multiplicatur.

Vide Doctores in 4. diſt. 2. & S. Tho. in 3. parte. q. 65.

+ recipit

+ Eccleſia

Secunda. Alij autem conſyderantes quomodo poſt peccatum primi hominis, ſeptiformis morbus reperitur in genere humano, ſcilicet morbus culpæ & pœnæ. Culpæ triplex, quia eſt culpa originalis, mortalis, & uenialis: Contra originalem, Baptiſmus datur,

datur: Contra mortalem, pœnitentia: Contra uenialem, extrema unctio. Morbus autem pœnæ eſt quadruplex, puta: Ignorantia, contra quam eſt ordo: Secundo malitia, contra quam Euchariſtia: Tertio infirmitas, contra quam eſt Confirmatio: Quarto concupiſcentia, contra quam eſt ipſum Matrimonium. Alij autem aliter adaptant iſtam ſufficientiam Sacramentorum.

De non ſcriptis Traditionibus Eccleſiæ, Cap. II.

SEd antequam ad Tractatum Sacramentorũ ſpecialiter accedam, Primum in genere de omnibus ſimul adduco Dionyſium beatum, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia *Dionyſ. de Eccle. Hierar. c. 1 in fi. ſecundum antiquã tranſlationem.* ſic dicentem. Erat neceſſarium Eccleſiæ, ut Apoſtoli, qui fuerũt primi duces noſtri, repleti ſpiritu ſancto, à ſuperſubſtantiali Deitate miſſi ad nos diuina bonitate, ut ipſum ſpiritus ſancti donum, ad alios ſibi adhærentes & ipſorum ſequaces producerẽt. Ipſi etiam tanquàm Deo pleni, copioſe amantes inferiores, & ſequaces ſuos, ſurſum agentes nos ad deificationem, ſecundum ſanctas Dei ordinationes, nobis traderent doctrinis, ſcriptis, in ſignis ſenſibilibus ſuper cœleſtia, In uarietate & multitudine cõfuſis unita, In humanis diuina, In materialibus immaterialia, in hijs quæ ſecundum nos ſunt ſuperſubſtantialia. Et hoc non tantũ ea de cauſa, ut ueritas celetur immundis, quibus non licet ſancta tangere, ſed etiam, quia (ut dixi) noſtra Hierarchia indiget ſenſibilibus ſignis ad hoc, ut per ipſa efficacius ſurſum + agamus ad intelligibilia, *+ agamur* ſecundum noſtram capacitatem. Perfectis tamen doctoribus reuelantur myſticæ ſignificationes ſignorum, quas non licet eiſdem propalare imperfectis, ſcientibus, quod diuini Legislatores (iuxta quod eis eſt diuinitus inſpiratum) ordinauerunt Hierarchiam ſacrorum ordinum Eccleſiaſticorum, firmis & inconfuſis ordinationibus, ſecundum congruentiam uniuſcuiuſq; perſonæ Hierarchiæ. *Imperfectis & immundis nõ ſunt reuelanda diuina myſteria.* Quoniam ergo per epiſtolam promiſiſti: quod quidem cõmemorare religioſum eſt, quod de uniuerſa ſuppoſita Hierarchia locutione non trades alicui, præter Epiſcopos uel perfectos alios in doctrinis Hierarchicis, & quod eiſdem perſuadebis, quod tibi promittant, quod ſecundum legem Hierarchicam mundi munda tangant, & communicent diuina ſolis diuinis, & perfecta perfectis, & ſanctis ſanctiſſima. Ideo mihi perſuaſiſti, ut hoc diuinum donum, & alia Hierarchica tibi tradam. Hæc ille. Ex quibus primo patet, *Quinq; Correlaria ex Dionyſ.* quod Dionyſius, uolens tractare de Sacramentis, ſignanter hoc primo tangit, quod neceſſarium erat Eccleſiæ, ut Apoſtoli, qui fuerunt duces noſtri, repleti ſpiritu ſancto, miſſi ad nos diuina bo-

1

nitate,ut ipſum ſpiritus ſancti donum ad alios ſibi adhærentes & ipſorum ſequaces,producerent:ſurſum ducentes nos ad deificationem,& ſecundum ordinatione Dei, ſenſibilium Sacramentorum nobis traderent doctrinis & ſcriptis, in humanis diuina,in materialibus immaterialia.

II Patet ſecundo, Quomodo Dionyſius, tractās de Sacramētis Eccleſiæ, recepit hoc ab Apoſtolis ſanctis, ducibus noſtris.

III Tertio patet,quomodo Sacramenta autoritate Apoſtolica autorizantur & approbātur,quæ nunc a multis in fide corruptis,& ad omne bonum opus reprobis,deridentur, contemnuntur & reprobantur.

Audiant hæc noui Thaboritæ in Germania.

Ex quibus patet quarto, quod tales Sacramenta reprobantes & deridentes,quantū eſt in eis, cum ſuo ſpiritu mendaci,impediunt ad ſe uenire ſpiritū ſanctum in ſacris uaſis Sacramentorū,Quia hanc uiam ſpiritus ſancti ad ſe ueniendi, traditam per Apoſtolos,impediūt & cōtemnunt. Cum (ſicut iam eſt Dionyſius allegatus) hæc noſtra Hierarchia requirat,ut per iſta ſigna ſenſibilia efficacius ad diuina transferamur.

V Ex quibus patet quinto,quod alij ſancti magni,ut Clemens, Cyprianus, Auguſtinus,Chryſoſtomus,Ambroſius,Origenes,Damaſcenus, Gregorius,Hieronymus,Remigius,& alij ſancti concorditer inter ſe, & cum Dionyſio tractantes,in ſuis dictis de Sacramentis Eccleſiæ,& non diſcorditer uel cōtrarie, originaliter hæc + ſunt a ſanctis ducibus diuinis:Qui in eodē ſenſu & eodē ſpiritu loquentes,ab eodem fonte doctrinæ (ſicut & Dionyſius) ſcilicet ab ipſis Apoſtolis, + exſurrexerūt. Vnde Auguſtinus ad + Hieronymū.Et habetur diſt. 12. Illa aūt quæ nō ſunt ſcripta,ſed tradita cuſtodimus,quæ quidem toto orbe terrarū obſeruantur:Datur intelligi,uel ab ipſis Apoſtolis,uel plenarijs Concilijs,quorū eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas,& cōmendata atq; ſtatuta retineri. Sicut id quod Domini paſſio,reſurrectio,aſcenſio ad cœlū,aduentus ſpiritus ſancti, Anniuerſaria ſollennitate celebrantur, Aut ſi quid tale occurrerit,quod conſeruatur ab uniuerſis quocunq; ſe diffuderit Eccleſia. Alia uerò quæ per loca terrarum regionesq; uariantur, ſicut eſt, quod alij ieiunant Sabbato, alij non: Alij uerò quotidie cōmunicant corpori & ſanguini Domini,Alij certis diebus accipiunt: uel aliquid aliud huiuſmodi,animaduerti poteſt,quod totum hoc genus rerū,liberas habet obſeruationes.Quod enim neq; contra fidem,neq; contra bonos mores eſſe cōuincitur,indifferenter eſt habendū. Hæc ibi. Patet ergo,quod Doctoribus poſteris,immò & modernis concorditer cum antiquis loquentibus, & nō contrarie, de Sacramentis Eccleſiæ,ſiue de alijs punctis fidei,eſt eis credendum:Quia à prioribus, uel Apoſtolis,uel magnis Concilijs receperunt.

Credendū eſt ſanctis Doctoribus Eccleſiæ.

lego + habent aut ſumunt.

lego + exuxerunt

lego + Ianuariū

De

De præſumptione hæreticorum contra Doctores Eccleſiæ, Caput III.

SED ſunt in duplici differentia homines moderni. Quidam, qui hoc ſolum uolunt tenere, ex certa ſua cautela modū loquendi habentes, quicquid ſancti uel quicunq; alij de Sacramentis, uel alijs punctis fidei probauerunt uel fundauerunt ineuitabiliter ex ſcriptura. Alij autem ſunt, qui ſolum ea, quę lex expreſſe ponit & manifeſtat, uolunt obſeruare. Audiant huiuſmodi magnum Origenē, homelia undecima in Exodum, de eo, quod Moyſes audiuit conſilium ſoceri ſui Ietro Gentilis, ſic dicentem. Etenim cū perſpicio, quod Moyſes Deo plenus, cui Deus facie ad faciem loquebatur, conſilium accepit à Ietro ſacerdote Madian, admiratione nimia ſtuporem mentis incurro. Dicit enim ſcriptura. Et audiuit Moyſes uocem ſoceri ſui, & fecit quæcunq; dixit ei: Non dixit, Quia Deus mihi loquitur, & quid agere debeam, cœleſti ad me ſermone defertur, & quomodo cōſilium ab hominne ſuſcipiam, & ab homine gentili, alieno à populo Dei: ſed audit uocem eius, & facit omnia quæ dicit: Et non quis dicat, ſed quid dicatur auſcultat. Vnde & nos, ſi forte aliquādo aliquid inuenimus à Gentilibus ſapienter dictū, nō cōtinuo cum autoris nomine ſpernere debemus dicta: Nec pro eo, quod legē à Domino datam tenemus, cōuenit nos tumere ſuperbia, & ſpernere uerba prudentium. Sed ſicut Apoſtolus dicit, omnia probantes, quod bonum eſt tenentes. Quis autem hodie eorum qui populis præſunt: Nō dico, ſi iam aliqua ei à Deo reuelata ſunt, ſed ſi in legis ſcientia aliquid meriti habet, conſilium dignatur inferioris ſaltem ſacerdotis accipere, nedum dixerim Laici, nedum dixerim Gentilis? Sed Moyſes, qui erat homo manſuetus ſuper omnes homines, accepit conſilium inferioris, ut & formam humiliationis Principibus populorum daret, & futuri Sacramenti deſignaret imaginem. Sciebat enim futurum quandoq;, ut Gentiles bonum conſilium proferrent apud Moyſen, ut bonum & ſpiritualem intellectum afferrent ad legem Dei. hæc ille per totum. Ecce magnum Origenem, qui dicit illos tumere ſuperbia, qui uerba & ſententias prudentum abijciunt, ex hoc, quod legem diuinam habent. Et dicit, à Gentilibus quidem ſapienter dictum, quod non eſt ſpernendū. Ad idem eſt Heronymus in prologo Bibliæ, qui etiam multos in eorū commendationem enumerat, qui multa ſpacia ob hoc, ut ſapientiam ſapientum audirent, perluſtrabant. Et ſic Iob VIII. dicit. Interroga generationem priſtinā, & diligenter inueſtiga patrū memoriam,

Verba Origenis De Moyſe & Ietro. Exod. 18.

1. Theſſ. 5.

Num. 12.

& ipſi docebunt: loquentur tibi, de corde ſuo proferent eloquia. Vnde et alijs dico, quod uerũ eſt hoc, Quod quicquid nobis oſtenditur ineuitabiliter & de neceſsitate, tenere debemus. Sed ſi aliqui caute loquendo & aſtute, ex hoc nollent tenere uel credere aliquid, donec eis per aliquem oſtendatur de neceſsitate & ineuitabiliter, Et quis ſcit quãdo aliquis occurret, qui hoc ſciret facere, puta, oſtendere eis de neceſsitate ineuitabiliter, cum forte (quod & timendum eſt) in pœnam peccati eorũ, Deus auferret eis talem idoneum docentem, tanquam indignis? Sicut hoc Dominus comminatur Eſaię 3. Quod uult auferre ſapientẽ & prudentẽ eloquij myſtici. Quod ſi aliquis talis occurreret, qui uellet eos in quacunq; materia tali fidei docere fideliter, & de neceſsitate ineuitabiliter oſtendere ueriſimiliter: iudicarent ex eorum corrupta mente & infecto ingenio, quod hoc eis non oſtendatur de neceſsitate ineuitabiliter, Et quod talis oſtenſio non faciat eis fidem: ut ſæpe hoc contingit iſto tempore, & de multis eſt hoc uidere, cum optimæ probationi dicunt. Non ualet iſta probatio, & nihil probatur, Et tales multa trahunt pro ſe, ſed apparenter ex ſcriptura, ad alium ſenſum, longe quam ſpiritus ſanctus prætendit, & ſic apparenter ratiocinantes, ſed falſe, & trahentes pro ſe ſcripturas, pro ſui erroris confirmatione, & ideo fallaces & eis apparentes perſuaſiones putant efficaciores probationibus aliorum: Oſtenſiones ex ſcriptura de neceſsitate & ineuitabiliter factas contemnentes, quia iam corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. Tales etiam, qui nolunt credere in materia fidei, niſi quod fuerit per ſanctos uel alios ineuitabiliter oſtenſum ex ſcriptura, implicant ſe negocijs ſæcularibus, & uacare libris ſanctorum originalibus, nec uolunt nec poſſunt: Nec libros originales habẽt, ut uiderent qualiter puncta fidei in ſcriptura ineuitabiliter de neceſsitate fundantur. Tutius ergo eſt, quod fideles ſe conforment in uita & moribus, & fidei unitate ſancta & uera, concordando cum tam multis et antiquis ſanctis concorditer inter ſe (ut dixi) & cum ſuis anteceſſoribus ſiue Apoſtolis, in eodem ſenſu loquentibus: plus illis quam nobis ipſis, rationibusq; noſtris & perſuaſionibus credendo, ex præſumptuoſis noſtris ingenijs procedentibus. Nam (ut tangit Dionyſius in autoritate iam allegata) ſolum magnis ſanctis & perfectis reuelantur ſecreta myſteria in Sacramentis: clauſa & obnubilata, & ipſæ myſticæ ſignificationes ſignorum, quas non licet propalare imperfectis & immundis. Hinc eſt, quod ex noſtra nimia imperfectione, et immundicia uitę, præſumptuoſe uolentes ſcrutari ea ſupra quam conceditur, de facili a ſanctorum dictis fidei poterimus deuiare. Inde etiam eſt, quod multa

Peruerſum hæreticorũ circa probationes iudicium.

Pſal. 13. & 52.

Sanctis doctoribus plus quam nobis ipſis credere debemus.

Imperfectio noſtra ad arcana fidei.

multa puncta fidei arcana, quæ fuerunt reuelata ſanctis perfectis, nunc imperfectis & immūdis, quia ſunt clauſa, ideo ea deprauant, derident, & conculcant. De quibus 2. Pet. 2. Hij uero uelut irrationalia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in hijs quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ.

De Sacramento Baptiſmi & antiquis eius Cæremonijs Cap. IIII.

IAM aūt iſtis ſic tactis, ad primū Sacramentum, quod eſt Baptiſmus, accedamus, quod (ut dicit Hugo, imitator in hoc antiquorum) eſt primum inter omnia Sacramenta, in quibus ſalus conſiſtere probatur. Eſt autem ipſum Sacramentum in lege Dei fundatum, Quia Chriſtus exemplo, uerbo, & opere, docuit in ſe credentes, & credituros + ſe baptizare. *omitto + ſe.* Exemplo docuit, quia uenit à Nazareth Galileę, et baptizatus eſt à Ioanne in Iordane, ut patet Matth. 3. Marci. 1. Luc. 3. Ioan. 1. Verbo docuit, Quādo Nicodemo reſpondit, et dixit, Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt uidere regnum Dei Ioan. 3. Et infra, Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Item Matth. ultimo, poſt reſurrectionem ſuam dixit diſcipulis. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: docentes eos, ſeruare quęcunq; mandaui uobis. Item Act. 2. Petrus conuerſis ad fidem ait. Baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorū ueſtrorum, et accipietis donum ſpiritus ſancti: Et in pluribus capitulis eiuſdem libri.

Nemo enim ſe baptizat ſicut neq; generat, aut regenerat ſe ipſum.

Quia autem ſola aqua, non eſt Baptiſmus, ſed elementum ſine ſpiritu, uel ſine ſpirituali uirtute uerbi Dei. Ideo quidam ſanctorum ex Chriſti autoritate Ioan. 3. poſita ſcilicet illa: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu &c. eliciunt iſtam deſcriptionem Baptiſmi, ut ipſe Hugo de Sacramentis, parte 6. lib. 2. cap. 2. Baptiſmus eſt aqua, diluendis criminibus ſanctificata per uerbum Dei. Per uerbum enim elementū ſanctificatur, + ut uirtutem ſpiritualem ſiue ſpiritus, accipiat Sacramentum. Quid autem de illo Sacramento magnus ille diſcipulus Pauli ſentiat, audiamus. Sic nanq; lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia dicit. Eſt autem ſancta & diuina regeneratio Baptiſmi, quoddam principium operationis mandatorū, deiformans et quaſi figurans noſtrum hominem interiorem, ad ſuſceptionem & habitudinem aliarum ſanctarum doctrinarum, & operationum, & ſanctificationum, & ſtudium & contemplationem

Quid Baptiſmus.

Hugo ſic habet + ut uirtutem Sacramenti accipiat.

Verba Dionyſij de effectu Baptiſmi.

nem diuinorũ. Sicut enim Beatus Hierotheus tradidit, qui erat noſter mẽtalis ductor, Dilectio Dei, eſt principalis & primus motus in diuina: Baptiſmus uero, qui in diuinum nos Eſſe regenerat, principium & quaſi fundamentum eſt ipſius dilectionis, per quam implentur mandata. hæc ille. Ex quo patet primo, quod motus dilectionis Dei, mouens ad omnia alia mandata Dei, et ſic ad bene uiuere & bene operari, non poteſt in homine nouæ legis haberi, niſi primum in Baptiſmo Eſſe diuinũ luminis fidei habeatur: quod eſt principium & fundamentum ad dilectionẽ ueram non fictam, Dei & proximorum, & obſeruantiã omnium aliorum mandatorum. Et patet, quod qui per Baptiſmum illud Eſſe diuinũ, primum regenerationis lumen fidei non habet, non poteſt alia poſteriora habere. Quare ſequitur, quod alia Sacramenta poſteriora, non poteſt digne accipere ad ſalutem ſine iſto primo. Vnde grauiter errabant, dantes diuiniſsimam Euchariſtiam corporis & ſanguinis Domini, pueris non baptizantes eos, dicentes. Totum habetur in Euchariſtia, & alia Sacramẽta ſuperflua affirmãtes. Deinde qualis deuotio gerebatur in Eccleſia primitiua, ſic dicit Dionyſius. Hierarcha uero baptizandũ ſuſcipit hilariter, exẽplo Domini, ouẽ perditã ſuper humeros ad gregẽ deportantis, & de ipſius cõuerſione mentaliter gratias agit Deo, & adorat corporaliter, ut Deus in eo inchoet bonũ principium, qui uocat eos, qui ſaluandi ſunt. Deinde chorum inuitat, ad cooperandum ſaluti eius qui conuertitur, & ad ſolenniter gratias agendum Deo, uidelicet, cum aliquo cantico ſacræ ſcripturæ publicè decantandum. hæc ibi. Ex quo patet, quod in primitiua Eccleſia, erant Epiſcopi diuini, humiles, ſancti, ſpiritu Dei repleti, primi inter ſacerdotes, plus laborantes pro ſalute plebium fidelium, ſoli baptizantes, qui feruide & cordialiter orabant pro baptizandis, ſiue alijs conuertendis, ita, ut baptizandi profectum reciperent magnum ſalutis. Ipſi olim excitabant uniuerſam Eccleſiã ad orandum feruide pro baptizandis, uel ad pœnitentiam conuertendis. Et patet, quam male faciunt, qui cito, leuiter, ſine ſpiritu feruoris & deuotionis, ſine cauſa rationabili neceſsitatis, nec ſoli ſacerdotes deuote orantes, nec aſtantes ipſi Baptiſmo ad deuotionem excitantes, ipſum Baptiſma + euadunt. Heu Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Ipſi nempe ſancti Eccleſiæ primitiuæ, & in deuotione exercẽda circa Baptiſmum, & circa patrinos ponderoſius ſe, quã moderni nos habemus, habebãt. Dicitur enim in commento Dionyſij ſic. Et iubet ei uidelicet Hierarcha, & ſuſceptorem ſuum à ſacerdotibus deſcribi, incipiens orationẽ, qua completa ab uniuerſa Eccleſia, exuit eum. Vbi datur intelligi, quod per ſacerdotes

[Margin notes: Duo Correlaria. I — II — Error hæreticorũ Baptiſmum omittentiũ. — Ritus baptizandi in Eccleſia primitiua — Epiſcopi olim longe diligentiores erant quam nũc ſunt. — + inuadunt.]

ſacerdotes compater fidelis & timens Deum, debet diligenter notari, & ſignari memoriæ, ut poſtea in tempore debito uocetur, & moneatur ad explendum ſuum officium, & ad exequenda illa, ad quæ ſe obligauit coram Hierarcha. Nomina patrinorũ inſcribi.

De Conſecratione fontis Baptiſmalis, Cap. V.

Sed ut iam difficultates, quæ noſtris temporibus emergunt, uideamus. Et primo illam circa ipſum Baptiſma: An licitum ſit conſecratam aquam pro baptizandis in uaſe ſenſibili habere. Et pro iſto dicit Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia ſic. Et tunc aquam ſanctis inuocationibus cum ſanctificauerit, & tribus ſanctiſsimi ungenti ad modum crucis effuſionibus ipſam perfecerit, & ungenti ſanctiſsimis immiſsionibus, æquali numero ſanctam melodiam inſpirationis, Deo acceptorum prophetarum ſimul enumerauerit, præcipit uirum adaptari. Hæc ille. Vbi patet, quod in primitiua Eccleſia aqua pro baptizandis ſanctificabatur, cum infuſione Chriſmatis & ſigno crucis. Pro eodem eſt Beatus Ambroſius, lib. 1. de Sacramentis loquens, de Naaman leproſo dicit. Tunc ille iuit, merſit ſe in Iordane, & ſurrexit ſanus, Quid enim ſignificat? uidiſti aquam, ſed nõ omnis aqua ſanat, ſed aqua quæ habet gratiam Chriſti. Et ſubdit ad propoſitum. Aliud eſt elementũ, Aliud eſt conſecratio, Aliud opus, Aliud operatio. Aqua opus eſt, operatio ſpiritus † ſanctus eſt: Non ſanat aqua, niſi ſpiritus ſanctus deſcenderit, & aquã illam conſecrauerit, ſicut legiſti. Quod cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus formam Baptiſmatis daret, uenit ad Ioannem, Et ait illi Ioannes, Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me. Reſpondit illi Chriſtus, Sine modo, ſic oportet nos implere omnem iuſtitiam: Vides quod omnis iuſtitia in Baptiſmate conſtituta eſt. Et infra. Ergo uidit Ioannes & credidit: Deſcendit Chriſtus, deſcendit & ſpiritus ſanctus. Quare Chriſtus prior deſcendit, & poſtea ſpiritus ſanctus? cum forma Baptiſmatis & uſus hoc habeat, ut ante fons conſecretur, & tunc deſcendat qui baptizandus eſt. Nam ubi primum ſacerdos Exorciſmum facit, ſecundo ſuper creaturam aquæ inuocationẽ, & poſtea precem defert, ut ſanctificetur fons, & aſsit præſentia diuinitatis uel Trinitatis æternæ. Chriſtus aũt ante deſcendit, ſecutus eſt ſpiritus ſanctus. Qua ratione, ut non quaſi ipſe egere Dominus iſtic ſanctificationis myſterio uideretur, ſed ſanctificaret ipſe, ſanctificaret & ſpiritus ſanctus. Ergo deſcendit in aquam Chriſtus, & ſpiritus ſanctus ſicut Columba deſcendit. Pater quoq; Deus è cœlo locutus eſt: Ecce habes præſentiã Trinitatis.

Conſecratio fontis Baptiſmi. Ambro. lib. 1. cap. 5. 4. Reg. 5. † ſancti Matth. 3.

Hæc

Hæc ille per totum. Ex cuius uerbis liquido patet, quod tempore iſtius ſancti, forma Baptiſmatis & uſus hoc habuit, ut prius fons conſecretur, antequàm baptizandus baptizetur. Item idem Ambroſius in tractatu de myſterijs dicit, Aqua non mundat ſine ſpiritu, Ideoq; legiſti, quod tres teſtes in Baptiſmate unum ſunt, aqua ſanguis & ſpiritus, quia ſi unum horum detrahas, non ſtat Baptiſmatis Sacramentum. Quid eſt enim aqua ſine cruce Chriſti? elementum tantummodo, ſine ullo Sacramenti effectu: Nec iterum ſine aqua regenerationis myſteriũ eſt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Credidit autem & catechumenus in cruce Domini Ieſu, quia & ipſe ſignatur, ſed ſi non baptizatus fuerit in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, remiſsionem non poteſt peccatorum accipere, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire. Hæc ille. In quibus uerbis uult Ambroſius, quod ad Baptiſmum primo requiritur aqua, ſecundo myſterium regenerationis, tertio fides ſanctæ Trinitatis, Et expreſſam facit mentionem de ſigno crucis circa Baptiſma, quo utebantur.

cap. 4. *1. Ioan. 5.*

Ad idem eſt Auguſtinus homelia decima ſuper Numeri, ubi ſic dicit, Cum autem ad aquam ſalutarem, atq; Baptiſmi ſanctificationem uenitur, ſcire debemus, quod illic diabolus opprimitur, et homo dicatus Deo ab omni malo liberatur. Ecce & iſte ſanctus de ſanctificatione aquæ Baptiſmi expreſſam facit mentionem.

Vas ſpeciale, pro fonte Baptiſmi

Inde etiam eſt, quod ſancti loquuntur de uaſis aquæ pro Baptiſmo conſeruandis: Sicut ipſe Hieronymus Beatus, qui loquens in Homelia cœnæ Domini de lotione pedum, ſic dicit. Quid per aquam, niſi Baptiſmum: Quid uerò per peluim, niſi fontem eiuſdem Baptiſmi figurabant? Ad idem eſt Concilium Hilerdenſe, Et habetur de con. diſt. 4. Omnis presbyter. Omnis presbyter, qui fontem lapideum habere nequiuerit, uas conueniens ſolummodo ad Baptiſmi officium habeat, quod extra Eccleſiam non deportetur. Similiter ad corporale lauandum & ad pallas, propria habeantur, in quibus nihil aliud fiat. Et ad idem Cõcilium Vuormacienſe. Ex quibus apparet manifeſte, quod pro honeſtate Baptiſmi, non in quibuslibet uaſis baptizabant prædeceſſores noſtri, & magni, ſicut faciunt moderni ſacerdotes. Et apparet (ſicut latè eſt deductum) quod in aqua cõſecrata Baptiſmus obſeruabatur. Quemadmodum adhuc Ambroſius ad Neophitos loquens de Sacramentis, inter cætera dicit. Venit ſacerdos, precem dedit ad fontem, inuocat patris nomen, præſentiam filij, et ſpiritus ſãcti, utitur uerbis cœleſtibus, cœleſtia uerba quę ſunt: ut baptizandus in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti baptizetur. Si ergo ad hominũ ſermonem, ad inuocationem

Moderni ſcilicet Thaboritæ in Bohemia. Baptiſmus fit in aqua conſecrata.

tionem ſanctam,aderat præſentia Trinitatis,quanto magis ibi eſt, ubi ſermo operatus eſt? Item Iſidorus lib.6. Etymologiarum cap.2. Baptiſmi ſanctificatio iſta eſt,Inuocato enim Deo,deſcendit ſpiritus ſanctus de cœlis,& medicatis aquis,ſanctificat eas de ſe ipſo, & accipiunt uim purgationis. Ex quibus omnibus liquido apparet, iſtos primæuos magnos,de ſanctificatione & conſecratione fontis ad Baptiſmũ celebrandum, loqui, & uaſa ſpecialia pro Baptiſmo in Eccleſia Dei obſeruari.Noſtri autem moderni ſacerdotes, ignari legis Dei & ſcripturarum, plus heu præſumunt quàm intelligunt,ſineomni timore Dei,id quod placet,ſine fundamento ſtabili ſcripturæ attentantes.

De Exorciſmo deq́ interrogationibus & exufflatione, *Caput VI.*

RESTAT iam inſuper de Exorciſmo uidere. Vnde uirtus uocabuli huius primo eſt connotanda. Dicit nanq; Ioannes Iannenſis in Catholicon, Quod Exorciſmus eſt increpatio,ſiue + cõiuratio aduerſus diabolum,ut recedat. *+adiuratio* Vnde Exorciſta,id eſt,coniurator, uel increpator. Inuocat enim ſuper catechumenos,& ſuper eos qui habent ſpiritũ immundum, nomen Domini Ieſu Chriſti, adiurans per eum, ut egrediatur ab eis.Eſt enim Exorciſtarũ unus ordo, de numero ſeptem ordinum in Eccleſia. Exorciſtæ enim, ex Græco coniuratores uel increpatores dæmonis dicuntur,ut habetur 21.diſt. Inuocant enim ſuper catechumenum,qui habet ſpiritum immundum,nomen Domini Ieſu:adiurantes per eum, ut egrediatur de corpore obſeſſo. Hinc etiã eſt,quod ille magnus Origenes,Homelia 24. ſuper Ioſue, approbat officium Exorciſtarum, qui dæmonia per inuocationes & nomina Dei torquẽt & cruciant,ubi ſic dicit. Si inimica uirtus dæmonis, ex amaritudinis turma ueniens, obſideat alicuius corpus, perturbet ac ſopiat mentem: Adhibeantur autem multę orationes, multa ieiunia,multæ Exorciſtarum inuocationes,& ad hæc omnia ſurdus dęmon in obſeſſo corpore permaneat & perſiſtat,tolerabilius perferens Exorciſtarum pœnas, & adhibita ſibi ex Dei nominis inuocatione tormenta,quam diſcedere ab homine, quem impudenter obſedit & nequiter. Hæc ille. Ex cuius uerbis patet, quod coniurationes fiebant,& quia hoc eſt exorcizare, id eſt, coniurare, ut patet ſupra ex ui uocabuli, & hoc ex Dei nominis inuocatione, ut dicit Origenes. Quare ſequitur, quod & hoc in præſenti Eccleſia (+ quia dicitur,adiuro te per Deũ uiuum,per Deum ſanctũ etc.) ab illis ſanctis primitiuis eſt deriuatum, quia ſic dicendo fit coniuratio

Origenes de Exorciſtis.

Senſus hic ſuſpenſus manet,quia longum foret, ietum referre.

+quando

ratio

Idem lib. 1 de beata uita. Exorcizare eſt per diuina immundum ſpiritum adiurando expellere. Idē de ciui. Dei lib. 10. cap. 22.

ratio alicuius creaturæ, cum inuocatione nominis diuini. Sic ad idem eſt Auguſtinus de ſymbolo lib. 1. Sicut noſtis fratres chariſſimi, paruuli exufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ poſsidet hominem. Item Exorcizatio patet per Thomam ſuper 4. diſt. 3. de Baptiſmo. Item patet per Beatum Ambroſium ſupra iam allegatum. Et habetur tractatu de Sacramentis, ubi ditur. Nam ubi primum ingreditur ſacerdos, Exorciſmum facit ſuper creaturam aquæ. Ex quorū omnium teſtimoniis, Exorciſmus approbatur, qui non ſolum ſonat in coniurationem, ſed quia etiam ex ui uocabuli (ut dictum eſt) ſonat in increpationem, propter quod bene dicitur circa ipſum Exorciſmū: Ergo maledicte diabole &c. Sed ſi diceret aliquis, ubi hoc fundatur in lege, Audi Iſidorum lib. 6. Etymologiarum cap. 20. Exorciſmus græcè, latine coniuratio ſiue ſermo increpationis eſt aduerſus diabolum, ut diſcedat, Et fundās ſe in ſcriptura dicit, Sicut eſt illud Zach. 3. Increpet in te Deus Sathan, hoc eſt, Exorciſmus, increpare & adiurare. Hæc ille. Quod ſi obiicitur, quia angelus Michael non fuit auſus inferre maledictionē ipſi diabolo, ſed dixit, Imperet tibi Dominus, Et ſcriptura dicit Eccleſiaſtici. Qui maledicit diabolo, maledicit animæ ſuæ. Dicendum, quod non eſt maledicendū diabolo per quempiam ex paſsione deſiderii, ſed maledicere diabolum, id eſt, maledictum demonſtrare, per inuocationem nominis Dei, pœnas diabolo inferre, ut ab ipſa recedat imagine Dei, non eſt contra Deum, & ſuam ſcripturam, ſed officium Exorciſtarum.

In epiſt. Iude.

Eccle. 21.

De interrogationibus

Sed iam ad alia, quæ circa ipſum Baptiſmum exercemus, accedamus, de ipſis interrogationibus quas facimus dicentes. Credis in Deum patrem omnipotentem? & de exufflatione, quam facit in puerum ſacerdos, & de crucis impoſitione. Quo ad primum de interrogatione, quod fiebat & in Eccleſia primitiua. Scribit nanque Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, & dicit, Hierarcha recitat, qualiter cum conuerſari oportet in Deo, & ſecundum Deum. Hæc autem recitans & interrogans, quærit an ita ſit cōuerſaturus: Quo illud confitente, imponit manum capiti eius. Hæc ibi. Et hæc inquiſitio fundatur, Act. 8. Quia Philippus non prius baptizauit Eunuchū, niſi prius ab eo interrogaſſet: Credis in Ieſum Chriſtum. Et infra dicitur in Dionyſio in alio cap. Sanctæ uerò eius confeſſiones, quas facit Epiſcopo, ſignant, quod totaliter conſentit Deo, cum amore ueritatis. De exufflatione autem dicit Auguſtinus lib. 1. iam ſuperius allegato. Sicut noſtis fratres chariſſimi, paruuli exufflantur, & exorcizantur.

De exufflatione.

De

De ſignaculo Crucis, quod hæretici omittunt Caput VII.

DE ipſa autem crucis impoſitione, dicit Beatus Ambroſius in ſermone ad Neophitos. Crucem baptizandis in fronte ponimus, ut non erubeſcant confiteri crucifixum Chriſtum Ieſum, & uſq; ad mortem pro eo decertare. Ambroſ.

Item Auguſtinus ſuper Ioannem homelia 109. quæ incipit. Et quæ geſta ſunt circa crucem Domini, ſic dicit. Poſtremo quid eſt, quod omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti, quod ſignum niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, ex qua regenerantur: ſiue oleo, quo Chriſmate unguntur: ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. hęc ille. Idem dicit Theophilus, in continuata gloſa Beati Thomæ fere in forma. Item Chryſoſtomus ſuper Math. homelia 54. dicit. Nullus itaq; uerecundetur honeſta noſtræ ſalutis ſymbola, id eſt, ſignum & capitulum bonorum, per quod uiuimus, & per quod ſumus, ſed ut coronam, ita circumferamus crucem Chriſti. Etenim omnia quæ ſecundum nos ſunt, per ipſum perficiũtur, & ſi regenerari oporteat, crux accedit, et ſi nutriri myſtico illo cibo, etſi cõſecrari, et ſi quodcũq; aliud facere, ubiq; ſymbolum uictorię nobis aſsiſtit. Propter hoc, & in domo, & in muris, & in ianuis, & in frõte, & in mẽte cum multo id inſcribimus ſtudio: Salutis enim, quæ pro nobis eſt, & libertatis communis, et manſuetudinis dominatoris noſtri hoc eſt ſignũ. hæc ille. Auguſtinus Theoph. Chryſoſt.

Item Beda ſuper illo: Diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea, &c. ſic dicit. Poſtremo crucis ſignum, credentium frontibus adhibetur, eiuſdem ſigno Chriſma conficitur, quo idem perungitur: ipſa, ex qua regenerantur, aqua ſanctificatur, necnon corporis & ſanguinis Domini ſacrificium, quo aluntur conſecratur, ſine quo nempe nihil eorum ritè perficitur. hæc Beda. Ad idem eſt Hugo ſuper illo uerbo Luc. 19. Si quis uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum &c. ſic dicit. Nullus uerecundetur crucẽ, circumferamus eam, ut coronam. Etenim omnia quæ ſecundũ nos ſunt, per crucẽ perficiuntur, regeneratio, conſecratio: Propter hoc in domo, & in muris, & in ianuis & in frõtibus, & in mẽte ſcribimus eam. Pro eodẽ & Richardus de officio Miſſę dicit. In uirtute ſanctę crucis & Sacramẽto altaris, magna eſt conuenientia, & magna efficacia, cum per utrunq; excludantur cõtraria, & renouetur & ſanctificetur Eccleſia. Et infra. Virtus Miſſæ crux Chriſti eſt, quæ Sacramentum altaris, & omnia Sacramenta Eccleſiæ conſecrat & ſanctificat. hæc ille. Item Linconienſis dicto ſuorum dictorum CXIX. Non eſt benedictio niſi per Beda Hugo. Richardus Linconien.

crucem, non eſt uictoria, niſi per crucem, nihil fugat angelum exterminatorem, niſi uirtus crucis. hæc ille. Ad hoc & ipſe Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia ſic dicit. Cum hoc ipſum, id eſt, ter fuerit confeſſus &c. orans Hierarcha benedicit, & manu ipſum tenet, tuncpenitus denudant eum miniſtri, portantes Hierarchæ ſanctæ unctionis oleum, qui oleo ſancto ungere incipit ✝ trina ſignificatione. Sacerdotes uerò, complent ungentes oleo totum corpus eius, & tunc ad Baptiſmum procedit, & præmiſſa benedictione ſuper aquã, Hierarcha cũ Chriſmate tres cruces facit, in ipſa aqua, cum totidem decantationibus Alleluia pſalmorum, ſecundum uarias Eccleſiæ conſuetudines. Deinde recitata deſcriptione, tam uiri quam ſuſceptoris ſui, ipſe uir à ſacerdotibus ad aquã ducitur, mergente eum in aqua Hierarcha manu. hæc Cõmentum in Dionyſium. Ecce quot magni & notabiles ſunt ſancti antiqui, qui loquuntur notabiliter de ſigno crucis, circa Baptiſmum obſeruando, quibus tutius eſt credere, quam modernis præſumptuoſis, & ignaris ſacerdotibus.

Dionyſ. cap. 2. parte 2.

alias ✝ trino crucis ſanctæ ſignaculo.

De ſale & de ſputo, quod datur puero.
Caput VIII.

POſt hæc uidendum eſt de ſale, quod puero datur, quid ſentiant Doctores ſancti. Et primo Beda ſuper lib. Regum. Sal cœleſtis ſapientiæ, quo initiantur catechumeni ✝ in cunctis operum noſtrorum ſacrificijs offerre iubemur. Item Rabanus, & ponitur de conſe. diſt. 4. Ex hinc iam dicuntur ſuper eum orationes, ut fiat catechumenus. Tunc datur baptizando ſal benedictum in os, ut per ſal typicum, ſapientiæ ſale conditus, fœtore careat iniquitatis, ne à uermibus peccatorum ultra putreſcat, ſed magis illæſus ſeruetur, ad maiorem gratiam percipiendam. hæc ille. Item Iſidorus, ad Carolum magnum Imperatorem ſcribens, ſic dicit. Sal imponimus poſt primam orationem, ut poſtquam fuerit inſtructus à magiſtro Eccleſiaſtico, recognoſcat omnia ſua, condita debere eſſe uero ſale ſapientiæ: Sicut Paulus ſcribit ad Coloſſenſes. Sermo ueſter in gratia ſemper ſit ſale conditus, ut ſciatis qualiter oporteat uos unicuiq; reſpondere. Et deinde de ipſo ſputo, quo aures tanguntur & nares, eſt pertractandum. Et primo Ambroſius dicit ſermone 3. in die Epiphaniæ, myſticans quid hoc ſignificet, dicens. Tulit lutum ſacerdos & liniuit te, quid ſignificet, niſi quia ut peccatum tuum fatearis, & cõſcientiam tuam recognoſceres, pœnitentiam gereres delictorum, hoc eſt, ſortem humanę generationis cognoſceres? Et ſequitur ad propoſitum.

Intelligendum eſt myſtice quia ceſſat uetus obſeruatio legis ad literã.

Titulus hic tẽporibus nõ quadrat Iſidorus enim, longe ante defunctus eſt quã Carolus regnare cœpit. Niſi forte alium hic dicat Iſidorum quam illum Hiſpalenſem doctiſsimũ Epiſcopũ.

Itaq;

Itaqꝫ & tibi ſacerdos impoſuit lutum, hoc eſt, uerecundiam, prudentiam, conſyderationem propriæ fragilitatis ut habeas. Et idem Ambroſius libro de Sacramentis dicit, Quæ myſteria apertionis celebrata ſunt, quando ſacerdos & aures tetigit, & nares? *lib.1.c.1.* quod ſignificat in Euangelio Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum *Mar.7.* ei oblatus eſſet ſurdus & mutus, & tetigit aures eius & os: Aures, quia ſurdus erat: & os, quia mutus. Et ait. Effeta, quod Hebraicum uerbum eſt, & Latine dicitur, adaperire. Ideo tibi nanqꝫ ſacerdos aures tetigit, ut aperirentur tibi aures tuæ, ad ſermonem & ad eloquium ſacerdotis. Et infra. Ideo propter gratiam muneris & operis, non os tangit Epiſcopus, ſed nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas, Chriſti bonus odor ſumus Deo: Quemadmodum dixit Apoſtolus ſanctus, & ſit in te fidei deuotionisqꝫ *2.Cor.2.* plena fragrantia. hæc ille. Pro eodem eſt Rabanus de inſtitutione Clericorum. *Rabanus.* Poſtea tanguntur ei aures, & nares de ſaliua. Et dicitur ei uerbum Euangelicum, quod Ieſus, quando ſurdum & mutum ſanauit, tangens cum ſputo linguam eius, & mittens digitos in auriculas eius dixit. Effeta, quod eſt adaperire. Hoc etiam Sacramentum hic agitur, ut per ſaliuā typicam, & ſacerdotis tactum, ſapientia & uirtus diuina ſalutem eiuſdem catechumeni operetur, ut aperiantur ei nares, ad percipiendum odorem notitiæ Dei: ut aperiantur ei aures, ad percipiendum mandata Dei: ut aperiantur ei ſenſus in intimo corde, ad reſpondendum. hæc ille. Item Iſidorus ad Carolum magnum Imperatorem dicit. *Iſidorus.* Tangimus corporis aures & nares, et dicimus ei. Effeta in odorē ſuauitatis, ut admoneantur quàm diu ſpiritum huius uitæ trahunt, ſemper in his perſeuerent, quæ iam didicerunt, & adhuc diſcunt ab ore Catholicorum uirorum: Et ideo ſputo presbyteri tangunt. Similiter dicimus de auribus † q d. presbyter. Fidem quam didiciſti ab iſto ore, et quę *† Quaſi dicat.* per aures intrant, ad animam uadunt, & quam diu ſpiritum uitæ huius naribus trahis, ſemper tenere memento, & dicere cum Apoſtolo. *2.Cor.2.* Chriſti bonus odor ſumus. Et iterum dicat auribus. Aures iſtæ, Deo imperante, ſemper apertæ ſint, ad intelligendum uerba *Pſal.17.* diſciplinæ, ut dicere poſſint. In auditu auris obediui tibi. hæc Iſidorus. Adhuc eſt pro eodem & Beda ſuper Marcum *Beda.* & Ioannem &c. Ecce quot teſtimonia pro iſto ritu antiquorum & magnorum ſanctorum.

De Chriſmatis & olei unctione, *Cap. IX.*

AD ampliora manum extendens, adducam iam ſcripturam magnorum, de olei conſecrati, atq; Chriſmatis unctione. Et primo ipſum Dionyſium uideamus, ubi de Eccleſiaſtica Hierarchia ſic cōtinetur. Tunc penitus denudant eum miniſtri, portantes Hierarchę, ſanctæ unctionis oleū, qui cum oleo ſancto ungere incipit. Et infra in ſequenti commento ſubijcitur. Stante Hierarcha ſuper baptizandum, ſacerdotibus nomen eius recitantibus, Epiſcopus ter mergit eum in aquam, & ter eleuans baptizat eum, cum nominatione ſanctæ Trinitatis, quem ſacerdotes mox aſsignāt ſuperiori ſuo, & ipſi cum ipſo ſuſceptore, baptizatum ueſte congrua ſibi inducū, reducunt ad Hierarcham, quem Chriſmate ſignans, concedit ei Euchariſtiam. Ex quibus patet, quod in primitiua Eccleſia, baptizandus ungebatur oleo ante Baptiſmū, & Chriſmate poſt Baptiſmum: Sicut Dionyſius docet. Et hoc obſeruauerunt antiquiſsimi ſancti, & hoc obſeruat tota Eccleſia, tam Græca quàm Romana. Item Dionyſius in fine capituli de Baptiſmo. Chriſmatis uero unctio, in qua eſt perfectionis ſignificatio, bene facit redolere baptizatum ante Deum per gratiam, & ante homines per uitam bonam. Sanctus enim Baptiſmus, quo regeneratur homo ad Deū, & in Deo unit baptizatum ſpiritui ſancto, uel ſpiritui Eccleſiæ. Facit autem ipſum intellectualiter bene fragrare, per gratiam ſuperuenientem ineffabiliter, quam cognoſcit intellectualiter. Hæc ibi. Concorditer datur intelligi, quod hæc obſeruantia ritus circa Baptiſmum, emanauit ab Apoſtolis. Et quod hæc ubiq; per Eccleſias Chriſtianorum debent obſeruari inconcuſſe, & firmiter ſine hæſitatione. Et ſicut hic tangit Dionyſius, non ſolum Hierarcha Epiſcopus, ſed etiam alij ſacerdotes, aderant circa Baptiſmum, occupantes ſe cum baptizando, pro eo deuote orando, & Epiſcopum iuuando, & curam atq; zelum pro baptizando gerendo. Sic & nunc, dum poſſent commodoſe adeſſe plures ſacerdotes, & iuuare principalem baptizantem, cum orationibus et alijs adminiſtrationibus, ut populus aſtans deuotior & feruentior efficiatur in orando, pro baptizando, deberent facere inſtinctu ſpiritus ſancti. Sed heu fere omnia, quæ aguntur nunc circa Baptiſmum, curſorie & euanue ſine deuotione, ex conſuetudine magis, quàm ex inſtigatione ſpiritus ſancti† operantes. Ideo timeo, omnia noſtra circa Baptiſmum ſine ſpiritu Dei & feruore eius, ne ſint abominabilia, quoad meritum nobis uitæ æternæ: Licet electos ſuos ſpiritus ſanctus non omittat, quin agit in eis

Dionyſius.

Ritus Baptiſmi ab Apoſtolis introductus.

† operamur

cis per Sacramenta id quod eſt ſalutis. Ad hoc eſt pro eodem & Rabanus de inſtitutione Clericorum, & ponitur de Conſe. diſt. 4. Deinde à ſacerdote inungitur, ut ſacrum Baptiſma cum fide accepta cuſtodiatur. Vngitur tunc illius pectus cum oleo ſanctificato, cum inuocatione ſanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo reſideant, ſed in fide ſanctæ Trinitatis mens eius confortetur. Hæc ille. Pro eodem eſt Beda ſuper Ioannem, ſuper illo textu: Diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea &c. Item Damaſcenus li. 4. de ſanctis & incoinquinatis Dei myſterijs, cap. 86. ſic dicit. Et quemadmodũ in Baptiſmate, quia cõſuetudo hominibus eſt aqua lauari, & oleo ungi, coniugauit oleo & aquæ ſpiritus ſancti gratiam, & fecit id lauacrum regenerationis. Hæc ille. Poſtremo crucis ſignum credentium frontibus adhibetur: Eiuſdem Chriſma conficitur, quo idem perungitur. Hæc ille. Item Iſidorus ad Carolum magnum ſic dicit. Poſtea tangimus oleo ſancto ſcapulas et pectus &c. Per oleum nanq; Dei miſericordiam nouimus ſignari: per ſcapulas autumamus deſignari fortia opera hominum. Et per pectus, ubi quodammodo conſiſtit cogitationum cubiculum, cogitationes bonas uolumus deſignari. Oleo ſancto perunguntur, id eſt, miſericordia, ut ſciant ſemper deprecari miſericordiam Dei, ut dirigat eorum corda & opera, in charitate Dei & patientia Chriſti, Et recognoſcant, ſe bonum non aliter poſſe operari, necq; uelle, niſi miſericordia Dei. Pectus autem inũgitur, ut uirtus ſpiritus ſancti baptizatum dirigat, & in corde eius per cogitationes bonas requieſcat. Dorſum autem, in quo fortitudo conſiſtit, inungimus, ut fortes ſimus aduerſa & proſpera ſuſtinere patiendo, & cum Apoſtolo dicamus: A dextris & à ſiniſtris 2. Chor. 6. Hæc ille.

De conſec. diſt. 4. c. Deinde.

De unctione pectoris & ſcapularum.

Patet ergo, quàm male faciunt, qui ex incurabilitate, contemptu, aut ſui ſpiritus elatione & præſumptione, ipſam ſacri olei & Chriſmatis in Baptiſmate omittunt unctionem: Immò ad hoc ſic adiungit præfatus Iſidorus hæc uerba. Poſt hoc ſalutare lauacrum, tangitur caput baptizati ſacro Chriſmate, Quemadmodum reges & ſacerdotes unctos nouimus in ueteri Teſtamento: ut intelligat baptizatus, regale ac ſacerdotale miniſterium ſe accepiſſe, qui illius corpori adunatus eſt, qui ſummus rex & ſacerdos uerus eſt, à quo regnum perpetuum ſperare debet ſe recepturum: Qui & hoſtias immaculatæ uitæ, & ſanctæ conuerſationis debet offerre. Hæc ille.

Quid Chriſma deſignat.

Item lib. 3. Recognitionum Beati Clementis ſic dicitur. Baptizabitur autem unuſquiſque ueſtrum in aquis perennibus, nomine †ternæ beatitudinis inuocato ſuper ſe, perunctus primo oleo, per orationem ſanctificato, ut ita demum per hæc conſecratus, poſſet

†æternæ.

percipere de ſanctis, hoc eſt, Euchariſtiæ Sacramentis. hæc ibi. Item ex Concilio Auraſicano. Nullus miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine Chriſmate unquàm debet progredi, ſcilicet ad baptizandum. hæc ibi. Item Ricardus in Chronica, Anno Domini 84. temporibus Domiciani, Clemens Cleto in Epiſcopatum ſucceſsit, ſecundus per electionem, quartus per gradum; qui ſtatuit Canonem ante fractionē Euchariſtiæ, & Epiſcopos electione Cleri & conſenſu plebis conſtitui, & baptizatos perungi in fronte à miniſtris altaris. Hęc ibi. Ecce quàm multa & lata, de hac materia unctionis comperiuntur.

De alba ueſte, quæ datur baptizato, *Capue X.*

ADhuc & illud uideamus, quod baptizato ueſtis alba imponitur, dicit Iſidorus ubi ſupra. Poſtea albo linteo præcingitur, & hoc de ueteri Teſtamento ſumptum eſt. Sic enim ſcriptum eſt in Exodo. Filios quoq; eius, ſcilicet Aaron, applicabis, & indues tunicis lineis, cingesq; balteo Aaron & filios, & impones eis mitras. Iam percepta gratia ſacri Baptiſmatis, non reconfidat in uerbis ſuis, ſed ſemper deprecetur, ut protectus ſit à Deo, & cœleſti auxilio. Protectionem Domini uolumus præclaram intelligere per linteum, quo caput tegitur. Et iterum dicit idem ibidem. Albis induitur ueſtimentis, ut ſciat inuiolatum corpus poſsidere, & claritate ſpiritus ſancti illuſtratum cor ſe habere, Siue ut recognoſcat, ſe iuſtitiam & nuptialem ueſtem habere: Per ueſtimenta enim opera iuſtitiæ intelliguntur. hæc ille. Ad idem eſt Dionyſius magnus in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, ubi ſic dicit. Trina immerſio in aqua, cum totidem eleuationibus, ſignificat in ſancto baptizato incitationem mortis Dominicæ, cuius triduana fuit ſepultura, in quo diabolus nullam inuenit culpam. Iuxta illud: uenit princeps mundi huius. Veſtis aūt ſplendidæ induitio, quæ circumponitur ei qui baptizatur, ſignificat, quod ſit uirilis, id eſt, uirtuoſus, & deiformis factus, de cætero non ſubiacebit paſsibilitati uitiorum, & quod in fortitudine ſpiritus conſentiet uniformiter uiuere, ut ſicut eius ueſtis tota eſt candida: ita eius uita ſit ſplendida. hæc ibi. Vbi apparet, quàm remote lapſus eſt populus Chriſtianus à ſtatu debito uitæ Chriſtianæ, & primitiuæ Eccleſiæ, & quàm remote receſsit ab Euangelio cum ſuis ſacerdotibus: quia perdidit uitam ſanctam & ſplendidam per peccata, quam acquiſierat in Baptiſmo. Patet etiam ſecundo,

Exo. 28.

Cur alba ueſte induitur baptizatus.

Longe abſumus à perfectione primitiuæ Eccleſiæ.

ſecundo, quod Chriſtianus baptizatus, iuxta illa, quæ in Baptiſmo geruntur, debet imitari mortem Chriſti, ut paratus ſit pro eo mori, & quod ideo in Baptiſmo nec in morte princeps huius mundi ueniens, aliquid ſui inueniat. Ad hoc pro illa ueſte eſt & Beatus Ambroſius libro de myſterijs, & ponitur de conſe. diſt. quarta. Accepiſti poſt Baptiſmum ueſtimēta candida, ut eſſet indicium, quod exueris uoluptatem peccatorum, & indueris innocentiæ caſta uelamina. hæc ille. Item Rabanus de inſtitutione Clericorum, & ponitur de Conſe. diſt. 4. Poſt Baptiſmū traditur Chriſtianis ueſtis candida, quæ ſignificat innocentiā et puritatem Chriſtianorum: quam, poſt ablutas ueteres maculas, ſtudio ſanctę conuerſationis immaculatā ſeruare debet, ad repræſentandum ante tribunal Chriſti. Cuncti uerò renati, albis induūtur ueſtibus: & ad myſterium reſurgentis Eccleſiæ, utuntur baptizati albis ueſtibus, ut quorum primæ natiuitatis faciem ueteris erroris pannus fuſcauerat, habitus ſanctæ regenerationis, glorię pręferat indumentum. Tegit enim poſt ſacram unctionem caput eius myſtico uelamine, ut intelligat ſe diademate regni, & ſacerdotali dignitate potiri. hæc ille. Ex quibus patet, quam pręſumptuoſe faciant ſacerdotes moderni, qui ſine omni fundamento rationali, tot ſanctorum dictis, ſuis factis contradicunt. Eſt autem hic uidendum, & diligenter penſandum, quomodo baptizati Chriſtiani obligantur ad uirtutes excellentes, & continuam mortificationem peccatorum. Vnde Dionyſius ſic dicit. Clarum eſt peritis doctoribus, + qui continuis fortibus eleuationibus animum ad Deum, & perfectis mortificationibus uitiorum, ac carnalitatis conſumptionibus, firmatur inuariabiliter deiformis animus, ad inuiſibilia contemplanda. Non enim ſufficit, totaliter recedere à prauo affectu & actu, niſi uiriliter & inflexibiliter homo laboret, ne poſtquam factus fuerit liber à malitia, fiat + eius ſeruus. Neq; debemus imponere finem amori uirtutis, qui ſanctus eſt, ſed attente & continue ſecundum noſtram poſſibilitatem extendi debemus, ut eleuemur ad diuina perfectius, contemplando pure, ſemper circa illa negociando. hæc ibi. Et patet, cum quanta diligentia baptizatus debet mortificare uitia in in ſe, & ab eis recedere, & in ea nunquàm recidiuare, ut perſeueret in finem, & ſaluus fiat. Quod iam heu in hijs periculoſis temporibus, nullus fere baptizatorum obſeruat, uel raro quis, & ſi unus ex mille. Meſius enim foret, uel minus malum, nō baptizari, quam poſt Baptiſmum præmiſſa uota in Baptiſmo non explere, & poſt malum Chriſtianum eſſe, gentiliter uiuendo, & ſine dignis fructibus pœnitentiæ, finaliter profundius damnari, quam Gentiles uel

Ambroſ.

Rabanus.

Qualis debet eſſe baptizatorū uita.

lego + quod.

addo + iterum.

Querela de negligentia Chriſtianorum, in primis ſacerdotum.

Iudęus. Et huius concauſa ſunt ſacerdotes, quia non induūt zelum, ad docendum & promouendum uerbo & exemplo, tam ſanctam uitam Chriſtianorum ſeruandam, ad quam in Baptiſmo ſe obligant. Ideo uę nobis ſacerdotibus, quam diſtrictam rationem reddemus, pro tam multis negligentijs multarum animarum commiſſarum & neglectarum. + Exemplum nempe ex negligentia ſacerdotum, parentes carnales & compatres negligunt dare operam debitam, ut baptizatus uiuat, ſecundum quod debet uiuere: ſecundum abundantem iuſtitiam Chriſtianorum, ad quam obligauerat ſe in Baptiſmo. Et ex hijs baptizatus negligit ſe ſolus in ſua uita bona: non ammonitus, necꝑ poſtea doctus per ſacerdotes uel parentes uel compatrem, in tantum, ut omnino neſciat uel parui pendat, quæ ſint illa tam magna, & tam ardua, ad quæ quilibet baptizatus obligatur. O quanta cæcitas humana, iſta requiſita ad ſalutem, ſub pœna æternę damnationis non cognoſcere, nec curare, tam ſacerdotes quàm compatrem, quàm parentes, quàm baptizatum: Ideo ſuperabundauit iniquitas. O quis noſtrum, de ijs tam condignam pœnitentiā aget? magna certe miſericordia Domini, quod non ſumus conſumpti. Vnde ad propoſitum Dionyſius ſubdit. Percipere poteſt, qui baptizatur, quomodo ea quæ fiunt circa ipſum, ſunt manifeſte imagines unctionis, quæ conuenit pugili. Nam Hierarcha in perficiēdo baptizato, inchoat ſacri Chriſmatis unctionem: Aſtantes uero ſacerdotes ſiue presbyteri, inchoatam unctionem complent, quaſi euocantes eum ad ſpirituale prælium, qui accipit ſanctæ unctionis oleum. In uictoria autem iſtorum certaminū, fit homo Chriſto conformis. Nam Deus primo certamina creauit, ſicut potentiſsimus: Et de certaminibus legem poſuit, ſicut ſapientiſsimus: Et certaminibus cum uictoria promiſit condigna præmia, ſicut optimus uel pulcherrimus. Et adhuc, quod dulcius eſt uel ſuauius, cum ipſis eſt pręſens, in certaminibus. Iuxta illud Pſalmi. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, pro ipſis pugnans et luctans, contra uitia & dęmones, qui principes ſunt mortis & corruptionis, ut hic qui pugil eſt certaminibus diuinis expoſitus, per uictoriam ex Dei gratia acquiſitam, ſit hilaris & iocundus. hæc ibi. Ex quibus patet, quod baptizati inuncti, debent eſſe tanquàm pugiles & milites uiriles: conſurgentes ad ardua bella domini, contra totam cateruam inuiſibilem & aſtutiſsimam dęmonum, contra totum mundum in maligno poſitum, contra carnem propriam & fomitem eius, fortiſsime debent agonizare: Et niſi quis legitime ſic certauerit, non coronabitur. Quis, rogo poterit dicere illud 2. Timo. 4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui,

[Margin notes: + Exemplo. — Baptizati tanquàm pugiles inunguntur. — Pſal. 90. — Bella Chriſtianorum. — 2. Timoth. 2.]

ui, ſidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex: Non ſolum autem mihi, ſed & hijs, qui diligunt aduentũ eius. Heu mihi paupercu- lo & miſero peccatori, qui hæc magna, ad quæ Baptiſmus obligat, ut Chriſtianus uerus nunquàm ſeruaui, quanto magis nec ut ſacer- dos effectualiter omnia fideliter ſeruaui: ex quo omnes iuſtitiæ meæ ſunt tanquã pannus menſtruatæ. Non ergo Domine intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens, ſed miſerere mei, & propicius eſto mihi peccato- ri, ſecundum magnam miſericordiam tuam: Et non ſolum mihi, ſed & omnibus negligentibus ſacerdotibus, qui neglexerunt doce- re populum iſta magna, ardua & neceſſaria ad ſalutem, ut hic ad- huc congnoſcentes noſtras negligentias, & propriam noſtram malam uitam, uere dignos fructus pœnitentiæ agamus: Quia ti- mendum eſt, quod niſi pœnitentiam egerimus, omnes ſimul per- ibimus. Amplius de Baptiſmo conformiter ad propoſitum habetur longe & late, in Decretis de Conſ. diſt. 4. per multas autoritates ſanctorum. Et Thomas de Aquino ac Scotus ſuper 4. multas quęſtiones mouent circa Baptiſmum, introducentes multas difficultates more ſuo ſcholaſtico, cum multis & brigoſis argu- mentis, quæ ſimplicibus ſacerdotibus inducerent tædium, & forte perplexitatẽ in illa materia. Ideo illa hic adducere omitto, quia eſſet diffuſum, & ſacerdotes ſimplices nõ ita eſſent capaces illorum. Sed qui uolunt amplius in iſta materia uidere, currant ad loca præal- legata, & ad alios doctores ſcholaſticos, ſuper. 4. multas alias diffi- cultates mouentes, & penſent & iuuent ſe, quantum poſſunt, cõtra errores cum auxilio diuino. Quod ſi aliquid talium geritur circa Baptiſmum, quod expreſſe in ſcriptura non ponitur, & nos fun- dare neſcimus de neceſſitate ineuitabiliter in lege Domini, non mox illud cõtemnamus, abijciamus, & derideamus, Sed dum non obſunt fidei & moribus ſanctis, potius de eiſdem ſentiamus, quia maxima eorum quæ ſcimus, ſunt minima eorum quæ ignoramus. Dicit nempe Auguſtinus lib. 10. ſuper Geneſ. cap. 3. Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis, neq; ſpernenda eſt, neq; ullo modo ſuperflua reputãda, nec omnino credẽda, niſi Apoſtoli- ca eſſet traditio. hæc ille. Etiam & bona conſuetudo eſt illa, quod baptizandus non ſtatim in Eccleſiam inducitur, ſed ante fores Ec- cleſiæ ſtatuitur, & ibi pro eo preces ad Deum prius à ſacerdote & cæteris aſtantibus ſunt fundendæ. Et hoc apparet, quod & tempo- re Dionyſij ſeruabatur. Nam ſic myſticando illud dicit. Quod aũt ſtatuitur ad Occidentẽ, & manus cõtra illam regionem obſcuram

dicitur

Præuaricationes noſtræ poſt Baptiſmũ.

Eſaie. 64.

Pſal. 142.

Luc. 13.

Hic unius folij defectus eſt.

Nõ omnia ſunt expreſſe ſcripta.

Cur baptizãdus non ſtatim in Eccleſiam introducitur.

Hiere.1. dicitur expandere,ſignificat exprobrationem omnis malitiæ,quia
Ephe.4. ab Aquilone pandetur omne malũ:Et quia totaliter exuit omnem hominem ueterem. Iſidorus autem ſic myſticat. Puer in primis ante fores Eccleſiæ ſtatuitur,in ſignum humilitatis,propter peccatum originale. Demum ſuffultus orationibus Eccleſiæ,poſtquam perficiuntur Exorciſmi, & exufflationes, & renunciationes, Eccleſiam cum confidentia ingreditur. hæc ille. Nec induco hic Dionyſium,Quod Dionyſij ritum uellem accipere, & noſtrum abijcere, & contemnere:Quia Dionyſius Græcus fuit,cuius ritum puto quidam obſeruant Græcorum,quem ritum eis non reprobo. Nec(ſicut dixi) noſtrum abijcio,dummodo deuote obſeruaretur. Quia unaquæq; patria abundat ſuo ſen,ſu dicit Auguſtinus. Et ideo,uario uariæ patriæ utuntur ritu:Et bene,dum modo ſolum fidei & bonis non obuiant moribus. Sed adduco Dionyſium pro aliquali noſtra ſpeciali informatione & correctione, de quanto ad hoc nobis deſeruit, & ut uideatur, quàm multũ noſtri ritus circa Baptiſmum concordant cum Dionyſio. Et tantum ſit dictum de Baptiſmo.

Non oportet nos imitari Dionyſij aut Græcorũ ritus.

De Sacramento Confirmationis, & ſanctificatione Chriſmatis, Cap. XI.

POſt hæc uidendum eſt de Secundo Sacramento, ſcilicet, de Sacramento Confirmationis, Et primo fundamentum in lege illius Confirmationis. Vnde ipſe Armacanus dicit, Quod inſtitutio Sacramenti Confirmationis eſt ex ſcriptura ſacra. Legitur Mar.10. ſic. Offerebant ei paruulos,ut tangeret eos,diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quod cum uidiſſet Ieſus,indigne tulit,& ait ill s: Sinite paruulos uenire ad me,& ne prohibueritis eos, taliũ eſt enim regnum Dei. Amen dico uobis,quiſquis non recipit regnum Dei uelut paruulus,non intrabit in illud, Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos. Matthæus autem hiſtoriam hanc

Armacanus lib.9 cap.12. Ex Euangelio.

Matth.19. ſic narrat. Tunc oblati ſunt ei paruuli, ut manus imponeret eis, & oraret: Diſcipuli autem increpabant eos, Ieſus uerò ait eis. Sinite paruulos uenire ad me, & nolite prohibere eos, talium eſt enim regnum cœlorum. Et cum impoſuiſſet eis manus,abijt inde. Ecce hic habes inſtitutionem ipſius Sacramenti,ſcilicet Confirmationis,ſiue manus impoſitionis, aut ſaltem declarationem ſuæ inſtitutionis. hæc ille. Et ſubdit idem. Item Actus Apoſtolorũ ſatis oſtendunt, hoc Sacramentũ fuiſſe inſtitutũ à Chriſto,ex quo ipſi Apoſtoli,cõuerſis ad fidẽ,baptizatis manus imponebãt,ut acciperẽt ſpiritũ ſanctũ. Sic enim legitur Act.8. Cũ audiſſent Apoſtoli qui erãt Hieroſolymis,

Ex Actibus Apoſtolorum.

ſolymis, quia recepit Samaria uerbum Dei: miſerũt ad eos Petrum & Ioannem, Qui cum ueniſſent, orauerunt pro ipſis, ut acciperent ſpiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorũ uenerat, ſed baptizati erant tantum in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, et accipiebant ſpiritum ſanctum. Item Act. 19. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, Et cum impoſuiſſet eis manus Paulus, uenit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabãt. Nullus enim poteſt ambigere, quin Apoſtoli iſtud Sacramentum ex magiſtri ſui inſtitutione didicerunt, ex quo poſt ipſius aſcenſionem illud exercuerunt, erga conuerſos ad fidem. Hæc per totum Armacanus. Ex cuius uerbis patet, quod hoc Sacramentum à Chriſto proceſsit, & quod Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem illud exercuerunt, & ex magiſtri ſui inſtitutione illud didicerunt. Ad idem eſt Hugo de Sacramentis, qui ſic dicit. Chriſmatis unctionem, iam ab antiquo in ueteri Teſtamento inſtitutam legimus. Quia tunc quidem reges ſolum & ſacerdotes Chriſmate liniebãtur cum ungebantur: Quorum unctione ſingularis ille unctus præfigurabatur, qui præ cunctis participibus ſuis unctus eſt, ut cum illo participarent in nomine, qui participes illius eſſe mererẽtur in unctione. A Chriſmate enim Chriſtus dicitur, à Chriſto Chriſtianus nominatur. Propterea, ex quo nomen omnes communicare cœperunt, omnes unctionem accipere debuerũt: Quia omnes in Chriſto genus electum ſumus, regale ſacerdotium. Chriſma ex oleo & balſamo conficitur, Quia per oleum infuſio gratiæ, per balſamum odor bonæ famæ. Manus impoſitio, quæ uſitato nomine Cõfirmatio uocatur, qua Chriſtianus, unctione Chriſmatis, per impoſitionẽ manus in fronte ſignatur. Et infra. Quia ſicut in Baptiſmo remiſsio peccatorũ recipitur: ita per impoſitionem manus ſpiritus ſanctus datur: Illic gratia attribuitur ad remiſsionem peccatorum: hic gratia datur ad confirmationem. Quid autem prodeſt, ſi à lapſu erigeris, niſi ad ſtandum confirmeris? propterea timendum eſt his, qui per negligentiam omittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne forte propterea damnẽtur, quia feſtinãter debuerunt eum adducere, ſcilicet Epiſcopo, cum potuerunt. Propter eos enim, qui articulo temporis præueniuntur, inſtituta eſt illa conſtitutio, qua ſacerdos baptizatum ſtatim in uertice linit ſacri Chriſmatis unctione, ut in hoc ipſo oſtendatur, quantum Sacramentum iſtud ad ſalutem neceſſariũ ſit: Ideo à cunctis ſollicite caueatur, ne forte ſine ipſo abhac uita ſubtrahantur. hæc ille. Ex quo patet, quod Chriſtus eſt origo, & fons omnis ſpiritualis Chriſmatis & unctionis. Ideo dicitur Chriſtus à Chriſmate. Quare uos qui eſtis filioli Dei, nolite

Hugo de Sacra. mẽtis parte 7. c. 1.

1. Pet. 2.

Graue periculum ijs qui confirmationem negligunt.

aliàs ſic+ Cum tam ſollicite uniuerſis caue-tur.

1.Ioan.4.

O Rokyzana, nonne teipſum proprio hic cõdemnas iudicio? quia multos Bohemorũ ſolu iſti à uinculo charitatis, contra Rom. Eccle. à te concitatos, & damnabili ſeparatione diuiſos.

credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus qui ex Deo ſunt: Quoniam multi pſeudo exierũt in mundum, & omnis ſpiritus qui ſoluit Chriſtum Ieſum, ſiue in fide uera eius, uel charitate, ſiue in membris, ſiue in uinculo charitatis, ſiue alijs modis, hic omnis ſpiritus nõ eſt ex Deo, & hic eſt Antichriſtus. Sed adhuc perpendamus, quid dicit Gloſa ſuper Eccleſiaſtica Hierarchia ipſius Dionyſij, ſuper cap. 4. tractans de Chriſmate in hunc modum. In hoc unguento (inquit) multa ſignantur. Nam multarum aromaticarum ſpecierum ibi fit cõgregatio, per quod ſignificatur bene redolentium uirtutũ ſuauiſsima exhalatio, quam habet ille, in quo eſt uera perfectio, qui omnibus factus eſt bonus odor Chriſti. Vel per ſanctiſſimum Chriſma, quod eſt redolentiſsimum, ſignificatur ipſe Chriſtus, in quo eſt omnis delectationis unctio, & omniũ ſpiritualium fragrantia ſpecierum, quibus noſtra mens fit redolentiſsima, & pinguiſsima, & omnium copia ſpiritualium conſolationum abundantiſsima. Nõ ſolum autem ſanctum bene redolens Chriſma, in anima iuſti operatur digniſsimã fragrantiam, ſed & exterius apud ✝hominem ſuauiſsimam famam. Iuxta illud. Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarij: In omni ore quaſi mel eius memoria dulcorabitur. hæc ibi. Et patet fructus huius Sacramenti olim in capacibus in Eccleſia primitiua, qui nunc deficit ad nouiſsima tempora in populo Chriſtiano. Et ibidem dicit Dionyſius. Quod poſt Euchariſtiæ Sacramentũ immediate coordinatur, quod à noſtris diuinis ducibus, id eſt, doctoribus Apoſtolis, unguenti perfectio dicitur. Et quod ab iſto Sacramento, ſcilicet Chriſmate, eodem modo excluduntur imperfecti, ſicut in cõſecratione Euchariſtiæ, antecedente thurificatione Epiſcopi, & Pſalmorum decantatione, & diuinæ ſcripturę lectione. Deinde Epiſcopus ſupponit altari unguentum conſecrandum, circumuelatum duodecim alis, concinentibus fidelibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & Alleluia. Et per orationis completionem, confecto Chriſmate, Epiſcopus ipſo utitur fere ad omnem Hierarchicam operationem. hęc ibi. Vbi patet, quod hoc Sacramentum dabatur in primitiua Eccleſia poſt diuinam Euchariſtiam, Et ideo cõpetenter Dionyſius prius tractat cap. 3. de Euchariſtia diuiniſsima, Et poſt cap. 4. de Chriſmatis unctione. Et adhuc plus ſubditur de hac materia in Dionyſio. Perfecti Chriſmatis perfectam myſticam actionem inſtruunt ad perfectam ſanctificationem. Arbitramur enim, quod circumuelatio Chriſmatis ſignificat, quod ſancti uiri ſpirituales ſuas uirtutes & gratias, quæ non apparent foris, optime celant, propter fugam uanæ gloriæ, quod eſt Deo beneplacitum. Iuxta quod occulti & ſuper-

Quid Chriſma ſignificat.

✝hominem. Eccle. 49.

Verba Dionyſij de Chriſmate.

ſuper mentem bene olentes decores diuini, ſiue cœleſtes pulchritudines ſolis ſanctis manifeſtantur, qui ſe ipſi eiſdem ſecundum ſuam poſsibilitatem conformare deſiderant. hæc ibi. Ex quibus patet, quod olim fideles, creſcẽtes in uirum perfectum, Sicut in Baptiſmo, & ſumptione digna diuiniſsimæ Euchariſtiæ corporis & ſanguinis Domini: Sic & in Chriſmatis unctione, multas † reſpiciebant gratias, illuminationes diuinas, & ignitas ſuccenſiones, conſolationes, deuotiones feruentiſsimas, & confortationes in aduerſis, ad perſeuerandum in bona uita, uſq; in finem. Nunc uero, heu, Chriſtiani & ſacerdotes non recipiunt talem efficaciam à Sacramentis, nec eis talem reuerentiam impendunt, ſed cõtemnunt ea, derident, blaſphemant & erroneant. Ideo non mirum, ſi propter hęc & malam uitam eorum, gratias & uirtutes illas non conſequũtur ex ipſis Sacramentis. Alia plura de dictis Dionyſij, hic inferre cauſa breuitatis omitto: Sed uolentes plura uidere in hac materia, ad originalem eius librum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, pro maiori confirmatione & approbatione, recurrant. Sed adhuc adduco ipſum Armacanum lib. 9. de quęſtionibus Armenorum, qui ſic loquitur cap. 22. Confirmatio ita eſt neceſſaria, quod ſi haberi poterit, habeatur: Ideo in adultis eius acceptio habet uigorem pręcepti, ut ibi uidetur. Cur enim Petrus & Ioãnes miſsi fuiſſent ſtatim, audito Quod recepit Samaria uerbum Dei, pro iſto Sacramento perficiendo, in Samaritanis baptizatis, ſi nõ fuit ſic neceſſarium ad ſalutem? Nunquàm ipſi ſua autoritate præſumpſiſſent illud facere, ſi non habuiſſent præceptum à Domino: certe non eſt uериſimile. Item hæc impoſitio manus, non ſolum facta eſt Samaritanis à Petro & Ioanne, ſicut legitur Act. 8. ſed apparet, factam eſſe omnibus generaliter baptizatis: ſicut legitur Act. 19. Paulus quos iuſsit baptizari, manus eis impoſuit. Ex quo ergo Chriſtus illud Sacramentũ tanto zelo perfecit, amplexando paruulos, & Apoſtoli etiam illud tanta diligentia obſeruabant: Quis audet dicere, quod non ſit neceſſarium ad ſalutem? Item negari non poteſt iuxta præmiſſa, quando ſpiritus ſanctus tunc datur animæ, non ſolum ad opus extrinſecum, ſed ad robur intrinſecum. Et hoc non ſolum cuicunq; uolenti accipere, ſed etiam omnibus baptizatis, antequàm iudicium rationis accipiant. Vnde tantum donũ contemnens, aut non curans, cum poſsit illud accipere, merito ſuę ſalutis neglector, & beneuolentię diuinæ contemptor arguitur. Vnde in Chronicis legitur, quod Clemẽs, Beati Petri diſcipulus & ſucceſſor, ſtatuit, ut baptizatus quantũ citius poterit, confirmetur: Quia aliter non eſſet perfectus Chriſtianus, qui Cõfirmationẽ nõ neceſsitate, ſed incurialiter et uolũtarie omitteret.

Multi ex Chriſmatis unctione fructus.

alias † recipiebant.

Confirmationem eſſe neceſſariã ad ſalutem in adultis.

Quod ideo puto ab eo inſtitutum, quia præuiderat, quod eius neceſsitati poſſet à non intelligentibus, & male intelligentibus contradici, cum eam neceſſariam ſatis ſcriptura exprimat. Et ideo edoctus à Petro (ut æſtimo) de neceſsitate ipſius, eam ſtatuit obſeruandam. hæc ille per totum. Quid aũt ſignificet ipſum Chriſma, dicit Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia. Reuelatio ſiue diſcoopertio Chriſmatis, ſignificat diuinã pulchritudinẽ, facientẽ à ſeipſa reſplendere puram claritatẽ, & implentẽ nos puro & ſimplici odore. Nam ſenſibilis operatio Chriſmatis, non abſconditur hijs, qui iuxta uel circa Hierarchiam †, ſed per eos tractatur familiariter, & ab ipſis uidetur, & uelatur, & à multitudine ſeparatur. hęc ibi. O quam magna latent in iſtis diuiniſsimis Sacramentis, quæ olim in primitiua Eccleſia reuelabantur, & nobis propter noſtræ indignitatem uitæ clauduntur. Vnde ſubdit infra poſt modicum Dionyſius. Ipſa Baptiſmatis perfectio uel confectio, quæ à nobis laudata eſt, ſpecialiter pertinet ad profectionem Hierarchici ordinis, & perfectionis, & uirtutis. Vnde noſtri diuini duces, id eſt, Apoſtoli, hoc Sacramentum tanquàm Euchariſtiæ coordinatũ, & idem efficiens eiſdem imaginibus, in multis & myſticis ornatibus & decantationibus ornauerunt. Item Clemens ad Iacobum Apoſtolum, Epiſtola 4. ſic dicit. Et habetur prima parte libri Conciliorum. Omnibus ergò feſtinandum eſt, ſine mora renaſci Deo, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem gratiam ſpiritus ſancti percipere, Quia incertus eſt uniuſcuiuſq; uitæ exitus. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformi ſpiritus gratia, ab Epiſcopo (ut memoratum eſt) confirmatus, quia aliter eſſe nequaquam perfectus Chriſtianus poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſsitate ſed incuria, aut uoluntate remanſerit, ut à Beato Petro accepimus, & cæteri Apoſtoli, præcipiente Domino, docuerunt. hæc ibi. Ecce quomodo ſancti Apoſtoli tractauerũt iſta Sacramenta cum magna reuerẽtia, & quantas efficacias ſenſerunt & docuerũt in ipſis à dignis ſuſcipiendas, quas ab indignis excludebãt: Sicut à nobis nouiſsimis, heu, ſunt excluſæ. Hinc etiã ſcribit Melchiades Papa. Et ponitur de Conſe. diſt. 5. Spiritus ſanctus, Spiritus ſanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte, plenitudinẽ tribuit ad innocentiã: in confirmatione augmentũ pręſtat ad gratiã. Et quia in hoc mũdo tota ætate uicturis, inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt: In Baptiſmo regeneramur ad uitã, poſt Baptiſmũ cõfirmamur ad pugnã, In Baptiſmo abluimur tantũ, poſt Baptiſmũ roboramur. Et

In Originali, non ad Iacobũ ſed ad Iulium & Iulianum ſcripta eſt ea Epiſtola.

† *ſunt*

Differens effectus Baptiſmi & Confirmationis.

Melchiad.

quamuis

quamuis continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, uicturis tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Generatio per ſe ſaluat mox in pace beati ſæculi recipiendos. Confirmatio armat & nutrit ad Agones mundi huius, & prælia reſeruandos. hæc ille. Ex cuius uerbis liquide apparet, ad quid ualeat Sacramentum Confirmationis. Rabanus autem de inſtitutione Clericorum lib. 1. ca. 3. Et ponitur de Con. diſt. 4. Nouiſsime. Vbi ſic dicit. Signatur baptizatus Chriſmate in ſummitate capitis per ſacerdotem: Per Pontificem uerò in fronte, ut in priori unctione ſignificetur, ſuper ipſum ſpiritum ſanctum deſcendiſſe, ad habitationem Deo conſecrandam. In ſecunda quoq;, ut eiuſdem ſpiritus ſancti ſeptiformis gratia, cum omni plenitudine ſanctitatis, & ſcientiæ, & uirtutis, uenire in hominem declaretur. Ecce quomodo ex hijs colligi poteſt, ꝙ olim ſancti primitiuę Eccleſiæ habebant magnã notitiam, & experientiam de magna uirtute Sacramentorum, ex diſpoſitione & capacitate eorum ſanctæ uitæ. De qua uirtute tam magna, latet modernum Clerum & populum Chriſtianũ, propter eorum indiſpoſitionem & incapacitatem. Quia enim nunc Sacramenta contemnuntur, deridentur, blaſphemantur: in quibus Chriſtus & ſui ſancti Eccleſiæ primitiuæ contemnuntur. Et ideo non deguſtãt illas ſuauiſsimas uirtutes Sacramentorum, nec experiuntur, & nihil ſciunt de eis, nec loqui, nec ſentire in ſe, nec cogitare. O quantis ex hac noſtra indiſpoſitione priuamur bonis, diuinis fructibus? quanta in nobis per hoc abominatio deſolationis? quantus defectus fidei? Immo & qualiter eſt inordinata fides Sacramentorum? quantum refriguit charitas, longe lateq; per Clerum & populum Chriſtianum? Et quis credit? Et hic notat Thomas de Aquino, in ſuis quęſtionibus in iſta materia, Quod hoc Sacramentum ſacri Chriſmatis, in materia & forma habet ortum à Chriſto, ſicut à principali fundamento, ſicut & alia Sacramenta, & poſtea per Apoſtolos emanauerũt in totam Eccleſiam fidelium uſq; in hodiernum diem: Et ſicut in principio fidei adhuc imperfecti & immundi (ut tangit Dionyſius in fine libri Eccleſiaſticæ Hierarchiæ) deridebant Baptizationem, & Communionem, et alium ritum circa talia currentem à Beato Timotheo: Sic adhuc hodie, ad nouiſsima tempora in fide corrupti, derident Sacramenta, contemnunt, & blaſphemant, ut ſupra dictum eſt. Patet etiam, quod in iſta materia Catholica de Sacramentis, debet credi ſanctis & Eccleſię Catholicæ: quamuis in Euangelio non ſint omnia expreſſata. Quid enim feciſſent tales, ſi unumquenq; Apoſtolum audiuiſſent prædicantem, forte nec alicui illorum credidiſſent, cum ante nondum Euangeliũ habuiſſent

Cur nos uirtutẽ Sacramentorum non ſentimus, ſicut antiqui.

S. Thom. In 3. parte queſt. 72. art. 1.

Nõ omnia ſunt expreſſa in ſcripturis.

Quantum malum eſt, non credere ſanctis.

promulgatum, ex quo nihil credere uolunt, niſi quod in Euangelio foret manifeſte expreſſatum. Similiter nec Apoſtolis miſsis ad alias regiones, ubi ſoli perſonaliter non peruenerunt, credidiſſent, cum ante non cognouiſſent Euangelium, atq; eius fidem. Quomodo tales credent translationi Hieronymi ipſius Bibliæ, de Græco in Latinum factæ, & ſic toti legi nouæ & ueteri? Et nolentes credere dictis ſanctorum, ad multas deuenerunt perplexitates. Nam uolentes eſſe nimis ſapientes apud ſe, fiũt ſtulti: & uolentes eſſe nimis cauti, fiunt nimis incauti: & uolentes eſſe ne ſeducantur quaſi à ſeductoribus, tunc cauent ſibi à ſanctis, in quibus erat ſpiritus Dei, ſpiritus ueritatis: & ab illis recedentes, credunt ſuis ingenijs deprauatis, & ſpiritibus mendacij. Dedit nanq; Chriſtus Ieſus ſanctis primis ad hoc ſpiritum ueritatis Euangelicæ, ut credamus eis, & non condemnemus eos. Sic enim dicitur de illis. Qui uos ſpernit, me ſpernit: & qui uos recipit, me recipit. Hoc tamen fateor, quia fides & reuerentia huius Sacramenti in magna parte perijt. Nam imparati & indeuoti, turbulenti, irreuerẽter cum riſibus & cachinnis hoc Sacramentum recipiebant, etiam poſt prandium cum repleto ſtomacho, annexa quadam maxillæ percuſsione, hoc Sacramentum ſumebant, cum tamen à ieiunis Epiſcopis, & ieiunis hominibus, tradi debet ſicut Baptiſmus, niſi aliter cogat neceſsitas. Vnde de Conſ. diſt. 5. ex Concilio Aurelianenſi cap. 3. ſic ſcribitur. Et ieiuni ad Confirmationem ueniant perfectæ ætatis, & ut moneantur cõfeſsionem facere prius, ut tandem donum ſpiritus ſancti ualeãt accipere. Et quia nunquàm erit Chriſtianus, niſi in Confirmatione Epiſcopali fuerit Chriſmatus. hæc ille. Vbi notandum quod dicit, Nõ erit Chriſtianus, ſcilicet plenus, quoad omnia Sacramenta, Chriſtianum concernentia, & ſi etiam omitteret illud Sacramentum ex cõtemptu. Item ibidem, de Conſe. diſt. 5. ex Concilio Meldenſi cap. 6. ſic ponitur Decretum. Et Epiſcopi non niſi ieiuni, per impoſitionẽ manuum ſpiritum ſanctum tradant: exceptis infirmis, & morte periclitantibus. Et ſi quæritur (inquit Gloſa ſuper prædicto Canone, ſiue Decreto Concilij Aurelianenſis) Nunquid minorem gloriam habebit paruulus, non confirmatus quàm cõfirmatus? Videtur quod ſic, Quia in Cõfirmatione datur augmentũ gratiæ. Et ſicut dicitur de Conſe. diſt. 5. ex Concilio Terraconenſi, cap. 6. Dictum eſt nobis, quod quidam de plebe bis, uel ter, uel eo amplius, Epiſcopis ignorantibus, tamen ab eiſdem Epiſcopis confirmẽtur. Vnde nobis uiſum eſt, eandem Confirmationem, ſicut nec Baptiſmum, iterari minime debere.

Quantum malum eſt, non credere ſanctis.

Luc. 10.

Cur decreſcit fides & reuerentia huius Sacramenti.

Non eſt perfectus Chriſtianus, qui cõfirmationẽ omittit.

De

De Sacramento Euchariſtiæ, Cap. XII.

POſt Sacramentum Baptiſmi & Confirmationis,ſequitur tertium Sacramentum, Euchariſtiæ: Quia Baptiſmus,Confirmatio & Euchariſtia, ſunt Sacramenta continua.Nam per Baptiſmum à peccato mundamur, per Confirmationem in bono ad pugnam roboramur: Ipſa autẽ Euchariſtia Baptiſmi gratiam & Confirmationis nutrit & augmentat.Eſt enim Sacramentum Euchariſtię,unum præcipuum ex hijs, in quibus principaliter ſalus conſtat,& inter omnia ſingulare:quia ex ipſo omnis ſanctificatio eſt.Hæc enim hoſtia, ſemel pro mundi ſalute oblata,omnibus pręcedentibus & ſubſequẽtibus Sacramentis uirtutem dedit. Vnde Dionyſius lib.de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.3.de hijs,quæ fiunt in congregatione in Sacramento Euchariſtiæ,ſic dicit.Non eſt phas,Hierarchicorum aliquid aliud ante hanc laudare.Etenim ſecundum glorioſum noſtrũ ducem, perfectionum perfectio, id eſt, ſecundum gloſam ſuper eodem cap. Non eſt licitum, ante Euchariſtiam aliquod aliud laudare Sacramentum.Ipſa eſt enim perfectionum+ ſecundum Beati Pauli ſententiam, 1. Corinth.11. Ego enim accepi à Domino quod &c. Et in titulo eiuſdem 3. cap. dicit Gloſa, quod Sacramentum Euchariſtiæ dicitur congregatio à Beato Dionyſio: quia omnia Sacramenta recipiunt ab ipſo perfectionẽ. Nullum enim Sacramentorum aliorum uere celebratur, in quo ſacra communio non ſumitur: Ad inſinuandum uidelicet, Quod nullum Sacramentũ ad ueram pœnitentiam perducit, in quo Euchariſtia ſancta nõ ſumitur. Dicitur etiam illud Sacramentum Congregatio,non ſolum, quia per ipſum omnia Sacramenta perficiuntur, ſed etiam, quia ipſius Communione omnes fideles Chriſto uniuntur. Chriſtus enim caput eſt Eccleſiæ,membra uerò ſunt omnes fideles:Quorum uere ad ipſum tunc fit unitio, quando ab ipſis uera fit diuini Sacramenti cõmunio. Et ideo cõmuniter ex rei ueritate Euchariſtia nominata eſt congregatio uel communio: quia in ipſa & per ipſam, fit omnium percipientium Sacramenta adunatio & perfectio. Quapropter ſi omnia Sacramenta ſunt imperfecta, niſi Communione ſacræ Euchariſtiæ perficiantur, ergo ipſa eſt finis & perfectio omnium Sacramentorum. Vnde excellenter per comparationem ad alia Sacramenta dicitur Euchariſtia, id eſt, bona gratia, Quia in hoc Sacramento non tantum eſt uirtutis augmentum & gratiæ: Sed ille totus ſumitur, qui eſt fons & origo totius gratiæ. Cuius figura præceſsit in ueteri Teſtamento, quando manna Deus pluit patribus,Exo.16. Inſtitutio autem eiuſdem Sacramenti,& illius

Euchariſtia pręcipuum Sacramentum.

addo+ perfectio

Cur hoc Sacramentum cõgregatio dicitur.

Cur hoc Sacramentum Euchariſtia dicitur.

uera fides ponitur Matth.26. Marci 14. Luc.22. Et 1. Corinth. 11. Ex quorum quidem uerbis patet, quod cum Chriſtus, qui eſt uerus Deus & homo, qui mentiri non poteſt, nec aliquem decipere, dixit de pane, quem in manibus benedixit, quod ipſe eſt corpus ſuum: Et de uino, quod eſt ſanguis ſuus. Et quod eſt fide credendum, & conſtanter tenendum, quod ille panis uere erat corpus ſuum, & illud uinum uere ſanguis ſuus. Et de iſta materia Euchariſtiæ in Sacramento, ſcilicet, quod ibi ſit corpus Chriſti de uirgine natum, & ſic ſecundum ſuam propriam exiſtentiam & naturam, alij determinarunt priores. Et præſertim Reuerendus Magiſter Iacobus de Miſa, fœlicis recordationis & diuæ memoriæ: uir utiq; magnæ uitæ, & profundus interpres ſcripturarum. Ideo cui placet, iſtā materiam uideat, quam fecit publice in ſchola uniuerſitatis, ſcilicet in Collegio Caroli, in lectorio Theologorum, & hoc factū extitit. Anno Domini M. CCCC. XXVIII.

Non ait Chriſtus. Ipſe uel iſte panis eſt corpus meum, ſed ſic. Hoc eſt corpus meum. Hoc id eſt, hæc ſubſtantia, quæ iam non panis amplius eſt, ſed corpus Chriſti in quod panis diuina uirtute tranſſubſtantiatur. Sicut ipſe Roky. coram Imp. Sigiſmundo cōfeſſus fuit anno Domini 1436.

Hoc tamen dico, quod ipſum corpus Domini Ieſu, eſt templum diuinitatis, & ſanctiſsimæ Trinitatis, in quo tanta mirabilia Dei infiniti in ſapientia & uirtute concurrunt, tam glorioſa, tam alta, & tam maxima, quod omnes cœleſtes uirtutes, Cherubin & Seraphin, & omnes intelligentiæ omnium hominū & omnium ſæculorum, in æternum habeant ſatis admirari, & admirando non ſufficiunt ad plenum admirari diuinam dignationem, liberalitatem, maieſtatem, ſapientiam & poteſtatem, miſericordiam, & communicabilitatem ſuæ bonitatis: In quo eſt omne bonum, propoſitum in conſpectu filiorum Dei, In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Quapropter, iuſtum & ſanctum eſt, æquum & ſalutare, quod Chriſtiani habeant ipſum corpus Chriſti in Sacramento contentum, in ſumma reuerentia & timore, in ſummo deſiderio & amore ſuper terram. Sic quod omnes primum ſacerdotes & Clerici cæteri, debent ſuas orationes, & pſalmodias frequentare ibi in præſentia, ubi eſt corpus Chriſti: rex & Dominus omnis terræ, Et ubi eſt frequentia angelorum, ſicut ſcriptum eſt: In conſpectu angelorum pſallam tibi: adorabo ad templum ſanctum tuum & cōfitebor nomini tuo. Prout B. Hieronymus in lectulo decumbēs infirmus, ſacerdote ad eum cum Euchariſtia diuina ueniente, fecit: Sicut ſcribit Euſebius de morte Hieronymi, & in hæc uerba dicit, O ferculum excellentiſsimum, uenerandum, colendum & adorandum, glorificandum, amplectendum, & omnibus laudibus extollendum. hæc ibi. Vnde grauiter peccant, & dure arguentur, qui adhoc deificum corpus, in iſto Sacramento leuiter ſe habent, & Domini Dei ſui ibi uere exiſtentis obliuiſcuntur. Ex quibus amplius

Bohemi Miſā, nos Miſnam dicimus. Iſte eſt Iacobellus Miſnenſis, qui Bohemis autor eſt communicandi Laicos ſub utraquē ſpecie.

patet,

patet, Quod ſacerdotes leuiter Sacramentum deferentes & mini- † *incuria*
ſtrantes, ex negligẽtia atq; † incurabilitate Sacramentũ ſanguinis Chriſti effundentes, grauiter peccant. Patet de Con. diſt. 2. Si per negligentiam. Vbi ſic dicitur. Si per negligẽtiam aliquid de Sacramento ſtillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur, & igni tradetur. Sacerdos uerò 40. dieb. pœniteat. Si ſuper altare ſtillauerit: miniſtri ſtillam ſorbeant, & tribus diebus pœniteant. Si ſuper linteũ altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat: Si uſq; ad quartum, uiginti diebus pœniteat, & linteamina, quę tetigerit ſtilla, tribus uicibus abluantur, calice ſubtus poſito. Et deinde aqua, in loco ſecreto, honeſto Eccleſię recondatur. hęc ibi.

Et patet differentia inter ſacerdotes modernos, & primitiuæ Eccleſiæ, qui modo leuiter circumeunt cum Sacramẽto illo tremendo, modicum uel nihil curantes, ſi ad terram cadat aut effundatur: adhuc & ore ſuo polluto, in uilipenſionem illius Sacramenti diuini, dicentes, Non nocet ipſum in terram cadere, quia olim & in terrã ſanguis domini profluebat. Eſt adhuc & aliud indecens huic Sacramento diuino, quod à modernis peragitur ſacerdotibus, & utinam fidem ueram circa ipſum Sacramentum domini habentibus, Et eſt iſtud. Quod uaſa calicum, & corporalia, non habent munda pro ipſius Sacramenti honeſtate. Vnde Clemens, Et habetur parte prima lib. Conciliorum, ubi ſic dicit. Calicem uerò ad perferendum ſanguinem Domini præparatũ, cum tota miniſterij mundicia miniſter præparet, ne nõ bene lotus calix Diacono peccatum fiat offerenti. Vnde ibidem dicitur. Tribus generibus cõmiſſa ſunt Sacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, presbytero, Diacono, & miniſtro, qui cum timore & tremore Clericorum, reliquias corporis dominici debent cuſtodire fragmentorum, ne qua putredo in ſacrario reperiatur, ut cum negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi negligenter erogetur, & presbyter minora non curet † admonenda officia, graui anathemati percuſſus, digna humiliationis plaga feriatur. Et infra. Quod ſi Clericum presbyter non admonuerit, decem annis & quinq; menſibus excommunicatus ſit. Dicitur etiam, quod non puluis in dominicum cadat corpus, nec ibi ſint ſtercora muriũ, neq; putrida remaneant aliqua per negligentiam, & quod nullus Sacramenta diuina pertractet, niſi diligenter. De Con. diſt. 2. Ex Cõcilio Aurelianenſi. Qui bene non cuſtodierit ſacrificiũ, & mus uel aliquod aliud comederit, 40. dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, 30. dies pœniteat. hæc

Irreuerẽtia & negligentia Thaboritarũ circa hoc Sacramentum.

Clemens in epiſtola 2. c. 1.

aliás † admonere

Diligenter cuſtodiri debet hoc Sacramentum.

Negligentia Thaboritarum.

ibi. Patet ergò, quantum delirant moderni, qui diligentiam, ad cuſtodiendum corpus Dominicum, honeſte non apponunt, ſed ſine miniſtro et ſacerdote in uillis Sacramentum corporis Domini relinquunt, ubi putredo reperitur: calices immundos, & cætera uaſa non bene lota habent. Sic quod uenientes, qui medicamen ſe accipere deſiderant, putrida cum uiderint, magis cum ridiculo & faſtidio uideantur accipere, & in peccatum magis decidant, per negligentiam Clericorum. Sæpe etiam per negligentiam et incuriam Clericorum, in perplexitatem fidei deuenit populus, & ad ambiguitatem. Adhuc tamen amplius dicendum eſt, quod ipſum corpus Domini Ieſu, in Sacramento à cunctis Chriſti fidelibus debeat in timore & reuerentia magna obſeruari: Quemadmodum & Baſilius de Conſ. diſt. 2. dixit. Timorem docet nos quidem Apoſtolus,

1. Cor. 11.

dicens. Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit &c. Inde eſt, quod nulla irreuerentia, nulla deordinatio, & nullum peccatum mortale deberet coram hoc deifico Sacramento exerceri. Quia hoc Sacramentum Chriſti fidelibus ad remiſsionem peccatorum eſt condonatum, prout hoc ſacri Euangelij textus atteſtatur. Matth. 26. ubi dicitur. Hic eſt enim ſanguis meus noui Te-

Textus habet + multis.

ſtamenti, qui pro + uobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Cum ergo plurima exercentur peccata, deordinationes, furta, rapinæ, & cætera mala, coram corpore Domini Ieſu, in hoc Sacramento, quid aliud eſt, niſi quod tales ipſum dehoneſtant Ieſum, & ipſo Sacramento abutuntur diuino? Non enim ſic illa primitiua

lego + paßim

Eccleſia + ſpiſsim iſtud diuinum Sacramentum quibuſcunque & qualitercunq; uiuentibus exponebat.

Tria genera excluduntur à perceptione huius Sacramenti, ſcilicet, Catechumeni, Energumeni & Pœnitentes.

Scribit nanq; Dionyſius lib. ſuo cap. de Euchariſtia, ubi ſic ſuum dicit commentum. Poſtquàm autem indocti & imperfecti ſunt excluſi à templo, & perfectione Sacramentorum, quæ ipſos excedit, Et cum ipſis à ſancta uita apoſtatantes, & poſtea illi, qui propter animi puſillanimitatem facile læduntur à tentationibus, utpote, qui per ſortem et irremiſsibilem ad diuina conſenſum non peruenerunt ad immobilem affectum, & ſubtilem intelligentiam in diuinis. Deinde, qui prauam conuerſationem dimiſerunt, & quaſi ab ea longe receſſerunt, & adhuc tamen non purgantur à fantaſijs uitiorum. Deinde, qui ab hijs quidem purgantur, ſed nondum uirtute perficiuntur: hijs omnibus excluſis, perfecti in ſe, & alios perficientes in fide & uirtute, qui feruentes ſunt & ſancti ad diuina aſpicienda Sacramenta, laudant Deum hymno Catholico, id eſt, Credo in unum Deum. hæc ibi. Ecce reuerentia Eccleſiæ primitiuæ, ad ipſum corpus Domini Ieſu in Sacramento, & quomodo uarij à uiſione Sacramenti excludebantur,

ſed

ſed uirtutibus imbuti admittebantur. Non ſic, ſicut moderni faciunt, faciebant, ut quantumcunque ſcelerati illud aſpiciant, & ad omnem tranſitum turmarum, ipſum Sacramentum coram homicidis, raptoribus, furibus deferatur. Quid aũt dicemus de Communione leuium hominũ indignorum (quæ iſtis diebus multum inoleuit) & homines indiſpoſiti & indigni neceſsitantur, & pſeudo ſacerdotes ad Cõmunionem ſingulis diebus Dominicis? Cum tamen ad dignam Cõmunionem debeant probare ſeipſos, in conſcientia eorum & diſcutere, ipſumq́ corpus Domini Chriſti ab his corporibus terrenis diiudicare: & ueſtem nuptialem ſuperinductam habere. Nam ſi recte fideles credunt & ſapiunt, dum ad hanc menſam magni regis accedunt, recumbunt inter angelorum frequentiam, & ſanctorum omnium epulas. Ibi enim congregantur, ſicut ſcriptum eſt. Vbicunq́ corpus eſt, ibi congregabuntur & aquilæ. Ibi accedentes admiſcentur, ubi conuiuiũ regis eſt æterni, ubi ſponſus & ſponſa dulcibus fruuntur muneribus delitiarũ, & rex totius creaturæ quotidie ingreditur, ut uideat diſcumbentes: ſiue ueſtem, in qua renati ſunt, an habeant nuptialem. De hoc tangit Paſcaſius tractatu de corpore Chriſti cap. 1. Itẽ Remigius ſuper illo, Væ (inquit) tradentibus Chriſtũ cum Iuda ad crucifigendum, Et uæ cum maligna conſcientia ſub Sacramento ſumentibus illum. Et ſequitur ad propoſitum. Et ſi non tradunt ipſum Iudæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipſum inimicis ad ſumendum, quibus dictum eſt: Nolite ſanctum dare canibus &c. Et nemo uinum nouum mittit in utres ueteres. Item Chryſoſt. lib. de compunctione cordis ad Demetrium. In eo (inquit) huius mandati (ſcilicet, Nolite ſanctum dare canibus) uim tranſgredimur, cum eos homines, quos nouimus immundos, impuros, †uiolentos, & per omnia porcis & canibus ſimiles, diuinis Sacramentis participes eos eſſe patimur. hæc ille. Vnde quicunq́ nõ afficiuntur ad bene uiuendum, ſecundũ obſeruantiam mandatorum Dei, & non afficiuntur ad colendum, uenerandum, adorandum corpus Chriſti in Sacramẽto, & in ipſo gaudendum, mundanis gaudiis poſtpoſitis, cum magno timore & amore, tales non ſunt de uera & uiua fide, Et uel ueram fidem non habẽt de hoc diuiniſsimo Sacramẽto, uel ſi habẽt, habẽt mortuam ſine operibus, & ſine ſpiritu uiuificante: Etenim fides in eis eſt, tanquàm abominabiliſsimum cadauer, fœtidum in conſpectu Dei. Et tales iudicium ſibi manducant & bibunt, ſuper quos eſt magna ira Dei, ſcilicet ſuper homicidas, adulteros, raptores, incredulos, & cæteros huiuſmodi. Hinc Beatus Clemens dicit. Et habetur parte prima Conciliorum. Vnde tu ſcis, qui paſsim ſacrarij panes

Margin notes: Abuſus huius Sacramenti. — Matth. 24. — †uinolentos — Fides mortua in peccatoribus. — Indigne manducantes corpus Domini.

panes indignis impendis? Vnde noſti, ſi à mulieribus mundi
1.Reg.11. ſint? Hinc & Dauid ab Abimelech ſacerdote interrgatus, cum panes ſibi ad manducandum poſceret, ſi mundus eſt à muliere. Cum ſe mundum ante triduum profiteretur, panes propoſitionis
Epiſt. 2.c.6. manducauit, hæc ille. Quod ſi ſacra Communio requirit mundum ab uxore, quanto magis ab effuſione ſanguinis, furti, rapinæ & ſacrilegij: Quod tamen peccatū, heu, hodie minime à plærisq; reputatur. Cum tamen Beatus Clemens dicat. Si forte quiſpiam preſbyter ſiue Diaconus ſacrarij Sindonē, uel uelum, ſubtracta uendiderit, Iudæ ſimilis æſtimabitur Iſchariotis: qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, nouerint ſe ſupradicti Iudæ ſuſcepturum pœnam, hæc ille. Ecce quantū olim penſabant primæui ſancti, reuerentiam magnam ad Sacramentum habentes diuinum, ut etiam ſacrarij Sindonem & uelum, ſi cupiditate moti uenderent, rei peccato Iudæ tenerentur. Moderni uerò Chriſtiani, noſtri temporis, & calices, & corporalia, atq; pixides pro corpore Domini Ieſu deputatas, omnia lucro ſuo deputant, & ad uſus inhoneſtos, quandoq; etiam & inuerecundos conuertunt.

De admixtione aquæ in Calice Cap. XIII.

IAm autem & de eo quid ſancti ſentiant, de admixtione aquæ ad uinum, circa Miſſarum ſolennia, An eo modo ſe habuerunt, qui aquam non miſcent uino. Et primo uideamus Dionyſium magnū, qui ſcribens Tito Pontifici, interroganti per epiſtolā, Quæ ſapientiæ domus, quis crater, quis cibus, quis potus &c. Sic ad finem illius epiſtolæ dicit. Ipſam
id eſt, ſignificatiuam. autem totam noſtram † ſymbolicam Theologiam mittimus, in qua inuenies cum ſapientiæ domo, & columnas ſeptem diſcretas, & forte alimentum ipſius in † ſacrificio & pane diuiſum, & quæ
alias † uictimas paneſq; uini commixtio. hæc ille. Ad idem eſt Auguſtinus in Enchiridio: In ſacrificio nō debet aqua pura offerri, ut quidam ſobrietatis imaginatione falluntur, ſed uinū cum aqua mixtum: Quia & uinum fuit
Myſteriū aquæ admixtæ. in redemptionis noſtræ myſterio, cum dicit. Ammodo nō bibam de hoc genimine uitis, & aqua mixtum, quæ poſt cœnam dabatur, ſed de latere eius, quod lancea perfoſſum eſt, aqua cum ſanguine egreſſa, uinum de uera carnis eius uite, cum aqua expreſſum eſſe oſtenditur. Item Euſebius in ſermone de tempore paſchali, qui ſic incipit. Magnitudo cœleſtium beneficiorum, anguſtias humanæ mentis excedit, fere in medio illius ſermonis, dicit ſic. Hoc itaq; dominici ſanguinis uinum, aqua eſſe miſcendum, non ſolum traditione Dominus, ſed etiam ipſo genere paſsionis oſtendit, ex cuius latere

tere ſanguis & aqua lanceæ illiſione profluxit. Et infra, Sed & in Salomone de ipſo Deo prædictum legimus. Sapientia ædificauit ſibi domū, id eſt, corpus hominis aſſumpſit, in quo habitat plenitudo diuinitatis. Et ſubdit. Excidit columnas ſeptem, quia illū benedictione ſpiritus ſancti, benedictione gratiæ ſeptiformis impleuit: mactauit hoſtias ſuas, miſcuit in cratera uinū ſuū, & parauit menſam ſuā. Et in ſequenti. Venite, edite de panibus meis, et bibite uinū quod miſcui uobis. Admixtū ergo uinū aqua legimus, nūc cauſam, quare uinū Deus miſceri uoluerit inquiramus. Et ſubdit infra. Per aquas enim populos ſignificari, ſacris aperitur eloquijs, ſicut legimus: Aquæ iſti quas uidiſti, populi ſunt & gētes & linguæ. Aduertimus in aquis figurā gentiū demonſtrari: In uino aūt, ſanguinē dominicæ paſsionis oſtendi, ac ſi dum in Sacramentis aqua uino miſcetur, Chriſto fidelis populus incorporatur & iungit, & quadā ei copula perfectæ charitatis unit, ut poſsit dicere cū Apoſtolo. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia? an perſecutio? hæc ille. Item Paſcaſius de corpore & ſanguine Domini ca. 12. Cur in calice aqua miſcetur, dicit. Plane, aqua in ſanguine quare miſcatur, dum in natalicijs factum fuiſſe non legimus. Illa permaxime cauſa eſt, quia de latere Chriſti Domini, ubi paſsio completur ſanguis & aqua manarunt. Quod recte Apoſtoli myſterium plane intelligentes, fiendum in calice cenſuerunt, ut nihil deeſſet nobis in Sacramēto ad cōmemorationem paſsionis, quod tunc extitit in cruce in conſeruationem noſtræ redemptionis. Nam poſtquam miſit ſpiritum, ueniens unus militum, accepit lanceā, & aperuit latus eius, unde quaſi de nouo fonte manauit ſanguis & aqua. Et hic eſt uerus calix, quia ueraciter paſſus propter peccata noſtra, nō minus ſanguinem precij, quam undam Baptiſmi fudit. Et quod tunc de carne fluxit, hoc nunc uere credentes in calice bibunt. Caro quidem datur in cibum, & ſanguis & aqua uere in potum, ut quod ſimul de latere manauit, hoc totum homo noſter in hijs duobus renouatus bibat, ut ſi quam peccati maculam poſt fontem traxit, habeat in hac unda ueniam, qua deleatur & precium ſuæ redemptionis, quo unuſquiſque redemptus de die in diem rurſus renouetur. Sed & aquam dixere plures ideo admiſceri debere, ut ſimul in Chriſti ſanguine Baptiſmus & precium ſalutis fluat. Non iam quaſi duæ res, ſed una, ſanguis uidelicet & aqua fiat, Nam & ſanguis in corpore ut fiat, his duobus paſcitur &c. Et multa ibidem loquitur de admixtione aquæ ad uinum, quæ cauſa breuitatis omitto. Item Theophilus ſuper illo Ioan. 19. Et cōtinuo exiuit ſanguis & aqua, quem allegat Thomas in Gloſa continuata, ſic dicit: Erubeſcant

Sap. 9.

Apoc. 17.

Ro. 8.

Alia cauſa admixtionis aquæ.

Ioan. 19.

beſcant ergo, qui uinum in ſacris non limphant myſterijs: uidentur enim non credere, quod aqua de latere fluxerit. Poteſt tamen quis calumnioſe dicere, quod aliqua uirtus uitalis erat in corpore, & ideo ſanguis effluxit, aqua uerò manans inexpugnabile ſignum

Ioan.19. fuit. Et ideo Euangeliſta ſubiungit: Et qui uidit, teſtimonium perhi

Matth.26. buit. hæc ille. Item Beda in Homilia illius Euangelij. Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur, dicit. Illud uerò perpendendum, quod à nullis panis ſolus, neque uinum

Apoc.17. ſine aquæ admixtione offertur: Quia enim, dicente Ioanne, aquæ populi ſunt, ideo miſcet aqua uino, ut uidelicet nos intelligamus, quia paſsio Chriſti pro nobis perpetrata eſt, Neque paſsio abſque utilitate generis humani celebrata eſt, & nos ſine paſsione Chriſti ſaluari non poteramus. Si enim ſolum uinum ſine aquæ admixtione offerretur, poſſet eſſe talis intelligētia, quod nos abſque Chriſti paſſione ſaluari poſſemus, Sed iungitur aqua uino, panis conficitur cum aqua, ut aperte detur intelligi, quod neque paſsio Chriſti ſine ſalute noſtra poſſet fieri, neque noſtra ſalus ſine illius adiutorio conſiſtere ualeat. hæc ille. Cyprianus ad Concilium, de Sacramentis Dominici calicis, Epiſtola 34. ſic dicit inter cætera. Calicem uero docuit exemplo magiſterij ſui, uini & aquæ coniunctione miſceri. Et infra. Inuenimus non obſeruari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ dominus Ieſus fecerit, nos quoque faciamus, & calicem pari ratione miſcentes, à diuino magiſterio non recedamus. Ab Euangelicis autem præceptis omnino non eſt recedendum, & eadem quæ magiſter docuit & fecit, diſcipulos quoque decet obſer-

De Conſe. diſt. 2. cap. 1. uare & facere. Et infra. Sic autem in ſanctificando calicem Domini offerri ſola aqua non poſſet, quomodo nec uinum ſolum + poteſt.

Gloſa id eſt, + nō debet, quia ſi obliuione prætermitteret, nō eſt propter hoc irritum Sacramentum. Nam ſi uinum ſolum quis offerat, ſanguis incipit eſſe ſine nobis. Si uerò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrunque miſcetur, tunc Sacramentum ſpirituale & cæleſte perficitur. Sic uerò calix Domini non eſt aqua ſola, niſi utrunque adunatum ſit & copulatum. hæc ille. Item Damaſcenus lib. 4 de ſanctis & incoinquinatis myſterijs Dei cap. 86. In cœnaculo ergo ſanctæ & glorioſæ Syon, uetus Paſcha cum diſcipulis comedens, & complens uetus Teſtamentum, lauat pedes diſcipulorum Symbolum, id eſt, notam tribuens ſancti Baptiſmatis. Deinde frangens panē, dedit diſcipulis ſuis dicens eis: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur in remiſsionem peccatorum. Similiter autem accipiens calicem ex uino & aqua, tradidit eis dicens. Bibite ex hoc omnes. Et infra. Et nūc interrogas, qualiter panis ſit corpus Chriſti; uinum & aqua ſanguis ſit Chriſti. Et infra.

Et

Et quemadmodum in Baptiſmate, quia conſuetudo eſt hominibus aqua lauari & oleo ungi, coniugauit oleo & aquæ ſpiritus ſancti gratiam, & fecit illud lauacrum regenerationis: Ita, quia conſuetudo eſt hominibus, panem comedere, uinũ et aquam bibere, coniugauit eis eius diuinitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem eius, ut per aſſueta & ſecundum naturam, in his quæ ſuper naturã ſunt, fiamus. hæc ille. Sunt & alij adhuc Doctores, eandem materiæ illius ſententiam approbantes: ſicut Remigius, Richardus, Ambroſius, Beda: quorum dicta pro præſenti propter breuitatem omitto. Et quiuis compos exiſtẽs rationis, in animo ſuo trutinet & penſet, an ſecurum ſit, iſtos omnes uiros, & ſanctos magnos abijcere, deridere & contemnere: & modernos Idiotas, paruæ literaturæ, ſed magnæ præſumptionis exiſtentes, attentare, ſequi & audire. *+attendere*

De ſigno crucis circa conſecrationem Euchariſtiæ, Caput XIIII.

SEd & de illa difficultate, ſcilicet quod circa Euchariſtiæ confectionem, ſacerdotes quidam, ſigno crucis in benedicendo panem conſecrandũ non utuntur, magis + tamen derident, & contemnũt: *+ autem* Dicta ſanctorũ antiquorum iam ſunt uidenda, quæ dicta hic ſecundo repetere nõ expedit, quia antea de Sacramẽto Baptiſmi ſunt poſita. Ibi ergo cui placet uideat, Quomodo Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hugo, Ricardus, & cæteri ſentẽtiando dicant, Quod circa talia ipſum crucis ſignum ſit obſeruandum, & quod ſine illo nihil eorum rite perficitur. Quia tamen de Ieſu noſtro in Euãgelio dicitur, Quod in cœna ſua eleuauit oculos in cœlum, & gratias agens benedixit. Hoc uerbum, benedixit, uarij uario modo exponunt. Sed quid magnus Albertus in tractatu de officio Miſſæ ſentiat, audiamus. Quid ſuper illo uerbo benedixit dicit? Dicunt autem hic quidam, quod ſigno quodam manus benedixit. Quidam aũt, quod uerbo occulto, quo etiam panem in corpus ſuum tranſſubſtãtiauit. Quidam autem, quod uirtute deitatis ſuæ ſine ſigno & uerbo tranſſubſtantiauit, Quia Chriſtus corporalibus uerbis & ſignis uti opus nõ habuit: ſicut qui habuit poteſtatem excellentię, & non ſicut miniſter claue utebatur. Sed quia nullum iſtorum probatur aliqua autoritate, & prima expoſitio dubium non habet, Ideo primum plus placet inter iſta. hæc ille. Et patet ſtoliditas modernorũ, qui benedictionẽ ſigno crucis aufugientes, ipſi termino benedixit, nouã uocabuli interpretationem cudere ſatagunt. Et mira res, cur tantum ſignum crucis deteſtantur & abhorrent, quaſi ſit magnũ malum, ſigno cru-

Quomodo Chriſtus in cœna panem benedixit.

Albertus magnus.

Paulus ſigno crucis in morte ſe ſe muniuit.

cis ſe munire, Cum tamen ille magnus Paulus Chriſti Apoſtolus, in ſua neceſsitate, in articulo ſcilicet mortis, ipſe ſigno crucis eſt fretus: pro ut ſcribit Dionyſius de morte Pauli ad Timoth. ſic dicens. In hora autẽ illa plena triſtitiæ, frater mi dilecte, dicente carnifice Paulo, collum para. Tunc Beatus Paulus Apoſtolus, in cœlum ſuſpexit, muniens frontem & pectus ſigno crucis, & dixit. Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum. hęc ille. Et Hieronymus epiſtola 134. ad Euſtochium, filiam ſanctæ Paulæ, de uirginitate ſeruanda dicit. Ad omnem actum, ad omnẽ inceſſum, manus impingat crucem. hæc ille. Ecce ſancti primæui temporis: quia abunde Chriſtum gerebant in corde ſuo, etiam ipſius crucis ſignum faciebant exterius: ipſum & coram gentibus non uerecundantes, Cum ex abundantia crucifixi in corde, opera & ſigna prodibant ad extra in opere. Sed ut ſapientibus occaſio, & ſimplicibus fulcimentum præbeatur, contra eos, qui dicunt corpus Chriſti in Sacramento non eſſe datum ad colendum, ſed ſolum ad manducandum, Dicit Auguſtinus de uerbis Apoſtoli, ſermone 35. in hęc uerba. Et quia corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat, ut nobis Sacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret, ut coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in precium: ut quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio, & perennis illa uiueret uictima in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Et iterum Auguſtinus de uerbis Domini, ſermone 58. Ego dominicam carnem, immo perfectam in Chriſto humanitatem, propterea adoro: quia à diuinitate ſuſcepta, atq; + diuinitati unita eſt, ut non alium atq; alium, ſed unum eundemq; Deum & hominẽ, Dei filium eſſe confitear. Deniq; ſi hominem ſeparaueris à Deo + ut ueſtrorũ quidam, ut Fotinus uel Paulus Samoſatenus, illi nunquàm ego credo nec ſeruio, uelut ſi quis noſtrum aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid conabitur eam adorare? Cum uero rex ea fuerit indutus, periculũ mortis incurrit, ſi eam ſimul cum rege quis adorare contemnit. Ita etiam in Chriſto Domino, humanitatem non ſolam aut nudam, ſed diuinitati ſuę unitam, unum Dei filium, Deum uerum & hominem uerum, ſi quis adorare contempſerit, æternæ mortis pœnas patietur. Item Auguſtinus ſuper Pſalm 34, homelia 2. Chriſtus (inquit) de carne Mariæ carnem accepit, & ipſam carnem dedit. Nemo illam carnem manducet, niſi prius adorauerit. Ex quibus patet, quod ſacerdotes cum populo fideli, debent exterius corporaliter per genuum flexiones, & capitis inclinationem

Hec uerba ſunt Euſe. Emiſ. ſerm. Vt patet de Conſ. d. ſt 2. c. Quia corpus.

aliàs + deitati.

alias + non habeturut ueſtrorum quidam.

tionem & proſtrationem, quandoq; faciei in terram, reuereri & colere Chriſtum Ieſum, ſuumq; corpus in Sacramento. Et ſic ſacerdotes debēt uerbo & exemplo docere populū, ut contremiſcāt, adorando & colendo, & ſummum ac uiuacem reſpectum habendo, circa hæc diuiniſsima & ineffabilia myſteria. Et pro eodē eſt B. Hieronymus, qui (ſicut ſcribit Euſebius de morte Hieronymi) ſacerdote ad eum ueniente cum Sacramento, iam in lecto ægritudinis decumbens, ſic inter cætera dicebat. O ferculum excellentiſsimum, uenerandum, colendum, adorandnm, & glorificandum, amplectendum, & omnibus laudibus extollendum. hæc ille.

De Cereis & Luminibus coram Sacramento. *Caput XV.*

EX quo patet error impie dicentium, Quod corpus Chriſti uel Sacramentum, ſolum ſit nobis datum ad manducandum, & ſanguis in calice ſolum ad bibendum, & non ad colendum ſiue adorandum. Sed quod inanis et fatua ſit irriſio, qui luminum accenſionem coram dominico corpore in Sacramēto derident: dicentes, quia Deus eſt lux, et non egens lumine. Nam in ueteri lege etiam Domini mandato, lucernæ ſiue lumina in candelabro diſpoſita, coram panibus propoſitionis, qui fuerunt figura tantum corporis Domini in Sacramento, exardebant: Multo magis decēs eſt, ut hoc in præſentia tanti Sacramenti fiat. Si nempe decens & honeſtum eſt, teſte Hieronymo in Epiſtola ad Riparium, quod lumina ardeant corā corporibus ſiue oſsibus ſanctorum. Et ſi decens fuit, temporibus primorum ſanctorum, ut lampades mortuis Chriſtianis fidelibus accendantur, prout hæc deſcribit Chryſoſtomus, ſermone quarto ſuper Epiſtolam ad Hebræos: multo magis decens, honeſtum & ſanctum eſt, ut lumina coram tam deifico & diuino corpore Chriſti accendantur. Et de hoc ſubdit Honorius tertius, extra de celebratione Miſſarum. Sanè cum olim ſacerdos frequēter doceat populum ſuum, ut ſe reuerenter inclinet, cum portat presbyter hoſtiam ſalutarem ad infirmum, Et hoc faciat cum omni reuerentia & timore, ſemper lumine præcedente, cum ſit ſplendor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides et deuotio augeatur. Prælati autem huius mandati punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi diuinam & noſtram uolunt effugere ultionem. hæc ibi. Sed rudes illi & groſsi, contemptoresq; reuerentiæ decentis corporis Ieſu & ipſius Sacramenti, ſciant cauſam, cur lumina coram Sacramento accendantur. Dicit nanq; Iſidorus lib. 7. Etymologiarum ca. 12. de Acolytis loquens in hæc

Lumina coram Sacrameto accendenda.

Exod. 40.

Hierony.

Chryſoſt.

Quare portantur cerei accenſi.

uerba. Acolyti Graece, Latine Ceroferarij dicuntur, à portandis cereis, quando legendum Euangelium, aut offerendum eſt ſacrificium. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur: non ad effugandas tenebras, dum ſol in eodem tempore rutilet, ſed ad ſignũ lætitiæ demonſtrandum, ut ſub typo luminis cor-

Ioan. 1. poralis, illa lux oſtendatur, de qua in Euangelio legitur. Erat lux

Vt ſacerdotes ſint mũdi. uera, quæ illuminat omnem hominem. hæc ille. Adhuc tamen & hoc eſt perpendendum, quàm diligenter mundi & ſancti debeant eſſe miniſtri, hoc deificum Sacramentum contrectantes. Scribit nanq; Chryſoſt. lib. 6. de dignitate ſacerdotali cap. 1. in hæc uerba, dicẽs. Neq; enim nobis de gubernatione militum, neq; pro regno terreno deliberandum eſt, ſed pro officio, quod uirtutem exigit angelorum: Ipſis itaq; radijs ſolis ſplendidiorẽ oportet eſſe ani-

Gal. 2. mã ſacerdotis, ut nunquàm à ſpiritu ſancto deſeratur. Sed ut poſſit dicere, Viuo autem iam non ego, uiuit autem in me Chriſtus. Si enim habitatores Heremi, qui & ciuitatum & fori tumultibus liberantur, ac iugiter in portu quodam & tranquillitate conſiſtũt: non tamen protinus aut habitationis aut abſtinẽtiæ ſuæ fœlicitati confidunt, ſed multas alias res ad cuſtodiam ſibi comparant, magna conſyderatione, & dicentes aliquid & agẽtes, ut cum fiducia & ſyncerítate mundiſsima, quantum capit humana uirtus, accedere ad Deum poſsint: quanta opus eſſe uehementia ſacerdoti arbitraris,

aliàs + mundicãs ut ab omni inquinamento animum ſuum + mundificans, ſpiritalem poſsit cuſtodire decorem? In cuius uerbis patet, quod miniſtris altaris, non pro gubernatione militum, non pro terreno regno eſt deliberandum: Quod eſt contra modernos ſacerdotes, qui & terrenis implicati, & pro lucris regniſq; terrenis inhiant ſtudioſe. Et Idem ibidem cap. 4. dicit ſic. Expẽde enim, quales oporteat eſſe eius manus, tantarũ rerum miniſtras, qualem linguam uerba illa fun-

aliàs + nõ mundiorem dentem, aut quo genere + mundiorem & ſanctiorem animam, talis ſpiritus receptricem. Tunc enim etiam angeli circumſtant ſacerdoti, & tribunal atq; altaris locus cœleſtibus uirtutibus adimpletur, in honorem illius, qui immolatur. Et infra. Splendore igitur uitæ, totum illuminantis orbem, fulgere debet animus ſacerdo-

Exterior mundicia manuum. tis. hæc ille. Patet liquido ex uerbis huius Beati, quomodo tam animus, quàm etiam manus & lingua, debeant eſſe munda ipſius ſacerdotis: Immo & ab exteriori immundicia debent cauere manus ſacerdotis, & poſt Sacramenti contactum, cauere à contactu ſine lotione, rerum materialium & terrenarũ. Quod militat contra ſacerdotes leuiter manibus illotis Sacramentum diuinum contrectantes, aut etiam poſt contrectationem diuini Sacramenti,

ipſas

ipſas manus terrenis & materialibus abſque omni lotione expandentes.

De Sacramento pœnitentiæ, Cap. XVI.

POſt iam, de Sacramento alio, ſcilicet pœnitentia pertractemus, ad quam Dominus per prophetas & alios ſanctos patres hortabatur. Et ambo duo, Ioannes ſcilicet Baptiſta & Dominus Ieſus, prædicationes ſuas, à pœnitentia inceperũt, tanquàm à ſumme neceſſaria re ad ſalutem. Vnde Matth. 3. ſcribitur. In diebus illis, uenit Ioãnes Baptiſta, prædicans in deſerto Iudææ, dicens: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum. Et 4. cap. de ipſo domino ſic ſcribitur in Euangelio eodem. Exinde cœpit Ieſus prædicare & dicere. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum. Et Lucæ 13. Dominus dixit. Si non pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Ita & Apoſtoli pœnitentiam docuerunt, Quemadmodum Act. 2, Petrus in primo ſermone, quem fecit poſt miſsionem ſpiritus ſancti, dixit auditoribus his qui compuncti erant corde. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorũ ueſtrorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Nec dubium eſt, quin ipſa pœnitentia bene in Domini lege & ſufficienter eſt fundata. Et ut dicit Gregorius in Homelia, quæ ſic incipit. In æſtiuum tempus &c. Pœnitentiam digne agere non poſſumus, niſi modum quoq; eiuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe agere, eſt præterita mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia + committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſsimulat. Quid enim prodeſt ſi peccata luxuriæ quis defleat, & tamen auaritiæ adhuc æſtibus anhelet? hæc ille. Et ad hoc eſt Ambroſius in quodam ſermone Quadrageſimæ, Et habetur de pœnitentia diſt. 3. hoc de charitate. Pœnitentia eſt, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Et Auguſtinus in lib. de pœnitentia. Et ponitur de pœnitentia. diſt. eadem, ubi ſupra. Quotidie dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis uirtus. Pœnitere enim, eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando. Pœna enim proprie dicitur læſio, quæ punit & uindicat, quod quiſquis commiſit. Ille pœnam tenet, qui ſemper uindicat, quod commiſiſſe dolet. In ipſa autem perfecta pœnitentia ſunt tria conſyderanda, ſcilicet, Compunctio cordis, Confeſsio oris, Satisfactio operis. Et hæc tria, dicuntur tres partes pœnitentiæ. Eſt autem Contritio, dolor cordis

Pœnitentia in Euang. fundata.

Quid eſt pœnitentiã agere.

id eſt, + propoſitum commitendi habeat.

Pœnitere eſt pœnam tenere.

Tres pœnitentiæ partes.

pro peccatis commiſsis, & pro amiſsione gratiæ Dei: quam oportet eſſe maiorem, quam pro amiſsione cuiuſcunq; commodi temporalis. Vnde Hiere. 6. Filia populi mei, accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum unigeniti fac tibi planctum animarum.

Cordis cōtritio. Et hic dolor eſt à gratia Dei, præueniente originaliter: prout dicit Iſidorus de Summo bono lib. 2. cap. 12. Quiſquis peccatorum memoria compungitur ad lamenta, tunc Dei ſe ſentiat uiſitari præſentia: quando ex eo quod ſe cōmiſiſſe recolit, interius erubeſcit, ſuoq;
Luc. 22. iudicio pœnitendo iam punit. Nam tunc Petrus fleuit, quando in eum Chriſtus reſpexit. Quando ergo iſta in corde hominis fiunt, ſciendum eſt, tunc Deum eſſe per gratiam humano cordi præſentem. Vnde ſe tunc homo magis ac uere ad compunctionem præparare debet, quando ſentit & Deum interius operantem. Illam autem præparationem tangit in deſcriptione compunctionis cordis, quam ponit ipſe Iſidorus lib. 2. cap. 12. de Summo bono, ſic dicens. Compunctio cordis, eſt humilitas mētis, cum lachrymis exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij. Et hæc contritio eſt baſis pœnitentiæ, quæ humilitati coniuncta, eſt ſacrificium Deo ac-
Pſal. 50. ceptum à peccatoribus. Secundum illud Pſalmi. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non de-
Eſa. 66. ſpiciet. Immo libenter illum Deus aſpicit. Iſa. ultimo. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos.

De auriculari Confeſsione, *Cap.* XVII.

Oris confeſsio, ſecūda pars pœnitentiæ. SEcunda pars pœnitentiæ, eſt ipſa cōfeſsio. Et hic de confeſsione auriculari, quæ fit ſacerdotibus, quam modo plurimi tanquàm erroneam & hæreticam abijciunt, intendo loqui. Quæ Leuitici 13. & 14. fundatur, ubi iubentur leproſi ſe oſtendere ſacerdotibus, Et Lucæ 17. Dominus decem uiris leproſis dixit, Ite oſtendite uos ſacerdotibus. Hoc autem ſecundum Hieronymum & alios doctores, figura fuit oſtenſionis lepræ ſpiritualis, peccati mortalis, Euangelicis ſacerdotibus. In noua autem lege Matth. 16. dicitur. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutū & in cœlis. Et Ioan. 20. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Niſi enim hæc

Confeſsio ad ſacerdotem, in ſcripturis fundata. confeſsio haberet efficaciā, uideretur, quod Chriſtus ſuperflue dediſſet Apoſtolis & ſuccedentibus ſacerdotibus clauium poteſtatem. Ad quid rogo conceſsit Apoſtolis Chriſtus poteſtatem ligandi peccata, niſi oſtenſio eorum ſacerdoti ſoluenti ac ligāti faceret ipſa

crimina

crimina eſſe nota: Vnde Auguſtinus in lib. de Pœnitentia, Et po- *De pœnitentia*
nitur diſt. 1. Quem pœnitet, omnino pœniteat, et dolorem lachry- *diſt. 1. c. Quem*
mis oſtendat: Repræſentet uitam ſuam Deo per ſacerdotem, præ- *pœnitet.*
ueniat iudicium Dei per confeſsionem. Præcepit enim Dominus *Luc. 17.*
mundandis, ut oſtenderent ora ſacerdotibus: docẽs corporali prę-
ſentia confitenda peccata, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit
enim ora monſtrate, & omnes, & non unus pro omnibus, non
alium ſtatuatis nuncium, qui pro uobis offerat munus à Moyſe ſta- *Leuit. 13.*
tutum. Sed qui per uos peccaſtis, per uos erubeſcatis. Erubeſcentia Erubeſcentia.
enim ipſa, partẽ habet remiſsionis: Ex miſericordia enim hoc præ-
cepit Dominus, ut nemo pœniteret in occulto. In hoc enim, quod
per ſeipſum dicit ſacerdoti, & erubeſcentiam uincit timore Dei, of-
fenſi fit uenia criminis. Fit enim ueniale per confeſsionem, quod
criminale erat per operationẽ: & ſi non ſtatim purgatur, fit tamen
ueniale, quod commiſerat mortale. Multum enim ſatisfactionis
obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum quę cõmiſit, nun-
cio Dei negat. Opus enim eſt miſericordiæ, peccata peccãti dimit-
tere, ſed oportet ut iuſtus miſereatur iuſte. + Conſyderat enim, ſi di- *aliàs ſic + Opor*
gnus eſt, non dico iuſtitia, ſed miſericordia. Iuſtitia enim ſola dam- *tet enim, ut nõ*
nat, ſed dignus eſt miſericordia, qui ſpirituali labore quærit gra- *ſolum quid, ſed*
tiam: laborat enim mens patiendo erubeſcentiam. Et quoniam *in quo doleat,*
uerecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus *conſyderet, ſi*
miſericordia. Vnde patet, quoniam quanto pluribus confitebitur *dignus eſt &c.*
in ſpe uenię turpitudinem criminis, tanto facilius conſequetur gra-
tiam remiſsionis. Hinc Gregorius Moralium lib. 8. cap. + 24. ſu- *aliàs + 15.*
per illo Iob. Quapropter & ego non parcam ori meo. Sic dicit. *Iob 7.*
Ori ſuo parcit, qui confiteri malum quod fecit erubeſcit: Sed iuſtus Quid eſt, ori ſuo nõ parcere.
ori ſuo nõ parcit, quia iram iudicis diſtricti præueniens, uerbis con
tra ſe propriæ confeſsionis ſæuit. Hinc Pſalmiſta ait: præueniamus *Pſal. 94.*
faciem eius in confeſsione. Hinc per Salomonem dicitur. Qui ab- *Prouer. 28.*
ſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reli-
querit ea, miſericordiam conſequetur. Hinc rurſum ſcriptum eſt.
Iuſtus in principio eſt accuſator ſui. Sed nequaquam ad confeſsio-
nem os panditur, niſi cum conſyderatione diſtricti iudicij, per pa
uorem ſpiritus anguſtiatur. Vnde & aperte mox ſubditur: Loquar
in tribulatione ſpiritus mei. Tribulatio quippe, linguam ſpiritus *Iob 7.*
commouet, ut reatum praui operis uox confeſsionis impugnet. Et
ſubdit. Sciendũ quoq; eſt, quia ſæpe etiã reprobi peccata cõfitentur,
ſed deflere contemnunt: Electi aũt culpas ſuas, quas uocibus con-
feſsionis aperiunt, diſtrictæ animaduerſionis fletibus inſequuntur.
Vnde Beatus Iob, Poſtquàm ſe ori ſuo non parcere ſpopondit,

 tribulationem

tribulationem mox ſpiritus ſubdit, ac ſi aperte fateretur dicens. Sic reatum lingua loquitur, ut nequaquàm expers à mœroris ſtimulo per alia ſpiritus fatigetur. hæc ille per totum. Ad idem eſt ille diſcipulus antiquus Beati Petri, Sanctus Clemens, qui parte prima lib. Conciliorum ait in hæc uerba. Quod ſi alicuius cor, uel liuor, uel infidelitas, uel + aliquid malum, ex his quæ ſuperius memorauimus, latenter irrepſerit: non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri huic qui præeſt: ut ab ipſo per uerbum Dei & conſiliũ ſalubre curetur, quo poſsit fide integra & operibus bonis, pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetua uitæ præmia peruenire. hæc ille.

Clemens de Confeſsione. + aliud

Item idem Clemens libro eodem, ſcribens de quotidiana prædicatione ſancti Petri, & ad quid in illa hortabatur, ſic dicit inter cætera. Eum fuiſſe cum cæteris fidelibus per Beatum Petrum adhortatum, actus uitæ ſuæ omni hora cuſtodire, & in omni loco Deum ſe reſpicere firmiter ſcire: cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere, & ſacerdotibus domini manifeſtare. hæc ille. Ecce quàm planè iſte ſanctus loquitur de cõfeſsione auriculari, ſacerdotibus domini fienda. Et adhuc Auguſt. Epiſtola conſolatoria, de uiſitatione infirmorum, ubi ſic dicit. Sunt quidam, qui ſufficere ad ſalutem autumãt, ſi ſoli Deo, cui nihil eſt occultum, quem nullius latet conſcientia, omnia confiteantur crimina: Nolũt enim aut erubeſcunt, ſiue dedignatur oſtendere ſe ſacerdotibus, quos tamen inter lepram, & leprã diſcernere conſtituit Dominus. Sed nolo, ut ipſa decipiaris opinione, Quantus confundaris confiteri coram domini uicario, tabeſcens præ rubore, uel ceruicoſus prę + dedignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Deus non dedignatur uicarium. Ergo ad te roges uenire ſacerdotem, et fac ipſum conſcientiarũ tuarum + penitiſsimarum participem: Non ſeducat te illa ſommiantium ſuperſtitio, quæ muſsitando confirmat, quia ſaluat ſacerdote inconſulto, ad Deum facta peccatorũ confeſsio. Nos autẽ non abnegamus, quin ſit ad Deum frequentur referenda confeſsio peccatorum. Beatus enim, qui tenebit & allidet paruulos ſuos uel maximos ad petrã: Petra autem Chriſtus. Sed teſtatur & illud ſacra doctrina. Nõ tibi applaudentium fauces auribus qui prius eges ſacerdotis, qui mediator ſit ad Deum tuum, ſalubri iudicio: Alioquin & ſub lege & ſub gratia, Ite oſtendite uos ſacerdotibus, Reſponſum diuinum quomodo conſummaretur: Confitemini alterutrũ peccata ueſtra, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarũ arbiter, Dei uice adhibeatur preſbyter, & reuela ei uias tuas, & ipſe exhibebit tibi antidotum reconciliationis, hæc ille per totum. Ad idem eſt Baſilius in ſuo dialogo

Aug. de viſitatione infirmorũ lib. 2. c. 4.

Leui. 13.

aliàs + indignatione.

aliàs + penitus

Non ſufficit ad Deũ facta confeſsio.

Pſal. 136.

Leui. 13.

Iac. 5.

go ca.21.ubi ſic dicit. Qui uult peccata ſua confiteri,ſi omnibus debet Non omni
confiteri & quibuslibet,an certis quibuſq;?Clementia Dei erga eos bus indiffe
qui deliquerunt,manifeſta eſt, ſecundum quod ſcriptum eſt.Quia renter con-
non uult mortem peccatoris, ſed ut cōuertatur & uiuat. Quia ergo fitendū eſt.
& conuerſionis modus aptus eſſe,& conuertenti ſe à peccato, fru- Ezech.18.
ctus dignus oſtendi debet pœnitentię:Facite fructus dignos pœni-
tentiæ, ne forte ſecundum illam comminationem eueniat hĳs,
qui non pœnitent,quod ſcriptum eſt: Omnis arbor,quæ non facit Matth.3.
fructum bonum excidetur,& in ignem mittetur. Neceſſarium uide-
tur hĳs,quibus diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt, confi-
tenda eſſe peccata. Sic enim et hĳ,qui antiquitus pœnitebant,inue-
niuntur apud ſanctos confeſsi eſſe peccata ſua. Scriptum eſt enim
in Euangelio: quia Ioanni Baptiſtæ confitebantur peccata ſua:Et Matth.3.
in Actibus Apoſtolorū Apoſtolis, à quibus baptizabantur. Idem Act.2 & 19.
in eodem libro circa finem. Confeſsio peccatorum hanc habet ra-
tionem,quam habet uulnus aliquod corporis uel paſsio,quæ medi-
co demonſtranda eſt. Sicut ergo quis non omnibus uitia uel uul-
nera corporis ſui reuelat, nec quibuslibet, ſed his tantum,qui ſum-
mæ peritiæ teſtimonium habēt, & curæ ac medelæ diſciplinam:Ita
& confeſsio peccatorum fieri debet, apud eos tantummodo, qui cu-
rare hoc præualent, & emendare, ſecundum quod ſcriptum eſt.
Vos qui fortes eſtis, infirmitates infirmorum portate, hoc eſt, au-
ferte, & exportate per curationem. hæc ille. Eſt enim ipſa con- Gal.6.
feſsio,plęriſq; frenum ſpirituale, contra peccata tam commiſſa de- 1.Theſſ.5.
lenda, quàm etiā ut homo caueat cōmittenda. Multi enim in con- Vtilitas Confeſsio-
fitendo taliter habent dolorem & ruborem, propter quæ uolunt nis.
præcauere poſterius ſic peccare, cū alias + neceſsitati fuerint pecca- id eſt + neceſſe
tum illud oſtendere proprio ſacerdoti. Et ſic uidetur ipſa confeſsio habent
eſſe medicina Tyriaca, contra peccatum commiſſum hominis ab-
luendum,& ſpecialis + præſeruātia, ne homo iterum incidat in pec- +præſeruatiua
catum. Etiam naturale, ſecundum fidem communionis ſancto-
rum eſt,quod unumquodq; membrum Eccleſiæ iuuet aliud,quo-
ad ſalutē animæ. Ideo ſicut eſt naturale, hominem inniti ſuffragio
alterius in periculo corporali: Sic euidentius eſt naturale,hominem
inniti ſuffragio alterius:in periculo animę criminali. Et ſicut natura
mouet ad antecedens,ſic & ad conſequens: ut uidelicet infirmus
aptiori modo petat fratris ſui ſuffragium, detegendo ſibi morbum
ſpiritualem, cum eis circumſtantĳs, ut medicina & ſuffragium me-
riti aptius conſequatur. Sed & hoc dico,quod plurimi decipiun-
tur circa iſtam confeſsionem auricularem: putantes, ſe per illam ſa-
cerdotum abſolutionem nudam, poſſe conſequi peccatorum re-
miſsionem,

remiſsionẽ,ſine contritione & rubore illam exequentes:Nec emen dam uitæ poſtea amplexantes,ſed leuiter ex uſu aut timore ſiue coactione illa proſequentes.Et ſunt heu plurimi, qui innixi ſuper illa confeſsione auriculari,putant ſe per illam, grauibus irretiti criminibus,dignos fore Communione beata corporis & ſanguinis Do minici.Sacerdotes etiam æſtimant plerunq;, ut iuxta illorum cõcupiſcentiam,quemcunq; abſoluerint cum impoſitione,putent & coram Deo abſolutum:Cum tamen, ſi ſacerdos à clauibus Eccleſiæ triumphantis hic errauerit, neq; ſoluit neque ligat ſpiritualiter,Et de quanto ſe illis clauibus conformauerit, ſoluit uel ligat apud Eccleſiam triumphantem.

De extrema unctione, eiusq; effectu & utilitate,
Caput XVIII.

AD Sacramentũ extremæ unctionis,quod nunc plærique derident & blaſphemant, iam accedendo dico, Quod illud Sacramentum,habetur primo ex Euangelio Marci 6. ubi Euangeliſta de Apoſtolis à Chriſto miſsis ad prædicandum, ſic dicit. Et exeuntes prædicabant,ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros,& ſanabantur. Super quo textu Lira ſic dicit: Ex hoc loco patet,quod unctio extrema, quæ eſt infirmorum, fuit inſtituta à Chriſto. Secundo habetur ex Canonica Beati Iacobi, ubi ſic de ea Apoſtolus loquitur Iac.5. Infirmatur quis ex uobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ,& orent ſuper eum,ungentes eum oleo, in nomine Domini,& oratio fidei ſanabit infirmum, & alleuiabit eum dicens:& ſi in peccatis ſit,dimittentur ei. Interli. Vngentes eum oleo conſecrationis, in nomine Domini,formam unctionis oſtendit.

Extrema unctio in ſcripturis fundata.

Adduco autem Armacanum ad propoſitum lib.de quæſtionibus Armenorum 9.lib.cap.23.ubi ſic dicit.Vnde ex quo Beatus Iacobus dicit de iſta unctione olei,quod fieri debet infirmis.Et Marcus dicit,ſic Apoſtolos feciſſe, uidetur quod Iacobus cum cæteris Apoſtolis, hanc doctrinam à Chriſto accepit. Vnde enim Apoſtoli, in prima ſui miſsione ad prædicandum,haberent hanc doctrinam,niſi à Domino,ut uidetur: Et ideo ſine dubio affirmant, quod hoc Sacramentũ unctionis, Dominus ipſe inſtituit. De hoc Sacramento mihi uidetur illud intelligi Marci ultimo. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Quamuis de unctione nihil expreſſerit,quam Chriſtus ſuppoſuit,ſuos diſcipulos uelle facere eis infirmis,quibus manus imponerent,Et alios ſic docere,quia ſic ipſi ab eo erant edocti,Et infra dicit Armacanus (qui proprio nomine

Armacanus alias Ardma.

Ricardus

Ricardus dicitur) per modum dialogi, Primum quærit & obijcit contra ſe,& poſtea ſoluit, ita dicens. Quæritur, quis eſt effectus huius Sacramēti,intelligo principalis,& nunquid plures effectus? quoniam Iacobus Apoſtolus (ſicut ſuperius poſuiſti)tres ponit,ſcilicet:Oratio fidei ſanabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, Et ſi in peccatis ſit,dimittetur ei. Diſtingue igitur iſtos effectus,& oſtende quis ſit principalior inter eos. Quid enim per Sanabit infirmum intelligat,omnino nō uideo, Quoniam ſi ſalutem corporalem iuuat, fruſtra adiungit, Alleuiabit eum Dominus:quoniam ſanus alleuiatione nō indiget. Item,tunc omnis infirmus inunctus, ab infirmitate ſanaretur:cuius contrarium ſæpe uidemus. Non igitur intendit ſalutem corporalem,per hoc quod dicit,Sanabit infirmum. Nec uideo, quod poſsit per hoc intelligere ſalutem ſpiritualem,quia illa (ut mihi uidetur) propalatur, in hoc quod ſubiungit, Et ſi in peccatis ſit, dimittetur ei: Quoniam dimiſsis peccatis,unuſquiſq; ſpiritualiter ſanus efficitur. Item non uideo, qualiter uerum eſt,quod oratio fidei ſanabit infirmū,aut quod ſequitur, Si in peccatis ſit,dimittentur ei:Quia ſic nullus inunctus periret:quia nullus perit,qui ſaluatur, aut cuius dimiſſa ſunt peccata. Cuius contrarium uidetur Ioannes innuere prima ſua Epiſtola cap.5. ubi ſic dicit. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat pro eo,& dabitur ſibi uita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem,non pro illo dico quod roget quis: Hoc enim uidetur dicere,quod peccans peccatum ad mortem, non poteſt omnino per orationem iuuari,& per conſequēs,non poteſt per unctionem,aut per orationem fidei ſaluari. Vnde Ioannes inſtruit nos,ut non oremus pro tali. Et ratio hoc oſtendit,quoniam nullus impœnitēs ſaluabitur,cum pœnitētia ſit neceſſaria pro peccato ad ſalutem. Vnde Chriſtus primo tanquàm primam uiam ad ſalutem adultis incepit prædicare ſic:Pœnitentiam agite &c. Et idem pręcepit ſuis diſcipulis, Matth.4. & 10. Ergo ſi impœnitens ungeretur, aut presbyteri Eccleſiæ pro ipſo orarent, non minus periret. Item, Ex quo Deus in ſuo aduentu unicuiq; reddet ſecundum opera ſua: ſicut dicit Matth. 16. Et Apoc. 2. & 22. Et unuſquiſq; propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, 1.Corinth.3. Et omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat quiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum, 2.Corinth.5. Non uideo, qualiter oratio unius aut unctio, poteſt quenquàm ſaluare.

De effectibus extremę unctionis.

Obiectiones uariæ.

Solutio obiectionum.

Richardus. Principalis effectus huius Sacramenti eſt, ſalus ſpiritualis, in caſu quo forte alias periret infirmus. Aut ſi ſpiritus erat ante unctionem in ſtatu gratiæ, principalis effectus huius Sacramenti eſſet peccatorum uenialium, & pœnę debitæ remiſsio; *lib.9.cap.26.*

Multos ſaluari per orationē aliorum.

Et ſecundarius effectus eſt alleuiatio corporalis,ita,ut infirmus alleuietur ab infirmitate corporali. Nec mireris, quod dixi in caſu, in quo forte infirmus periret:Quoniam credendum eſt,iuxta illud dictum ſancti Ioannis,quod obÿcis:multos ſaluari per orationes aliorum, & uigore Sacramentorum Eccleſiæ, qui aliter nullatenus ſaluarentur. Vnde & Iacobus ſic immediate ſubiunxit:Confitemini ergo alterutrum peccata ueſtra,& orate pro inuicem,ut ſaluemini:multum enim ualet deprecatio iuſti aſsidua. Helias homo erat ſimilis nobis, & oratione orauit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſus orauit,& cœlum dedit pluuiam,& terra dedit fructum ſuum. In quo dicto,non ſolum affirmat,unum poſſe ſaluari per orationē alterius, ſed multos ſicut dicit: Orate pro inuicem, ut ſaluemini. Et Ioannes ſuadet. Si quis ſcit fratrem ſuum peccantem non ad mortem, pro eo petat,& dabitur ei uita. Sed Iacobus ratione à ſimili illud probat, per hoc uidelicet, quod Helias totum populum, unica ſua oratione ſubtrahendo pluuiam,tribus annis et menſibus ſex puniuit:& iterum totum populum ne periret liberauit, oratione ſua pluuiam impetrando:Volens oſtendere à ſimili, hominem rationalem oratione alterius poſſe ſaluari. Quod ipſe Dominus in Euangelio nobis expreſſit,cum diuitibus ſuadebat ſic. Et ego uobis dico, facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Luc.16. Vbi in hoc quod ipſe dicit,ut cum defeceritis,recipiant uos in æterna tabernacula, manifeſte oſtendit, aliquos deficere,& ſibi non ſufficere ex proprÿs,qui tamen benefaciendo pauperibus, corū poſſunt ſaluari ſuffragÿs. Hoc etiā, quod Iacobus poſt præmiſſa adiunxit. Fratres mei, ſi quis ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit eum quis,ſcire debet:quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam à morte,& operit multitudinem peccatorū. Et Paulus 2. Cor. 8. dicit,loquens Corinthÿs de fratribus ſuis ſic. Veſtra abundantia illorum indigentiam ſuppleat, ut & illorum abundātia ueſtræ inopię ſit ſupplementum. Vbi oſtendit inopiam ſpiritualem diuitum poſſe ſuppleri ſuffragÿs pauperum deuotorum. Vnde Deut.9. et 10. dicit Moyſes de ſeipſo. Quod procidit ante Dominum quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non comedens,& aquam non bibens,propter peccata populi, & Dominus exaudiuit eum. Similiter pro Aaron deprecatus eſt,ut dicit,& ſæpe in lege pręcipitur, Quod ſacerdos oret pro peccatis populi,ut Deus ea dimittat: Sicut dicitur Leui.4.& 5. Et Deus dixit amicis Iob. Iob. autem ſeruus meus orabit pro uobis, faciē eius ſuſcipiā, ut non uobis imputetur

Iacob.5.

1. Ioann.5.

Oratio pro alio facta quantum poteſt.

impute tur ſtultitia. Iob ultimo. Et ideo ſi infirmus ſit, forte in peccatis mortalibus, aut in uno, poſſet iuxta præmiſſa contingere, quod non adiutus aliorum ſuffragiјs, nec Eccleſiæ Sacramentis, periret & finaliter damnaretur. Quibus tamen adhibitis, Deus ſibi pœnitentiam dignam immitteret, & conſequenter eum ſaluaret. Et ideo propter hunc caſum poſsibilem, expedit, ſuper infirmum presbyteros, præcipue ſanctiores orare, & eum inungere, ut poſsit ſaluari, qui ſine hijs præſidijs nullatenus ſaluaretur. Vnde dixi quod ſalus animę ipſius infirmi, eſt principalis effectus huius Sacramenti, ſed hoc eſt in caſu ſuperius expoſito. Et infra. Quoniam hoc ordine infirmus fructificat ad uitam æternam, per iſta ſuffragia quando eſt in peccatis mortalibus, quod primo a Deo conuertitur ad confitendum ſua peccata, confidit & diuinam pietatem paratam ſibi peccata dimittere, ſi uere pœniteat, & ſic conſequẽter Deus eum interius excitat, per fidẽ + Dei clementia remiſsiua ad pœnitendum, & ad diuinam miſericordiam implorandum, & ſic pœnitendo, ſi pœnitere uoluerit, & ex fide miſericordiam poſtulando, gratiam à Deo conſequitur, per quam dimitttuntur ei peccata. Non autem cuilibet ſcelerato ſemper iſta ſuffragia ſuppetũt: ſicut rationabiliter obieciſti, quia non omnis talis, quamuis incuſatus in ſpiritu, iſtis ſuffragijs mediantibus, ſit tactus à Deo, ut de commiſsis pœniteat, & ad pœnitentiam ſe conuertat, & ob hoc non omnis inunctus ſaluatur. Sed dictũ Iacobi accipiendum eſt, ſicut tu congrue oſtendiſti, cum monitione præmiſſa, ſi infirmus pœniteat, & diuinam miſericordiam imploret: Sic in omnibus Sacramẽtis, ad hoc quod peccatori adulto conferat gratiam, pœnitentia præuia ipſius peccatoris exigitur, ſicut obieciſti & obijciendo probaſti. Mihi inſuper uidetur, ſi aliquod peccati genus in homine ſit irremiſsibile, etiam adijciendo ſi infirmus in tali peccato ſit, ut à Ioãne dictum allegas, non expedit ſibi, ſicut innuit illud uerbum Ioannis quod ſuperius poſuiſti, pro eo orare, quia Deus nullatenus illud dimittet. Primus ergo effectus & principalis illius Sacramenti, eſt iſta inſpiratio ſiue commotio interior à Deo, ut infirmus ſi ſit in peccatis mortalibus, ad ſanitatem redeat, de Dei miſericordia + remiſsiſsima peccati, & ſic conſequenter uere pœniteat, & tandem conſequatur gratiam ſaluatricem. Et ideo dicit Iacobus (ut mihi uidetur) Quod oratio fidei, ſcilicet conſecratio unctionis, impetret alteri ſine ſua pœnitentia & ſuis operibus uitam æternam, ſicut tu rationabiliter obieciſti, quoniã hoc eſſe poteſt. Poteſt tamen oratio unius fidelis hominis, & Sacramentũ Eccleſiæ, alteri peccatori impetrare principium ſalutis modo prædicto, ſicut ſupra oſtendimus. Secundus effectus huius

Orare pro infirmo.

Lib. 9. c. 17.

Suffragia pro infirmo in peccatis conſtituto.

lego + de.

Primus effectus Extremæ unctionis.

+ remiſsiua.

Secundus.

huius Sacramenti eſt alleuiatio corporalis, ſicut Iacobus dicit. Et alleuiabit eum Dominus, Et ille eſt effectus abſolute Sacramenti, ſcilicet in caſu quocūq;. Et tertius effectus eſt dimiſsio peccatorum, quo ad culpam & pœnam. Ego intelligo uenialium peccatorum, quo ad culpam & pœnam, ſi in talibus ſit infirmus: Quoniam dimiſsio mortalium quo ad culpam innuitur in primo effectu, & ſic primus effectus & ſecundus diſtinguuntur, ſicut tu rationabiliter obiecisti. Vnde apparet, quod non habet niſi unum effectum abſolutum, medium uidelicet, alleuiationem infirmitatis corporalis, quia in caſu, in quo infirmus non habet mortale aut ueniale peccatum, Sacramentū illud effectum eſſentialem, alium quàm alleuiationem corporalem, non habet. Et dico eſſentialem, quia fortaſsis ex alleuiatione corporali, poſſet in caſu ipſe infirmus amplius in merito & in Dei amore proficere, ſed ille profectus accidentalis eſſet ipſius Sacramenti, non eſſentialis eius effectus. hæc Armacanus. Idem Armacanus. De neceſsitate huius Sacramenti mihi nihil occurit in ſcriptura expreſſum, niſi quod Iacobū & Marcū memini dixiſſe. Veruntamen iuxta tractata ſæpius, cōſtat, quod poteſt dari caſus, in quo dato hoc Sacramēto ſaluatur infirmus, qui aliàs damnaretur. Cum igitur lateat ſacerdotes Eccleſiæ, quando ille caſus inſtat, ſemper aut pro maiori parte ſunt incerti ſi inſtet, & ita arctantur ex cura quam gerunt, per illius Sacramenti remedium infirmo ſuccurrere. Alioquin non uideo, quin infirmi animā, ipſorum de manibus requireret Deus: Quoniam ſemper eorum negligentia eſt certa, quādo talis caſus eſt incertus eis de ſalute infirmi, cui poſſunt & tenentur ſuccurrere. Ex iſto inſuper ſequitur neceſsitas huius Sacramenti, in caſu ſcilicet neceſsitatis talis, Quia de lege communi nō poteſt ſine iſto Sacramento infirmus ſaluari. Et quia caſus iſte (ut dixi) eſt incertus, ſingulis ſaltem ad mortem infirmantibus dari debet. Item rationabiliter eius neceſsitas confirmationis, ex eius magna utilitate arguitur. Qui enim tam utile Sacramentum negligeret, cum illo indigeret, non immerito Deum offendere uideretur, cum ſine omni difficultate ex ſui parte, illud poſſet acquirere. Verum eſt autem, quod non ſemper iudicatur contemptor, & ſi melius omittat eligendo minus bonum, quoniam maius bonum difficultatem habet maiorem: Sicut non eſt contemptor, qui eligit nubere, cum poſsit melius uirgo manere, dicente Apoſtolo, 1. Corinth. 7. Si autem acceperis uxorem, nō peccaſti: & ſi nupſerit uirgo, nō peccauit. Cui dicto tanquàm ad melius conſulendum, præmiſit: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorē. Et ibi infra. Qui matrimonio adiungit uirginem, benefacit: & qui nō iungit, melius facit.

Tertius

lib. 9. cap. 28.

Caſus neceſsitatis huius Sacramenti.

Quomodo neceſſariū eſt hoc Sacramentum.

facit. Sed qui ſine moleſtia, & ſine difficultate poteſt melius facere, uel magnum cōmodum ſpirituale acquirere, ſi negligat, nō uideo quin ſit ſuæ ſalutis neglector uel contemptor: immo amicus Dei omnino non eſſe conuincitur, qui eius beneplacitum, cum illud perficere poteſt, non explet. Sicut omnis prudens, non eſſe amicum alterius iudicaret, qui cum ſine moleſtia aut difficultate notabili, poſſet amico multum proficere, & ei ſuccurrere recuſaret, aut eidem penitus placere non curaret. Igitur rationabiliter concludi poteſt, illud Sacramentū eſſe modo prædicto neceſſarium ad ſalutem: Ita, quod ſi cōmodoſe haberi poterit, habeatur. Propter hoc Fœlix III. ſummus Pontifex, & Romanus, inſtituit, ut infirmi ante tranſitum oleo ſancto inungantur. Quem æſtimo hoc inſtituiſſe ex ratione expreſſa de Confirmatione ſuperius, ſcilicet, quia uidit huiuſmodi utilitatem & neceſsitatem in ſcriptura non eſſe expreſſam, ne quiſquam omitteret illud ad ſuam perniciem, illud non debere omitti, ſtatuto confirmauit. De forma uerò conferendi illud Sacramentum, illud tene, quod 2. cap. ſupra dixi de Sacramento Confirmationis. Ioānes. Video quod hoc ſentis. Vlterius enim mihi occurrit, ſiue uidetur iuxta uerba Iacobi, quod illud Sacramentum non ſit dandum, niſi infirmis morituris, quia dicit, quod ſaluabit infirmum, & ſic etiam Eccleſia Romana inſtituit. Et ſic uidetur illud Sacramentum iterari nō poſſe. Cum tamen iuxta illud dictum Marci Euangeliſtæ, Illud Sacramentū Apoſtoli dederunt morituris, & ſimiliter Chriſtus: quia per unctionem illam ſaluabat infirmos. Nec dubium, quin de corporali ſanatione loquitur Marcus. Nec dubium, quin Chriſtus corporaliter cæco uiſum, liniendo oculos eius, reſtituit: Etiam quia Marcus præmittit, quod dæmonia eijciebāt, quibus eiectis in ſpiritu fuit ſalus. Ex quibus uidetur, quod illis eiectis & curatis, ſi aliter infirmarentur, dari poterit, & ita iterari poſſet, ſicut in eis pœnitentia quotiens peccarent. Immò hoc uidetur omnino ex hoc, quod omnibus infirmis debet dari, cū unus eius effectus ſit ſanatio, aut alleuiatio corporis. Nec uidetur iuxta rationem, qua huius Sacramēti neceſsitatem probaſti, quod aliquis infirmus haberet amicum, niſi ſtatim per collationem huius Sacramenti ſibi ſuccurreret: Quoniam amico non hoc eſſet difficile omnino. Item uidetur, quod aliter ſacerdos, qui illud miniſtrare deberet remedium ſanationis diuinum, infirmum contemneret, quia illud remedium non exhiberet ægroto, cum poſſet ipſum ſanare, aut ſaltem ægritudinis ſuæ moleſtiam mitigare. Richardus. Non uideo ex ſacra ſcriptura, quin inunctio & ſimiliter eius effectus, ſit iterabilis, ſicut pœnitentia iterabilis eſt, & ſimiliter eius effectus: Et conſecratio

Lib. 9. cap. 20. Obiectio.

Mar. 6.

Ioan. 9.

Reſponſio Armacani, de iteratione huius Sacramenti.

conſecratio & eius effectus, ſicut tu rationabiliter deduxiſti. Et ideo non mihi uidetur ex ſacra ſcriptura, quin dari poſsit quibuſcunque infirmis, & quotieſcunque ſunt infirmi. Quoniam ſaluator Marci ultimo abſolute dicit de credituris in eum: Super ęgros manus imponēt, & bene habebūt. Et Apoſtolis erat dictum abſolute, & ſimpliciter, Infirmos curate. Et ſimiliter Chriſti diſcipulis Luc. 10. Nec uerba Iacobi ad cōtrarium ſenſum impellunt, Quoniam infirmus non moriturus ex iſta infirmitate, ſaluari poteſt, ſcilicet gratiam ſpiritualem accipere, ſicut poteſt ſtatim moriturus infirmus. Et ſic in utroque poteſt eſſe alleuiatio, & dimiſsio peccatorum. Ne tamen Sacramentū uileſceret, ſi eiſdem præberetur, Ordinauit Romana Eccleſia, quod non detur, niſi qui morituri uidentur in proximo. Non aūt ſic ſtatuit de pœnitentia: Quoniā peccatori ipſa eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Et ſicut ipſa ſola, inter remedia contra prędicta data à Domino, eſt neceſſaria ad ſalutē abſolute: Sic ipſa ſola ſimpliciter & abſolute pro omni peccato poteſt licite iterari. Legimus enim iſtos ante Baptiſmum ſpiritum ſanctum recepiſſe Act. 10. qui audierunt uerbū Petri, & cecidit ſuper eos ſpiritus ſanctus, + Cum Act. 9. dicitur de Paulo: Qui (non dubium) ſaluati fuiſſent, ſi antequàm baptizari poterāt, deceſsiſſent: Sicut in pręcedenti libro oſtendimus. Nullus aūt peccans mortaliter, poteſt ſine pœnitentia ſaluus eſſe, Et ob hoc eius iteratio licite prohiberi non poteſt, ſicut poteſt iteratio cæterorū, ne ex frequentatione uileſcant. Et alia ratio non eſt, cur alia Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio & Ordo nō iterantur, & Eccleſia prohibet ea iterari. Sed pœnitentia iteratur, niſi quod eius effectu perdito per culpam, iterum reſtitueretur idem effectus, Quia uera pœnitentia iterari poteſt, cum tota ſcriptura utriuſque Teſtamenti ſit tradita principaliter propter peccatores per pœnitentiam ſaluandos. Quæ inquit, Quod pœnitentia effectum + primum aliorum Sacramentorum inſtituit, Quoniam uera pœnitentia reſtituit hominem ad ſtatum gratiæ, in quo fuerat ante lapſum. Ideo non eſt opportunum Sacramenta huiuſmodi iterare + quod de Vnctione Extrema, & alijs tribus Sacramentis ratio oſtendit hic. De Vnctione igitur uidetur eadem ratione, quod debet iterari, in caſu, ſcilicet cum ille qui uidetur moriturus, ſanatus fuerit, & iterū infirmatur, & non pœnitet de commiſsis: Quoniam tunc Sacramentum unctionis impetrat ſiue efficit pœnitentiæ Sacramentū, quam pœnitentiam infirmus forte alias non haberet. Et ideo in tali caſu, tanquàm eius cauſa, debet unctionis iteratio pœnitentiæ iterationem præire. Non tamen ſicut obijcis, omnino debet illud Sacramentū iterari, quotienſcunque aliquis infirmatur,

Matth. 10.

Alia eſt ratio de extrema unctione, q̄ de pœnitentia.

+ Sicut

De Paulo, cui dicebat Ananias, ut uideas & implearis ſpiritu ſancto.

Meliorem cauſam, quod hec tria non reiterantur ponit S. Tho. ex B. Auguſt. In parte 3. q. 63 art. 5. quia imprimūt charactere indelibilem.

aliàs + precipuum

aliàs + quicquid

Quando iterari debet extrema unctio.

infirmatur, quãuis unus eius effectus ſit alleuiatio corporalis: quia ille eſt eius ſecundarius effectus. Et ideo propter illud iterari non debet, niſi primarium oporteat iterari, tam pro corporis ſanitate quàm ſpiritus. Et ideo amicitia non exigit, ut infirmitatibus omnibus conferatur & ſemper. Nec ſacerdos contemnit diuinum remedium, ſi illud non conferat, niſi quomodo ratio exigit conferendum. Et ob hoc, quod ſemper in articulo mortis dari debet infirmis, & Sacramentum Confirmationis generaliter baptizatis omnibus dari debet, quàm citius cõmodoſe poterit poſt Baptiſmum. Ex quo ſequitur, qui Sacramentum Confirmationis retardant, ſine quo plurimi ſuorum ſubditorum de hac luce decedunt, grauiter ualde coram Deo delinquunt. Et omnes etiam, qui Sacramentum Extremæ Vnctionis conferre renuunt, aut negligunt, ad quos ex cura, quam gerunt, illud pertinet, damnationem (ut mihi uidetur) ſibi acquirũt. hæc ille. Item Auguſtinus in ſermone, qui incipit, Rogo uos fratres chariſsimi, ut attentius cogitemus, quare Chriſtiani ſumus, & crucem Chriſti in fronte portamus, ſic dicit. Quotiens aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat: Oleum benedictum à presbyteris humiliter atq; fideliter petat, & inde corpuſculum ſuũ ungat: & illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo. Infirmatur aliquis in uobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eo, ungentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, dimittentur. hæc ille. Beda autem ipſam olei unctionem; benedictione Pontificali conſecratã, dicit ab Apoſtolis proceſsiſſe. Vnde ſic dicit ſuper. Luc. 3. Quid Euangelizarent, aut quomodo curarent Apoſtoli. Marcus exponit planius. Prædicabant (inquit) ut pœnitentiam agerent, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabantur. Dicit Iacobus, Si infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orẽt ſuper ipſo: ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Vnde patet, ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſię morem eſſe contractum, ut Pontificali benedictione conſecrato oleo, perungantur ægroti. hęc ille. Item Hugo libro de Sacramentis parte 15. 2. libri, ſic dicit. Qui hanc unctionem fideliter & deuote percipit, per eam ſine dubio & in corpore & in anima alleuiationem accipere meretur. Si tamen expedit, ut in utroq; alleuietur, Quod ſi forte corporis ſanitatem & ualitudinem habere illi non expedit, illam procul dubio, quę eſt animæ, ſanitatem & alleuiationem in huiuſmodi unctionis perceptione acquirit. hæc ille.

[Margin notes: Non retardari debet Confirmatio, nec Extrema unctio. — Auguſt. — Iac. 5. — Beda — Mar. 6. — Iac. 5. — Hugo]

Teſtimonium Ioann. Vuiclephi de VII. Sacramentis Caput XIX.

PRo confirmatione autem omnium Sacramentorum, adduco & Magiſtrum Ioannem Vuicleph, in ſua Poſtilla, ſuper nouo Teſtamento ſuper Marcum 15. cap. ubi ſic ſententiat de Septem Sacramentis. Sacramenta Eccleſiç ſunt uelut caſtrum & munitio tutiſsima, quam uelut fluuius immenſus primo circuit aqua Baptiſmatis, quæ primo coërcet acceſſus hoſtiles. In interioribus ripis fluminis, ſunt Confirmatio & Pœnitentia, uelut uallus & murus exterior. In medio autem uelut turris fortiſsima, Sacramentum Euchariſtiæ collocatur, ad quam aſcenditur per gradus ordinis. Et citra hos gradus, Matrimonium quaſi murus interior, defendens legitime forum ſæculare & Eccleſiaſticum. Oſtiolum autem, per quod ingreditur uitam futuram, eſt Extrema Vnctio. Sed & totam iſtam ſeriem caſtrorum fundauit Chriſtus, dans uicarijs poteſtatem ubiq; erigendi. hæc ille. Sic & ſuper prima Corinth 1. in eadem poſtilla dicit. Omnia Sacramenta ſunt Chriſti, & ipſe dat gratiam, quam efficaciter ſignificat quodlibet Sacramentũ, Et ab ipſo ut fundamẽto habet efficaciam, ſecundum eius benedicta merita. Et infra. Docuit cum omnia Sacramenta inſtituere, quædam tamen difficiliora ad credendum, & magis neceſſaria ad ſalutem, per ſe promulgauit: ut Baptiſmum, Euchariſtiam, Ordinem & Pœnitentiã. Quædam autem per Apoſtolos, ut Confirmationem & Extremam Vnctionem. De Confirmatione patet in Actibus Apoſtolorum, & de Extrema Vnctione Iaco. 5. Immo Mar. 6. fit mentio de olei unctione. Nec credendum eſt, omnia opera Chriſti in Euãgelio fuiſſe explicata, ut patet Ioan. ultimo. Sed præcipue curarunt Euangeliſtæ tradere illa, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, & Eccleſiæ diſpoſitionis. hæc ille. Idẽ loquens de præparatione ad uenerabile Sacramentum Euchariſtię, intrac. de corpore Chriſti, inter cætera ſic dicit. Oportet digne ſumentem diuinam Euchariſtiam, habere actus & habitus uirtuoſos: cum oporteat, quod Dei uirtus & Dei ſapientia ſint mundæ ſecundum habitus & opera, quoad humanitatem ſuam undiq; miniſtrata. Oportet, inquam, digne hoc Sacramentum ſumentem, habere tres uirtutes Theologicas, & conuerſationem uirtuoſam, imitatoriam capitis ſui Chriſti, quoad uirtutes Theologicas. Oportet omnino habere fidem ſanctam, de humanitate & diuinitate Chriſti, & de concernentibus hoc Sacramentum: quia impoſsibile eſt, infidelem in iſtis placere Deo. Habita autem dignitate ex fundamento fidei, neceſſe-

Margin notes: Elegans deſcriptio Caſtrorum Eccleſiæ per VII. Sacramenta. — Omnia Sacramenta à Chriſto gratiam & efficaciam habent. — Act. 8. — Quis digne ſumit Euchariſtiã

neceſſe eſt, ut erigatur ſpes in Domino omnipotēte, omniſciente, omniuolente, qui tantam gratitudinem ſibi ingratis oſtendit: humanitus patiendo, moriendo, aſcendendo, & Sacramentum illud in memoriam iſtorum & aliorum mirabilium tribuendo. Et quo ad charitatem pater, Quod nullum Sacramentū notat expreſsius charitatē & pacem cum Deo & homine habendam, quàm hoc ſignum. Ex hinc enim Chriſtus tradens Apoſtolis hoc Sacramentum, finaliter commendat tam crebro & ſpecialiter (ut patet Ioan. 20.) pacem Apoſtolis. Et infra dicit de communicante, quod ſecundum maximum ſignū charitatis debet accendi per hoc Sacramentum, ad deponendum tam corpus quàm animam pro amicis. hæc ille. Idem loquens de Sacramento Pœnitentiæ, ſuper Iacobi 5. dicit. Oportet recipere Sacramentum Pœnitentiæ pro mortalibus abluendis: confitendo non ſolū Deo, ſed et homini in caſu. Et cum ſpecialiter cōfitendum ſit uicario Chriſti, qui mediat inter Deum et hominem, ordinarunt poſteri confeſsionem auricularē. Idem de Extrema Vnctione, ſuper 1. Cor. 1. dicit, Quod Vnctio extrema eſt medicina ad ſanandum peccatū, ad intitulandum in officio nono, ut patet Iaco. 5. Eſt enim Extrema unctio ſignum efficax, & finalis, & uniuerſalis remiſsionis peccatorum, per unctionē infirmi pœnitentis, indeterminatis partibus, cum oleo oliuæ, ab Epiſcopo conſecrato, miniſtrato à ſacerdote, uerba cū unctione debita proferente. hæc ille. Et patet error multorū impie agentiū & dicentiū, Quod ſi haberemus oleum Hieroſolymitanū, denotādo Balſamum, ſicut Apoſtoli habuerunt, tunc uellemus ungere. Quia Beda dicit, quod Apoſtoli oleo ungebant. Et Vuicleph dicit oleo oliuæ. Et quod non ſit conſonū dictum taliter loquentium: patet, quod nullus ſanctorū dicit, Apoſtolos Balſamo infirmos unxiſſe, Tum quia pauperes Apoſtoli, tam precioſam rem unde recepiſſent: cū Balſamū purū ſit charum ut aurū, Tum quia dictū corū confictū, ſonat cōtra dicta Dionyſij, qui dicit. Quod rebus exterioribus precioſis facile poteſt ſeduci animus: quia animus humanus ibi ſiſteret, & nō amplius eleuaretur. Vbi ſic dicit Dionyſius lib. de cœleſti Hierarchia, Non arbitror aliquem prudentem uirum negare, quin ſigna diſsimiliora efficacius ſurſum ducant mentem noſtram, quàm ſimiliora: quia per ſigna precioſiora facile poſſet ſeduci animus infirmus. hæc ille. Nam homines uirtutem Sacramentorum, ipſis nudis materiebus Sacramentorum poſſent aſcribere, & non uirtuti Dei, quæ per illa Sacramenta operatur.

Confitendum non ſoli Deo, ſed et homini.

Vtilitas Extremæ unctionis.

Apoſtoli non Balſamo ſed oleo oliuarū unxerunt ægrotos.

LIBER MAGISTRI IOANNIS DE PRZIBRAM BOHEMI, DE PROFESSIONE FIDEI CATHOLICÆ, ET ERRORVM REuocatione. *Scriptus PRAGAE Anno Domini M. D. XXVIII.*

REVERENDO IN CHRISTO PATRI ac Domino, D. Ioanni Haſenbergio Horac, Coadiutori Olumucenſi, Præpoſito Lythomericenſi, & Canonico Vratislauienſi, Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ &c. In literis & linguis Præceptori fideliſſ. Io. Cochlæus S. P. D.

NOuit me familiariter iam ultra XX. annos Reuerenda Dominatio tua, Id quod utriuſq; ſcriptis, iam olim in lucem æditis, ſatis notum & atteſtatum eſſe arbitror: præſertim ex eo libro, quem ego ante XX. annos in Septicipitem ædidi Lutherum: quem R.D.T. & docta Epiſtola, & ingenioſis carminibus decorare, lectoriq; commendare dignata eſt, dum Lipſiæ adhuc ageret in Philoſophiæ ſtudijs, Et non rara fuit mihi cum eadem R.D.T. conuerſatio; ac mutua hoſpitalitas, non ſolum Dreſdæ & Lipſiæ in Miſnia, uerumetiam Pragæ ac Lythomericij in ipſa Bohemia, Vbi & parentem tuum, magnamq; cognationis tuæ partem uidi, tuaq; interpretatione uſus, familiaria cũ eis colloquia miſcui: linguæ alioqui Bohemicæ prorſus imperitus: Quam tu, uelut patriam atq; natiuam, & perfecte calles & diſertiſſime loqueris, non ſolum priuatim, ſed etiam in publicis tractatibus, ac ſacris ad populũ Cõcionibus: Eamq; præterea Regios liberos (quod equidem magni facio, & Inclyto Bohemiæ Regno eam fœlicitatem ex animo congratulor) aptiſſime docuiſti: Adeo ſane fœliciter, ut Bohemis deinceps, ſi quando Patri ſucceſſerint in Regno (ſicut Iura & conſuetudines eius nominatim & expreſſe habent) filij ſui, non opus fuerit, Regem ſuum per interpretem alloqui, ſed in propria lingua omnes neceſſitates & petitiones ſuas ei proponere ac declarare queant, grataq; & gratioſa ex ore eius reſponſa intelligere ac reportare. Nouit igitur probe R. D. T. me nulla unquam amarulentia aut malignitate, ſiue in uerbis ſiue in factis, aduerſus Gentem Bohemicam uſum eſſe, q̃ diu R.D.T. conuerſata eſt mihi, meoſq; mores & ſer-

mones

mones familiariter notos habuit. Quanta uero in Gentem tuam fuerint tot iam annis ſtudia mea, poterit pius & cordatus lector facile intelligere ex ijs, quæ nunc in publicum euulgo, ſcriptis tum meis, tum quorundam Bohemorũ, quorũ non leuis aut uulgaris fuit in Regno ueſtro autoritas. Multa quidem ſcripſit de geſtis Bohemorum Aeneas Syluius Senenſis (qui in ſummũ poſtea Pontificem electus, dictus eſt PIVS II.) in præclara ſua de Bohemis ad Alfonſum Regem Aragonum hiſtoria: Multa itẽ Albertus Krantz Saxo, Decanus quondã Hamburgenſis in ſua Vandalia. Multa inſuper Teuthonice de actis Ioannis Huß, collegit ac ædidit Ioannes Stumpf Heluetius, Tiguri ſeu (ut alij dicunt) Turregi: quæ ego uidere non potui, quando ante XIIII. annos hos XII. libros ex ueterũ ſcriptis laborioſe collegi: Ante paucos enim annos librũ ſuũ Stumpf ædidit, longe poſt hoſce labores meos. Qui ſane, ut Zuinglianus, apud me in multis ſuſpectæ eſt fidei, ut ei ſecure in omnibus credere nec auſim nec uelim, in ijs præcipue, quæ in odium Ro. Pont. & Catholicæ Eccleſiæ adducit, ut ſectarũ cauſam iniquo fauore lectori cõmendet. Krantz uero, uir Catholicus, et egregius multarũ hiſtoriarũ ſcriptor, in XIIII. Vandaliæ ſuæ libris, multa quidem de rebus geſtis Hußitarũ interſerit, ſed ſparſim atq; incidenter, abſq; iuſto & proprio de rebus Bohemorum narrationis ordine. Quamuis igitur non dubitem, R. D. tuam, ut uirum prudentem eruditumq; & Catholicum, per ſeſe facile intelligere poſſe, hunc laborem à me ſuſceptum eſſe in laudem & gloriam Inclytæ Nationis, ac fortiſſimæ Gentis Bohemorum: Vnde reliquæ Nationes, præſertim Germanica, cognoſcere queant acerrima & ſtudia & certamina Catholicorum in Bohemia: quæ pro maiorum ſuorum fide tutanda & conſeruanda, mox ab initio, dum noua per peſtilentes Viclephi libros, ex Anglia infœliciter importatos, exuſcitaretur in fide diſcordia: Ioanni Huß & complicibus eius oppoſuerũt, non ſolum domi in patria, ſed etiam Romæ & Conſtantiæ in Concilio Generali. Propter metum tamen calumniarum, quas ab Aduerſarijs huic labori meo timeo, hanc intentionem meam refero: Tametſi nullos ſcio, aut agnoſco inimicos aut Aduerſarios in toto mũdo, quos ſciens prudensq; offenderim, præterq; eos, qui fidei & unitati Eccleſiæ Catholicæ aduerſantur. Conſyderet precor R. D. T. qualia ſint, quæ inſignes iſti Duo Hußitæ, Rokyzana & Przibram, contra impios & barbaricos Thaboritarum articulos & ritus, docte ſcripſerunt. Nam & Germanorum ſectæ ex ijs lucidiſſima confutatione in multis redargui poſſunt. Vale.

PRÆFATIO

PRAEFATIO AVTORIS.

IN nomine Domini. Amen. Quia in his geme-
bundis & infauſtis temporibus (proh heu) errori-
bus ubiq; ſcatentibus, & totam terram (heu) ſorde
perfidiarum polluentibus, amore ſolo dulciſsimi
Ieſu crucifixi, conabar à principio pro fide eius Ca-
tholica, uires ultimas opponere, et in defenſa eius,
etiã cum famæ & uitæ periculis, uoluntariè & libenter poſſetenus
uſq; ad punctum uitæ deſudare, Ecce ex aduerſo, dolente omnium
malorum autore, & in improba probra plurimos excitante, con-
ſurrexerunt aduerſus me teſtes iniqui plurimi, & uincendo nume-
rum cõtra me nimis ſunt multiplicati uiri uaniſsimi, pietatis et fidei
hoſtes publici, & ſuggerente eis uires Tyrannide, in omnia facta Calumnia-
impij pariter & prophani. Qui putantes, ſe meis calumnijs iuſtos tores et ini-
facere, deiectione innocentium ſuis fictionibus uires dare, eo liben- mici.
tius, quo ſceleroſius aperuerunt os ſuũ ſuper me, non ſolũ clam in
angulis, ſed ubiq; in ambonibus: Quinimmo è ſuo+ cõcinnabulo +conciliabulo
impuriſsimo ſcribentes & eructuãtes uerba falſitatis, & iudicia ſuæ
temeritatis: non ſolum in uilitatem meæ perſonæ, ſed in deiectio-
nem fidei Catholicæ. Nec hoc multum mirandum, cum ſcriptum *Prouerb. 9.*
ſit. Qui arguit inſipientes, ipſe ſibi maculas acquiret plurimas ab
eiſdem, & opponenti iniquis, iniqui ſolent reopponere. Idcirco
ego Ioannes de Pržbram, ſeruus Ieſu crucifixi indigniſsimus, & Nomen &
amator fidei Catholicæ ſollicitus, ne ipſo meo ſilentio error men- intentio au-
tium multis cedat à modo errandi in exemplum, cupiens futuris ca- toris.
lumnijs utcunq; occurrere, & loquentibus mendaciũ ora præſtrin-
gere, inter omnia gratulatus, quia pro nomine Domini merui
contumelias accipere: dignum duxi, fidem meam breui hoc Com-
pendio cunctis fidelibus detegere, & rationem de ea, quę in me eſt
fide & ueritate, mox quo debeo ſupremo iudici extremã rationem Proteſtatio
reddere, ſimplici ore & corde ſingulis reſerare. Veruntamen,
antequàm quicquam in hac re dixero, proteſtor palam & publicè,
quod nõ intendo quicquàm in uita mea dicere, aſſerere uel tenere,
quod eſſet cõtra omnipotentis Dei legem, undiquaq; ueriſsimam,
& contra doctrinam & fidem Apoſtolicam, aut contra ſacroſan-
ctam uniuerſalem Eccleſiam & Catholicam. Quod ſi quicquàm Reuocatio
horum (quod abſit à me) dixero, uel unquàm dixi, à mea plurima
ignorãtia, prę ſumptione uel inſipiẽtia, ex nunc prout ex tunc, hoc
totum

totum reuoco & retracto, & ab omnibus cupio haberi pro errato.

I In primis integra & tota fide profiteor, Quod hęc ſola+ de mun+ do uia, eſt regia certiſsima & ſecuriſsima, cuilibet fideli, eſſe uiuere & mori immobiliter & irrefragabiliter in fide, à Domino Ieſu Chriſto tradita, & in fide ſanctorum eius Apoſtolorum omnium, uniuerſaliter & ex integro, quoad omnia eius ſubſtantialia diſtincte, uel ad minus in uniuerſali appræhenſa & profeſſa: quomodocunq; mundus, quoad accidentalia ipſius fidei, uideatur uariari ſeu alterari.

Fides Apoſtolica.

II Item profiteor fideli corde & ore, Quia omni uoluntate & deſiderio ſum in ſpe, & eſſe cupio in re, ex integro inuiolabiliter et inſeparabiliter membrum ſanctę matris Eccleſiæ Catholicæ, Vniuerſalis & Romanæ, per totum orbem diffuſę, in Apoſtolicis ſedibus à Beato Petro Apoſtolorum principe fundatæ, & uſq; modo continuatę: & ſupra firmam petram tam firmiter roboratę, quod portæ inferi non poſſunt aduerſus eam, quomodolibet præualere. De qua Auguſtinus loquitur, 33. quæſt. 4. Recurrat, & notatur 93. diſt. Legimus, & 1. quæſt. 1. Multi. Apud quã fateor integerrima Chriſti autoritate, Septẽ ſeruari Sacramenta, & ſingula Chriſti & Apoſtolorum ſuorũ retineri priuilegia, ad remittenda peccata & conſequenda ſpiritus ſancti chariſmata. Extra cuius ſanctæ ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ unitatẽ, etiam ſi quis miracula faceret, nihil eſt, ut dicit Auguſtinus, 1. quæſt. 1. Teneamus, Et ca. Ita ſit, & ca. Extra. Facit ad hoc Cyprianus, 23. quęſt. 1. dicens. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere non poteſt Deum patrem, qui uniuerſalis Eccleſiæ non tenet unitatem. Ad idem Hieronymus eadem quęſt. Cum uetus. Et Canon eadem quæſt. A recta. Et B. Ambroſius. 2. quæſt. 7. Beati. Et Beda 24. quęſt. 1. Quacunq;. Quorum omnium cauſam dat Auguſtinus, dicens. Turpis eſt enim omnis pars, uniuerſo ſuo non congruens. Et ponitur diſt. 8. Quoniam contra.

Eccleſia Catholica.

Vnitas Eccleſiæ.

III Item profiteor, me toto corde credere immobiliter & inuiolabiliter cum eadem Eccleſia ſacroſancta, Quod in Trinitate increata, pater, filius, & ſpiritus ſanctus, unus Deus eſt, unitate eiuſdem eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ diuinæ: unus etiam in unitate & in æqualitate eiuſdem maieſtatis, ſapientiæ, omnipotẽtiæ, & uniuerſæ gloriæ. Sed trinus in reali ſeu perſonali et notionali diſtinctione: cum omnibus alijs articulis fidei, quos de hoc credit Eccleſia ſacroſancta, & credendum Catholice & ſancte tradiderit in Symbolo Apoſtolorũ, & Symbolo Athanaſij, & in Symbolis magnorũ & capitaliũ quatuor Conciliorũ. De quibus diſt. 15. Sicut ſancti, per Grgoriũ. Et ſicut credi imperatur & traditur, Extra, de ſum. Trin. c. 1.

Deus unus in eſſentia, Trinus in perſonis.

Item

Item profiteor, me toto corde credere & immobiliter & inuariabiliter tenere, Quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, eſt uerus Deus & homo: Deus genitus æternaliter, & homo natus ex puriſſima uirgine Maria temporaliter: geminę quidem ſubſtantię, ſed unicæ perſonæ, æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem. Credo etiam eadem profeſsione, reliqua omnia, quę eadē ſancta mater Eccleſia Catholica tradidit de Chriſto credenda, in omnibus Symbolis & Concilijs ſupra dictis. IIII Recta fides de Chriſto.

Item credo firmiter & immobiliter, Quod tota lex, uetus & noua, ſecundum omnes libros Canonicos, ab Eccleſia acceptatos & autorizatos, eſt plene et ex integro, Deo autore, et Magiſtro ſpiritu ſancto ædita & inſtituta: plena undiquaq; profunda & incōpræhenſibili Dei ſapientia, uirtute & ueritate, & ſaluberrima inſtitutione ſuper omnes leges perfectiſsima, & omni uirtute uirtuoſiſsima, & omni robore conſtantiſsima & ſolidiſsima: Ita, ut potius cœlum & terra uniuerſa tranſiret, quàm minimus eius apex aut iota, antequàm fieret, nō impletum deperiret, & quod deſignat non impleretur. V Scripturæ Canonicæ autoritas. Matth. 5. Luc. 21.

Item profiteor ſalubriter & Catholice, Quod pro ueneratione ſacræ ſcripturæ, & errorū omnium generaliter ab Eccleſia prompta depulſione: & pro hæreticorum parata & acuta reprobatione, & omnium ex aduerſo diſsidentium in intellectu ſcripturæ tollenda diſſenſione: & præſumptionū ſingularum repreſsione, credendum eſſe multo amplius & ſuper alios uiuentes: ſtandum eſſe ſolidius teſtimonio Beatorū, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Gregorij, & cæterorum Eccleſiæ doctorum, in eorum concordi ſcripturarum explanatione: Tum ob autoritatē Eccleſiæ, Tum ob manifeſtam excellentiam diuinę eorum ſapientię & ſcientiæ, Tum ob probatam ſanctitatē eorum uitæ religioſiſsimæ: Ratione cuius, uiuentes ſanctius, & rogantes Deum deuotius, pro ſenſibus ſcripturę agnoſcendis, ſunt uerisimiliter exauditi. Tū ratione hoc cogente & ſuadente, poſita diſt. 20. c. 1. Qua enim ratione quiſq; magis nititur, eo maioris autoritatis uerba eius eſſe probantur. Sancti autem doctores, diuinæ ſcripturæ tractatores, ſicut pleniori gratia ſpiritus ſancti: ita ampliori ſcientia alijs præcellentes, rationi magis adhæſiſſe probantur. hæc ibi. Tum etiam Apoſtolica perſuaſione. 1. Corin. 12. dicente, Vt non ſit ſchiſma in corpore, quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, Primū Apoſtolos, Secundo Prophetas, Tertio Doctores. Et ad Ephe. 4. dicit. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam uerò Prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios aūt paſtores & doctores &c. Vnde reor uerisſime, quod nimia eſt præ- VI Credere 4. Doctoribus Eccleſiæ. Doctorum autoritas: teſte Paulo

ſumptio & cæca ſuperbia hodie errantium, repræhendere & contemnere ſcientias tantorum uirorum, Quorum unus illorum, ualuit mille, ſcientia & uita ſuper omnes eos, & homines temporum modernorum.

VII Authoritas Eccleſię in Symbolis & Concilijs.

Item profiteor, me firmiter & inuiolabiliter tenere, omnia ſacroſanctæ Eccleſiæ prædictæ Symbola, Concilia generalia & Catholica, ordinationes, leges & ſtatuta ſalubria, & potiſsime Eccleſiæ primitiuæ decreta & præcepta: quæ ab omnibus pro matre & magiſtra eſt habenda & ſequenda, iubente ad hoc me Domino & dicente. Non tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui. Et alibi. Maledictus, qui transfert terminos proximi ſui. Et ad idem Deut. 27. & Saluator: Quęcunque dicũt facite. Ad quod ualde proprie loquitur Beda, Hom. infra Octauã Aſcenſionis, Cum uenerit & c. dicẽs. Perfectũ uitæ magiſteriũ, eſt Eccleſię primitiuę ſemper actus imitari. Et infra. Nec dubitandum: quia quorum nunc ueſtigia ſequimur, ad eorum in futuro ſumus præmia peruenturi. hæc ille. Nec obſtat, ut hodie repugnant hæretici, dicentes, quia non ſunt in ſacra ſcriptura expreſſa. Sufficit enim Catholicis, quod ſunt docta in illo principio Apoſtolico. Itaque, quæcunque ędificationis ſunt, inuicem cuſtodite. Et alibi. Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant† à uobis. Sententia iſta planè docetur per Auguſtinum in Canone diſt. 11. Eccleſiaſticarum, ubi dicitur. Si enim attenderimus conſuetudines Eccleſiæ, non per ſcripturas à patribus traditas, nihil exiſtimare, quantum religio detrimenti latura ſit, intentiue (id eſt intente) inſpicientibus liquido conſtabit. hæc ille. Quod ergo ſeruauit & commendauit ſancta antiquitas, ſeruare tenetur minus cauta poſteritas, nec aliqua præſumptione ea debet uiolare.

Prouerb. 22. Matth. 23. Traditiones et Conſuetudines nõ ſcriptæ. Rom. 14. 1. Cor. 14. † in

VIII Septem Sacramenta Eccleſiæ.

Item profiteor, omnia Septem ſanctæ Eccleſiæ Sacramenta autore Deo tradita, & ſuorum Apoſtolorum autoritate inſtituta, eſſe ab omnibus firmiter & inuiolabiliter credenda, tenenda & uenerãda. Quæ ſunt, ſacrum Baptiſma, Confirmatio, Ordo, ſacroſancta Euchariſtia, Pœnitentia, Matrimonium, & Vnctio Extrema. Quę ſingula ſunt ex fide Catholica, tãquàm Eccleſię neceſſaria & ſalubria antidota, à cunctis approbanda & tenenda.

IX Baptizandi ritus.

Item profiteor tenendum inuiolabiliter, Quod Sacramentum Baptiſmatis more Eccleſiæ in fonte conſecrato, cum ſolitis Exorciſmis & Catheciſmis, cum conſuetis interrogationibus & reſponſionibus, cum Chriſmate & oleo ſacris, & cum patrinis, ac trina immerſione à ſacerdotibus eſt exercendum. Et hoc ſi ad iſta ſingula adeſt congrua opportunitas loci, temporis & perſonarum, & non præpedit† ineuicta neceſsitas aliquod eorum, Facit ad hoc Canon

† ineuitabilis.

non Ambroſij de Conſe. diſt. 4. c. Venit. Et Auguſtinus c. Iam interpretati. Et ſic nõ eſt aqua prophana & adultera, ſuper quam nomen Dei inuocatur, etiam ſi à prophanis, & ab adulteris inuocetur. Et idem c. Sicut noſtis & c. Vos autem. Ad idem Gregorius c. Sacerdotes. Et Canon c. Siue paruuli. Et Rabanus, c. Ante. & c. Poſtquàm. Aqua conſecrata.

Item profiteor credendum, quod baptizati à proprio Epiſcopo, iuxta formam & ſtatuta Eccleſiæ, cum Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato ſunt confirmandi. Inſtitutio autem huius Sacramenti, ponitur Actuum 8. ubi Apoſtoli baptizatis manus imponebant & accipiebant ſpiritũ ſanctũ. Facit ad hoc Gregorius in Regiſtro, Et ponitur de conſe. diſt. 4. c. Presbyteri. Et Innocentius c. Presbyteris. Et propter hoc dico, quod contemptores & reprobatores huius Sascramenti, ſunt plane hæretici. X. Sacramentum Confirmationis

Item profiteor credendum & tenendum, Quod Sacramentum ordinis, duntaxat ab Epiſcopis eſt conferendum. Exemplum huius eſt in tota lege noua & uetere, ubi nunquàm aliter inuenitur, niſi quod uel à Deo immediate, uel ab Epiſcopis ſint ſacerdotes & Epiſcopi conſecrati. Contra cuius curſum uelle agere, eſt cum Lucifero præſumere. Verbi gratia, in noua lege exemplum eſt in Chriſto, qui exiſtẽs Epiſcopus ſummus, Apoſtolos in Epiſcopos ordinauit, & illi ulterius Epiſcopos & presbyteros: Vt patet in B. Paulo, qui ordinato Timotheo & Tito Epiſcopis, præcepit Tito Epiſcopo, ut cõſtituat per ciuitates presbyteros: Sicut & ego (inquit) diſpoſui tibi. Diſtinctio autem iſta Epiſcopatus & presbyterij, patet per Clementem 16. q. 1. Cunctis. Et per Ambroſium 11. q. 3. Si quis uero. Et per Auguſtinum 2. q. 7. Quanquàm. Et per Hieronymum diſt. 93. Legimus, ubi dicit Hieronymus. Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non facit? Et hinc Auguſtinus lib. de hæreſibus, dicit, quod † Herriani ab Herio quodam ſunt dicti, qui cum eſſet presbyter, doluit fortiter, quod Epiſcopus non potuit ordinari. Et in Arrianorum hæreſim lapſus, propria † quæꝗ dogmata addidit: Dicebat enim, presbyterũ ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. hæc ille. Vnde in c. Herij, Hæretici hodie ſunt omnes tenentes, omnem ſacerdotẽ eſſe Epiſcopum, & ſic poſſe ordinare. Tales enim ordinati, cenſendi ſunt magis latrones quàm ſacerdotes. Cuius ratio dicta eſt, quia huius rei nullibi reperitur aliquod exemplũ in ſcriptura, ergo cã acceptare eſt infundabile, & ualde periculoſum. Et idem ſentiendum de ordinatione Epiſcopi, quia uidelicet ordinatio eius & conſecratio, ad ſolos Epiſcopos ſpectat, non ad ſimplices ſacerdotes. Vnde legitur XI. Sacramentum Ordinis. Ad Tit. 1. Diſtinctio gradus Epiſcopi & Presbyteri. † Aeriani. † quædam. Attendite ô Pighardi Epiſcoporum conſecratio.

diſt. 66. c. Porro, quod Beatus Iacobus in Archiepiſcopum Hieroſolymitanum, à tribus Epiſcopis eſt ordinatus. Super quo capitulo Ioānes de Deo, in ſua ſumma notat, dicēs. Quod ſi quis ordinatus eſt Epiſcopus, eſt ne Epiſcopus, Arg. Extra diſt. 64. + Extra dicit Hugo, quod nō, niſi ordinetur ad minus à tribus, hæc eſt enim forma, quæ exigitur in collatione illius ordinis, ar. ut hic. hæc ille. Itē ad idem nota Glo. diſt. 64. c. Extra, ſic dicens, Quod nihil unus confert, & allegat 66. diſt. c. 2. ubi plane id legitur. Et nota quod in eodem c. Extra, ſic legitur. Extra conſcientiam Metropolitani, nullus audeat ordinare Epiſcopum: Integrum eſt enim iudicium, quod populorum ſententijs confirmatur. Nec unus Epiſcopus præſumat ordinare Epiſcopum. Hæc etenim Synodus Nicæna cōſtituit, atq; cuſtodiendo diffinit. hæc ibi. Et nota ſolenne teſtimonium pro hac re Cōcilij Nicæni, quod in Eccleſia eſt magnæ autoritatis. Ad idem diſt. 63. c. 1. & 6. cap. ſequenti. Ad idem diſt. 65. ex Concilio Carthaginenſi. c. Epiſcopus, ubi dicitur. Quod ſi aliter, quàm ſtatutū eſt, fiat, nihil ualere huiuſmodi rationem: hæc ibi. Ex Concilio Anthiocæno, & ad idem eadem diſt. c. Placet omnibus, Ex Concilio Carthaginenſi. Ad idem uidetur ſonare Apoſtolus 1. Tim. 4. dicens. Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi prophetia, cum impoſitione manuū presbyteri. Vbi dicit Lyra, dicit manuum in plurali, Quia in conſecratione Epiſcopi, plures requiruntur alij Epiſcopi. hæc ille. Et ad idem loquitur Gorra ſuper eadem litera, ubi etiam Glo. ordi. dicit, ſuper uerbo presbyteri inquit, id eſt, preſbyterorum, quia minus tribus eſſe non poſſunt. hæc Gloſa.

Summa Io. de Deo. *forte + Ecōtra.* *In ordinatione Epiſ. Tres Epiſcopos adeſſe oportet.* *Impoſitio manuum.*

XII. Item profiteor eſſe tenendum, Quod ſoli Sacramento Ordinis duntaxat traditæ ſunt à Domino claues Eccleſiæ, ſcilicet poteſtas ligandi & ſoluendi, peccata remittendi & retinendi: Euchariſtiam conſecrandi, & uaſa ſacra contrectandi, ſic quod non alteri ſtatui uel perſonæ.

Claues ad Ordinem ſpectant.

XIII. Item profiteor tenendum & credendum ab omnibus firmiter & inuiolabiliter, Quod Chriſtus uerus Deus, & uerus homo eſt, & uiuit in Sacramento Euchariſtiæ uiſibili, ſecundum ſuam propriam naturam & ſubſtantiam corpoream, et ſecundum naturalem eius exiſtentiam, eandem penitus in numero, quam ſumpſit de uirgine Maria, & ſecundum quam reſidet in cœlo in dextra patris.

Chriſtus in Euchariſt. ſubſtātialiter.

XIIII. Item pro maiori huius fidei expreſsione, & hæreticorū confutatione, profiteor credendum à toto corde firmiter & tenendum, Quod totus & integer Chriſtus, Deus et homo, ſecundū ſe totum, & ſecundum corpus ſuum naturale, eſt & uiuit in Sacramento uiſibili altaris, ſecundum ueram exiſtentiam & naturam corporis ſui

&

& ſanguinis, & ſecundum uerã exiſtentiam naturalem ſuæ humanitatis & Deitatis, animę & ſpiritus, ſuppoſitaliter in eodem, ſecundum hæc ibidem exiſtentis & uiuentis, & ſecundum exiſtentiam naturalem omnium ſuorum membrorum naturalium, ibidem in Sacramento uita naturæ uiuentium, quæ ſumpſit de Maria uirgine, & ſecundum quæ ſedet ad dexteram patris. Credo inſuper, quod non minus, nec ſecundum minus aut maius, corpus Chriſti & totus Chriſtus, eſt in Sacramẽto ſenſibili quàm eſt in cœlo. Sententiam iſtam deduxi plene per cõgeriem magnam ſcripturę, pene omnium doctorum à primo ad ultimum, ut patet alibi.

Item profiteor credendum & tenendum, Quod Sacramentum pœnitentiæ una cum ſuis tribus partibus, uidelicet Confeſsione auriculari, facienda idoneo ſacerdoti: Contritione et ſatisfactione, eſt neceſſarium ad ſalutem: ita, ut ipſa pœnitentia contempta uel aliqua eius parte, non ſit ſalus. Patet ſententia iſta, per illud Saluatoris dicentis, Leproſis, id eſt, peccatoribus: Ite oſtendite lepram ueſtram ſacerdotibus. Hoc probat Auguſt. lib. ſuo de uiſitatione infirmorum, ubi dicitur, quod ſomniantium eſt ſuperſtitio, dicere, quod ſaluat peccatorem ſine ſacerdote ad Deum facta confeſsio. Ad idẽ Clemens Decreto ſuo, quod incipit Quotidiana. Ad idem Origenes Homelia ultima ſuper Leuit. Ad idem Euſebius Cæſarienſis, de Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 6. Ad idem Chryſoſt. & ponitur 26. quæſt. 7. Alligant. Et in lib. de reparatione lapſi. Et ad idem Concilium Carthaginenſe 26. quæſt. 6. Is qui, Et Cõcilium Epaunenſe ea. q. & c. Presbyter. Et Cõcilium Laodicenſe c. His qui. Et Hugo lib. de Sacramentis, parte 14. c. 1. Et patet, quod hæretici ſunt, qui confeſsionem auricularem reprobant & contemnunt, uel ſacerdotes, qui ex contemptu ſatisfactionis opera non iniungunt, nec confitentes abſoluunt, nec abſoluere ſe credunt.

> XV Tres partes pœnitẽtiæ.
> Luc. 17. Probatio multiplex.
> Hæretici.

Item profiteor tenendum & credendum, Quod Sacramentum matrimonij in perſonis idoneis & capacibus, iuxta ſtatuta Eccleſiæ & regulas ad hoc traditas & ordinatas, ſancte & legitime eſt exercendum. Excluſis ab hoc irregularibus copulis, quæ modo ſine legibus exercendo tranſeunt & alijs exorbitantijs: Et ſignãter hoc errore, quod filia in annis diſcretionis in ætate puellari exiſtente, & abſq; conſenſu parentum, cuipiam matrimonium uouente, ſit diuorcianda propter parentum diſſenſum, uel propinquorum.

> XVI Matrimonium.
> Exorbitantiæ.

Item profiteor tenendum diligenter & credendum, Quod Sacramentum Extremæ unctionis, ægris & infirmis exercitio ſanctæ unctionis, iuxta formam Eccleſiæ Catholicæ, eſt miniſtrandum & ex debito exercendum. Inſtitutio huius Sacramenti plane patet,

> XVII Extrema unctio.

Marci 6.ubi,Saluatore præcipiente, Apoſtoli oleo ungebãt multos ægros,& ſanabantur.Et Iacobus Apoſtolus idem præcipit,dicens.Infirmatur aliquis ex uobis, inducat presbyteros Eccleſiæ,& orent ſuper eum:ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi in peccatis ſit,dimittentur ei. Vnde patet, quod hæretici ſunt, qui hoc Sacramentum contemnunt,& unctionem hanc blaſphemant & deſpiciunt.Nec eos iuuat,quod inaniter garriunt,dicentes.Apoſtoli Balſamo precioſo ungebant, & ægri ſanitatem accipiebant: Qui de medicis ſpiritus & mentis, faciunt Apoſtolos medicos corporis,qui ſenſu falſificant ſcripturã Chriſti & Apoſtoli. Tum quia Apoſtoli pauperrimi erant, precioſiſsimum illud ungentum Balſami,habere pro omnibus ægris non ualebant, Tum pro eo, quia illam unctionem pro ſalute corporis Laici uel domeſtici expeditius facerent,& ægros ſuos ſine presbyteris ungerent,Tum quia Iacobus dat legem perpetuam, ut inducant omnes Chriſtiani presbyteros,ut orent & ungant: Quod de Balſamo olei facere,eis eſſet impoſsibile uel difficile. Vnde Gloſa dicit. Vngentes cum oleo, ſubaudi ſacro.

Cauillatio hæreticorũ de Balſamo.

XVIII Profiteor, quia credendum eſt firmiter, & ore & corde confitendum,Quod corpus Chriſti ſeu Chriſtus,uerus Deus & homo, exiſtens ueraciter in Sacramento modo ſupradicto, eſt in eodem à fidelibus cultu latriæ colendus, & adorandus & inuocandus, ut Deus, redemptor & creator,& per cõſequens, ut ſummũ bonum ibidem diligendus,requirendus,honorandus & tremendus.Hanc ſententiam practice comprobãt doctores ſancti,antiqui maximi: uidelicet Dionyſius in de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.3.Ambro.in oratione, Summe ſacerdos. Auguſt.lib.ſuo in ſpeculo,Chryſoſt. Moralium 7.& alij multi,ut probaui alibi.

Chriſtus in Euchariſtia adorãdus.

XIX Profiteor uerè & Catholicè, ſalua ſemper ſubiectione, reuerentia & obedientia ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ,in omnibus licitis & honeſtis,Quod iuxta ſententiã Apoſtoli: quam ſumpſit à Domino,quã & tradidit Eccleſiæ, omnes fideles poſſunt licite & Catholice, de illo pane edere, & de calice bibere, iuxta inſtitutionem Chriſti dicentis: Amen amen dico uobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quod Interlinialis exponit de manducatione Sacramentali. Et ſequitur meritum manducantium digne & bibentium. Qui manducat carnem meam, & bibit ſaguinem meum, in me manet & ego in eo. Quod iterum exponit Glo. ordi. de manducatione Sacramentali, dicens. Exponunt quidam ſancti de manducatione Sacramentali, & bene dicunt,

Cõmunio Laicorum ſub utraq; ſpecie.

1.Cor.11. Ioan.6.

cunt. Et hoc idem comprobant fere omnes doctores antiqui & ſancti, & iura antiqua allegatione ſcripturæ uniformi. Verumtamen hic Deum timens, & mores impios aliorum præcauens, fateor, quod quaslibet perſonas de Eccleſia, communioni fidelium ſub utraque ſpecie repugnantes, damnare aut hæreticare non intendo. Sed Dei obedientiam, humanæ obedientiæ præfero, iuxta illud 11. q. 3. Non ſemper, & c. 8. ſeq. Extra li. 1. c. 2. De temporũ or. Dilectus. Et ſaluator. Qui amat patrem ſpiritualem aut corporalem ſuper me, non eſt me dignus. Et alibi. Qui non odit patrem ſuum, ſubaudi in his, quæ contra Deum ſunt, non eſt me dignus. Propter quod, potius humiliter reſpondere eligo, iuxta illum Canonem 2. q. 7. c. Nos ſi, ubi dicitur. Subditis forma datur, humiliter renitendi prælatis, ſi forte eos ad malum cogere uoluerint, Et qui uerberibus & cruciatibus à ſubditis exigunt, ut eis in malo fautores & adiutores exiſtant, licet eis in huiuſmodi uocem contrariæ quæſtionis prorumpere. Cur nos uerberibus affligitis? Nobis iniuſte iraſcimini: Nunquàm uobis inobedientes aliquando fuimus, niſi nũc, cum ad malum cogimur, uidete eum, qui prohibet ab incepto, ſcilicet Deum. hæc ibi.

Hic perplexus eſt iſte Bohemus.

Vbi prohibet Deus Laicis ſub una ſpecie communicare? Quis cogit ad malum?

XX.

Item profiteor pie & religioſe, in primis præſupponendo in hoc puncto fidem Euangelicam & Apoſtolicam, quam quilibet Catholicus in omnibus ſemper debet ſupponere, quod fideles tenentes cum Eccleſia et ſanctis doctoribus: quod in Sacramento Euchariſtiæ, poſt conſecrationem non maneat panis materialis, non ſunt ex hoc erronei aut hæretici appellandi. Tum quia Eccleſia ſic tradidit, Tum quia doctores ſancti multi & antiqui non ſine graui & maturo conſilio hoc conteſtantur, tum quia hodierni hæretici, pro ſuffragio ſuarum hæreſum, oppoſitum huius, ſcilicet remanentiam panis materialis in Sacramento, totis uiribus euincere conantur. Vnde Ambroſius. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, hoc non eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: maioremque eſſe uim benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam ipſa natura mutatur. Et ponitur de Conſe. diſt. 2. Re-uera, ubi probat dictum ſuum multis exemplis ſacræ ſcripturæ, ſcilicet exemplo petræ mutatæ in aquam, uirgæ Moyſi mutatæ in corpus ſerpentis: fluuij mutati in ſanguinẽ &c. Quilibet cõmode poteſt addere illud exemplũ, quo Dominus in fornace Adæ argillam nudam mutauit in corpus uiuum Adæ. Et Ioannes dicit, quod potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ: Quod uidetur ad intellectum magis credibile, quàm Deum poſſe panis materiam in corpus ſuum uerum conuertere. Dicat enim qui ſcit, quo-

Panis materialis poſt cõſecrationem factã, non manet in Sacramento.

Subſtantiã panis mutari.

Matth. 3.

modo lapis poſſet eſſe, aut ex lapide iſto filius Abrahæ:puto intellectum mortalium hoc non poſſe appræhendere, & tamen illud eſt fide credibile. Vnde confidenter dico, quod Deus poteſt plus facere, quàm intellectus noſter intelligere. Et ad idem Auguſt. Dixi uobis, quod ante illa uerba, quod offertur panis dicitur, ſed cum uerba Chriſti deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus Chriſti appellatur. hæc ille de uerbis Domini, ſermone. 5. Et eadem uerba ponuntur, de conſe. diſt. 2. In calice, per Ambroſium.

XXI

Articuli Vuiclephi à Io. Hus damnati. Anno 1408. Et hic liber ſcriptus eſt Anno 1428.

Item profiteor ueraciter, Quia ante annos uiginti, Magiſter Ioannes Hus cum magiſtris & doctoribus Nationis Bohemicæ, ex pleno conſilio ſuo & conſenſu unanimi, nullo ut dicebant contradicente, reprobauerunt, refutauerunt, & prohibuerunt publice coram omnibus & manifeſte, iſtos articulos Ioannis Vuicleph, quod ſcilicet panis materialis remaneat in hoſtia poſt conſecrationem. Item, quod in Sacramento accidentia non ſtant ſine ſubiecto. Item, quod Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice & realiter, in propria præſentia, ſubaudi & exiſtentia corporali, una cum aliis articulis citra X L. Hoc idem fecit facultas Theologorum Pragenſium, Hoc idem doctores in Romana curia, Hoc idem doctores in Anglia, & doctores in Francia. Propter quod ſecurius eſt cum illis ſentiendum, præcipue in illis tribus punctis, & cum ſanctis doctoribus Eccleſiæ, quàm cum Ioãne Vuicleph omnes tales hæreticante, & nephandiſsimos hæreticos impudenter appellante, & Petro Anglico ipſum in hoc publice defendente.

Multiplex Vuiclephi damnatio.

XXII

Orationes ſanctorum pro uiuis et pro exiſtentibus in Purgatorio. Inuocatio ſanctorũ.

Item profiteor, me firmiter tenere & credere, quod Beatiſsima uirgo mater Maria, & alij ſancti uniuerſi, qui ſunt in Eccleſia triũphante, fidelibus in Eccleſia militante & dormiente degentibus & poſcentibus, ſuis quotidianis orationibus, & charitatiuis auxilijs & iuuaminibus, pro uoto merito & capacitate uniuſcuiuſque, ſuffragantur & indigentijs poſcentium fidelium opitulantur. Et quod fideles in uia, poſſunt licẽter & Catholice, pro ſui indigẽtia eoſdem inuocare & exorare, & ad exorandũ pro ſe eoſdem humiliter implorare, & expoſtulare circa talia adoratione, cultu latriæ ſoli Deo ſemper reſeruato. Ad quod proprie loquitur ſcriptura Iob 33. dicens. Si fuerit pro eo angelus loquens, id eſt, pro peccatore, unus de ſimilibus, ut annunciet hominis æquitatem aliquam, miſerebitur eius, ſcilicet Dominus, & dicet. Libera eum, ut non deſcendat in corruptionem: inueni enim in quo ei propicier. Et patet, quod ſi angelus interpellat pro peccatore, & obtinet ſalutem ei & liberationem, omnino glorioſa uirgo Maria, & quilibet Apoſtolorum & aliorum magnorum ſanctorum +. Simile habes Amos 2. quod

addo + ſimiliter facit aut facere poteſt.

Iacob

Iacob flens rogauit angelum. Simile Gen. 19. Loth dixit ad angelum. Quæſo Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiã coram te, & miſericordiam tuam, quam feciſti mecum, ut ſaluares animam meam. Et ſimile fecerunt magni ſancti, pleni ſpiritu ſancto, quia angelos orauerũt, & auxilijs eorum potiti ſunt. Vnde reor ſimpliciter, ſacrilegam hæreſim, gloriæ & meritis omnium ſanctorum in cœlo diminutiuam, & Eccleſiæ uniuerſæ uiantium bonorum & malorum nocẽtiſsime ſpoliatiuam, & damnorum inenarrabilium omnibus uiantibus & dormientibus inductiuã: Dicere & docere, Quod ſancti in cœlo nõ ſunt pro interpellatione, & aliquo auxilio à quoquam inuocandi & implorandi. Vnde Auguſt. egregie loquitur contra tales, libro de cognitione ueræ uitę, dicens. Oratio cordis, non oris aſcendit in cœlum: Animæ enim non clamorem uocis, ſed cordis audiunt, & ſe fideliter inuocantibus ſeruiunt, nec magis clamoroſas uoces audiunt, quàm eas quæ ſine uoce in lingua uel corde fiunt. Sequitur. Animæ ſanctorum non uoces, ſed uerba intuentes, deſiderata eis à Deo impetrant. hæc ibi. Et patet probatio plana ad propoſitum. Item penſare debẽt fideles diligenter, contra huiuſmodi errantes, dicta & ſcripta egregia & excellentiſsima Dionyſij, & omnium ſanctorũ aliorum doctorum, uſq; ad ultimum eorum, huiuſmodi interpellationes ſanctorũ in cœlo, ſupra modum appreciantium, efferentium & deſiderantium: præcipue uirginis & matris glorioſæ. Quod ſi hijs iſti hæretici nolũt credere, ſaltem credant Ioanni Vuicleph, Magiſtro eorũ, in quodam ſermone de aſſumptione Mariæ, ſic dicenti. Hic uidetur mihi, quod impoſsibile eſt nos præmiari ſine Mariæ ſuffragio, Veruntamen ſunt gradus in eius auxilio, ut quoſdam etiam præſtitos iuuat ad cauendum peccata, uel eorum grauedinẽ, & per conſequẽs ad pœnæ perpetuæ mitigationem. Quoſdam aũt iuuat ad bonorum fortunæ, naturæ, & gratię cumulationẽ, & per conſequens ad periculi uel damni temporalis euitationem. Et quoſdam iuuat ad beatitudinis promeritionem. Et ſic nemo eſt expers eius ſuperabundanti ſuffragio, ſiue plus ſiue minus, ſibi ſeruierit: immò illi qui nihil meruerunt, ſentiẽt eius leuamen, cũ occaſione ſuæ humilitatis, & interpellationis pro humano genere, mitius punientur. Ipſa enim fuit quodãmodo cauſa incarnationis & paſsionis Chriſti, & per conſequens totius ſaluationis mundi. Hoc tamen credendũ eſt, quod nemo meretur beatitudinẽ, niſi gratia Dei præueniat, & ipſe cõſequenter Deũ adinuenerit: Maria tamen ſæpe prēuenit merita peccatorũ, quia meretur exiſtentibus in crimine, ut reſurgãt, et ſic non eſt ſexus, ætas, uel ſtatus, uel conditio humani generis, quin neceſſe habeat

Sacrilega hæreſis cõtra ſanctos in cœlo.

Verba Auguſtini.

Verba Vuiclephi de Beata Virgine.

Maria merita hominum præuenit.

habeat auxilium uirginis implorare. Nemo tamen meretur beatitudinem, niſi optimã partem cum ipſa elegerit. hæc ille. Vtinam ergo iſti errabundi, qui nõ credunt dictis omnium ſanctorum doctorum, de interpellatione ſanctorum, ſaltem credant ſuo doctori, adducto hic inteſtimonium & damnationem eorum.

XXIII. Purgatorium animarum. Item profiteor & firmiter credo, quod locus ignis purgatorij, poſt hanc uitam animarum, à corpore exutarum & ſaluandarum, non ad plenum hic in uia per ſatisfactionis remedium purgatarum, eſt ponendus: quodq; fideles hic in uia talibus propter uinculum charitatis & ſpiritus, poſſunt & debent ieiunijs & orationibus & eleemoſynis, & ſanctis oblationibus pie ſuffragari, ſemotis omnibus auaris quæſtubus, & quæſtuoſis lucris, pactis & conuentionibus prohibitis à lege diuina & patrum ſanctorum conſtitutis: quas ſolent facere ſacerdotes ſymoniaci & auari. Hanc ſententiam fundant pene omnes doctores antiqui, in dictis Chriſti dicentis. Matth. 12. Aliquod peccatum non remitti in hoc ſæculo, neq; in futuro. Et in dicto Apoſtoli 1. Corinthiorum 3. Saluabitur, ſic tamen quaſi per ignem.

XXIIII. Ieiunia Eccleſiæ. Item profiteor, teneo, & tenendum credo, Ieiunia Eccleſię, uidelicet ieiunium Quadrageſimæ, Sextæ ferię, quatuor temporum, & ieiunia quæ dicũtur uigiliæ, Aſcenſionis, ſancti ſpiritus, Trinitatis, Natiuitatis Chriſti, & uigiliæ ante feſta ſanctæ Marię, ſanctorum Apoſtolorũ, Sancti Ioannis Baptiſtę, & aliorum ſanctorum Martyrum. Similiter & alia ieiunia ab Eccleſia inſtituta, eſſe ab omnibus in abſtinentia ab ouis, lacticinijs, & carnibus inuiolabiliter obſeruanda. Nec niſi in caſibus neceſsitatis ab Eccleſia conceſsis, à quoquàm uiolanda. Et hoc agendum eſt, habendo ante oculos terribile illud exemplum Ionathæ, de quo 1. Reg. 14. Qui dum ieiunium à patre ſuo indictum cõtumaciter uiolauit, iratus eſt ei Deus, & reſponſum dare noluit omni populo, & Ionathas ex hoc morti erat adiudicatus, & totus populus ualde propter hoc in uictoria ſuper inimicos dãnificatus. Quod ſi unius patris ac præſidis ieiunium indictũ, erat tam diſtricte ſeruandum, quid putandũ eſt de ieiunijs totius Eccleſiæ, & concordia innumerabilium patrum ſanctorum, ieiunia huiuſmodi indicentium & præcipientium? Sententia iſta patet primo per Auguſtinũ, & ponitur de Conſe. diſt. 5. Ieiunium autẽ, de Conſ. diſt. 1. Solent. Item de conſ. diſt. 3. Sacerdotibus, & c. Non licet. Et ex Concilio Laodicenſi, Non oportet. Et ex Concilio Agatenſi, c. Placuit. Cõformiter intelligo à carnibus certis diebus, ut Sabbatis & diebus Rogationum, abſtinendum eſſe.

Ionathas filius Saul Regis.

XXV. Item profiteor, feſta omnia antiqua, ab Eccleſia ſalubriter & rationabiliter

rationabiliter inſtituta, ut feſta omnia Chriſti, Sanctæ Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Angelorum, eſſe celebranda, & in cultu diuino, et memoria ſanctorum Martyrum expendenda. Sententia patet de Conſe. 3. Ex Concilio Lugdunenſi c. Pronunciandum. Vnde Bernhardus. In ſanctorum feſtiuitatibus, & gaudere & confundi debemus: Gaudere, quia patronos promiſimus: Confundi, quia eos ſequi nō poſſumus, nec imitari contendimus. Nec mirum hoc, Cum (ut dicitur Heſter 8.) omnis ciuitas exultauit atq; lætata eſt ad gloriā Mardochei, qui ad Imperium Aſſueri præcedebat, fulgens ueſtibus regijs, hiacynthinis & aërinis: coronam auream portans in capite, amictus pallio ſericeo atq; purpureo. Omnino exultandum & lætandum eſt in diebus ſanctorū, quos ſummus rex Deus incomparabiliter amplius glorificauit & exaltauit in cœli palatio. Contra hoc faciunt hodie erronei, & dicunt illud Pſal. Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra. *Pſal. 73.*

Item profiteor uere & Catholice, Quod omnes ritus Eccleſiæ laudabiles, omnes uſus & conſuetudines: cultum & laudem Dei ſapientes, & inſtitutionem morum promouentes: Omnia, inquam, talia, quæ utiliter & communiter ſeruat Eccleſia, licet non ſic explicita, ſed implicita in ſcriptura, ſunt à Catholicis obſeruanda. Nec obſtat obiectio errantium, dicentium, Quod talia non ſunt explicita in ſcriptura, ideo ſunt tanquā inutilia reijcienda. Quia Auguſtinus dicit (ut ſupra allegatū eſt) Si enim attenderimus cōſuetudines Eccleſiæ, non per ſcripturas à patribus traditas, nihil exiſtimare, quantū religio detrimenti latura ſit, intente reſpicientibus liquido conſtabit. hæc ille. Et ponitur diſt. 2. Eccleſiaſticarum. Quod autem omnia talia ſunt implicite fundata per Apoſtolos in ſcriptura, audiant huiuſmodi errantes, & hodie talia deponentes, & turpiter blaſphemantes, doctorem ſuum Ioannem Vuicleph, libro ſuo de poteſtate c. 11. ita dicentem. Vlterius conceditur, quod obſeruanda eſt laudabilis conſuetudo Eccleſiæ, licet non ſit explicita, ſed implicita in ſcriptura, Quia nimis diffuſa & oneroſa eſſet lex Chriſti, ſi omnes tales ritus, uſus, uel conſuetudines forent in ea expreſſæ. Ideo credendum eſt, quod ſpiritus ſanctus neceſſariora Eccleſię expreſsit, & leuiora ſub quodam confuſo inuolucro ſimul texit: ut patet 1. Cor. 14. dicit ſpiritus per ſuum Apoſtolum. Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant. In quo includuntur omnes uſus Eccleſię, in dicendo ſeruitium, omnes ritus ordinum priuatorum, & breuiter omnis conſuetudo Clericalis uel Laicalis laudabilis. hæc ille. Et patet, quod omnia huiuſmodi laudabilia, fundata ſunt, & docta

XXVI. Ritus & conſuetudines Eccleſiæ.

Non ſunt omnia in ſcripturis expreſſa.

Verba Vuicleph.

1.Cor.14. per Apoſtolos in uno illo principio: Omnia honeſte & ſecundum
Rom.14. ordinem, ſubaudi Eccleſiæ, fiant in uobis. Et alibi. Quæcunq; ædificationis ſunt, inuicem cuſtodite. Facit ad hoc Auguſt. Et ponitur
Aug. epi. 118. diſt. 12. Illa quæ, ubi dicit Auguſtinus & Ambro. Illa quæ non ſunt ſcripta, ſed tradita cuſtodimus: hæc quidem toto orbe terrarũ obſeruantur, datur intelligi, uel ab ipſis Apoſtolis, uel plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas) commendata atq; ſtatuta retineri. Et infra. Quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores eſſe conuincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos uiuitur, ſocietate ſeruandum eſt. Et infra. Et tu ad quam forte Eccleſiam ueneris, eius morem ſerua, ſi cuiquàm nõ uis eſſe ſcandalum, nec quenquàm tibi. hæc illi ambo.

Rituũ contemptores Tria mala incurrunt. Et hunc Canonem opto ualde, ut omnes Catholici ualde diſcutiant, obſeruent, & cuſtodiant, & tanquàm aureum ſcutum contra omnes exorbitãtias hæreticorum, hodie in omnes ritus & cultum Dei ſæuientium, præferãt: Ne iſta tria mala incurrant. Primo, ne commendata atq; ſtatuta Apoſtolorum & plenariorum Conciliorum, ſuperbe dirumpant. Secundo, ne ſocietatem Chriſtianam amittant & perdant. Tertio, ne toti mundo ſcandalum fiant.

XXVII. Conformitas in diuinis officijs. Item profiteor, Quod in officijs Eccleſiaſticis omnes pro poſſe obligantur, et debent ſe Eccleſiæ matri & Metropolitanæ conformare, in pſallendo Matutinas, Miſſas, Veſperas & cætera officia publica, & in orando horas Canonicas, & alia multa, quæ Concilium Toletanum antiquum per omnia præcipit, Et ponitur diſt. 12. De his qui &c. Et ad hoc hortatur inſtantiſsime Apoſtolus Philip. 2. dicens. Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua uiſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, unanimes idipſum ſentientes, ſubaudi in fide & moribus. Cuius ratio naturalis datur ex
Similitudo Philoſopho, qui dicit, Quod minima rima in naui magna, totam periclitat nauẽ. Sic paruę diuiſiones in moribus, in populo, faciunt maxima incommoda uniuerſo populo. Faciunt enim neceſſario, ut alij ſua magis probent, & aliorum reprobent & contemnant: ex quo ſequũtur odia, æmulationes & contentiones: Vt modo experimur in omni regno iſto. Et idcirco ſubdit Apoſtolus ibidem
Qualis ſacerdos Thaborenſis. c. 3. Veruntamen ad quod peruenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Contra hoc facit ſuperba præſumptio Thaboritarum, quæ ſic deſcribitur. Sacerdos Thaborenſis eſt, qui in facie quidem pius & manſuetus, ſed interius impius & Tyrãnus: Exterius innocens & purus, ſed interius à cruore fœtidus & ſqualidus: Exterius ſubmiſſus, ſed interius ſuper omnes erectus,

qui

qui nemini ſubeſſe patitur, præeſſe cunctis molitur: præſumit ſe meliorẽ, quod nõ credit ſe ſuperbiorem: de omnibus ſe intromittit, à ſapientioribus uultum auertit: reordinat ordinata, reficit facta: quicquid ipſe non fecit aut non ordinauit, nec recte factum, nec pulchre æſtimat ordinatum: iudicat iudicantes, præiudicat iudicatis, infrenis, inflexibilis, præceps & audax, in omnia diuina temerarius, & in ſancta ſingula impius & prophanus.

Item profiteor pie, ſancte, ardenter & Catholice, Quod totus ritus & ordo communiter ſacrificandi ſeu miſſandi ex ſanctorum traditionibus, tanquàm ex aureis maſsis & precioſiſsimis gemmis, decentiſsime elaboratus & comportatus, & cultui diuiniſsimæ Euchariſtiæ, & eius honori & magnificentiæ ſaluberrime & ſapientiſsime adaptatus: in ſuis ſingulis ritibus & moribus, uidelicet in geſtu, ſignis, & habitu ſeu ueſtimentis conſuetus, puta, in alba, humerali, orario, mappula, cinctorio & caſula, more Eccleſiæ uniuerſalis tentus & obſeruatus, in loco ſacro & tempore decenti, ac alijs circunſtantijs, ad ſacrificandum correquiſitis (circumſcriptis ab eiſdem omni pompa, & alijs deordinationibus) à cunctis ſacrificantibus eſt obſeruandus, & abſq; ineuitabili neceſsitate, à Chriſti ſacerdotibus non eſt prætermittendus, ſed operetenus exequendus. Iſta profeſsio habet plenam probationem ex ſcriptura, & teſtimonijs ſanctorum ſupra immediate in duplici profeſsione allegatorum: contrafacientes peccant enormiſsime, illo triplici uitio ſupradicto: Scilicet contra Apoſtolicam inſtitutionem, quæ imperat, ut omnia ſecundum ordinem Eccleſiæ fiant, Et etiam cõtra generalium Conciliorũ autoritatẽ, & contra omnium ſanctorũ doctorum approbationẽ, quos alibi pro toto ritu Miſſæ abunde cõportaui. Secundo, peccant in & contra ſocietatẽ omniũ, cum quibus uiuunt. Tertio, peccant in totũ mundũ, quem ſcandalizant. Vnde reor ſecurius cuilibet Chriſtiano, talium Miſſas fugere & ſalubrius uitare, quàm eis aſtare, & ſua pręſentia eas approbare: Suadente hoc Canone de conſ. diſt. 1. Eccleſiarum, & c. Placuit, ex Concilio Aphricano. Ad cõtemptum quorum & confuſionem, adduco eis magiſtrũ eorum, Ioannem Vuicleph, qui lib. de poteſtate Papæ approbat omnia ornamenta ſupradicta, declarans maximam utilitatẽ morum & uirtutũ per eandem deſignari. Item de Apoſtaſia cap. 15. approbat totũ ritũ Miſſę, à principio ferè uſq; ad finem, dicens eum egregium & egregie declaratũ, concludens de omni ritu illo & dicẽs. Certũ quidẽ eſt, quod omnia talia de tanto ſunt laudabilia, de quanto excitãt, ut Chriſtus plus ametur. hæc ille. Quãuis prępõderantiã eorũ ſupra uirtutes nõ cõmendat, Et idem

XXVIII Ritus & ordo ſacrificãdi optime diſpoſitus.

Triplex peccatum in mutatis ritibus Miſſæ.

Totus ritus Miſſæ à Vuicle. approbatus.

+ uſi ſunt. in eodem libro, ſcilicet, de poteſtate Papæ dicit, Quod Chriſtus & Apoſtoli + uſus eſt leniter ornamentis, docendo, ut faciamus ſimiliter. hæc ille. Erubeſcat ergo diſcipulus à Magiſtro ſuo, et in hoc ſit ſicut magiſter eius: Chriſto præcipiente hoc & dicente. Non debet eſſe diſcipulus ſuper magiſtrum: ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter eius. Matth. 10. Vuicleph autem celebrauit Miſſas ſuas, ritu & forma Eccleſiæ, faciant idem Thaboritæ, uel confundantur dici Vuiclephiſtæ.

XXIX. Item confiteor contra huiuſmodi errantes, & ſchiſmatica præſumptione delinquẽtes, Quod ſaluberrimum eſt fidelibus, obijcere eis Magiſtrum eorum ibi. Tractatu de gradationibus ſcholaſticis c. 3. Sic primo obijcientem & Catholicè ſoluentem, & dicentem. Sed hic redarguunt ſuperbi improbantes iſtam rationẽ. Non inquiunt, legitur, quod Apoſtoli habuerunt caput & barbas raſas, ſicut nos utimur. Nec dixerunt horas Canonicas, ut nos facimus; nec ſeruant ieiunium, ueſtimenta uel ritus in celebrando, ſicut nos facimus, ergo omnia talia ſunt illicita. Quis ſtultus neſcit, quoniam iſtud non ſequitur. Sed oportet fidelẽ nominare humiliter + captioſe, quomodo aliqua ſunt docta implicite in ſua ſpecie uel ſuo principio, & aliqua explicite in ſuo indiuiduo. Tunc dicitur, quod ſuppoſita quacunq; tali cæremonia, uirtuoſa uel licita, fuit docta per appoſitiones in ſuo principio. Nam ſi principium fuit Paulo, quod omnia ſecundum ordinem fiant, dum tales ritus fuerunt ordinati, docentur in iſto principio. hæc ille. Ex quibus patet, quod teſte magiſtro eorum, huiuſmodi ſunt ſuperbi & captioſi, quibus opponendum eſt, quod uariantes in his ſine euicta neceſsitate uirtuoſa, poſſent dici ſchiſmatici, propter allegationes & probationes ſanctorum ſupra dictas. Addo his de + plattis ſacerdotũ, & approbatione eorum Hieronymum 12. q. 1. Duo ſunt, Auguſtinus in lib. de contemptu mundi, ualde late.

Contra ritus obiectio.

Solutio per uerba Vuicleph. + addo non.

Superbi & Captioſi Thaboritę

Id eſt + circulis raſis in capite.

XXX. Item profiteor religioſe & Catholice, Quod aquæ conſecratio eſt licita in religione Chriſtiana, patet per Auguſtinum de Conſe. diſt. 4. Non eſt. Vide ſupra allegatum. Et idem Ambro. eadem diſt. dicit, Venit ſacerdos ad fontẽ. Et conformiter profiteor, quod aquæ conſecratio, & eius aſperſio eſt licita, patet ea. diſt. Vbi Alexander Papa, quintus à Beato Petro, dicit. Aquam &c. Et ad idem ex Agatenſi Concilio, quod pœnitentes aqua benedicta ſunt aſpergendi, Epiſcopo manus eis imponente, & cinere aſpergendi ſunt. Et ponitur diſt. 1. In capite. Et de ſale benedicto Rabanus teſtatur de Conſe. diſt. 4. Exemplum. Et Beda ibidem c. Sal cœleſtis. Et idem cenſendum eſt de Conſecratione caſeorũ, ouorum, eſcarum, palmarum,

Aquæ benedictæ aſperſio.

Benedictio ſalis & aliarum rerum.

palmarum,& rerum aliarum, quorum omnium fundatio in lege ponitur, cum dicitur in Apoſtolo. 1. Timothei 4. Sanctificatur enim cibus per uerbum Dei & orationem, id eſt, per Euangelium, uel pſalmum lectum deſuper, & orationem Dominicam, & Collectas Eccleſiæ. Et ad idem eſt Chryſoſt. ſuper Matth. in opere imperfecto, de benedictione eſcarū. Et qui nolūt his ſanctis credere, ſaltem allego eis doctorem, & prætenſum Euangeliſtam eorum, Ioannem Vuicleph, de blaſphemia c.17. dicentem. Vnde audiui, quendam ſacerdotem conqueri de ſeductione hoſtiarij, dum diebus dominicis deferendo aquam benedictam, immiſcet ſæpe aquam non benedictam, & ſic nouiſsima Parochiæ non habent aſperſionem aquæ taliter benedictæ, & per conſequens in ſpiritualibus differenter fraudatur Parochia: Non enim phas eſt dicere, quod aquæ talis aſperſio nihil ualet. Nec ualet dicere, quod in liquidis quantumcunq; per unum Sacramentum ſanctificat quantumlibet copulatum: Tum quia non coextenduntur, ſed occupant loca propria. Et nota ſecundum philoſophos, ſanctitas aquæ cum ſit accidens, non migrat de ſubiecto uno in aliud: Tum etiam, quia ſic hoſtiarius, projiciēdo guttā aquæ benedictæ in mare, ſanctificaret totum mare: Immo, cum omnes aquę mediterraneæ, paludales uel fontales, continuantur cum mari, per Cataractas abſconditas, hoſtiarius poſſet faciliter ſanctificare omnes aquas mundi: Et cum aqua non debeat iterum conſecrari, olim ceſſaſſent aquarum conſecrationes miniſterio ſacerdotis. Nec ualet dicere, quod ſpiritualiter generatur noua ſanctitas, ut contingit de luce. Tum quia per idem ſic foret de ſanctificandis cōſtantibus, ut + plane, palmis, igne, cera, thymiamate + cero, pera, fructibus, & alijs ſanctificatis communiter. Tum etiam, quod liceret Exorciſtæ, hoſtiario uel Laico cuicunq;, benedicere uel ſacrare cuncta huiuſmodi, quia deferre ipſa ad loca, in quibus multiplicarent ſibi ſimilia in ſubiecto capaci. In quo caſu, ſicut deferens candelam ad locum tenebroſum, ipſum illuminat: Sic uidetur, quod applicans facit nouam aquam, ſic conſecrat ipſam aquā, ipſa à ſui initio conſecrata, quia aliter ſolus Deus conſecraret, & non presbyter uel miniſter. Relictis igitur obiectionibus cōtra reſponſiones fictas, uidetur, quod ſicut in primitiua Eccleſia habuerunt Chriſti diſcipuli poteſtatem faciendi miracula: ſic habuerunt poteſtatem, corpora tam rationabilia quàm irrationabilia conſecrandi. Nam Mar. ult. dicitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient.

Vuicleph de aqua benedicta.

Virū aqua nō benedicta fiat benedicta ſi adduur benedictæ.

+ pane.

+ thure.

Determinatio Io. Vuiclephi.

Cum igitur in corporibus, tam animatis quàm inanimatis, latēt dæmonia, ut patet de legione dęmonū miſſa in porcos Mar. 5.

Et in aëre ac alijs corporibus, ubi magis nocent homini, eſt notorium hos latere. Euangelium igitur, promittens nedum ſacerdotibus, ſed generaliter in Chriſtum credentibus, poteſtatem & effectum ejciendi dæmonia, dat fidem, quod ſic poſſunt in exemplum credentes: cum poteſtas Domini inextiguibilis perpetuo ſit parata. hæc ille.

XXXI Laicis ſacra uaſa nude tangere nō licet. Item profiteor religioſe, Quod uaſa ſacra non debent contrectare & contingere nudis manibus illi, qui non ſunt Clerici: Nec habent licentiam ingredi in Sacrarium. Patet hoc ex Cōcilio Agatenſi diſt. 23. Non oportet, & c. Sacratas.

XXXII Eccleſiarū dedicatio. Item profiteor iuſte & Catholice, Quod Baſilicæ uel Eccleſiæ Chriſtianæ ſunt ab Epiſcopis dedicandæ & conſecrandæ, & ſuper omnes mundi domos & palatia omnium Regum, amplius ab omnibus honorandæ, & omni opere ſacro uenerandæ. Patet hoc primo ex iniuncto Saluatoris Ioan. 2. Nolite facere domum patris mei, domum negociationis. Scriptum eſt, Domus mea domus orationis uocabitur cunctis diebus, uos aūt feciſtis eam ſpeluncam latronum. Et patet grauis ſententia contra inhonorantes domum Domini. Si ergo expulit Chriſtus uendentes & ementes de templo: Omnino hodiernos hæreticos ſtercorantes & accubantes in templis, omnia ſtabula facientes de templis, omnino templa comburentes, nephandiſsime uel deſtruentes. Et ſi Chriſtus non ſinebat uas transferre per templum Iudæorum, & illam domum Domini, omnino non ſinet illa peſsima facere, in dedecus templi ſui. Vnde Apoſtolus de edentibus in Eccleſia. Nunquid domos non habetis ad edendum & bibendum, an Eccleſiam Dei contemnitis? Et hæc ſumma ponitur diſt. 42. Parſimoniam. Et ad idem Auguſt. eadem diſt. In Oratorio præter orandi & pſallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic ópera iugiter impenſa cōcordent. Ad idem ea. diſt. Ex Concilio Laodicenſi c. Non oportet, in Eccleſijs ſeu Baſilicis Agapen, id eſt, conuiuia pauperū facere, & intus mādùcare & accubitus ſternere. Et ad idem Ambro. Maxime ſacerdotibus conuenit, ornare templa Dei honore congruo, ut etiam cultu altare Dei reſplendeat. Et ponitur diſt. 86. Non ſatis.

Inhonorare domum Dei.

1. Cor. 11.

Chryſoſt. de honorandis Eccleſijs. Et ad idem Chryſoſt. Moralium 73. loquitur de magno honòre & reuerentia Eccleſijs exhibenda. Vocat enim eam ſanctam domum, palatium ſummi regis: & qui intrant Eccleſias ut mulieres uideant, mirum eſt, quod eos tonitru non occidit, & quod fundamenta Eccleſiæ cum eis non euelluntur. Et lib. de occiſione Martyrum dicit, quod Eccleſia eſt ſchola cœleſtis, in qua ſunt omnia animarum medicamenta.

Item profiteor conformiter, Quod altaria Eccleſiarum debent eſſe ſacra, & ab Epiſcopo dedicata & cōſecrata. Patet de con. diſt. 1. Nullus presbyter. Et ad idem Concilium Agatenſe c. Altaria. Et ad idem ex Concilio Triburienſi ibidem, quod in locis uel altaribus prophanatis nemo celebret. Item profiteor de ueris reliquijs ſanctorum Martyrum, Apoſtolorum, & aliorum ſanctorum, quod ſunt uenerandæ & honeſte conſeruandæ. Nam dicit Apoſtolus. 1. Cor. 12. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et alibi. Neſcitis, quoniam corpora ueſtra membra ſunt Chriſti, tollens ergo membrū Chriſti, faciam &c. Conſyderare ergo debemus, quāta gloria, & quanto honore honorabuntur à Deo in æternum illæ ſanctorū particulæ, & quanto amore amabuntur huiuſmodi corpora à Deo & ſanctis eius. Vnde Hieron. Admonendi ſunt omnes, ut diligenter caueant periurium, non ſolum in altari, ſed in ſanctorum reliquijs, & in communi loquela. Et ponitur 22. q. 1. Habemus. Et ad idem Cōcilium Triburienſe 27. q. 6. Si plures. Et ad idem Chryſoſt. li. de conſtantia martyrum dicit. Ita profecto & dæmones, qui uere latronum & principes & magiſtri ſunt, ubi coronatorum martyrum corpora uiderint poſita longe, illico ab aſpectu eorum fugiunt pauidi & abſiliunt. Et infra. Precioſa enim ſunt corpora Martyrum, quæ plagas pro Deo excœperūt. Et quia ſtigmata propter Chriſtū in membris ſuis impreſſa circumferunt, hæc ille. Et ſi his credere nolunt, ſaltem credant ſuo Magiſtro Vuicleph, qui tractatu magno de Euchariſtia cap. 9. ſic dicit. Sed ideo adoramus imagines nude ut ſigna: Deum autem debemus, quantum ſufficimus, adorare. Et infra. Conceditur ergo, quod reliquiæ, imagines & Sacramenta, ſunt cum prudentia adoranda. Ille ergo, qui ſciet ſuſpendere conſyderationem ſigni ſenſibilis, & appēdere cōmunem intentionem, & affectionē in creatione imaginis, modo quo Clericus ſuſpendit ſcripturas, cōcipiendo ſententiam. Ille, inquam, adoraret atria Deum in illo ſigno. hæc ille. Et etiam 4. M. P. Ang. poſt eum ſic dicit: Adorāda ſunt cum prudentia Sacramenta, imagines, & ſanctorum reliquiæ.

XXXIII — *Conſecratio altariū.* — *Reliquiæ ſanctorum uenerādæ.* — *1. Corin. 6.* — *Vuicleph de uenerādis reliquijs & imaginibus.* — *Magiſter Petrus Anglicus.*

Item profiteor, Quod imagines Chriſti & ſanctorū, excluſa ab eis indecentia ſæculari in cultu indecenti, poſſunt licite in Eccleſijs Chriſtianorū haberi & utiliter retineri. Patet ſententia de Conſe. diſt. 4. per Gregorium &c. Venerabiles imagines Chriſtiani non Deos appellant, neq; ſeruiūt eis ut dijs, neq; ſpem ſalutis ponunt in eis, neq; ab eis expectant futurum iudicium: Sed ad memoriam & ad recordationem primitiuorum uenerantur eas & adorant, ſed non ſeruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ. hæc ibi.

XXXIIII. — *Quomodo uenerari debent imagines.*

conditura propinquiſsime exēplata & elaborata, uidelicet quantum ad Acolytos ſeu hoſtiarios, Subdiaconos, Diaconos, presbyteros, Plebanos, Decanos, Archidiaconos, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, Patriarchas, & Papam. Et ſi qua ſunt alia officia, quæ ponuntur per Iſidorum lib. 7. Etymo. Et in Canone diſt. 21. Cleros. Nam ſimilis ordo in lege ueteri per Moyſen & Dauid fuit multipliciter præfiguratus, & per gradus & officia uſque ad ſummum ſacerdotem limitatus, uidelicet Deut. 22. & 1. Paralip. 25. Et in nouo Teſtamento à Chriſto ſummo Pontifice, &+ Apoſtolicis Epiſcopis, & 70. diſcipulis perfecte inchoatus, & tandē à Beato Petro, principe omniū, à Chriſto cōmendatus. Hanc etiam Eccleſiæ ordinationem, Beatus Dionyſius diſtinxit in tres differentias, in modū Hierarchiæ cœleſtis, Et quamlibet ſubdiuiſit in alios tres ordines: & ita in uniuerſo in nouē ordines, ſeu nouem Hierarchias partiales totam diuiſit Eccleſiam. Salomon uero & Beatus Paulus comparant Eccleſiam corpori uirginis pulcherrimę, deſcribentes eam per membra ſingula, decentiſsime ſub uno capite ordinata. Sicut enim, inquit, in uno corpore multa membra habemus: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra. Et quoſdam quidem poſuit Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Euangeliſtas, & alias uirtutes, gratias curationum, gubernationes, opitulationes. Et ad opitulationes ſpectant illi gradus, qui non ſunt de principalibus membris Eccleſiæ, ſed de appendicijs, qui principalibus opitulantur, ſalutem totius corporis exercere. Et ex his patet, quomodo Eccleſia tota & multitudo eius ad modum uirginis debet eſſe, ſed omnia membra ſua Hierarchice cōgregata & ordinata, cuius membra cōuenit eſſe ſub uno capite copulata. Sic enim in Hierarchia cœleſti, & in omni alia prædicta ſubordinatione in multitudinibus, neceſſe eſt dare primū & ultimum. Primū quidem, quod eſt minimū quantitate, ſed maximum officio & uirtute: Ita etiā in politia Eccleſiaſtica, quę eſt multitudo, uertex, regula, & form omnium aliarum politiarū in mundo, conuenit eſſe unum primū uoce & opere uirtuoſiſsimū, quo ad omnem uirtutem & ſanctitatē, ſummū & immediatū Chriſti Vicarium, &+ ſibi ſuper omnes uiuentes, neceſsitate ſtatus & ordinis exigente, ſimillimū: poteſtate in omnia ſpiritualia eminētiſsimum: & morum pulchritudine decentiſsimū. Aliquādo ſi à ſtatus excellentia meritoria peccando uel deſcenderet uel caderet, ſtatus quidem excellentiam & ſi retineret, ſed efficaciam gratuitam & meritoriam, quantū in eo eſt, quo ad totam Eccleſiam nimis nocenter offenderet, & totū ordinem ſuæ politiæ confunderet, & in omnia

[Marginalia: + Apoſtolis | Hierarchia Eccleſiaſtica. | Cant. 5. 1. Cor. 12. Membra Eccleſię ſub uno capite. | Politia Eccleſiaſtica omnes alias præcellit. | + ei | Status excellentia in Papatu.]

principia ſupra dicta,& in ordines eorum incredibiliter delinque-ret.Et patet quantū eſt periculum,quantus caſus & demeritū(quia mūdo intolerabile) ſummi ſacerdotis, & quantū eius meritū, dum ſtans in ſtatu altiſsimo,ſtat in culmine diuinæ gratię,& uertice cu-iuslibet uirtutis.Et idem intelligo de omni alio ſtatu ſub illo princi-pio, maiorem & minorē acceſſum ad ipſum, uſq; ad ultimum Cle-ricum. Sententia iſta patet in Canone 11.quęſt.3.Pręcipue,1.q.1. Viliſsimus.Et 40.diſt.Homo, per Chryſoſt.& quod ibi notatur, Magis enim peccat quilibet Clericus quàm Laicus, eodem genere peccati,& magis literatus quàm non literatus. Ad idem ea. diſt.c. Si papa,& c.ſeq. Ad idem diſt. l. De his uero.Ad idem de pœni. diſt.5.Conſyderet.Et 23.quæſt.4.Qui peccat. Et quod notatur de elect. Cum in cunctis. Et ad idem diuiniſsime notatur 9.quæſt.3. Aliorum. Quod autem huiuſmodi gradus fere omnes uel plu-res fuerunt in Eccleſia primitiua,patet de Acolytis tempore Apo-ſtolorum, per Hieronymū in prologo ad Coloſſenſes, & 21.diſt. Cleros, & diſt.25. Perlectis, ubi etiam fere tractatur de omnibus illis.Et ad idem de Acolyto diſt. 93.ex ſynodo ſancti Sylueſtri de ſubdiacono. Agatenſe Concilium diſt.34 Presbyteri,Et ex Cano-nibus Apoſtolorum diſt.35.Epiſcopus.Item diſt.60. Nullus,diſt.l. Placuit, Et ad idem Damaſus Papa ſcribit Hieronymo diſt. 56. Oſius,de Diacono.1.Timo.3.Et diſt. 28.Nullus, per Gregorium, Et c.Decernimus,De presbytero & Epſcopo.1.Tim.3.Et diſt.93. ex ſynodo ſancti Silueſtri. De Decano & Archidiácono Conci-lium diſt.60.Nullus,Et diſt.l. In capite de Epiſcopis, Archiepiſco-pis, Patriarchis & Primatibus,ex Deceto ſancti Clementis,diſt. 82.ubi etiam de uno qui præſit omnibu. Et ad idem pro uno ſu-per omnes, diſt.21. Decretum,Et c. Innouo, & c.ſeq.& quod ibi notatur et allegatur.Et diſt.l.Conſyderandum,& diſt.93.Si inimi-cus,per Clementem.Ad idem 2.q.7.Pito,& c.Paulus,et c.Petrus, per Gregorium,& c.Paulus. Ad iden optime Ambroſius, Et po-nitur 2.q.7. Beati Petrus & Paulus eminēter inter uniuerſos Apo ſtolos, & ſpeciali quadam prærogatiua præcellunt. Verum inter ipſos,quis cui præponatur incertum eſt. Puto enim illos æquales eſſe meritis,qui ęquales ſunt in paſsione,& ſimili eos fidei deuotio-ne uixiſſe: quos ſimul uidemus ad martyrij gloriā perueniſſe.Non enim ſine cauſa factū putamus,quod una die in uno loco ſub uno perſecutore paſsi ſunt: Vna die, u ad Chriſtum pariter peruenirent: & uno loco, ne alteri Roma deeſſet:ſub uno perſecutore, ut æqualis crudelitas utrunq; perſtringeret. Dies ergo pro merito, laus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro uirtute, & in quo loco

Gradus Clericorū in primitiua Eccleſia

Vnus ſuper omnes.

Aequalitas inter Petrū & Paulum.

ijdem

ijdem tandem martyrium pertulerunt. In urbe Roma, quæ principatum tantum & caput obtinet nationum, id eſt, ut ubi erat caput ſuperſtitionis, illic caput quieſceret ſanctitatis, Et ubi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morerentur. hæc ille. Ad idē Hieron. & ponitur 24. q. 1. Hæc eſt fides. Et ad idē, idem Hiero. 14. diſt. Legimus, ubi datur ratio et cauſa, quare unus ſuper omnes eligitur: quia in ſchiſmatis remedium. Omnium autem illorum graduum diſtinctio optime declaratur per Gregorium & Bonifacium 90. diſt. ſic dicentium. Ad hoc diſpoſitionis prouiſio diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reuerentiam minores potioribus exhiberēt, & potiores minoribus dilectionem impenderent, uera cōcordia fieret & ex diuerſitate cōtexio, et recte officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neq; enim uniuerſitas poterat alia ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret: Quia uerò quæcunq; creatura in una eademq; qualitate gubernari uel uiuere non poteſt, cœleſtium militiarum exemplar nos inſtituit. Quia dum ſunt Angeli, ſunt Archangeli, liquet quia nō ſunt æquales, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differunt alter ab altero. Vtilitas graduū in Eccleſia.

Item profiteor humiliter ſyncere & ueraciter, Quod teneo & uolo uſq; ad mortem meam eſſe humiliter ſubiectus & obediens Eccleſiæ ſanctæ Romanæ, & eius ſummo Pontifici & legitimo, & omnibus alijs præpoſitis & prælatis meis, et hoc in omnibus licitis & honeſtis, Deo & legi eius non aduerſis: iuxta illud Saluatoris. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ et Phariſæi: quæcunq; dixerint uobis de cathedra, id eſt, ex officio, quod mala non imperat, facite: ſecundum opera uerò eorum nolite facere. Et Apoſtolus, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; Quæ autē à Deo ſunt, ordinata ſunt: Itaq; qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit. Qui autem ordinationi Dei reſiſtit, ſibi damnationem acquirit. Et hic notanter adijcio: Quod ſemper ſubeſſe debeo omni tali officio & poteſtati, ſed non ſemper præſidentis uoluntati: ſemper officio, ſed nunquàm malo imperio. Non enim eſt ſemper malum, non obedire, quia cum aliquid præcipitur contra Deum, prælato nō eſt obediendum 11. q. 3. Nō ſemper, et viij. c. ſeq. Extra li. 1. ti. 11. De temporū or. Dilectus. Et ſic intelligo Apoſtolum dicentem. Subditi eſtote præpoſitis ueſtris non ſolum bonis & honeſtis, ſed etiam diſcolis, ſed non indiſcolis, Quia Act. 5. dicitur, quod oportet Deo plus obedire quàm hominibus. Addo his notanter, quod obedientiam negans ſuper cauſam iuſtā, non addat uiolentā & rebellem proteruiā, ſed humilem, modeſtam

XXXVII

Matth. 23.

Rom. 13.

Miſere tot quet hunc Bohemum cōmunio Laicorum ſub utraq; ſpecie: De qua plus ſibi quàm PP. & Romanę Eccleſię credit.

modeſtam & omniquaq; uirtuoſam renitentiam: iuxta Canonem ſupra allegatum. 2. quæſt. 7. Nos ſi.

XXXVIII Item profiteor Euangelice & fideliter, Quod claues ſoluendi & ligandi, peccata remittendi & retinendi, datæ ſunt à Chriſto Eccleſię ſanctę in Beato Petro principaliter, & in alijs Apoſtolis: quibus habet poteſtatē intromittendi in Eccleſiam, & in Sacramenta omnia, reijciendi de Eccleſia per Excommunicationem, & ipſarum exercitium & executionem: Profiteor eſſe eminēter & principaliter apud primum Eccleſiæ officium, & cōmuniter apud alia officia, modo & forma ab Eccleſia legitime & rationabiliter limitata. Quorum executioni ſemper ſtandum eſt, & parendum: dummodo huiuſmodi exercitia fiunt claue Eccleſię (Immo uerius executore clauium) non errante. Vnde Saluator. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Et Ioan. Chryſoſt. ſuper epiſtola ad Heb. Nemo contemnat uincula Eccleſiaſtica: Non enim homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus qui hanc poteſtatem dedit: & Dominus fecit homines tanti honoris. Et ponitur 11. q. 3. Ad idem Chryſoſt. c. Ad menſam. Et Auguſt. ad idem c. 2. ſequen. ubi probat, quod qui excōmunicatur, exemplo Apoſtoli, Sathanę traditur. Et ad idem 24. q. 1. Quodcunq;, Ad idem Hieronymus ea. q. c. Audi, & c. Nolite. Ad idem Gregorius c. Sententia. Et quia iudicium Eccleſiæ ſæpe ſequitur opinionem, in quo fallit & fallitur: Sed iudicium Dei ſemper ueritatem. Extra lib. 5. de ſen. excom. A nobis. Idcirco dico, quod ius excommunicationis maxima eſt pœnarum in Eccleſia, qua nulla maior eſt, 24. q. 3. Corripiantur, 11. q. 3. Abſit, in fine. Tamen ſententia huiuſmodi iniuſta, ſiue quidem iniuſta fuerit ex cauſa ſiue ex ordine, ſiue ex opinione mala orta fuerit, licet quidem ſemper eſt timenda, & nullatenus cōtemptibiliter uilipendenda: quia excommunicatio iniuſte ſi contemnitur, ex ipſo contemptu incurritur, ut dicitur: Tamen ipſa non eſt ſeruanda ſeu exequenda, quia nō lędit cum in quē fertur, 24. q. 3. Ioan. 5. Vt ergo, in fi. Et c. de illicito, & c. Cum aliquis, per Auguſt. & c. Certum, §. illicita. Ad idem 11. q. 3. Hieronymus, c. quomodo per Auguſt. c. Ridiculum eſt, & c. Cui eſt. Vbi dicitur, Quod non eſt petenda abſolutio, cui iniqua infertur ſententia, Et c. 2. per Auguſt. & 8. c. ſeq. Et Hieronymus diſt. eadem c. Si quis, & c. Si quis hominem, & c. Væ qui, Et Gregorius eadem q. c. Ipſe, et idem 4. c. ſeq.

Poteſtas clauiū principaliter in Ro. Eccleſia.

Matth. 18.

1. Corin. 5.

Iudicium Eccleſię ſequitur opinionem.

Sententia Excommunicationis ſemper timenda, nō ſemper exequenda.

XXXIX Item profiteor legitime, Quod ſacerdotes Domini, & alij uiri Eccleſiaſtici poſſunt licite habere quælibet bona temporalia, Eccleſiæ collata & appropriata, ad ſuam & pauperū indigentiam, cum modeſtia et debita menſura ſufficienter ſuſtentandā, et ipſa titulo

Clericis licitum eſſe, habere bona tēporalia.

&

& diuino Euangelio ritè poſsidere, et poſsidendo iure diſpenſare. Iuxta illud Apoſtoli 1. Timo. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Vbi non dubium per alimenta intelligit cibum & potum, & neceſsitatem ſufficientem ad officium ſuum ſacerdotale, meritorie exequendum. Et per tegumenta intelligit neceſſaria pannorum genera & domorum: excluſis ab utroq; ſuperfluitatibus, & exceſsibus uitioſis, prohibitis à Iure & ſcriptura. Etiam ſententia iſta per eundem Apoſtolum iniungentem Epiſcopo, ut ſit non ſolum domui ſuæ bene præpoſitus, filios habens ſubditos, & educatos cum omni caſtitate: Sed ut ſit ſuſceptor uiduarum & pupillorum, & aliorum egenorum educator. Viduas (inquit) honora, ſub audi de ſuſtentatione Eccleſiæ, quas etiam iubet Epiſcopo eligere, alere & ſuſtentare in numero Eccleſiarũ egenorum: Quę omnia fieri nõ poſſunt, niſi prę ſuppoſita & præhabita ad hoc dotatione fidelium, et ſuffragia bonorum temporalium. Sententia iſta patet per Beatum Hieronymum, hunc textum Apoſtoli ſic exponentem. Et ponitur in Canone 31. q. 1. Quomodo, ubi ſic dicit, Vidua (inquit) eligatur non minor 60. annorum, quæ fuerit unius uiri uxor. Hoc commune præceptum eſt de his uiduis, quæ de Eccleſiæ paſcuntur eleemoſynis, & idcirco ætas præſcribitur, ut illæ tantum accipiant pauperum cibos, quæ iam laborare non poſſunt. Simulq; conſydera, quod quæ duos habuerit uiros, etiam ſi anus eſt & decrepita, et egens, Eccleſiæ ſtipendia non meretur accipere. hæc ille. Patet etiam iſta ſententia plane 12. q. 1 Futuram, & c. ſeq. Vbi oſtenditur, quare precia & prædia Eccleſijs ſunt applicata, quia tantummodo ad fouendos egentes, uniuerſos et ſingulos communi uita degere uolentes, quos debent Epiſcopi & fideles eorum miniſtri ſuſtentare. Ad idem Auguſtinus ea. q. c. Habebat. Ad idem Hieron. 12. quæſt. 2. dicit. Gloria Epiſcopi eſt, pauperum prouidere operibus. Et ad idem Ambro. eadem q. Aurum, habet Eccleſia non ut ſeruet, ſed ut eroget. Ad idem Canon eadem q. Quatuor, & Gregorius c. Cognouimus, et Auguſtinus c. Mos eſt. [Viduæ olim ab Eccleſia alitæ.] [Bona Eccleſiarum pro pauperibus.]

In quibus dicitur, quod in quatuor partes bona Eccleſiæ ſunt diſpenſanda. Primum in ſacerdotes & miniſtros Eccleſiæ. Secundo, in redimendos captiuos. Tertio, in pauperes. Quarto, in ædificia & utenſilia Eccleſiæ. Ad idem Concilium Antiochenum 12. q. 1. Epiſcopus, Eccleſiaſticarum rerum habeant poteſtatem, ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reuerentia & timore Dei. Et ad idem ex Canonibus Apoſtolorum eadem q. Præcipimus, et c. 3 ſeq. Et ad idem 12. q. 2. Per totum, Quod Auguſtinus poſsidebat dotationem Eccleſiæ † c. Euangelico tanquàm diſpenſator [Bona Eccl. in 4. partes diuidenda.] [† Canons.]

Quomodo Epiſcoperũ ſunt bona Eccleſiæ. ſator pauperum, patet 23. quæſt. 7. Quod autem. Vbi dicitur. Quę tamen bona, ſi pauperum compares ſumus, etiam noſtra ſunt. Si autem priuatim, quę nobis ſufficiant poſsidemus, non ſunt illa noſtra, ſeu pauperum: Quorum procurationem quidem gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili uendicamus. Quicquid igitur nomine Eccleſiarum partes Donati poſsidebant, Chriſtiani Imperatores legibus religioſis, cum ipſis Eccleſijs ad Catholicam iuſſerunt transferre Eccleſiam. Cum ergo nobiſcum ſunt plebes earundem Eccleſiarum, nobiſcum ſunt pauperes, qui de eiſdem poſſeſsiunculis alebantur. Ipſi potius foris poſiti, deſinant concupiſcere aliena, ſed intrent unitatis ſocietatem: ut pariter gubernemus, non illa tantum, quæ dicunt ſua, uerumetiam quæ dicunt
1. Cor. 3. noſtra: Scriptum eſt enim, Omnia noſtra, nos autem Chriſti: Chri
Ambro. ſtus autem Dei. hæc ibi. Ad idem Ambroſius eadem, quæſt. viij.
Quomodo diſpenſanda ſunt bona Eccl. Conuenior. Quanquàm omnia quæ mea ſunt, ſint bona pauperum. Ad idem Ambroſius, diſt. 47. Sicut Hieron. Ad idem Hieronymus. Quoniam, quicquid habent Clerici, pauperum eſt, & domus illorum omnibus debet eſſe communis, ſuſceptioni peregrinorum et hoſpitum inuigilare debent: maxime curandum eſt illis, ut decimis & oblationibus, cœnobijs & Xenodochijs, qualem uoluerint & potuerint, ſuſtentationem impendant. Et ſequitur. Clericos autem illos conuenit Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona ſuffragantur. Qui autem ex bonis parentum, & ſuis opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant & bibunt. Et ponitur 16. q. 1.
Chryſoſt. Quoniã quicquid habent. Ad idem Chryſoſt. Mora. 07. dicit.
Bona propria quomodo diſpenſari debent. Etenim tu Yconomus. i. diſpenſator es tuarum pecuniarum, non aliter ꝙ qui ea, quæ ſunt Eccleſiæ, diſpenſant. Sicut igitur ille non habet poteſtatem, quæ dantur à uobis, niſi apud pauperes ſimpliciter, & ut contigit ſpargere, quia ad pauperum data ſunt educationem: ita neq; tu quæ tua ſunt. Etenim & ſi in paterna ſucceſsiſti hæreditate, ita habes omnia quæ habet, ita quod Dei omnia ſunt. Deniq; tu quidem quod dediſti, ita tu non uis cum diligentia diſpenſari. Deinde autem nõ exiſtimas quæ ſua ſunt, cum ampliori
M. Mathias Bohemus, qui Prage obijt, Anno 1394. expetiturum eſſe à nobis uehementia. hæc ille. Ad idem Magiſter noſter Pariſienſis, libro ſuo de abominatione cap. 63. Quod incipit, Et uidi mulierem ebriam, ſic dicit, Quod diuitiæ & bona temporalia ſacerdotum, ſunt omnia per mortem crudelem & effuſionem copioſi ſanguinis Sanctorum & Martyrum, & laborem ipſorum, per mundum uniuerſum acquiſita, & quàm uarie et quàm

diutine

diutinè elaborata & expugnata: Ita, quod quicquid pro nunc nos ſacerdotes habemus quietis, quicquid abundãtiæ rerum omnium, quid quoq; ſplendoris, gloriæ & honoris, omnia ſunt patrimonium & merces ſanguinis Ieſu, & copioſa effuſio ſanguinis ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum: Qui plantauerunt Eccleſias ſanguine ſuo, in quibus nos inebriamur & laſciuimus: Vel etiã, ut communiter dicitur in uulgo, Bona Clericorum, beneficia & præbendę, & ſimilia, ſunt bona pauperum, ex quibus pauperes debent nutriri. Et infra c. ſeq. Vult & approbat magis ſacerdotes Domini, habentes decretum uictum & amictum, quàm non habentes: Ex hac cauſa, quia non habentes, contingit multipliciter uiolare ueritatem Chriſti blandis ſermonibus, pro pugillo ordei & fragmine panis, & uarijs modis et exquiſitis, exquirere ſuas eleemoſynas pro ſui ſuſtentatione. hęc ibi. Quamuis autem Magiſter iſte ex his cauſis uerum dicit, tamen reuera ex alijs cauſis melius eſſet, ſi uellent ſacerdotes Chriſti huiuſmodi poſſeſsionibus carere, & uel de laboribus manuũ, uel de nudis oblationibus eleemoſynarum, adinſtar Chriſti & Apoſtolorum, & paupertati eorum conformius, uiuere & degere, de quibus mox inferius ſubiungetur. Huſsitarũ ſcandalum.

Item profiteor uere & iuſte, Quod ſacerdotibus Chriſti licitum eſt, de decimis & oblationibus uiuere, Nec licet eos infidelibus ex hoc reprobare & damnare. Sententia iſta ſecundum Origenem exponentem, patet ex dicto Chriſti dicentis. Hæc enim oportuit facere, ſcilicet grauiora legis, & illa, id eſt, decimationes non omittere. Et ad idem Auguſtinus, & ponitur, 16. q. 1. Decimæ tributa ſunt egentium animarum. Et infra. Decimæ ex debito requirunt, & qui eas dare noluerunt, res alienas inuadunt: & cætera multa ibidem. Ad idem Hieronymus 2. c. ſeq. Et ad idem eadem quæſt. de decimis, cum multis cap. ſeq. Et ad idem eadem q. 7. §. Quod autem, cum multis cap. ſanctorum, ſcilicet Auguſt. Ambro. & aliorum. Et hic aduertendũ, quod quidam eſt ſtatus ſacerdotum optimus & perfectiſsimus, quo Chriſtus uixit & ſui Apoſtoli, qui ſimpliciter excludit ſe à mundo: recipiendo à Laicis multa alimenta, & tegumenta neceſſaria ad laborem, & retribuendo eis neceſſariam eleemoſynam ſpiritualem. Secundus ſtatus laudabilis, ſed primo inferior, qui recipit decimas, oblationes & priuatas eleemoſynas. Tertius ſtatus etiam laudabilis, ſed primis duobus inferior, quo Clerus recipit à Laicis prædia tit. Euangelico ſeu dominio diuino, ut inuigilent officio ſacerdotali attentius, & reſiduum eleemoſynæ diſtribuunt prudentius uſibus egenorum. XXXX Decimæ & oblationes. Matth. 23. Quadruplex ſtatus Cleri.

Et de his duobus optime loquitur Canon 23. q. ult. c. Si in morte, Vbi dicitur. Sed notandum eſt, quoſdam Epiſcopos Leuitica tantũ portione eſſe contẽtos: qui ſicut in Dei ſorte tantũ numerantur, ſic ipſum Deum ſolummodo in hæreditatem accipiunt, dicentes.

Leuitica portio.

Pſal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ eſt, his nihil eſt cõmune cum principibus ſęculi, quia temporalia penitus abijciunt, ne eorum occaſione legibus Imperatorum obnoxij teneantur. Talibus nulla relinquitur occaſio occupationis ſæcularis militiæ, Quia cum de decimis & primitijs uiuunt, tanquàm ſummi regis filij, in omni regno à terrenis exactionibus liberi ſunt: ita ut dicere ualeãt. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquàm. Porro alij ſunt qui non contenti decimis & primitijs, prædia, uillas & caſtella, et ciuitates poſsident: Ex quibus Cæſari debent tributa, dicente eis Domino. Reddite quæ ſunt Cęſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. hæc ibi. Quartus ſtatus eſt, dum Clerus recipit à ſæcularibus huiuſmodi prædia, & alia bona temporalia cum dominio ſæculari, ſæculariter exercendo. Et in iſto eſt maior declinatio à uita Apoſtolorum ad ſæculum: quia ipſum ineuitabiliter conſequitur, negocijs ſæcularibus implicari. Et de hoc inferius ſubiungitur.

Matth. 17. Ioan. 14. Prędia & dominia Cleri. Matth. 22.

XLI. Profiteor iuſte & Catholice, Quod non licet brachio ſęculari ab Eccleſia Clero etiã actualiter uel habitualiter delinquente, bona tẽporalia, quæ iuſte & Euangelice poſsidet, auferre: qui uerò contrarium facit, ſacrilegium grande committit. Vnde Hieronymus. Et ponitur 12. q. 2. Amico rapere quicquàm furtum eſt, Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt, accepiſſe pauperibus erogandum, et eſurientibus plurimis illud reſeruare, uel cautum uel timidum eſt. Aut quod apertiſsimi ſceleris eſt exemplum, aliquid ſubtrahere omnium prędonum crudelitatem ſuperat. hęc ille. Idem ad Damaſum. Clericos autem illos conuenit, Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona ſuffragantur. Qui autem ex bonis parentum, et ſuis opibus ſuſtentari poſſent, ſi quod pauperũ eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant et bibunt. Et ponitur 16. q. 1. Quoniam quicquid habent. Ad idem Ambroſ. in li. de pœnitentia, Et ponitur 17. q. 4. Sunt qui opes ſuas tumultuario mentis impulſu, non iudicio perpetuo, ubi Eccleſiæ cõtulerunt, poſtea reuocandas putauerunt. Quibus nec prima merces grata eſt, nec ſecunda: quia nec prima iudicium habuit, & ſecunda habuit ſacrilegium. Sunt quos pœnituit opes ſuas diuiſiſſe pauperibus. Sic eos, qui pœnitentiã agunt, hoc ſolum timere oportet, ne ipſius pœnitentiæ agant pœnitentiam. hæc ille. Ad idem Gregorius ea. q. Sacrilegium. Et contra legem

Clero auferre bona temporalia ſacrilegiũ eſt.

Donatum Eccleſiæ repetere non licet.

legem eſt, ſi quis quod uenerabilibus locis relinquitur, prauæ uoluntatis ſtudijs ſuis temptauerit compendijs retinere. hæc ille. Item ad idem ibidem c. Omnes Eccleſiæ raptores, atq; facultatum ſuarum alienatores, à liminibus eiuſdem matris Eccleſiæ anathematizantes, Apoſtolica authoritate pellimus, damnamus, atq; ſacrilegos iudicamus. Et non ſolum eos, ſed etiam omnes conſentientes eis, quia non ſolum qui faciunt, rei iudicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes compræhendit. hæc ille. Ad idem ibidem Clemens c. Si forte quiſpiam presbyter ſiue Diaconus, ſacrum Sindonem uel uelum ſubtractum uendiderit, Iudæ Scariothis ſimilis æſtimabitur: Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, nouerit ſe ſupradicti Iudæ pœnã ſuſcepturũ. hæc ille. Ad idem ibidem. Qui rapit Eccleſiæ pecuniam proximi ſui, iniquitatẽ operatur. Qui autem pecuniam aut res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit. hæc ibi. Ad idem 12. quęſt. 2. Qui Chriſti & Eccleſiæ pecunias aufert, fraudat et rapit, ut homicida in conſpectu iudicis deputabitur. hæc ibi, Stephanus Papa. Simile dicitur infra c. Qui abſtulit. Et ad idem c. Quicunq;, & c. Prędia, & Gregorius c. Cum deuotiſsimam. Ad idem ex Sexta Synodo uniuerſali, c. Apoſtolicos. Ad idem ea. q. Nulli licet ignorare, omne quod Domino conſecratur, ſiue fuerit homo, ſiue animal aliud, ſiue ager, uel quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & ad ius pertinet ſacerdotũ. Propter quod, inexcuſabilis erit omnis homo, qui à Domino uel Eccleſia, cui competit, aufert, uaſtat, inuadit, uel eripit, & uſq; ad emendationem Eccleſiæq; ſatisfactionem, ut ſacrilegus iudicetur: Et ſi emendare noluerit, excommunicetur. hæc ibi. Ad idem c. Quicunq;, & c. Prædia, & cum multis alijs Canonibus, & Concilijs generalibus, & antiquis, per totam diſtinctionem ibidem ſequentibus.

Sacrilegi Excommunicantur.

Verba Clementis.

Canon Bonifacij PP.

Leui. 27.

Item profiteor, Quod non aliter quàm ad intentionem Saluatoris, dicentis Apoſtolis, Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent, benefici uocantur: Vos autem non ſic. Et ad intentionẽ Beati Petri Apoſtoli, dicentis Epiſcopis. Nõ dominantes in Clero. Et ad intentionem ſanctorum doctorum prædictas ſcripturas exponentium, & Canonum eorum, dico. Prælatos Eccleſiæ ſuper bonis temporalibus non debere dominari, nec dominos dici, ſed Eccleſiaſticarum rerum procuratores & diſpenſatores. Vnde Hieronymus ad Nepotianum, Et ponitur in Canone diſt. 15. Eſto ſubiectus Pontifici tuo, & quaſi animę parentem ama: Sed Epiſcopi ſacerdotes ſciant ſe eſſe, non dominos. Et infra. Recordemur ſemper, quicquid Apoſtolus Petrus præcepit ſacerdoti-

XLII.

Luc. 22.

1. Pet. 5.

Prælati ſunt rerum Ecc procuratores, nõ domini.

1.Pet.5. bus. Paſcite eum, qui in uobis eſt gregem Domini: prouidentes, non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum præceptum Domini. Neq; turpis lucri gratia, ſed uoluntarie: neq; ut dominantes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo. hæc ille. Item ad idem eſt Canon Au-
Vide ſupra cap.33. guſtini, 23. quæſt. 7. Quod autem, ubi dicitur, Quæ tamen bona, ſi pauperum compares ſumus, etiam noſtra ſunt & illorũ. Si autem priuatim, quæ nobis ſufficiant poſsidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus: non proprietatem nobis uendicatione damnabili uſurpamus. hæc ille. Vbi Gloſa. Prælati ſunt procuratores, non Domini rerum Ec-
Verba Leonis I. cleſiaſticarum, ut hic, & 12. quæſt. 1. c. ult. hæc Glo. Et ad idem 12. quæſt. 2. Sine exceptione, ubi dicitur ſic. Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquàm commendatis, nõ tanquàm proprijs utatur. Irrita enim Epiſcoporum uenditio, & commutatio rei Eccleſiaſticæ erit, abſq; conniuentia & ſubſcriptione Clericorum. hæc ibi. Item ad idem 10. quæſt. 2. ex Concilio Agatenſi dicitur. Caſellas uel mancipiola Eccleſiæ Epiſcopi, ſicut priſca ſanctorum Canonum præcipit autoritas, uel uaſa monaſterij, quaſi commendata fideli præpoſito, integro Eccleſiæ iure poſsideant, id eſt, ut neq; uendere, neq; per quoſcunq; contractus, res unde pauperes uiuunt, alienare præſumant. hæc ibi. Et ad idem Extra lib. 3. de donationibus c. 2. ubi ſic dicitur. Fraternitatem tuam credimus non latere, quod Epiſcopus & quilibet Prælatus Eccleſiaſticarũ rerum, ſit procurator, non dominus. Vbi Glo. dicit. Prælatus enim Eccleſiæ procurator eſt, non dominus. Et allegat pro ſe, 12. quæſt. 1. c. ult. & quæſt. 2. Sine
Verba Hoſtienſis. exceptione, & 10. quæſt. 2. Caſellas. Vbi etiam dicit Hoſtienſis, Epiſcopus cum procurator ſit, & non dominus: non ergo ſuperbiat cornutus, quia non eſt dominus. Et licet in Eccleſia ſublimior ſedeat alijs, in camera tamen ſe collegam cognoſcere debet, 95. diſt. Epiſcopus. Vbi de hoc ex Concilio Carthaginenſi 4. hæc ibi.
S. Bernardus ad Eugenium. Ad idem Beatus Bernhardus lib. ad Eugenium dicit. Eſto, ut alia ratione hæc tibi uendices, ſed non Apoſt. iure. Quomodo aũt potuit iſte tibi dare, quod nõ habuit? Quod habuit hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias, nunquàm dominationem. Audi ipſum, Neq; ut dominantes in Clero, inquit, ſed forma facti gregis ex animo, 1. pe. 5. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam ueritate, uox Domini eſt in Euangelio, Luc. 22. Reges gentiũ dominantur eorum. Et infert. Vos aũt non ſic. Planum eſt, quod Apoſtolis interdicatur dominatus. Ergo & tu uſurpare audes, aut dominans Apoſtolatũ, aut Apoſtolicus plane dominatum? ab ulterutro prohiberis. Si utrunq; habere uelis, perdes utrunq;. Alioquin non te

exceptum

exceptum putes de iſtorum numero: de quibus Deus conqueritur. Oſee.8.
Ipſi regnauerunt,ſed non ex me:Principes extiterunt, & ego non cognoui.Iam ſi ſine Deo regnare iuuat,habes gloriã, ſed nõ apud Deum. At ſi interdictum tenemus, audiamus edictum. Qui maior Luc.22.
eſt ueſtrum (ait) fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator:Forma Apoſtolica hæc eſt,dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio. hæc ille.

Item profiteor,Quod ad intentionem prædictarum ſcripturarum,& ad intentionem prædictorũ ſanctorum & Canonũ, teneo articulum tertium Bohemorum, non plus extrauagando ad mihi incertum,pro eo,quia multæ ſunt difficultates, illam materiam circumſtantes,uidelicet, quis ſit Dominus rerum Eccleſiaſticarum,à iure nondum agnitæ & appræhenſæ. Sunt enim multi alij Canones,Doctores & Gloſę in hac materia ad utranq; partem uariantes.Alij enim dicunt,quod prælati ſunt Domini rerum Eccleſiaſticarũ, prout notatur 12.q.2.c. fi.ubi ſic dicitur. Ergo prælati dicuntur procuratores rerum Eccleſiaſticarum,ut hic.Quandoq; Domini,ut 16.q.1. Cupis. Quandoq; defenſores 16.q.1.in Canonibus. Quandoq; patres,nõ tamen habẽt generalem adminiſtrationem, ſicut etiam procurator Cæſaris, tum loco Domini habentur, cum bene adminiſtrant:loco prædonis, cum male.hæc Gloſa. Alij dicunt,Quod dominium directum,quod habet uerus dominus,cum proprietate & libera adminiſtratione,alienum eſt à Clericis: ut ſupra dicta iura loquũtur.Sed dominium, quod uocatur utile, quod dicitur ille habere, qui habet utilitatem rei, & non eſt uerus dominus:Ita multi concedunt,quod prælati ſunt domini,& quod ſic illa iura diſtinguuntur & ſoluũtur. Alij dicunt ad idem,Quod ſunt domini fructuũ collectorum:ut notatur 12.q.1.Duo ſunt. Concordat de uerborũ ſignificatione, Cauſa carpens, & ut notatur de re. permu.Cum olim, in ult.Gloſa. Alij dicũt,Quod Eccleſia ſit domina rerum Eccleſiaſticarum,prout notatur 12.q.1.Expedit,ubi ſic dicitur.Quis ſit dominus rerum Eccleſiaſticarũ, poteſt dici, Quod Eccleſia ſit domina, ut 16. q. 3.Inter memoratos:ſicut hæreditas eſt domina. Alij dicunt dominium eſſe apud Clericos, ſicut dominium rerum uniuerſitatis eſt apud ciues, Inſti. de re. diui. §. Vniuerſitatis,ut notatur 12.quæſt.1.Expedit. Alij dicunt, Quod ipſe Deus & Chriſtus, eſt dominus talium rerum, & ipſę ſunt eius patrimonium, 12. quæſt. 2. Qui Chriſti pecunias, & c. Qui abſtulerit, & Hieron. diſt. 95. Eccleſiæ, & quod ibi notatur. Alij dicunt, Quod pauperes, ſunt domini illarum rerum, 13. quæſt. 7. Quod autem, per Auguſtinum. Vbi dicit. Non ſunt illa ueſtra,

XLIII Articulus tertius in Cõpactatis

Dominiũ duplex Directum & Vtile.

Multa opinionum diuerſitas.

96.diſt.Duo ſunt,& 93. Legimus, & 21. diſt. §. hæc Gloſ.Item ad idem allegāt pro ſe illud Lu.22.Ecce duo gladij. Et Chriſtus, Satis eſt.Quod exponit de utraq; poteſtate cōceſſa Petro,in extrauagan te Bonifacij.Vnam ſanctam. Alij dicunt,quod Papa nō habet utranq; poteſtatē, ſed quod illæ poteſtates rationabiliter ſunt diſcretæ & diſtinctæ, ut patet diſt.10. Quoniam,per Cyprianū,Vbi Glo.dicit.Cum ergo poteſtates ſint diſtinctæ. Eſt hic argumentū, quod Papa non habet utrunq; gladium. Et ad idem legitur diſt. 96.Cum ad uerum,& optime 2.q.7.§.Item cum Dauid, Et ad idem quod notatur de Iudi. Nouit,ubi dicitur,quod Iuriſdictiones Eccleſiaſticę & ſęculares ſunt diſtinctæ, & quod Papa nō habet utrunq; gladium.Ad idem de appel. Si duobus, Et hij dicunt, quod Papa non debet ſe intromittere de temporalibus, de fo.compe.Licet, & c.Ex tenore:Et ad idem 11.q.1.Magnum,per Ambroſ.Ad idem uide quod notatur .10.diſt.In lege,Ad idē 11. q. 1. Te quidem. Alij uero tanquam mediatores & concordatores iurium dicunt,quod illę duæ poteſtates ſunt diſtinctæ quo ad exercitium,ſed tamen quo ad proprietatem,utraq; poteſtas Beato Petro eſt conceſſa.Sed exercitium gladij temporalis,Papa committit Imperatori.Et hoc notatur diſt. 10. Quoniam. Alij ad idem dicunt,quod Papa habet utrunq; gladiū aliquo modo, quia ſpiritualem habet authoritatiue & executiue. Sed gladium brachij ſæcularis ſolummodo directiue, ſed non exercitatiue, ſeu practice & adminiſtratiue. Non enim poteſt eum imperare & adminiſtrare ſeu exercere, ſed regulare. Alijs uidetur,pro Canorum concordia meliori & legi diuinę,& Chriſto conformiori, quod prælati ſunt domini omnium rerum Eccleſiaſticarum,iure & dominio diuino & Euangelico. Sed nullatenus ſunt domini iure ciuili ſeu ſæculari cum eius exercitio.Et ſic dicūt intelligenda eſſe iura & Canones, Hieronymi, Auguſtini, Bernhardi, & cæterorum ſanctorum, qui dicunt, quod prælati rerum Eccleſiaſticarum ſunt procuratores & diſpenſatores, non domini. Et ad hoc allegant Hieronymum 12. q. 1. Vbi dicit Rubri,Clericus nihil ſæculare, ſubaudi ſæculariter, habeat. Ad idem Hieronymi Canon ea.q.Duo ſunt,Et Ambro.de fuga ſæculi, & ponitur ea.q. Cui portio. Et Gregorius c. Quia tua,ubi Rubri,dicit.Clerici nihil propriū poſſideant. hij intelligunt iure ciuili.Et ad idem c.ſequens Scimus, Et Auguſt. c.Nolo, & c. Non dicatis, & c.Expedit. Iſta ideo protractius curaui proponere, propter dominos Bohemos, articulum ſuum tertium ſatis indiſcrete & feſtine practicantes, & multum timeo, omnes & ſinguli materiam illam nō intelligentes, ut in hoc puncto oculos diſtringant, & Canones plurimos ſollicite

Contraria opinio.

Diſtinctiones pro tollēda diſcordia opinionum.

Domini Bohemi nẽ ſint nimis attenti ad res Ecc.

uideant, & diligentiſsime diſcutiant, ne animas ſuas in peruerſa practica et ignorantia articuli inaniter decipiant, & æternaliter perdant.

XLIIII Ne Laici in Clericos manus extendant. Item profiteor, Quod brachium ſæculare non debet in Clerum delinquẽtem Iuriſdictionis ſuæ pœnas, ſupplicia & iudicium ſanguinis inferre, niſi in caſibus à Deo & lege Dei admiſsis, aut à iure conceſsis. Ad hoc uidetur eſſe ſcriptura Ezech. 33. ubi dicit Dominus. Sanguinẽ de manu ſpeculatoris requiram, nõ populus terræ, ſed ego. Item ad idem Apoſtolus ſcribit Timotheo, dicens ad Epiſcopum. Aduerſus presbyterum noli accuſationem ſuſcipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus: peccãtes aũt, coram omnibus argue, ut cæteri timorẽ habeant: Teſtificor coram Deo, ut hæc cuſtodias. (1. Timo. 5.)

Epiſcopi eſt, iudicare Clerũ ſuũ. Vbi planum eſt, quia Apoſtolus docet Epiſcopum de actu iudicandi & puniendi Clerum ſuum: quod non faceret, niſi ad eum Iuriſdictio & punitio pertineret. Et ad hoc ſunt multa iura. Et primo ad hoc eſt, 90. diſt. per totum. Ad idem 11. q. 1. Nemo unquàm Epiſcopũ aut reliquos Clericos, apud iudicem ſæcularem accuſare præſumat. Ad idem ex Concilio Pariſienſi, Nullus, & multis † c. & Concilijs generalibus ſequentibus. Ad idem 21. q. 5. Si Epiſcoporũ, per Gregorium. Ad idem Ambro. 23. q. 8. Conuenior. Quomodo aũt hoc fieri debeat, & quomodo non debeat, diſtinguit Gratianus 2. q. 7. Nos ſi. §. Itẽ cum Dauid, & 11. q. 1. §. Cum ergo, uerſi. his ita, & §. Ex his omnibus. († Canonibus)

XLV Quomodo licet Chriſtiano bellum gerere. Item profiteor, Quod bella Chriſtiana nõ ſunt á quoquam attentanda & exercenda, niſi ubi, & quando lex noua licentiat, & poteſtas legitima autorizat, & cauſa iuſta impellit & neceſsitat. Nec contra alios, niſi in fidei deſtructores & innocentium oppreſſores, & regionis aut Reipublicæ inuaſores & uaſtatores, & alios pertinaces & ſceleratos legis Domini tranſgreſſores: qui alijs modis leuioribus, nullatenus à ſua pertinacia reduci poſſunt & coërceri.

Poteſtas legitima. Et per poteſtatem legitimam, intelligo cum Auguſtino poteſtatem Dei iubentis, & principum apud quos belli autoritas & conſilium eſt. Vnde Auguſtinus, Et ponitur 23. quæſt. 1. Quid culpatur, ſic dicit. Ordo (inquit) naturalis ille, mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli autoritas, atq; conſilium penes principes ſit. Et ad idem loquitur Auguſtinus terribiliſsime, eadem q. 8. dicens. Quicunq; percutit malos in eo quod mali ſunt, & habet cauſam interfectionis, miniſter Dei eſt. Qui uero ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum, furem, ſacrilegum, & adulterum, & periurum, uel quemlibet criminoſum interfecerit aut trucidauerit, uel membris debilitauerit, uelut homicida iudicabitur, (Cui licet crimina punire.)

&

& tanto acrius, quanto non ſibi à Deo cōceſſam poteſtatem abuſiue uſurpare non timuit, hæc ille. Hic ſyncero corde exopto, ut omnes ſacerdotes & moderni bella gerentes, hac Auguſtini regula ſeipſos diſcuterent, antequàm tam periculoſa bella attemptarent.

Item profiteor, Quod ad bella Chriſtiana rectificanda, requiruntur à bellantibus hæ conditiones, à ſanctis dictę, & à me quondam in tractatulo paruo comportatæ. Prima, quod perſona debellatura, excluſa penitus à crimine, obſeruet, 16. conditiones charitatis, iuxta illud. Si habuero fidem, ita, ut montes transferam &c. Nam ubi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, 24. q. 1. Vbi, per Auguſtinum. Item cum hoc ſit perſona modo ſupradicto ad bella legitimata. Item, quod bella non incipiantur contra aliquem, niſi os Domini interroget, uſque ad reuelationem & agnitionem uoluntatis Dei, per orationem uel Domini legem. patet 2. Paralip. 18. de Ioſaphat. Et de Dauid. 1. Reg. 30. Item, ut bellum ſit ex re petenda, hoc eſt, ut ſit cauſa iuſta. Item, ut bellum ſit iuſtum, ex modo, & hoc ex modo rectæ intentionis, 23. quæſt. 1. Militare, ubi dicitur, quod bellum ſit intolerabile, dum prædam exactores accumulant, & rapinas in ſtipendia computant, & dum captis in bello miſericordiam non præſtant, ſed eos immaniter trucidant: ut dicitur eadem quæſt. Noli, & ut dicitur ea. quæſt. per Auguſtinum. Quid inculpatur in bello? nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt, ut auara inuaſio, cupida direptio, mundana oſtentatio, non neceſsitata occiſio. Hoſtem enim nullo modo debet deprimere uoluntas, ſed ineuicta neceſſitas, ut dicit Auguſtinus cum hac regula Chriſti. Quod tibi non uis in tali caſu, alteri non facias: Et quod tibi uis in tali caſu, alteri facias. Conſtat autem, quod nemo bellantium uellet ſibi rationabiliter, ut in crimine occidatur, & ad infernum dirigatur: ergo ad idem tenetur alijs ſimiliter. Hæc & ſi qua ſunt ſimilia, in bellis iure ſunt culpanda. Item bellum iuſtificatur, ex iuſto Imperante & exequente. Item ex intentione iuſti finis, & intentione promouendæ, non deſtruendæ ueritatis aut iuſtitiæ. Item, ut ſit pro ædificatione patriæ in bono, non pro deſtructione. Hæc ſcripſi mox in initio, ut ab iniuſtis bellis præſumptores reuocarem, & bella iuſta propalarem. Sed heu ſcripta hæc, in hodiernis bellatoribus parum uidentur proficere, quia fere nullam harum conditionum reperiuntur obſeruare.

XLVI. Ad iuſte bellandum pertinent 16. conditiones.

Quid culpatur in bello.

Matth. 7.

Ex quibus iuſtificatur bellum.

Item profiteor tenendum & credendum, Quod nullus ſacerdos XLVII.

dos Chriſti, aut alijs Clericalibus inſignitus, debet aut poteſt corporaliter bella exercere, aut quenquàm etiam infidelem de lege communi occidere aut uulnerare: aut quod minus eſt ad ſenſum Apoſtoli, percutere, aut in perſona propria bellare: acies bellorum dirigere, & ad bellandum ſeu occidendum immaniter prouocare: aut aliqua facilitate crudelitates exercere, aut exercitatas à ſæcularibus & ſacerdotibus prohibitas, mirabiliter excuſare, ſeu uerba aut prouerbia crudelia, ad inuadendum acrius proferre, & homines ad ſeueritatem ſuccendere & irritare. Facit ad hoc præceptum Chriſti Matth. 26. dicentis ad Petrum. Conuerte gladium tuum in locum ſuum: Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Quomodo autem intelligatur illud dictum Chriſti, egregie declarat Canon 23. quæſt. viij. §. 1. ubi ſic dicitur. De Epiſcopis uerò, uel quibuslibet Clericis, quod nec ſua autoritate, nec authoritate Romani Pontificis arma arripere ualent, facile probatur. Cum enim Petrus, qui primus Apoſtolorũ à Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, ut Magiſtrum à Iudæorum iniuria defenſaret, audiuit, Conuerte gladium tuum in uaginam: Omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac ſi aperte diceretur, hactenus tibi tuisq; prędeceſſoribus inimicos Dei corporali gladio licuit perſequi. Deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id eſt, tibi hactenus conceſſum, in uaginam conuerte. Et ſpiritualem tantum gladium, quod eſt uerbum Dei, in mactatione ueteris uitæ exerce. Omnis enim, qui præter illum uel authoritatem eius, qui legitima poteſtate utitur, quia (ut ait Apoſtolus) non ſine cauſa gladiũ portat. Cui etiam omnis anima ſubdita eſſe debet. Omnis enim, inquam, qui præter authoritatẽ huius gladium acceperit, gladio peribit. Item Ambro. Arma Epiſcopi lachrymæ ſunt & orationes. Item illud Apoſtoli. Non uoſmetipſos defendẽtes, fratres charißimi. Quàmuis enim omnibus generaliter dicatur, ſpecialiter tamen Prælatis dictũ intelligitur. hæc ibi. Item ad idem Auguſtinus terribilißime loquitur li. de ci. Dei, & ponitur ea. q. Quicunq; percutit, ut ſupra in proximo allegaui. Ad idem eſt Apoſtolus. Oportet Epiſcopũ eſſe non percuſſorem, non litigioſum. Ad idem ex Canonibus Apoſtolorum diſt. 45. c. Epiſcopum aut Presbyterum, aut Diaconum, percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, et per huiuſmodi uolentem timeri, deijci ab officio ſuo præcipimus: quia nunquàm nos dominus docuit hæc. Econtrario cũ percuteretur, non percutiebat: cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. hæc ibi. Item ad idem eadem diſt. Cum Beatus & c.

[Margin notes: Sacerdotibus nõ licet bella exercere. — Dictum Chriſti ad Petrum. — Vſus gladij ſpiritualis. — Rom. 13. — Rom. 12. — Multa iura contra bellatores ſacerdotes. — 1. Tim. 3 — 1. Pet. 2.]

Quid

Quid autem, per Gregoriũ,& c.Neminem,& diſt.86. Non liceat. Item ad idem optime 23.q.viij. Nimirum,aliàs nimium,Et c.Cum à Iudæis,& Ambro.ea q.Non pila. & c.Quicunq;, & c.Clerici, & c.Repræhenſibilem, & c.Conuenior,& c.Si in morte.Itẽ ad idem diſt.36.c. Siquis, Ad idem extra lib. 3. ti. 1. c.Clerici. Item ad idem diſt.1. De his Clericis,ubi Rub.ſic dicit.Qui ſe defendendo Paganum occidit,ſacerdotali officio carebit.Et ea.diſt. Siquis homicidij & c.Miror.Facit ad hoc diſt.50. Epiſcopus, & c.Perlatum.Ad idẽ 14.q.5.c.Deniq;, & c. Epiſcopus, & c. Inutile,& c.Negociatorem. 23.q.viij. His à quibus optime Beatus Petrus ad Clementem 11.q. 1.Te quidem. Ex quibus iuribus tractatum compilaui, & eundem ſacerdotibus tunc Tyrannidem regentibus ſcriptum deſtinaui.Sed doleo,quod contemnitur, & uerbis pompæ eorum,cum omnibus his allegationibus conſpuitur & irridetur.&c. Tractatus ſpecialis ad Proeopios Tyrannos.

Item profiteor toto animo,Quod Decretum et ſententia in congregatione doctorum,Magiſtrorũ,& totius nationis Bohemicę, citra annum Domini M.CCCC.VIII.facta in Vniuerſitate Pragenſi,in domo Nationis ad Nigrã roſam,Magiſtro Ioanne Hus tanquàm principali,in eadem præſente & conſentiente,et me illuc etiam præſente & coaſsiſtente,Eſt in hoc de tanto iuſta & rationabilis atq; uera, de quanto omnes & ſinguli unanimiter,nullo penitus contradicente, decreuerunt & publice reprobauerunt,refutauerunt,& ſub pœna excluſionis à natione Bohemica,omnibus prohibuerunt, nequis audeat tenere, aut docere,publicè uel occulte hunc articulum Ioannis Vuicleph,uidelicet, quod Chriſtus non eſt in Sacramento identice & realiter in propria præſentia, ſubaudi & exiſtentia corporali,in ſenſu eius hæretico, erroneò aut ſcandaloſo,conteſtando ab experientia librorum eius:quia iuſte, ſancte & ſaluberrime articulus eius iſte eſt refutatus & reprobatus. XLVIII Articulus Vuicleph damnatus à tota Natione Bohemica.

Profiteor etiam eundem articulum inter alios plurimos principaliter fuiſſe reprobatũ tanquàm hæreticum,in plena congregatione Doctorum & Magiſtrorum Theologicæ facultatis eiuſdem Vniuerſitatis Pragenſis. Et ſimiliter à Magiſtris & Doctoribus in Anglia, & à Magiſtris & Doctoribus Pariſiẽſibus,& ut percepi à Magiſtris & doctoribus in Roma,& à Magiſtris Vniuerſitatum aliarum. Quorum decretum in hoc reprobare, eſt periculo æternæ damnationis laborare. Multiplex illius articuli dãnatio.

Item profiteor pie,humiliter & obedienter modo à me ſupra poſito,Quod prędictorum Doctorum et Magiſtrorum Nationis Bohemicæ prohitio, qua cum hoc in eadem congregatione una cum Magiſtro Ioanne Hus pręſente & cõſentiente, prohibuerunt XLIX.

iſtos

iſtos duos articulos Ioannis Vuicleph, uidelicet, quod in Sacramento altaris poſt cōſecrationē maneat panis materialis, Et quod accidentia non ſtant ſine ſubiecto, eſt licita atq; iuſta pro eo, quia ſanctis doctoribus fere omnibus & Eccleſiæ cōformis & conſona.

L. Reuocatio contra reproba ſcripta Io. Hus & M. Mathiæ Pariſi.

Item profiteor, Quia ſcripta, dicta, & facta ſingula Magiſtri Ioannis Hus, & Magiſtri Mathiæ, nō obſtantibus aſſertionibus uel dictis alijs meis quibuſcunq;, de tanto probo & non plus, de quanto ipſa probantur à Deo & Eccleſia Catholica, & de quanto ipſa à ueritate Catholica, & à ſanctis Eccleſiæ doctoribus, & ab Eccleſia Catholica prorſus non diſſonant nec diſcordant. Sin autem alicubi dicerent uel ſentirent prędictis & Chriſto contrarie, hoc in eis nullatenus approbare intendo.

LI. Reprobatio Articulorum Io. Vuicleph de corpore Chriſti.

Itē profiteor fideliter & Catholice, toto corde & animo, Quod non placent mihi articuli infra ſcripti Ioannis Vuicleph, in libris eius poſiti, & ab eiſdem fideliter extracti. Primo cum dicit, quod nunquàm creditur ſecundum Auguſtinū, uel aliquem ex hoc Catholicum credere uel tenere, Corpus Chriſti habuiſſe in Euchariſtia exiſtentiam ſingularem in ſua eſſentia. Item, quod corpus Chriſti non eſt ſecundum ſe in Sacramento. Item, quod corpus Chriſti eſt non corpus Chriſti in Sacramēto. Item, Et ſic uidetur corpus Chriſti poſt aſcenſionem, nedum non moueri in terris, nec eſſe: Sed uirtus ſua eſt per totum mundum. Item, ſicut corpus Chriſti non eſt eſſentialiter in hoſtia: ſic non eſt aliquid eſſentialiter ibidem. Item, corpus Chriſti non eſt eſſentialiter in Sacramento, ſed in cœlo. Item, nullo iſtorum modorum, corpus Chriſti eſt in Sacramento, ſcilicet, nec eſſentialiter, nec ſubſtantialiter, nec corporaliter. Item, Non ſunt fingenda miracula ſine patentia rationis: Sed foret ſummum miraculum, intendere tantam molem, ſicut eſt tota corporeitas corporis Chriſti in infinitum modico loco: Ergo cum non ſubſit ratio iſti miraculo, uidetur ipſum non eſſe fingendum. Item, Non enim admittitur, quod eadem materialis eſſentia ſit, ſimul ſecundum naturam ſuam per diuerſa loca. Item, Sicut enim Deus nō poteſt facere eandem rem, in numero eſſe ſimul per diuerſa inſtantia; Sic non poteſt facere eandem eſſentiam materialem, eſſe ſimul per diuerſa loca: Nec diuerſas ſubſtantias materiales, eſſe ſimul tempore per eundem locum adæquatum. Item, Quod repugnat idem corpus eſſe ſic ſubſtantialiter per multa loca. Itē, quod fidelis Theologus etiam Laicus non crederet prædicanti, quod corpus Chriſti eſt ſeptipedale in quacunq; parte hoſtiæ. Nam tantum incredibile foret fidelibus, quod ibi ſit illa + ſeptibilis corporeitas, cum dimenſione panis per eundem locū, ſicut quod ibi ſit corpus Chriſti. Item falſum

Vuicleph deceptus per Philoſophiam, et inanem fallaciam.

Colloſſ. 2.

+ ſeptipedalis

falſum eſt, quod corpus Chriſti habet exiſtentiam corporalem in Sacramento. Item, quod inualuit error, quo generatio ſignorum graui corde nititur trahere corpus Domini, quod ſurſum eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam, uerſus terrã. Sed Paulus dicit econtra. Quæ ſurſum ſunt quærite. Item, quod ad tollendam iſtam Idolatriam atq; blaſphemiam dicit Auguſt. ut recitatur de conſ. diſt. 2. c. Non. Eſt hoc corpus, ipſum & non ipſum: Ipſum, inquam, corpus ſecundum Sacramentalẽ figurã manducaturi ſunt fideles: & non ipſum, ſecundum ſui naturam. Item, quod corpus Chriſti nõ eſt hic in Sacramento ſecundum ſubſtantiam, ſed Sacramẽtaliter & in ſigno. Item, quod ſi breuius & leuius per Euangelizationẽ attingeret Eccleſia iſtum finem, ſcilicet deuotionem, pietatem, uel uirtutes alias, ſubductis his omnibus ritibus, quis dubitat, quin illa Sacramenta & eorum obſeruãtia, ſint irrationabiliter introducta. Scio tamen, quod ſacerdotibus, & prælatis, qui ſuper iſtis habent honorẽ ſuum & lucrum, iſta ſententia diſpliceret. Item patet, quàm uenenoſa foret iſta tuitio talis hæretica, quod omnis utriuſq; ſexus ſemel ad minus in anno, ad Paſcha ſcilicet, hoc Sacramentũ recipiat, cũ ad annos diſcretionis peruenerit. Hij, inquam, omnes articuli & ſinguli, & alij conformes plurimi, alibi comportati, & in uno illo articulo ſupradicto magiſtrorũ, omnes & ſinguli ſententialiter reprobati, prohibiti, & refutati in eorum ſenſibus hæreticis, erroneis, aut ſcandaloſis, nõ mihi placent, ſed ueluti ſpurca & uenena diſplicent, de quanto negant corpus Chriſti eſſe in Sacramẽto ſecundum naturam corpoream ſuam, & affirmant ſolum ſignum & figuram. Contra quos multitudinem ſcripturarum & allegationes, fere omnium doctorum abunde alibi comportaui.

Coloſ. 3.

Hij articuli, tanq̃ uenena, uidentur.

Item profiteor pie & religioſe, Quod ſimiliter mihi nõ placent articuli iſti, eiuſdem Ioãnis Vuicleph. Primo quando dicit. Hic ſæpe dixi, quod nec Deus, nec homo poteſt facere accidens ſine ſubiecto. Item indubie ſunt cuncti hæretici, qui hoc pertinaciter defendunt, ſcilicet in Sacramẽto altaris accidens eſſe ſine ſubiecto. Item, inter omnes hæreſes, quæ unquàm pullulauerunt in Eccleſia ſancta Dei, non fuit nephandior hæreſis, quàm ponens accidens ſine ſubiecto eſſe hoc uenerabile Sacramentum. Item, quod inter omnes infidelitates, quę unquàm creuerunt in Eccleſia Dei ſancta, iſta ſubtilius & profundius demergit in uoragines homines errorum, de fide, & plus facit apoſtatare ab Abbate domino noſtro Ieſu Chriſto. Item, reuera Papa Innocentius & eius diſcipuli, poſſent citius facere multos fideles credere, quod ipſum Sacramentum ſit caput aſini, uel quæcunq; ſubſtantia alia nominanda, ſubaudi,

LII. Alij articuli Vuicleph de accidentibus ſine ſubiecto in Euchariſtia

Zz quàm

quàm accidentia ſtare ibi ſine ſubiecto. Item reuera, nec prophetæ Baal: de quibus iij. Reg. xviij. Nec ſacerdotes Beel: de quibus Daniel vi. fuerunt magis hæretici, Idolatræ, quàm ſunt tatales, ſubaudi, ponentes in Sacramento altaris accidentia ſine ſubiecto. Item, quod multos ſuppono ſeductos fuiſſe hac hæreſi, qui finaliter pœnitebãt, ut ſuppono de Domino Linconenſi, & cæteris, qui in ſcriptis reliquerunt, quod accidens non poſsit eſſe ſine ſubiecto ſuo. Item ideo dixi, Quicunque pertinaciter iſta defenderit, eſt expreſſe hæreticus in tantum, quod ſi ego iſta defenderem, uellem quod eſſem cõbuſtus tanquàm hæreticus, uel quod errorem illum propere reuocarem: Et ſic debet eſſe de alijs, cum non ſit perſonarum acceptio apud Deum. Item ex iſtis probabiliter conuincitur, quod inter omnes hæreſes, quę unquàm de Sacramento altaris ſurrepſerunt, hæreſis de eius quiditate, qua fingitur, quod ſit accidens ſine ſubiecto, uel taliũ aggregatio eſt magis ſubdola & blaſphema. Hij, inquam, articuli, & plurimi ſimiles nõ mihi placent. Quia à ſæculo inaudita præſumptione ad ſummum damnant, blaſphemant, & hęreticãt omnes fere antiquos ſanctos doctores: oppoſitum illis aſſeuerantes unà cum Eccleſia Romana, et innumerabilibus electis Dei & fidelibus: Immo hæreticantur ex hoc Magiſter Ioannes Hus, una cum alijs Bohemis, qui uſque ad mortem oppoſitum illis articulis fatebatur. Sunt etiam ita crudeles & cruenti illi articuli, quod ſuadent comburere omnes oppoſitũ aſtruentes: Sed contra tales, multitudinem magnam ſanctorum alibi comportaui.

Cur non placent iſti articuli.

LIII. Item Non placent mihi multi alij articuli eiuſdem Ioannis Vuicleph, & exorbitantiæ eius, circa omnia Sacramenta, & paruiſpenſiones eorundem Sacramentorum alibi conſcriptæ. Similiter ſcripta eiuſdem & exorbitantiæ contra cenſuras Eccleſiæ, contra uirtutem clauium, & contra leges inſtituta, & Canones Eccleſiæ. Similiter contra mores & conſuetudines, & ordinem eius: Etiam contra ieiunia, feſta, & contra dotationem eiuſdem Eccleſiæ eleemoſynariam, et perpetuationẽ eleemoſynarum Eccleſiaſticarum, & ſcripta eius pro ablatione bonorum temporalium ab Eccleſia: Iſta & alia nõ ſunt animo meo placita, quia Canonibus et ſanctis contraria. Item Non placent mihi ſcripta, & articuli eiuſdem Io. Vuicleph, quibus aſſeuerat, quod ſufficiũt duo tantũ gradus Eccleſiæ, ſcilicet ſacerdos et Diaconus. Et quod omnes ſacerdotes ſunt ęqualis authoritatis. Item nõ placẽt mihi ſcripta Ioãnis Vuicleph, quibus reprobat officium Papę, quo ad ſtatum eius, & quo ad eius electionem: dicens eſſe utile & expediens Eccleſiæ militanti, neminem

Articuli erronei Vuicle. de alijs Sacramentis.

nem eſſe Papam, & quod Deus non autorizat hunc ſtatum, nec Cardinalium, nec electionem eorum, ſed condemnat. Similiter ſcripta eius, quibus reprobat omnes alios gradus et officia Eccleſię, excepto ſacerdotio & Diaconatu. Smiliter ſcripta, quibus dicit omnes religiones eſſentialiter culpabiles. Similiter, cū reprobat omnes ſcholaſticas graduationes, magiſtrorum & doctorum. Item non placent mihi ſcripta eiuſdem Ioannis Vuicleph, quibus aſſerit omnia euenire de neceſsitate ſimpliciter, & ineuitabiliter abſoluta.

Item non placent mihi defenſiones Magiſtri Petri de Anglia, aduenæ Regni Bohemiæ, dicti Paynę, qui totis conatibus defendit ſcripta eiuſdem Ioannis Vuicleph, & præcipue articulos ſupradictos erroneos eius, & alios plurimos de corpore Chriſti per Eccleſiam reprobatos. Item non placent mihi, ſed ſordent ſcripta eiuſdem Petri aduenæ, quibus ſcribit conformiter, in ſenſu & in uerbis cum Ioanne Vuicleph dicens, quod corpus Chriſti non ſit ueraciter & realiter in Sacramento altaris. Item, quod corpus Chriſti non habet in hoſtia conſecrata exiſtentiā ſingularem, ſecundum ſuam eſſentiam. Item corpus Chriſti non eſt ſecundum ſe in Sacramento. Item, corpus Chriſti intendi non poteſt, ad tam paruum locum in hoſtia, ut miraculoſe fingitur. Item, corpus Chriſti mittendi ad cœlum, & trahendi ad populum, ſacerdos non habet authoritatem. Item, corpus Chriſti facit Laicus efficacius, ſed alio modo eſſe cum illo, quàm ſacerdos cōficiens: ſi melius memoretur corpus Chriſti in cœlo. Item, Chriſtus non eſt efficacius in Sacramento, quā in ſigno. Item, corpus Chriſti non eſt Sacramentum altaris. Item, corpus Chriſti ſecundum ſe non manducatur in Sacramento. Item, corpus ſuum erogandum nobis non dat Chriſtus: Sicut quidam putant. Item hęreticus eſt, qui pertinaciter credit panis ſubſtantiam non manere in hoſtia conſecrata, ſed quod ſit accidens ſine ſubiecto. Item, non placent mihi ſcripta eius, quæ uocat ſanos ſenſus, quia in eis errat multipliciter, & procedit fallaciter, & multum doloſe refutans arrogānter fere doctores uniuerſos: & Eccleſiam reprobans pene uniuerſam in eiſdem, ut patet de hoc alibi.

LIIII. Reprobi articuli Petri Paynę ex Anglia.

Item non placent mihi ſcripta, ſtatuta plurima ſacerdotum Thaboritarum: præcipue litera quædam ex eorum unanimi conſenſu (ut ſcribūt) Anno iſto uidelicet. M. CCCCXXX. promulgata. In qua ſequendo Petrum Anglicum, & Ioannem Vuicleph, approbant Vuiclephi ſententiā in ſupradictis punctis de corpore Chriſti perfidis, & alijs multis aliàs promulgatis. Item, in qua

LV. Impia ſtatuta & articuli Thaboritarum.

aſſerunt uenenatum dogma: panem materialem in Sacramento remanere,& in qua ſacrilege deponunt inuocationem ſanctorum triumphantium, & interpellationes & ſuffragia eorum. Similiter deponunt purgatorium,& ſuffragia mortuorum,feſtiuitates ſanctorum pene omnium,& ieiunia ſeu uigilias, precedentes feſta eorum: Conſecrationes rerũ uiſibilium: & in qua approbant celebrationem ſchiſmaticam ſuarum Miſſarum, & refutant cultum celeberrimum Eccleſię,& ritus & adminiſtrationes omnium pene Sacramentorum. Item non placent mihi alia multa ſtatuta eorum circa Sacramenta, ieiunia,purgatoriũ,& adminiſtrationes Eccleſiaſticas, & mores & ritus Eccleſiæ ſacroſanctæ,una cum cæteris falſiſsimis & reprobiſsimis prophetijs eorũ, & nocentiſsimis prædicationibus,dictis,factis,& ſcriptis eorum,de quibus alibi. Item non placet mihi tractatulus, plenus perfidia de corpore Chriſti, latinus & uulgaris Nicolai de Pelhrzimouu, pretenſi Epiſcopi Thaborenſis, qui ſequitur Vuicleph, & Petrum Anglicum in articulis eorum reprobis, ſupra dictis. Item non placet mihi tractatulus Ioannis tzapkonis presbyteri, de bellis & effuſione ſanguinis, & occaſione omnium malorum in mũdo: plenus perfidia et mendoſitate & Tyrannide,à ſeculo ſimili non audita. Item,non placet tractatulus Martinikonis duplex, uterq; repletus hęretica blaſphemia uenerabilis Sacramenti. Item, non placet tractatulus Ioannis Teuthonici hæretici,de corpore Chriſti latinus & uulgaris,ſacerdotis Thaborenſis: qui pene de uerbo ad uerbum ſequitur uerba & ſententiam Ioannis Vuicleph, & Petri Anglici. Item,non placet tractatulus cuiuſdam,qui incipit. Nota duo quæruntur. Primũ quid ſit Sacramentũ &c. Quia falſus & hæreticus eſt,qui pene in forma ſequitur Vuiclephi argumenta, ſententias, & uerba erronea. Item,nõ placet mihi tractatulus Lucę perfidus, una cum multis alijs tractatulis ſacerdotum aliorum Thaborenſium,peſsimis & peruerſiſsimis repletus hæreſibus,& blaſphemijs uniuerſalis Sacramenti.

Tractatus Nicolai, Epiſcopi pręrenſi Thaboritarum. *Tzapko* *Io. Teuthonicus Thaborita.*

LVI. Item,non mihi placent,à principio in hoc regno facta,& ſtatuta plurimorum deordinatiſsima: uidelicet ſubtractio eorundem ab Eccleſia Catholica: diſceſsio ſacrilega à ſanctorum doctorũ doctrina: Celebratio Miſſarum ſchiſmatica & nocentiſsima: permutatio cultus Dei erga omnia Sacramenta periculoſiſsima. Non placent bella, ſtrages & homicidia: non urbium & locorũ,& prouinciarũ exadia: non rapinæ, nõ furta, nõ ſacrilegia: non combuſtiones: non terrarum uaſtationes: non pauperum oppreſsiones, uiolentationes, ſubiectiones,& exactiones. Et inter alia nõ mihi placent,

Reprobatio deordinationum, & bellorũ in Bohemia per Huſsitas.

placent, ſed multum diſplicent, iniuſtiſsimę repugnationes & reluctationes, quibus pugnatur uel diſſuadetur, ne in hoc regno & eius ordine uniuerſo reducendo, pro habẽdo legitimo capite ſpirituali & ſæculari laboretur, ſed ut populus domini ſicut oues ſine paſtore pericliteutur: ut quemadmodum piſces maris, & reptilia non habentia ducem, ad quæcꝫ illicita euagentur. Attendãt hic Germanorum nouæ ſectæ.

Item profiteor plane & publice, me toto cordis deſiderio inardeſcere, & aſsidue totis conatibus intendere, & à Deo clementiſsime expoſcere ſacroſanctã ſumme neceſſariam Eccleſiæ uniuerſalis reformationẽ, et toti mundo ſumme opportunã eius reparationẽ: atqꝫ ipſam omnium ſtatuum, officiorũ & graduum Cleri, à primo ad ultimũ, ad normã legis Dei, & uitã Euangelicam deſideratã reductionem, ipſiusqꝫ uineæ Dominicæ ab omnibus ſuperfluitatibus amputationẽ, & ſponſæ Chriſti pulcherrimæ Eccleſiæ gratiſsimam uenuſtationẽ. Et membrorũ eius ſingulorũ uenuſtiſsimam compoſitionẽ, & compoſitiſsimã ordinationem, & ſolidiſsimã & indiuiſibilem totius Eccleſiæ unionem, & ſchiſmatũ ab ea plenam excluſionẽ, atqꝫ errorũ omniũ & hæreſum, tanquàm geniminum uiperæ, perfectã deſtructionẽ, deordinationumqꝫ indicibilium, & malitiarum interminabilium plenã & totalem extirpationẽ, & radicalem euulſionẽ. Quales ſunt Symoniæ deteſtatiſsimę per orbem: heu undiqꝫ refuſiſsimæ, cõmercantiæ & pactationes pro gradibus, officijs & dignitatibus, Cleri ſceleſtiſsimæ omnium Sacramentorũ uenalitates periculoſiſsimę, & celebritates ubiqꝫ uenaliſsimæ, auaritiæ inſatiabiliſsimæ. Fornicationes impudẽtiſsimæ, & immundiciæ ubiqꝫ putridiſsimæ, & putrefactiones abominabiliſſimę: Concubinatus pollutiſsimi, mores diſſolutiſsimi, geſtus & habitus actus corruptiſsimi, ſupermultiplicata ubiqꝫ in Clero meretricia, quibus heu corrupta ſqualet uniuerſa terra, et inſanit in omni immundicia, tanquàm à muliere illa Babylonica omni abominatione prophaniſsima. Et ſimilia facit mala Luciferina Cleri ſuperbia, quę effertur ſupra Deum, & quæqꝫ ſublimia pro nihilo ducens, quæqꝫ Domini Ieſu contempta & humilia. Similiter abundans opulentia, & opulenta abundantia, quæ late effluxit & ſemper effluit, ad ſuperflua tranſcendens cõmodæ neceſsitatis moderamina. Simile faciunt lauta eius & aſsidua cõuiuia, quibus frangitur, & abigitur à ſubiectis omnis temperantia. Simile facit eius inquietudo litigioſiſsima, & litigioſitas maligniſsima: litium orbis radix potiſsima. Simile curioſitas uaniſsima, ueſtimentorum pompa indecentiſsima, cõuerſatio ſæculariſsima, & admixtio ſæcularitatis cõfuſiſsima. Tranſgreſsio omnium mandatorum

LVII. Reform tio Cleri.

Vitiorum et errorum extirpatio.

Symonia.

Fornicatio

Superbia.

Abundantia.

Conuiuia.

Lites.

Pompa ſæcularis.

+patentiſſima. Dei+ patiſsima, contemptio & prævaricatio totius legis Dei promptiſsima: A quibus omnibus, heu, mūdus iſte ſordet peſsima eorum per exempla. Et inter hæc cura miſerarum animarū remiſsiſsima, cura uerbi Dei negligētiſsima, cura ſedādi in populo peccata prorſus mortua & extincta. Hæc ſunt reuera & multoplura flagitioſiſsima, ab omnibus gemenda & dolenda, Et in Clero moderno iure culpanda, & rigore Catholicorum rationabiliter reformanda: ſtatuum & graduum Eccleſiaſticorum reuerenda ſtabilitate, & ſtabili immobilitate ſemper ſalua.

Negligentia circa curam animarum.

Reformare rationabiliter.

LVIII. Item Non placent mihi plures formę à pluribus incaute & inſipienter factę, articuli tertij & aliorum articulorum, inter quos forma iſta nō placet mihi, quod dominium ſæculare ſuper diuitijs & bonis temporalibus: quod cōtra præceptum Chriſti, Clerus occupat in prǽiudicium ſui officij, & damnum brachij ſecularis, ab ipſo auferatur & tollatur. Et ipſe Clerus ad regulam Euangelicā, & uitam Apoſtolicam, qua Chriſtus uixit cum ſuis Apoſtolis, reducatur: pro eo, quia ſimplicibus non intelligentibus diſtinctionem inter dominium materiale & formale, dat atq; dare poſſet occaſionem innumerabilium ſacrilegia committendi, & bona temporalia ab Eccleſia auferendi, aut alijs modis multis Eccleſiam iniuſte perturbandi &c.

Incauta forma tollendi à Clero bona temporalia.

LIX. Item profiteor, Quia mihi non placent, ſed multū diſplicent in pluribus etiam tempora inexpertę iuuentutis meæ, quibus uel ipſe prǽſumens, uel alios ſequēs, uel alijs tanquàm maioribus credens, ſæpe dixi non dicenda: feci non facienda. Verbi gratia. Non placet mihi, Quod Ioannem Vuicleph, doctorem Euangelicum nominaui. Non placet mihi, abuſio literæ cuiuſdam in Vualezob ſcriptæ. Et breuiter nō placent ſingula dicta mea, ſcripta uel facta, ſi & de quanto reperiuntur eſſe ſupra dictis contraria & aduerſa: petens, ut ab omnibus ſint contempta. Inter quæ non mihi placet propalatio ſurreptícia cuiuſdam ſcriptimei, uetius notularum & ſignaturarū quæ ſic incipiunt, Iam Domino Ieſu &c. habentium in ſe à principio uſq; ad finem argumenta LX. pro & contra diſputatiue comportata. In quibus quidem exiturus ad audientiam celerius, iura ad utranq; partem pro memoria ſubito reducenda, curſim & proprie conſignaui. Et allegationes ipſas iurium, pro & contra utcunq; iniectas, prę temporis breuitate & negocij neceſsitate, nec perlegere nec penſare ualui. Quæ tamen licet (ſicut dixi) adhuc indeciſa & incorrecta, indigeſta & incompta falſe & ſurrepticie, ſine mea ſcientia & uolūtate, ſunt per alios, me inuito & repugnante, propalata. Nec quidem in ea forma, quam continent

Reuocatio errorū propriç perſonæ ſuæ.

Argumenta LX pro & contra.

mea exemplaria, ſed in alia, multū uaria & diuerſa. Quamobrem & ego ſequens exemplar Beatum Auguſtinum, dicentem 12. q. 1. c. Ecce ego in conſpectu Dei & ueſtro, muto conſilium prius à me ſtatutum. Ipſum, inquam, ſequens, & alios maiores: qui facta ſua potius elegerunt corrigere, quàm per incauta dicta alios offendere: cum ſapientis eſt, ſeipſum emendare, & ſtultum eſt relinquere ſe inemendatū: ut ſententiatur & ponitur 12. q 4. Cum etiam Eccleſia, Papa, & Imperator corrigunt honorifice ſua facta, ut dicit Specu. 2. par. ti. de excep. §. x. uerſi. Vt autē. Et ut notat plane Archidi. lib. 6. de reſcrip. c. Statutum. Idcirco dico, quod ſi quid uideatur in prędictis notulis, uel in alijs quibuſcunq; dictis meis aut improuide factis, quod ſit contra Deum aut Eccleſiam, aut ſi fuerit ſingulis his punctis meis ſupradictis contrarium, uel incompatibile, uel exceſſiuū, uel articulis plurimis Io. Vuicleph, uel alicui eorum conſentaneum & fautorium, peto, ut hoc totum quiſq; Catholicus faſtidiendo reſpuat & contemnat, & hæreticū me earundem ſignaturarum aſſertorem ſeu approbatorem nullatenus aſſerat, & ſaltem in hac re cum ſuo patre mendacij mentiri præcaueat.

Exemplū corrigendi ſeipſum.

Reuocatio contrariorum in ſuis ſcriptis.

Item profiteor & proteſtor, Quod ego Ioannes de Przibram has LXX. profeſſiones ſingulas facio & teneo, & Domino auxiliante, tenere contra hęreticos uſq; ad diem mortis intendo: animo quidem ſyncero, ſimplici & conſtanti, non aliter, q; cum proteſtatione mea ſupra in principio poſita, & ex cauſis ſupra dictis: uidelicet, ut poſcentibus rationem de fide credendorum, & de ueritate tenendorū, prælceam. Atq; per hoc ut Catholicos in bonis confirmem: hæreticis occaſionē aduerſum me quærentibus, occaſionem amputē, & eis mētiendi de me, & adſcribendi falſa uiam perſtringam, atq; cunctis poſteris famam et uiam Catholicā ut relinquam.

LX. LXX. Profeſſiones. ad LX. redactæ

Veruntamen ex ſuperabundanti proteſtor plane, quia docto, quod in aliquibus uel in aliquo horū, ſiue credendorū, ſiue tenendorum forem corrigibilis, præcipue per Eccleſiam ſanctam Catholicam & Romanam, cuius correctioni Euangelicæ & Catholicæ me cum his omnibus ſubijcio, & obedientiæ humiliter accommodo, ſiue per quoſcunq; uiros Catholicos, ſiue amicos, ſiue inimicos, ſiue ex amore uelint corrigere, ſiue ex liuore, nihil mea intereſt. Ego paratus ſum humiliter ſingula emendare, nec cuipiam uolenti emendare intendo reſiſtere, gratus exiſtens, dummodo per quemcunq; uel quocunq; modo ualeam emendari, & ad uiam ueritatis per quemcunq; reduci & reuocari. Facta ſunt hæc, Anno Domini M. CCCC XXX. tunc amplius ſęuiente & minante Tyranno Raſo, & conſolante Domino Ieſu Chriſto crucifixo. Amen.

Paratus corrigi à quocunq; rectius ſentiente.

Deſyderiū emēdandi.

Raſo id eſt Procopio maiore.

Et ſic eſt Konetz huius profeſſionis.

PHILIPPICA SEPTIMA IOAN. COCHLÆI, ADVERSVS SEDITIOSOS ET FAMOSOS LIBELLOS PHILIPPI MElanchtonis, in CAROLVM V. Imp. Rom. recens æditos.

II. REGVM XX:

Et ſeparatus eſt omnis Iſrael à Dauid, ſequutusq; eſt Syba, uirum Belial, filium Bochri: Viri autem Iuda adhæſerunt Regi ſuo.

Ad Lectorem Ioannes Cochlæus.

NON mireris Pie lector, ſequentem libellum meum his Bohenicis ſcriptis adiungi, Quia non ignoras, quantus ſit hodie in Germania clamor, de pacifica Cæſareæ Maieſt. circa Religionis noſtræ diſſidium Ordinatione, cui audaciſſime contradicent Lutheranæ Sectæ Concionatores. Cum igitur ex huius Hiſtoriæ libris, in plæriſq; locis fiat mentio, de Sacramentis & Ceremonijs Eccleſiæ, quid de ijs ſenſerint in publicis Tractatibus, Tum is Concilijs Conſtantienſi & Baſilienſi Bohemi, Tum Pragæ in Collegio Caroli, & in Prætorio ani quæ ciuitatis Theologi ac Magiſtri Vniuerſitatis, Tum etiam in plerisq; conuentibus & diſputationibus Calixtini contra Vualdenſes, Tum uero præcipui Duo Huſſitæ, M. Io. Rokyzana, & M. P. de Przibram, in ſuis contra Thaboritas libellis, quos Hiſtoriæ adiunxi: Operæ precium ſane uidetur, hūc quoq; libellum meum adijcere, ut uideas, quam longa ſit diſtantia Lutheranorum & Zuinglianorum, circa Sacramenta & Ceremonias, in quibus plurimum diſſident, non ſolum ab Huſſiturum & Catholicorum traditionibus, uerumetiam ab Vniuerſis alijs Chriſtianæ fidei profeſſoribus. Lege igitur, & confer eorum ſcripta cum Bohemorum ſcriptis, & comperies proculdubio, rem ita habere.

Quod facillime crediturus es, ſi alterum quoq; libellum meum, quem nuper in quendam magni (ut putat ipſe) nominis Concinatorem de ijſce rebus ſcripſi, quem ob temporis breuitatem nunc ædere non poſſum. Bene uale.

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FRANCISCO DE GONZAGO, DVCI MANtuæ &c. Domino ſuo Clementiſsimo. Ioannes Cochlæus S. P. D.

ILluſtriſsime ac Generoſiſsime Princeps, ad Patruum tuum Reuerendiſs. ac Illuſtriſs. Principem ac Dominum, D. HERCVLEM de Gonzago. S. R. E. Cardinalem presbyterum, & Mantuæ Epiſcopũ, ſcripſi ante annos Quatuor, libellum quendam de Conſyderatione, in quo contra Duo Concionatorum Lutheritæ ſectæ ſcripta: quibus ſuam de concordia in fide & religione ineunda ſententiam proteruiſsime declarabant: reſpondi. Quanta interim mala, quantæ ignominiæ, quantæ clades acciderint Principibus & ciuitatibus eorum, quos impijs ſeductionibus ſuis traxerunt in ſeditioſam rebellionem, aduerſus Potentiſsimum & Inuictiſsimum bellorumq́; peritiſsimum Principem, Romanorũ Imperatorem ſemper Auguſtum, Regem Catholicum &c. Dominum ſuum: Arbitror Illuſtriſs. Celſitudini tuæ ignotum non eſſe, Quæ perpetuo in Curia Imperatoris, ſuum habuit Oratorem, D. Camillum Capilupum, uirum Doctiſsimum: qui non minus morum grauitate ac uitæ integritate, quàm ingenio & Carminum uenuſtate ac elegantia claruit. Non dubito igitur, eum uirum omnia, quæ interim & à Cæſare fortiter geſta, & à ſeditioſis infœliciter attentata ac perpetrata fuerunt, diligentiſsime & per literas ſcripſiſſe, & ore fideliter retuliſſe Ill. Celſ. Tuæ. Erat enim ſtudioſiſsimus cognoſcendarum rerum, locorumq́; Germaniæ: eo præſertim tempore, quo uidebat Ratiſponæ Anno Dom. M.D.XLVI. Smalcaldicos coniuratores totis uiribus arma in Cæſarem parare, & collectis exercitibus properare, ut eum opprimerent imparatum. Quare intrepide contra ſeditioſos Cæſ. Maieſtati aſtitit, non ſolum literis & conſilijs, uerumetiam armis & Equitatu, more ueterum Romanorum, qui nõ minus armis quàm literis ualuerunt. Vt uideat autem Ill. Celſ. tua, quanta ſit adhuc hodie inceſſabili contra Catholicos odio Lutheranorum pertinacia, uiſum eſt mihi operæ pre precium, ut uno ſaltem libello declarem, quomodo Teuthonice auſus eſt ſcribere adbuc & euul-

 gare

gare nouos contra Eccleſiæ pacem, & Ro. Imperatorem libellos, Phil. Melanthon idem ille Author, qui & ante ſuorũ clades, & captiuitates, ignominiasq́; Smalcaldiæ conſimilia ſeditionis & pertinaciæ conſilia dedit. Scripſerunt & alij plerię; complices eius, cõtra mitiſsimam Cæſ. Maieſtatis de pace & concordia moderationẽ Edictalem, quam uulgo INTERIM *uocant, diuerſos Germanice libellos, ſed nullorum uirulentiores uidentur mihi libri, quàm ſunt iſta huius Philippi ſcripta. Vnde factum eſt, ut in tantis patriæ periculis, ad quæ peſtilenti claſsico, miſere deceptos Euangelij noui aſſertores, in nouas ſeditiones concitare non deſinit iſte Philippus, breui ſaltem reſponſo, fallacijs & furoribus eius occurrendum eſſe duxerim: licet occupatiſsimus interim exiſtam, in colligendis atq; in publicum ædendis, alijs multis, tum antiquorum, tum meis quoque ſcriptis: ueluti Antidotis quibuſdam, ut per ea dicã ſolicite cum Dauid, Regio propheta, Germaniæ populis. Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem. Hunc igitur libellum Ill. Celſ. tuæ præ alijs ſuppliciter nuncupo, ea potiſsimum ratione, quòd argumento & ſtylo perſimilis eſſe uidetur ei, quẽ ante Quadriennium tuo nuncupaui Patruo, Pietatis & doctrinæ laude Eminentiſsimo Principi. Bene uale Princeps Clariſsime, fœliciſsimæ Indolis flori, ac ſummæ ſpei expectatione, Matrisq́; pientiſsimæ ac Duorum Paruorum ſapientiſsimorum Principum ſtudijs & exemplis, ad optima quæq́; præſtanda laudatiſsime inſtitutus ac deſiderabilis. Ex caſtello S. Victoris prope Moguntiam. Quarto Kalendas Martias*

M. D. XLIX.

AD

AD CAROLVM V. IMPERATOREM ROMANORVM, ET HISPANIARVM REGEM CATHOLICVM, PHILIPPICA

Septima Ioannis Cochlæi.

ETſi non ignoro, Inuictiſsime Imperator, Carole Auguſte, quàm exoſum nunc ſit apud Lutheri diſcipulos & propugnatores, maxime in ſcholis apud iuuenes, linguarum ac politiorum literarum ſtudioſos, nomen meum: propter fideles labores meos, quos tot iam annis, pro ſalute animarum, ac pro patriæ honore, paceq́ & tranquillitate Sacri Rom. Imperij, urgente me conſcientia ſoli Deo plene nota, cōtra Lutherū & complices eius eorumq́ ſcripta erronea, & contra pernicioſas (ut probe nouit, atq; etiam publice fateri non ueretur ſacratiſsima tua Maieſtas Cæſarea) & impias ſectas nouas, immò peſsime reſuſcitatas: pie ſuſcepi ac longanimiter ſuſtinui. Conſolor tamen me ipſum intus in corde, hoc
uerbo Chriſti. In patientia ueſtra poſsidebitis animas ueſtras. Et Luc. 21.
illo Apoſtoli. Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Item, 2. Timo. 2. Act. 14.
Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et 2. Tim. 3.
omnes qui pie uolūt uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Ne uero fractus (quod abſit) opprobrijs & calumnijs aduerſariorum, cedam eis, aut eorum minis & uexationibus territus, à laboribus deſiſtam, mente adhuc & corpore ſanus: retinet me in officio illud Euangelij uerbum. Qui perſeuerauerit uſq; in finem, hic
ſaluus erit. De nomine igitur meo, quod ſectarum authoribus Denomine quid curandū ſit.
ac defenſoribus exoſum eſt, non magnopere curare debeo, niſi ut ſeruem illud, per Dei gratiam, ab omni crimine purum & immune, atq; innoxium, ne ab eis iure aut uere accuſari, aut in ſcandalum trahi poſsit. Si enim placeret illis, Catholicis ſuſpectū redderetur:
Quemadmodum Paulus ait. Si hominibus placerem, ſeruus Chri- Gal. 1.
ſti non eſſem. Non contemno quidem illud Sapientis. Melius eſt Eccle. 7.
nomen bonum, quàm unguenta precioſa. Magis tamen attendo Pſal. 61.
ad illud Dauidis & Pauli, atq; adeo ipſius Chriſti uerbum. Reddet Ioan. 9.
Deus unicuiq; iuxta opera eius; uidelicet, ut operer dum dies eſt, 1. Cor. 15.

ſciens, quod labor noſter nō eſt inanis in Domino. Quorſum hæc, Auguſte Imperator, & Rex Catholice? Huc certe, ut ſacræ Maieſtati tuæ fideliter & officioſe, debita cum reuerentia referam paucis, quis nunc præcipue tuis ſanctis, ad pacem in religione & ad Reipub. tranquillitatem, ſtudijs atq; conatibus obſtrepere atq; reſiſtere uideatur, Nempe Philippus Melanthon: Qui profecto id impune facere non poſſet, ſi Rex eſſet ipſe aut Princeps aliquis.

Calamitoſa rebellio Lutheranorū.

Satis enim iam rerum experimento conſtat, quàm infœliciter atq; calamitoſe reſtiterint, atq; etiam armata manu terribili ſeditione, rebellauerint inuictę potentiæ ac ſanctæ intentioni tuæ, pleriq; Principes & ciuitates ſacri Ro. Imperij, quibus per latiſsimam conſpirationem, ſeditioſamq; coniurationē aduerſus utranq; Poteſtatem (quam à Deo eſſe non poterant ignorare, qui tam iactanter Paulum Apoſtolum legerant) tantæ erant uires, ut totius mundi terror dici poſſent: ueluti Attilæ quondam colluuies, Aut tanquàm ex Inferis reſuſcitati ueteres Germanorum contra Ro. Imp. ductores Ariouiſti & Arminij. Qui & aperto Marte in campum minaces procedere, tuumq; ſacrum, & Maieſtate cunctis uenerandum Nationibus & populis Caput, ad interitum (proh ſcelus & nefas) quærere, ac tandem in caſtris nondum recte munitis, ferreis Bombardarum globis immaniſsime impetere auſi fuerint, ad interimendum te Clementiſsimū Dominū & Imperatorem ſuum:

Pſal. 7. Quos tamen Deus, Iudex iuſtus, fortis & patiens, miſere confuſos uictosq;, in manus tradidit tuas, Inuictiſsime Heros: Iuxta illud

Pſal. 2. Pſalmiſtæ, Qui habitat in cœlis, irridebit eos, ut poſsis eos regere in uirga ferrea, & tanquàm uas figuli confringere. At ſumma

Clementia Cæſaris.

Clementia tua, non ſolum non animaduertit aut ulta eſt digne, & iuxta leges de crimine læſę Maieſtatis, in eos tam immane ac Parricidale facinus, & rebellionis dirum ſcelus: Verum etiam paterna pietate congregauit omnes Imperij Principes & ſtatus in unum, ut Solenni conuentu Imperiali, per longos tractatus & conſultationes, Patriæ noſtræ clementiſsime proſpiceres, ut de cætero à tantis ſeditionis & rebellionis periculis, atq; etiam à nocentiſsimis in fide & religione diſsidijs, Germania tota libera foret & immunis.

Seditioſa ſcripta Melanthonis.

At huic ſanctiſsimæ uoluntati pietatiq; tuæ, audet reſiſtere inueteratus quidam diſſenſionū propagator, obſtinatusq; hæreſum defenſor, Philippus MELANTHON, impijs ac ſeditioſis quibuſdam ſcriptis, recens æditis, quibus Ordinationē tuam, quæ uulgo INTERIM dicitur, publice taxare, calumniariq; ac reijcere non ueretur. Qui & alijs quibuſdam famoſis ſeditioſisq;, & impijs libellis, qui nunc in Germania paſsim circumferuntur, nequite

quiter deceptos populos, iterum in rebellionem, & in nominis tui odium, Maieſtatisq́ & poteſtatis, atq; etiam potentiæ tuæ contemptum concitare conatur, ut pertinaciter, contra tuum ſummiq́ Pontificis, ac totius Generalis Concilij Tridentini iudicium, in hæreſi Lutherana (quam ſceleſto mendacio Euangelium, cœleſtemq́ doctrinam uocitat) ſecum permaneāt. Deus nouit, hæc à me referri, non ex ullo in perſonam eius odio (cui ut homini Germano, ingenio præcellenti ac erudito, uelim & in corpore & in anima, atq; etiam in externis & temporalibus fortunis optime conſultum) ſed ex pia ſolicitudine & maiorum malorum formidine, quę hoſtis humani generis, per hunc ſatellitem ſuum, denuo in patria noſtra reſuſcitare conatur. Poſt Lutheri enim interitū, nō ſupereſt ei aliud, ad horrendiſsima rerū corporumq́ et animarū damna procuranda, organum aptius aut efficacius hoc Philippo, qui ad nocendum ſeducendumq́, & perdendum omnibus modis & artibus inſtructiſsimus eſt, & longo uſu rerumq́ experientia præ omnibus alijs exercitatus. De quo equidem ſemper dubitaui, annis iam Vndetriginta, an Patriæ noſtræ totiq́ Eccleſiæ minus pernicioſus ac peſtilens, quàm Lutherus ipſe, cenſeri debeat. Præualuit quidem in perditiſsima hac ſecta nomen Lutheri, quod is Tragœdiæ huius flebilis & in perpetuum deflendæ, primus author extitit inter homines, & hanc perditionis telam, Satanica ſuperbia inſtinctus, exorſus eſt. Sed progreſſum & ſucceſſum huius ſectæ, non minus iuuit ac promouit (me iudice) Philippus quàm Lutherus. Nā cum eſſet ingenio uafro & acuto, atq; in Grammaticæ Dialecticæq́ & Rhetoricæ rudimentis comptiori ſtylo exercitatus, magnam ubiq; per Germaniam in ſcholis aſſecutus eſt gratiam & fauorem. Vnde factum eſt, ut repēte in partes Lutheri traxerit quoslibet eruditos, qui politioribus literis, ac linguarum ſtudijs delectabantur. Hinc igitur acceſsit Luthero ingens fauor, non ſolū in ſcholis per Grammaticos & Rhetores: qui tenera & ſimplicia iuuentutis (quæ natura magis ad mala, quàm ad bona prona eſt & ſequax) ingenia inficiebant nouis, cōtra fidem & religionē antiquam, dogmatibus: atq; in odium Cleri et Monachorum incendebant ingenioſorum corda, per politiorum literarum & linguarū ſtudia: Verumetiam in Aulis & Curijs Principum, tam ſpiritualium quàm ſæcularium, atq; etiam in ciuitatibus, ubi plus ſtudij ſolet uulgo impēdi eloquentiæ ac ſęculari pompæ, quàm religioni & cultui diuino. Vnde non modicus oriebatur contemptus Theologorum & Monachorum: præſertim ex ſæuitia ſtyli, qua quoslibet Aduerſarios petulantiſsime proſcindebāt ambo. Quāta eſt enim procacitas huius Philippi

Quare in hunc Philippum ſcribitur.

Præcipuus Lutheranæ ſectæ propagator.

Sæuitia ſtyli maledici.

in ea oratione,quam ædidit contra Rhadinum Placentinum, ſub ficto nomine Didymi Fauentini, paulo ante Maieſtatis tuæ Edictum Vuormacienſe? Ego certe, dum ei ad eam orationē reſponderem Duobus libris, in priore confutaui articulatim Mendacia eius XXII. Calūnias in ſcholaſticos Theologos XCII. & Blaſphemias VII. In poſteriore uero, contra Rom. Pontifices Mendacia LXXVII. Calumnias LX. & Blaſphemias XL. Poſt Edictum uero tuum, cum ſuperueniſſet in Germaniam Cenſura Theologorum Pariſienſium, Bone Deus, quàm procacibus conuicijs & calūnijs, Lutherus Teuthonice, Philippus Latine, Celeberrimam illam ſacræ Theologiæ facultatē, petulantiſsime inceſſerūt: Quanquam paulo ante in illius iudicium, Lutherus cum D. Eckio, ſuper diſputatione Lipſica compromiſerat. Vuormaciæ autem tanti faciebat apud me in priuato colloquio hunc Philippum ſuum idem Lutherus, ut diceret, non uiuere hodie ullum hominem ſuper terram, qui in ſacris literis doctior eſſet Philippo. Quin etiam publice in ſua præfatione, quam pręfixit Annotationibus eiuſdem Philippi, non ueritus eſt ſcribere, Origenis & Hieronymi meras eſſe nugas in commentarijs ſuper Paulum, ſi conferantur illis Philippi ſui in Paulum Annotationibus. Quæ tamen paulo poſt ita diſplicuerunt ipſimet Philippo, ut ſcripſerit publice, eas non eſſe ſuas, neq; pro ſuis agnoſcendas. Ædidit eiſdem fere temporibus libellum, de locis communibus in Theologia, uſq; adeo uenenoſum & erroribus refertum, ut arbitrer, nullum ab utroq; ęditū unquàm fuiſſe librum magis impium, aut à Catholica fide plus alienum: Id quod Catholici facile credent, ſi meam de Libero arbitrio reſponſionem aduerſus eum legerint. Hinc ita creuit apud Lutheranos quoslibet huius Philippi gratia, fauor & authoritas, ut Anno Do. 1530. in Comitijs, Auguſtæ à Cęſarea Maieſtate tua celebratis, ipſe præcipue fuerit author illius cōfeſsionis Luthericę, quæ paulo poſt occaſio fuit omnibus ligis & confœderationibus, quibus colligauerunt ſeſe plærıq; Principes & ciuitates, aduerſus quoslibet Catholicos: in magnum ſane & præiudicium Iuris & Maieſtatis tuæ, & Imperij conturbationem, totiusq; Germaniæ periculum. Et ita creuit hinc Philippi præſumptio, ut Apologiæ, quę pro illa confeſsione ſcripta fuit, communi Lutheranorum nomine, ſe proprie authorem inſcripſerit, ac deinceps ubiq; in publicis Tractatibus illam confeſsioni adiunxerit, atq; pro uero Euāgelio habendam cenſuerit. Quare & ipſi Luthero præferebatur in Lutheranorum conuenticulis, ac uelut publicus & communis Principum & ciuitatum Cancellarius, in eorum ſcribendis propoſitionibus & reſponſionibus

Edictū Cæſaris anno 1521.

In Pariſienſes.

Impudens laudatio Philippi.

Loci communes Philippi.

Authoritas eius apud Lutheran.

nibus habebatur:ut eius præcipue ſtudijs & uaframētis acceptum referri queat, quicquid ſeditioſe ac ſuperbe ab illa Lutheranorum liga, contra Maieſtatis tuæ Iura, Mandata, & Edicta unquàm aut uſquam attentatum ac practicatum fuit. Quapropter non immerito exiſtimari poterit principalior, apud ligæ illius Principes et ciuitates, rebellionum contra Maieſt. tuam, & ſeditionum inſtigator & author, quàm fuit ipſe Lutherus. Quod uel ex facto ipſo unicuiq; conſtare poteſt, Quandoquidem conſpiratio illius ligæ, Luthero iam mortuo, primum erupit palam, ut aperte auſa fuerit, contra Maieſtatem tuam in arma conſurgere, & manifeſta rebellione milites contra te conſcribere: exercitus parare, & in campum armata manu, & omnibus ad uim inferendam machinis & Bombardis, maximo cum terrore & apparatu, procedere. Interea iſte ſeditionum incentor, ſeditioſiſsima pariter & atrociſsima in Germaniæ populos cuulgauit ſcripta: Tum ſua iniurioſiſsima, contra Maieſt. tuam, & contra ſummū Pontificem, ac Generale Concilium Tridentinum: Tum Lutheri ſui conuicioſiſsimam atq; calumnioſiſsimam cōmonitionem Germanicam, quam ille ante XV. prius ædiderat annos, in lucem reproduxit, ut omnes Germaniæ populos abſterreret, ne quis Maieſtati tuæ militaret aut opem ferret contra Lutheranos: Qui pro Euangelio Chriſti, & uera Dei Eccleſia pugnarent: contra te & Papam, tanquàm ſummos & extremos Euāgelij & puræ doctrinæ Chriſti hoſtes. Neq; tamen abſterruit eum, à ſeditioſiſsima hac malignitate ſua calamitoſus euentus, & aduerſa fortuna partis ſuæ, eorum etiam in quos maxime confidebat, qui è ſumma ſtatus & potentiæ ſuæ dignitate deiecti, & authoritate publica depoſiti, partim exulant inglorij, aut proſcripti omnia timent, partim captiui detinentur, & uictoris gloriam, uelut triumphati, populis ubiq; inſpectantibus, declarāt miſerabili confuſione uultus ſui. Ipſe interim domi reſidens in pace, meditatur peſtifera ſcripta, aduerſus pacis ordinationem, quam Maieſtas tua publico Principum & ſtatuum Imperij conſilio atque conſenſu promulgauit, & contempto Maieſtatis tuæ interdicto, ne quis aduerſus eam doceat, concionetur, aut ſcribat: ipſe audaciſsima rebellione ſcribere non ueretur, et in populos per Typographiam diuulgare ac publicare, quàm plurimas reprehenſiones: Quibus miſere ſeductis populis diſſuadere præſumit, ne pacificæ Ordinationi tuæ (quæ INTERIM appellatur) obedienter acquieſcant et conſentiant. Quo id conſilio auſit, aut qua fiducia nitatur, neſcio. Suſpicor tamen eum ſibi iampridē præparaſſe certū refugij locū, in quo iram et indignationē tuā ſecure poſsit effugere.

Author cō ſpirationis contra Cæſ.

Seditionū Incentor.

Scripta Phi. contra Interim.

Quemadmodum Ioannem Hus olim iactitaſſe ferunt Conſtantię, quod ſua ſponte illuc uenerit ad Concilium: Alioqui multa potuiſſet in Bohemia, aduerſus omnem uim, tuta habere latibula.

Periculoſa ſcripta ſi contemnātur.

Noli obſecro Imperator Auguſte, hanc Philippi huius audaciam pro nihilo contemptim habere, aut parui facere, tanquàm gerras aut maledicta priuati hominis. Nouit enim ipſe ex multis hiſtorijs, quantum malorum, huiuſmodi homines per hæretica & ſeditioſa ſcripta ſua, Imperijs & bene ordinatis Rebuspublicis inferre queant. Et ego permulta retuli fideliter noſtris, in exemplum præcauendi, in XII. libris hiſtoriæ Huſsitarum. Sed multo adhuc plura ex uarijs hiſtorijs ordinatiſsima ſerie, In ſex libris De hæreticis, commemorat Doctiſsimus Iureconſultus D. Conradus Brunus. Mihi ſufficiat hic breuis & generalis commemoratio eius ex uno duntaxat Capitulo.

D. Brunus de hæreticis lib. 2. c. 1.

Nunc de malis (inquit) & incommodis, quę ex hæreſi & ſchiſmate proueniunt, dicemus. Horum alia quidem ad Deum & ſanctā Dei Eccleſiam: alia ad ueros & Orthodoxos fidei cultores referuntur. Ad Deum pertinent, Blaſphemiæ hæreticorum, ſacrilegia, ſubuerſio piarum in Eccleſia fundationum, iudiciorum, & ſacrarum legum, & ſi qua ſunt ſimilia. Ad Orthodoxos & fideles ſpectant, iniuriæ, calumniæ, crudelitates, quas hæretici & ſchiſmatici in Catholicos exercent. Atq; hæc omnia ex una radice oriuntur, nempe illa, quod hæreſis & ſchiſma, ueram & Catholicam fidem, & timorem Domini, Charitatē item erga Deum & proximum, in cordibus hominum extinguunt. Sane hæc ſunt (inquit) portenta & monſtra, quæ ex hæreſibus & ſchiſmatibus oriuntur, quibus nihil nec horrendum magis, neq; pernicioſius in ſancta Eccleſia excogitari poteſt. Quippe quibus uera et Catholica fides & religio labefactatur, & extinguitur: animæ & corpora occiduntur, omnis generis tumultus & ſeditiones cōmouentur, pax & tranquillitas publica perturbatur. Deniq; totius Reipub. Chriſtianæ ſtatus & forma in peius commutatur, & tandem in totum etiam ſubuertitur & aboletur. Hæc D. Brunus.

Portenta quæ ex hęreſib. proueniunt.

Mutatio ſtatus Reipub.

Et Philippus ipſe ante biennium, quando iam in campo Lutherani aduerſus Maieſtatem tuam armati congregati erant, & fortes illi quęrebant animam tuā ad perdendā eam. Nobiliſsime Cæſar, nihil certius quàm uictoriam ſibi de te pollicentes, Cum reproduceret in uulgus ſeditioſiſsimum Lutheri libellum Germanicè ſcriptum, & ante XV. annos æditum, ſic ſcripſit in præfatione ſua, itidem Germanica.

Profecto magna (inquit) eſt hæc res, & quocunq; ceciderit, eſt utiq; perpetua mutatio, tum in ſæculari regimine, tum in religione, ſecutura.

Hoc

Hoc certum eſt, & miror equidem plurimum, quod prudentes homines permiſerunt, ſe ad hoc bellum moueri, ſed non eſt hominum duntaxat opus, Diaboli furunt, & libenter uellent maiorem deuaſtationem & calamitatem in Chriſtianitate efficere.

Torſit hæc uerba Philippus in te Cæſar & exercitum tuum, odioſe per calumniam imputans tibi omnem belli aut ſeditionis potius culpam: cum non ignoraret, ſuos maximo cum apparatu belli feſtinaſſe, ut Maieſtatem tuam, binis duarum fratris filiarum nuptijs Ratiſponæ intentam, præuenirent, ac imparatam inuenirent atq; opprimerent ſubito, dum è campo hoſtiles tibi mitterent literas, ad uim inferendam iam præparati atq; terribiliſsime inſtructi. Volebat igitur uideri propheta, præſagiens Maieſtati tuæ peſsimum rei euentum, minaciterq; dicens. Malignitas Phi. in Cæſ.

Deus, qui omnium corda nouit, iudex erit.

Quemadmodum & in prologo ſuo, contra Concilium Tridentinum ſcribens, eodem fere tempore minabatur, in hęc uerba. Minax Phil. Prologus.

Sciat aũt Carolus, & ſciat Antichriſtus Romanus, eum qui habitat in cœlis, irridere eorum conatus, Qui ad eos paulo poſt loquetur in ira ſua, & tanquam figulinum uas confringet utriuſq; capita.

Sed fallax propheta miſere ſuos decepit, in quorũ capita triſtis fortuna belli, Deo iudice, conuerſa eſt. Imprudenter enim audierunt & ſecuti ſunt hunc Pſeudoprophetam, qui audire ac ſequi potius debuiſſent ſapientiſsimum Salomonem, in prouerbijs ita dicentem. Time Dominum fili mi & Regem, & cum detractoribus ne commiſcearis, Quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſq; quis nouit? Facile autem credo Philippum hunc perpetuam (ut ſcribit) intendiſſe ac ſperaſſe mutationem, tum in Republica, tum in Religione, ſi uiciſſent ſui: Qui repente mutare ſoliti fuerunt, iuxta Lutheri et Philippi huius ſententiam, et religionem & ſæculare regimen, ubicunq; aduerſus Catholicos præualuerunt. Quod utinã tua quoq; feciſſet Maieſtas in Saxonia, quando Deus in manus tuas ſeditionis capita iuſto ſuo iudico mirabiliter tradidit. Iam enim non liceret huic ſeditionũ incentori nouam accendere facem ſeditioſis, ad contradicendum & rebellandum pacificæ Ordinationi tuæ, unde nouus timeatur aut oriri queat tumultus. Quæ enim fax ardentior eſſe queat ad denuo rebellandum, & nouis conſpirationibus priorem reſuſcitandum tumultum, quám ſunt calumnioſa & iniurioſa huius Philippi argumenta, quæ audaciſsime in Germaniæ populos per Typographiam diſperguntur, contra omne Interdictum tuũ, in uituperium omnis Prouerb. 24.

omnis pro pace & unitate recuperanda laboris ſtudijq́ tui, dum omnia facta tua in peſsimam partem accipiat & calumnioſe interpretetur. Etenim Lutheri liber, qui Cõmonitio ſeu Auiſatio Germanorũ dicitur, & ſi per ſeſe tantis ſcateat calumnijs & criminationibus, cõtra utranq́ poteſtatem & omnem ſtatum Eccleſiaſticum, ut iterum nouas Ligas & conſpirationes exuſcitare queat, ſicut & pernicioſiſsime fecit mox poſt priorẽ Imperij Conuentũ, Auguſtę à Maieſt. t. celebratũ: Tamen Philippus in ſua præfatione, quam libro illi recens iterum ædito adiecit, multo plura ſuperaddidit, quibus ad rebellandum excitari queant Principes & populi: Quibus iam pridem perſuaſum eſt, Papam eſſe Antichriſtum, & hæreticam Ro. Eccleſiæ fidem: Lutheri uero doctrinam eſſe puram ueritatem, & certiſsimum ipſius Chriſti Euangelium. Nam inter alia multa, quæ ibi commemorat inuidioſiſsime, ſic ait.

Liber Luthe. ſeditioſus à Phil. iterum ædi tus.

Quod aũt nonnulli clamant, Cæſarẽ uelle libenter bonã & concordem Ordinationem facere, ſed ad hoc peruenire non poſſe, niſi prius dura quædam capita, Concionatores, Principes & Regentes tollat. Hoc eſt ualde laudabile principiũ ad Chriſtianam Reformationẽ. Et qualis futura ſit Reformatio, hoc facile ex prioribus Tractatibus, ex cõburendo, ex nouiſsimis Tridẽtini Cõcilij ſeſsionibus, & ex articulis Louanij confictis, æſtimabitur. Antiquos errores modicum colorabunt, & Idolatriam conſeruabunt. Etenim in luce eſt Doctrina noſtra, & omnes qui ſapiunt, ſi nolint contra conſcientiã ſuam loqui, fateri oportet, multos ſublimes articulos, & toti Chriſtianitati neceſſarios, recte ac pure declaratos eſſe: De quibus antea magni & pernicioſi errores in toto mundo prædicati fuerunt. Quoniã uero illam manifeſtam & diuinam ueritatem negare nolumus, oportet nos dura capita uocari.

Verba Philip. odioſa in Cæſ.

Et infra. *Cumq́ aliqui dicant, defenſionem eſſe iniquam contra ſuperiores. Etſi ſine Sophiſtica reſponderi poteſt, Papam, Sacerdotes & Monachos, eſſe præcipuos inceptores & ductores huius belli: ſicut ſcitur, Papam homines & pecunias in Germaniam miſiſſe: Attamen & hoc certiſsime uerum eſt, Regimina eſſe rem ordinatam, in qua Poteſtati æque ac ſubditis meta poſita eſt. Et naturaliter iuſtum opus eſt defenſio, quod Deus implantauit naturæ. Et magna eſt diſtantia inter Defenſionem & Seditionem. Si latro uel in uia publica, uel in domo tua, te aut uxorem liberoſq́ tuos inuadere uellet, Protectio & Defenſio eſſet iuſtum & Deo placitum opus, etiam ſi Latro ibi interficeretur. Euangeliũ enim, quod de æterna iuſtitia prædicat, non uult in hac corporali uita, legem naturalem & ordinatum regimen extinguere &c.*

Bellum cõtra Imper. ſub nomine Defenſionis.

Hæc

Hæc & id genus multa, inculcat in ea præfatione Laicis Philippus, ut accendat eorum animos ad reſiſtendum, nō ſolum Papæ, ſacerdotibusq́ & Monachis, uerum etiam Maieſtati Cæſar tuæ. Cum non uereatur te comparare publico Latroni, atq; etiam Regi Antiocho (quem Radicem peccati uocat ſcriptura) impijſſimo Idololatræ, & rectæ fidei perſecutori. Ita enim ſubiungit in eadem præfatione. Iniurioſæ comparationes. 1. Machabe. 1.

Cum autē furor in Diabolis, & in parte Idolatrica uſq; adeo magnus ſit, dabūt ipſi cauſam ad aliquam mutationem, quæ ipſismet nimis grauis futura eſt. Ego autem omnes pios rogatos uolo, ut ſerio Deum orent, ut Eccleſiam ſuam: in qua recta doctrina prædicatur & Chriſtianū regimen, clementer conſeruare dignetur. Secundo, cogitent item omnes pij, quod unuſquiſq; iuxta ſtatum ſuum ſuasq; facultates, ad conſeruandam rectam & Chriſtianam doctrinam, ſeruire tenetur. Propter quod præcipue uiuimus, & in hac uita nihil melius præſtare poſſumus. Videntur res iſtæ temporibus Machabæorū admodum ſimiles, & quæruntur aſtus & uiolentia, Ideo unuſquiſq; cordatus multa ex illorum hiſtoria conſyderare poterit. Adhortatio ad rebellandum.

Hæc & talia multa, ab hoc Philippo ſparguntur adhuc hodie in Germaniæ Proceres & populos, quibus probe ſcit iam diu perſuaſum eſſe, Papam eſſe Antichriſtum, & omnes qui cum eo in fide & religione conſentiunt, eſſe Idolatras & hoſtes Chriſti & Euangelij. Lutheri autem doctrinam, uerum eſſe Chriſti Euangelium, ueramq; Chriſti Eccleſiā. Ideo ſecure calumniatur & infert, Maieſtatem tuā et quoslibet alios: Qui cōtra Lutheri doctrinam, pro antiqua Eccleſiæ Catholicæ fide & religione, aliquid attētant, faciunt aut ſtatuunt: eſſe impios, Atheos, Idolatras, hoſtes Chriſti, et Euāgelij, atq; agnitæ ueritatis perſecutores. Itaq; nō minus cōtra Maieſtatem tuā, q̄ cōtra Papam et omnē Clerū, callide nititur publicum exuſcitare odium: ſciens, iam pridem plurimis perſuaſum eſſe, Lutheri doctrinam eſſe uere Euangelicam, & unicam uiam ſalutis, quam ſub æterno animarum periculo nemo derelinquere debeat, ſed pro ea aſſerenda, cuncta potius ſubire pericula: & uitam ipſam exponere, atq; omnia, quæ in contrarium fiunt aut præcipiuntur, fortiter contemnere, ac reprobare, etiam ſi angelus de cœlo ueterem Eccleſiæ fidem & Euangelium prædicare uelit. Sed ne prolixius immorer hic reliquis huius Philiphi ſcriptis, quibus in odium & rebellionem aduerſus Maieſt. tuam populos concitare ſtudet: ea hic tantum referam eius ſcripta, quæ contra nouiſsimam Ordinationē tuam, Auguſtæ in Comitijs publica & Imperiali authoritate Prætextus Euangelij. Scripta Philip. contra librū Cæſ.

thoritate promulgatam, euulgare non ueretur: & tanta quidem cum Lutheranorum gratia, ut nouiſsimæ eius æditioni, contra antiquam conſuetudinem, nouos tribuerint titulos dignitatis. Ita enim habet in Germanico libelli ſuperſcriptio.

Inſolitus Titulus Philippi.

CONSYDERATIO ſuper INTERIM Reuerendi ac Altedocti Domini Philippi Melanthonis.

Mutatus eſt hic titulus in aliis editione, ſic. Conſyderatio ſuper Interim Theologorum VVitenberge.

Vetus autem conſuetudo huiuſmodi Epitheta in Germanico non tribuit Laicis & ſecularibus, ſed Eccleſiaſticis tantum Prælatis & Doctoribus: At non ignorant, Philippum hunc ſacerdotem & Doctorem non eſſe, ſed Laicum & uxoratum, neq; in ulla facultate Doctorem publico more promotum. Quanquam ego nihil per hoc ingenio & eruditioni eius derogaſſe uolo, ſed populi duntaxat fauorem indicaſſe, ut intelligat Maieſtas tua, quam periculoſa hodie ſint huius hominis, licet priuati, publicata ſcripta. Vidi ea in duplici forma euulgata. In priore quidem, ad Illuſtriſſ. Principem Electorem, & Ducem Saxoniæ Mauritium, breuius & aliquanto modeſtius: In poſteriore autem prolixius atq; contumacius hoſtiliuſq;, et per fraudulenta argumenta, ſophiſticaſq; technas inſidioſius. Scit enim omnibus Lutheranis iam pridem perſuaſum eſſe, quicquid contra Papam, & omnem Catholicæ Eccleſiæ obſeruationem antiquam dixerit ipſe, pro Euangelio haberi apud temerariam & ſuperbam ſeductæ plebis cenſuram & iudicium, etiamſi merum ſit mendacium aut manifeſta calumnia. Talem enim cæcitatem meretur ſuperba eorum præſumptio, ut dum iudicare & calumniari audent Vicarium Chriſti, ſummũ in terris ſacerdotẽ & paſtorem, ſemper literaliter peruerſo intellectu diſcẽtes, nunquam ad ſcientiam ueritatis perueniãt. Quibus per Eſaiam ait Dominus. Audite audientes, & nolite intelligere: Excæca cor populi huius &c.

Duplex ſcriptum contra Interim

2. Timo. 3. Eſaie. 6.

Ad tales igitur cæcos Iudices amplius decipiendos, & in erroribus cõceptis, ac tot annis imbibitis confortẽdos, præmittit fictam ſuperbiſsimus cæcorum Dux in hypocriſi humilitatem, in priore contra INTERIM ſcripto ſuo, ſic dicens.

Ficta humilitas & falſa iactãtia.

Vellem equidem perlibenter ad pacem & concordiam conſulere, Atq; etiam aliquot graues articulos in doctrina, ante multos annos in concordiam redegi: ſicut multi eruditi ſciunt. Et nunquam mihi placuit non neceſſaria & leuis contentio in uerbis. Et nunc ſenex ſum, quod probe ſcio, magnas diſturbationes ac deuaſtationes ex haud neceſſarijs contentionibus ſequi. Ad hæc, quod prohibuit eas Deus, eaſq; arguit, Sicut Salomon ait, Eum eſſe abominationem coram Deo, qui diſcordiam inter fratres excitat. Et uerum eſt, Eccleſias in multis prouincijs

adeo

adeo diſsimiles & diſsipatas eſſe, quod neceſsitatas requirit, ut Cæſ. Maieſtas de forma aliqua cogitet.

Hoc mendaci & doloſo prologo captat aſtutus Rhetor beneuolentiã, non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud Catholicos, ſi forte tuam quoq; Maieſtatem Cæſar per fallaces aliorum ſuggeſtiones circumuenire, & in ſui fauorem trahere poſsit. Dolosus Prologus. Ait ſe perlibenter ad pacem & concordiã uelle conſulere: cum ſatis in facto conſtet, neminem magis obſtitiſſe in omnibus de pace & concordia tractatibus atq; Colloquijs, Maieſtatis tuæ & aliorũ Catholicorũ pio pacis & concordiæ deſiderio, quàm obſtitit finaliter ad concludendum fallax iſte Hypocrita. Impeditor Cõcordiæ in Colloquijs. Id quod Maieſtas tua præ omnibus facile cognoſcet uerum eſſe, ſi conſyderet fructus Colloquiorum, quæ à Maieſtate tua pacis & concordię cauſa fuerunt inſtituta. Quis enim nequius lactauit, ac decepit uana ſpe & longa expectatione Maieſtatem tuam, Regemq; Romanorũ fratrem tuum, & alios Imperij Principes & ſtatus Catholicos, in priore conuentu Imperiali Auguſtæ habito, quàm fecit iſte Philippus? Ipſe enim unus, inter ſeptem & ſeptem Colloquio deputatus, facile potuiſſet, & de ſatisfactione, & de Miſſa atq; de Communione ſub una ſpecie, ſuos ad pacem & concordiam perducere, ſi uoluiſſet: Colloquiũ Auguſtæ Anno 30. Nam ingenue fatebatur ibi, Lutheri eſſe uerba, quæ ego ex ſcheda recitari feci de ſatisfactione, quæ eorum ſententiæ prorſus & manifeſte contraria erant: noluit tamen ſententiæ & noſtræ & Lutheri conſentire aut cedere. Cumq; fateretur cum ſuis, non peccare noſtros ſub una ſpecie communicantes: noluit tamen, ut hoc ſuis diceretur publice in concionibus. De Miſſa uero, cum iam deſperata concordia, ab inuicẽ diſceſſuri eſſent ex utraq; parte Principes & alij, Ego conturbatus & contriſtatus dicebã huic Philippo, Cum probe ſciret, quomodo nos ſacrificium acciperemus, nempe ut eſſet repræſentatiuum oblationis Chriſti, in Cruce ſemel peractæ. Quod ipſi neq; negabant neq; impugnabant, Cur hoc Philippe tuis non dicis? Quid ille reſpondit? Profecto nihil aliud audiui, niſi prouerbium ludibrij uerbum iſtud. Improba reſponſio Phil. Dic (inquiebat) iſtis (hoc eſt, Brentio & Schneppio, Collegis ſuis) qui ſunt ſacrificuli, Ego non ſum ſacrificulus. Hinc ſane cognoſcitur facile, eũ magis diſcordia quàm concordia delectatum fuiſſe, qui tam facile ſuos ad conſentiendum nobis inducere potuiſſet. Quamuis uerò diſſoluto tũc ſeptenorum Colloquio, minori perſonarum numero res pro pace attentata fuerit à Maieſtate Cæſar tua, nihil tamen efficaciter cõcludi potuit. Quia fax diſcordiæ hic Philippus Colloquijs illis ſemper interfuit, & aduerſæ parti dux uerbi erat. Quanta autem mala & ſcandala

Bbb per

Liga Smalcaldica.

per Decem deinde annos enata fuerint, teſtantur mendaces & ſeditioſi libelli Lutheri, contra illius Dietæ Receſſum æditi: Teſtantur nouæ ſub religionis prętextu Ligæ & cõiurationes Smalcaldicæ, quas Maieſtas tua uix poſt XV. annos diſſoluere ac diſpergere potuit, maximo & periculoſiſsimo cõtra coniuratos bello, In quo te Deus uictorem contra tantas coniurationis & defectionis uires conſtituit. Quæ ſane omnia præcaueri ac euitari facile potuiſſent, ſi Auguſtæ tunc, hoc eſt, in priore Conuentu Imperiali, per hunc Philippum non fuiſſet fraudulenter in religionis tractatibus concordia impedita. Taceo hic inæſtimabilia & irrecuperabilia damna tot millium: immo Myriadum animarũ, quę per tot annorum hæreſes & diſcordias in æternum perierunt. Taceo proteruas minas fraudeſq; & contumacias, quas coniurati contra publicum Imperialis Cameræ Tribunal & iudicium, per tot annos in poteſtatis & authoritatis tuæ contemptum, exercuerunt. Taceo nefarias defectiones magnorum & multorum, qui à Maieſtate tua interim ſub ſcelerato prætextu confeſsionis & Apologiæ Auguſtanæ (cuius præcipuus Author fuit iſte Philippus) ad coniuratos & rebelles publice defecerũt. Taceo impias et barbaricas abolitiones cultus diuini, quas inde ſecutas uidimus in deuaſtationibus, direptionibus, uiolationibus, demolitionibus, & uiolentis occupationibus tot Eccleſiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum, tot Monaſteriorum utriuſq; ſexus, tot Sacellorum & altarium. Quibus ſanè impietatibus, grauiſsime læſa fuit non ſolum Maieſtas Cęſar tua, quę ſumma eſt in terris, ſed etiam æterna Maieſtas Dei, quam laudant (ut in ſacra Miſſę præfatione per totum orbem terrarum publicè dicitur) Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates. Nihil horum contigiſſet, ô Imperator, ſi Auguſtæ tunc iſte Philippus maluiſſet ſuis concordiam ſuadere, quàm excitatam à Luthero ſuo, diſcordiam in publicis Colloquijs et Tractatibus, fallaciter nutrire, confortare & ampliare. Nouit Maieſtas tua me nihil horum fingere, ſed in facto luce clarius omnia patere, & rerũ experientia (proh dolor) conſtare. Neq; tamen ueretur ille mendaciſsime iactitare, in hypocritico ſuo cõtra INTERIM prologo, quod uellet perlibenter ad pacem & concordiam ſuadere, ſeq; ante multos annos, graues aliquot articulos in doctrina in concordiam redegiſſe. At longe uerius eſt, eum iam XXX. annis ſemper fouiſſe diſcordias in doctrina, non minus quàm fecit Lutherus. Id quod facile conuincitur ex audacibus & procacibus Iuuentutis ſuæ ſcriptis: Qualia ſupra commemoraui ex his, quæ ędidit in multis Annotationibus, quas ipſemet poſt aliquot annos pro

Damna ex impeditione concordiæ deinde ſecuta.

Mendax iactãtia Phil. de ſtudio pacis.

pro ſuis agnoſcere erubuit, ac impudẽter ſuas eſſe negauit. Quid præterea procacius & ad diſcordias in fide & doctrina procliuius fuit, quàm ſunt ea quæ contra Placentinum, contra Pariſienſes, & de locis communibus iam olim in publicum ædidit? Quid de alijs dicam Colloquijs, pro pace & concordia à Maieſtate tua inſtitutis? Certe magnum ſcio & doctum Principem, qui coram multis dixit, ſe nunquàm crediturum fuiſſe, hunc Philippum tam uirulentum ac mordacem eſſe, niſi proprijs auribus Vuormaciæ in Colloquio audiſſet, quàm irritabilis & procax fuerit aduerſus D. Ioan. Eckium, qui datus ei fuerat Collocutor. Quam fraudulentis uerò concordię ſimulationibus, in longum protraxerit paulo poſt Colloquium Ratiſponenſe, Anno 41. nemo grauiori cum detrimento, uitæꝗ periculo ſenſit tandẽ, quàm Sacratiſſ. Maieſtas tua, quæ inaniter perdito per illud Colloquiũ æſtatis tempore, autumnali expeditione grauiſsimum paſſa eſſe naufragium. Quamuis uerò fateatur in hoc ſuo prologo Philippus ultro, in multis nunc prouincijs adeo diſsimiles & diſsipatas eſſe Eccleſias, ut neceſsitas requirat, Maieſtatem tuam de aliqua forma cogitare: Nemo tamen petulantius aut malignius, formã, quàm Maieſtas tua ſub nomine INTERIM promulgauit, impugnat ac uitiligat, atꝗ ſuggillat, quàm facit ipſe Philippus, qui ſe propria temeritate Iudicẽ & Cenſorem Imperialis formæ conſtituit, & Germaniæ populos ad denuo rebellandum Maieſtati tuę incitat. Quod ut breuiter & aperte oſtendam, ad uirulenta quædam, cõtra libri capita, ipſius argumenta reſpondebo.

Colloquiũ Vuormacienſe.

Colloquiũ Ratiſponẽſe.

Petulans impugnatio libri, quem INTERIM uocant.

De repræhenſione contra Librum Cæſareum in genere. Caput I.

CONſyderet, precor, Maieſtas tua Cæſar generalem aſtutiam huius Rhetoris, qua librum tuum ubiꝗ impugnat ac reprę̃hẽdit, populi decepti ſimplicitate abutens, & falſam credulitatem eius in tui libri odium atꝗ calumniam conuertens. Scit maximam plebis partem per errorẽ credere, Lutheri doctrinam uerum eſſe Euangelium & agnitam ueritatem, quæ hoc tempore ſit à Deo per Lutherum ſingulari Dei dono reuelata: Antiquum uerò Dei, & ſanctorum cultum in Eccleſijs noſtris, meram eſſe Idolatriã. Quamuis uerò hoc falſiſsimum ſit, & interꝫnum probari non poſsit, & à nobis Catholicis maxime negetur: ipſe tamen hoc, tanquàm uerum ac certum præſupponit, & non curat hoc probare, ſed aſſumit certa ſcripturę uerba, quę tãquàm à

Falſa credulitas & opinio plebis Lutheranæ.

Aſtutia maligna Phil.

nobis negata & reiecta aut impugnata, in odium noſtri probare ſatagit, ut credant ſui, uerum Chriſti Euangelium & agnitam ueritatem, à nobis impugnari, & Idolatriam à Maieſtate tua per potentiã & iniquã uim defendi, & per Lutherũ iuſte ac pie repulſam, à Catholicis, tua fretis potẽtia, uelle reduci in Eccleſias. Ait igitur.

Verba Phil. *Etſi libri Prologũ nondũ uidimus, audiuimus tamẽ graue ac moleſtũ eſſe ſcriptũ. Quod ſi hoc intendit, ut Eccleſiæ noſtræ dãnentur, & approbatio huius Libri (quem INTERIM dicunt) ſit confeſſio erroris Eccleſiarũ noſtrarũ, quaſi iniuſte hactenus docuerint, et friuolam diuiſionem induxerint, Ad hoc neceſſario reſpondendum eſt. Nam ſi poſt agnitam ueritatem nos ipſos repræhendere, & illam perſequi uellemus, hoc foret blaſphemia & peccatum in ſpiritum ſanctum, quod non remittitur, à quo nos Deus cuſtodiat. Quamuis igitur minentur nobis bellum et deuaſtationem, nos tamen præceptum Dei præferre oportet, nempe, ut agnitã Euangelij ueritatem non negemus.*

Calumnia Lutheranis iam olim perſuaſa. Quomodo autem probabit Philippus, negari uel à nobis uel in libro tuo, agnitam Euangelij ueritatem? Hoc certe probare nunquàm poterit, neq; probare curat, aut opus eſſe exiſtimat: Quia male credula turba eius, hoc iam diu perſuaſa eſt de nobis per Philippi & cõplicum eius calũnias, & pro certo habet. Igitur abhorret approbare librũ Cęſar tuũ, uel Lutheri doctrinã derelinquere. Ideo Philippus nunc facile perſuadet ſuis, ut librum reijciant, & ad fidem antiquam reuerti nolint: ſed bellum potius & deuaſtationem patiãtur, atq; in doctrina & Euangelio Lutheri permaneant: Quia id Deus ineffabili miſericordia reuelauerit hominibus, ut recte inuocent, atq; ſalutem conſequãtur omnes, qui eam doctrinam iuuerint manu tenere. Huic autem mendacio mox alterum adiungit, nempe, quod diabolus ab Adæ uſq; temporibus hanc doctri-

Calumnia in Cæſ. nam (Lutheri ſcilicet) extinguere & obſcurare conatus ſit. Superaddit mox tertium.

Quod liber tuus intendat iterum erigere in Eccleſijs impiam doctrinã & Idolatriam, unde maxima orirentur ſcandala Eccleſiarum.

Hinc igitur tanquàm ex ponderoſis cauſis concludit, non recipiendum librum Maieſt. tuæ, quia ſeuerum Dei mandatũ cogit ipſos, confiteri rectam doctrinam, quæ doceatur in eorum Eccleſijs, & non negare agnitam Euangelij ueritatem. Rurſus adijcit odioſum mendacium.

Quo calumniatur Epiſcopos, quod nullam concordiam uelint acceptare, nec ipſis ullum ordinare ſacerdotem, atq; ita permaneret nihilominus diſcordia in doctrina, & quibuſdam Cæremonijs, ſi librum hunc acceptarent.

acceptarent. Hinc ergo cõcludit, melius eſſe, ut ſuis Eccleſijs quietem & pacem relinquant, & non inducant nouis mutationibus iterum diſcordiam & ſcandala in Eccleſias ſuas.

Vbi eſt hic Cæſar mandatũ tuum, quo præcipis, ne quis auſit in Imperio contra hunc librum tuum ſcribere aut prædicare? Vbi paretur hic generali omniũ receſſuum Imperialiũ publico Edicto, ut nihil per Typographos excudatur, niſi habeat expreſſe adiunctũ nomen Autoris, nomenq́ꝫ Typographi & loci, in quo ſit excuſum? Nomen quidẽ Authoris expreſſum cernitur, quod factũ puto, ut eius authoritate & gratia, inter Lutheranos fortius cõmoueat hæc illius ſcriptura ad rebellandũ populos. Sed nomen Typographi atqꝫ loci nequiter omiſſum eſt, ne poſsit Maieſtas tua in eos animaduertere. Author aût ſeditioſi ſcripti, non curat tuã indignationẽ, quia poterit facile effugere, uel ad proxime ſitas ciuitates rebelles adhuc, uel ad principes proteſtãtes adhuc, uel ad alia Regna, quæ Imperialẽ tuã Iuriſdictionẽ nõ agnoſcũt. Satis tibi cõſtare arbitror Imperator, ubi adhuc hodie degit hic Philippus, et ſub quo Imperij Principe ſic ſcribere, & in populos Germaniǽ hęc ſeditioſa ſcripta ſua euulgare audet. Quid prodeſt igitur, è rebellibus. Duos aut Tres homines tenere captiuos, & permittere interim huic Philippo, ut uirulentis ſcriptis ſuis multa populorũ millia rurſus in nouam rebellionem, aduerſus Maieſtatem tuam, omnemq́ꝫ pro pace & concordia reparanda ordinationem tuam, excitet ac impellat? Tantæ enim hic unus eſt apud Lutheranos quoslibet authoritatis & gratiæ, ut plures commouere poſsit ad noua, protuendo falſo & ſeditioſo Euangelio ſuo; bellorum pericula, quàm poſsint uel Centum Pomerani, Brentij, Schneppij, Caluini, aut quicunqꝫ alij hæreſum Propugnatores aut ſeditionum concitatores. Nam cum legitimam habeat uxorem, honeſtior uidetur cæteris, Et coniuratis prioris Ligę notior eſt, atqꝫ in hypocriſi doloſius loquitur, & pacis deſiderium ſimulat. Magis igitur cauendum eſt Maieſtati tuæ à periculoſis huius hominis ſcriptis, quæ tam grata ſunt hæreticis, ubicunqꝫ locorum conſtitutis, quàm uel à Decem rebelliũ Principum & ciuitatum proteſtantium Ligis nouis & coniurationibus: quia plus nocere poterunt.

Duplicis Mandati Imperialis trãſgreſsio

Phil. contẽptor iræ Cæſ.

Quantum poſsit Phi. ad ſeditiones.

De Iuſtificatione Caput II.

HIc prolixa uerboſitate renouat ueterem contentionem Lutheri Philippus, quod ſola fides iuſtificet: Quam Maieſtas tua cum reliquis Catholicis Principibus & Statibus publice reiecit, ac prohibuit Auguſtę in Receſſu Imperiali ante annos XVIII. Reiecit eandẽ in Bulla ſua Leo Papa X.

Damnata propoſitio Sola fides iuſtificat.

ante annos plus minus XXX. Reiecerũt eandem Clariſsimę Vniuerſitates, Pariſienſis, Louanienſis, et Colonienſis, et cum his Doctiſsimi quicꝙ Theologi, qui huius propoſitionis falſitatem multis ſcripturarum locis conuicerunt. Contra quam & ego, minimus omnium, aliquot euulgaui libros: nominatim uerò ac ſpecialiter Philippicam Tertiam, contra moleſtas ac ſæpiſsime repetitas, de ſola fide Apologiæ Auguſtanæ nugas. Vbi ex dictis B. Auguſtini adduxi 24. teſtimonia, in quorum Viceſimo primo ſic ait. Per ſpiritum ſanctum diffunditur charitas in cordibus noſtris, qua una iuſti ſunt quicunꝙ iuſti ſunt. Philippus tamen hic, contra inhibitionem Cæſar tuam, rurſus contendit nugaciſsime, pro ſcandaloſa illa de ſola fide falſitate, quam expreſſe reprobarunt iam olim S. Iacobus Apoſtolus, Sanct. Auguſtinus, & omnes Catholici. Poſt longa tamen uerborum blaterraměta, tendit ac reuertitur tandem re ipſa ad conſenſum & ſententiam noſtram, ſic dicens.

Aug. de natura et gratia. c. 63. *Iac. 2.* *Aug. in libro de fide & operibus.*

Fideliter confitemur & docemus, quod oportet in corde eſſe contritionem & dolorem, conuerſionem ad Deum, charitatem, bonum propoſitum, & bonam conſcientiam, & oportet hoc dictũ permanere uerũ. Qui non diligit, manet in morte. Oportet ſimul adeſſe multas uirtutes neceſſarias, fidem, charitatem, ſpem, bonam conſcientiam, bonum propoſitum &c. Deinde ultra has uirtutes oportet adeſſe fiduciam ſuper filium Dei, quæ reliquas uirtutes obumbret. Omnes uirtutes ſunt debiles in nobis, & manet adhuc multum immundiciæ in humano corde in hac uita. Ideo oportet nos inhærere mediatori, et per eũ quærere gratiã. Hæc Philippus. Quæ & nos docemus & confitemur. Nec contrarium docuit ullus Catholicorũ unquàm. In omnibus enim precibus noſtris ad Deum fuſis, cõfugimus ad mediatorem, dicentes. Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum. Nec dicimus, nos ita mũdos corde in hac corruptibili uita, ſicut ſunt Angeli & ſancti in cœlo, ſed cum B. Ioanne Apoſtolo dicimus. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis nõ eſt.* Hãc igitur doctrinã nunquàm reprobauimus, ſed hanc ſcãdaloſam ac Diabolicam propoſitiõnẽ Lutheri atꝙ huius Philippi: Sola fides iuſtificat, non charitas, non Sacramenta, non opera bona. At hic ſubdole omittit uocem excluſiuam, SOLA, contra quàm nos contendimus. Quam ipſe & Lutherus, contra omnem ſcripturã & ſenſum Catholicum, fidei adiecerunt, & per falſam adiectionem iſtam abduxerunt populum à ſtudio charitatis & bonorum operum, atꝙ à ueneratione Sacramentorũ & ſanctorum inuocatione &c. Alioqui non reprehendimus ea eius dicta

Noſtra cõtentio non eſt de fide ſed de ſola fide.

1. Ioan. 1.

dicta, quæ doloſe dicit doceri in ſuis Eccleſijs, Nempe, hominem iuſtificari coram Deo, & acceptum fieri propter Chriſtũ per fidem. Item, Quamuis charitatem & bonam conſcientiam in nobis eſſe conuenit atq; oportet, ſumus tamen ante Deum iuſti, hoc eſt, Deo placiti, propter Saluatorẽ Chriſtum, per fiduciam in ipſum, & non propter noſtrã mundiciam. In huiuſmodi ſanè propoſitionibus, Logodædalus iſte fallaciſsimus ſubdole omittit dicere de ſola fide: non quod aliter in corde ſentiat, quàm ubiq; de ſola fide ſcribit ac diſputat: ſed ut in odium Maieſt. tuæ, & Catholicorum omnium, efficacius incitet animos omnium Lutheranorũ, Quaſi nos à iuſtificatione noſtri uelimus excludere Chriſtum aut fidem (quàm plerunq; fiduciã uocat) in Chriſtum Saluatorem noſtrum: tanquàm ad ſalutẽ ſatis nobis ſit, confidere in operibus noſtris, aut in noſtra mundicia, abſq; fide & fiducia in Chriſtum. Quis aũt noſtrũ hoc unquàm cogitauit aut dixit? Hanc autem aduerſus nos calumniam uerboſiſsime inculcat in hoc capitulo ſuis lectoribus, & ſciens populum Lutheranum ſibi omnia quę dicit credere, ſecure concludit, non acceptandum eſſe hunc librum, in hoc de Iuſtificatione capitulo. Quia doceat hic liber, abſq; fiducia in filium Dei hominem iuſtificari. Quamuis autem hoc manifeſta ſit calumnia, tamen ſufficit ipſi, ad concitandam, contra librum & mandatum Cęſareę Maieſtatis tuæ, nouã apud ſuos inuidiam odiumq; & rebellionẽ, quod indocti Laici & inconſyderata turba ſic ei credunt.

Fallax Logodędalus Phil.

Nequiſsima calumnia.

De Eccleſia & Epiſcopis, Cap. III.

HÆc eſt ars præcipua Philippi huius, mendaciter laudare ſua, & calumnioſe uituperare noſtra: Id enim facit impudentiſsime ac frequentiſsime, in omnibus ferme ſcriptis ſuis. Qua ſanè malignitate nequiſsime decipit quoslibet Lutheranos, apud quos ex odio in Papam plenã conſecutus eſt autoritatẽ, ut ei omnia credãt ſine omni probatione iuſta: quia ſufficit eis, ipſum dixiſſe. Ideo ſecure mentitur apud ſuos, & de noſtris repræhenſionibus nihil curat. Scit enim ſuos nihil credere nobis Catholicis contra ipſum. Leui itaq; uerbo calumniæ & repellit uel certiſsimas rationes noſtras, ſi dicat: Per adulationem, aut in gratiam Papæ aut Imperatoris, aut ſpe quęſtus, nos cõtradicere ueritati & Euãgelio. Scit hanc calumniã, plurimis iam pridem ex ſuis et Lutheri ſui ſcriptis, atq; ex quotidianis complicũ ipſorum concionibus, inculcatã & perſuaſam eſſe. Ideo audaciſsime abſq; omni fronte & uerecundia mẽtitur & calumniatur. Cunq; ſit aſtutus & fraudulentus probabiliter dicta noſtra conuertit ac torquet ſtatim peruerſo aliquo ſenſu, pro ſuis contra nos, & hoc ingenio

Præcipua ars Phil. ad decipiendos populos.

trahit ſuos miſere deceptos, quocunque uelit. Verbi gratia. Concedit hic uere & probabiliter dictũ iſtud. Eccleſia eſt congregatio fidelium, ſeu recte credentium. At mox quærit, Qui nam ſint recte credentes & fideles? Scit ergo ſuis iam olim perſuaſum eſſe, Recte credentes non eſſe Papam & Papiſtas (ut uocat Catholicos) Sed Lutherum cum ſua parte. Ideo facile contorquet dictum iſtud pro ſuis contra nos, & cõcludit, ueram Eccleſiam eſſe in parte Lutheri, non in parte Papæ: & ſecure uocat hanc hæreticam, illam uerò Catholicam. Scit enim populo Lutherano perſuaſum eſſe, quod uera Eccleſia ſit in parte Lutheri, nõ in parte Papę: Sicut & Donatiſtæ olim, temporibus B. Auguſtini credebant ueram Eccleſiam eſſe in parte Donati, & omnes alias Eccleſias eſſe hæreticas in toto mũdo. Siquis rationibus contrariũ probabat, cum armis et omni iniuriarum genere perſequebãtur Circumcelliones: Sicut & apud nos multis iam annis à Lutheranis factum eſt, & iterum fiet, niſi caute & potenti manu præcauerit & proſpexerit, Inuictiſsime Imperator, Maieſtas tua. Item alterũ hic probabile dictũ, quod ſibi ſuiſque uere obijci poteſt: Nempe, quod nemo ab Eccleſia ſe debeat ſeparare, ita eludit & in nos retorquet idem Philippus.

Probabilibus dictis abuti.

Obiecta retorquere in Aduerſarios.

Immutabile eſt, inquit, Dei præceptum, quod Doctores repræhendere debent falſas doctrinas, falſumque cultum Dei. Si iam pars aduerſa non uult cedere ueritati, & inde ſequuntur ſchiſmata, tunc repræhenſibiles ſunt coram Deo: non ij homines pij, qui ueritatem prædicant aut acceptant, ſed perſecutores potius ueritatis.

Ex his ergo concludit, quod Papiſtæ potius quàm Lutherani propter hæc ſchiſmata culpari debeãt: ſcit enim ſuis perſuaſum eſſe, Papiſtas, non Lutheranos, eſſe ueritatis perſecutores. Et ex eadem falſa ſuorum opinione, intorquet contra nos Catholicos illud quoque uerbũ Pauli. Etiam ſi angelus de cœlo aliud quàm accepiſtis Euangeliũ, uobis prædicauerit, Anathema ſit. Quamuis enim reuera hoc Pauli dictũ maxime contrariũ ſit nouo Lutheri Euangelio, quod aliud eſt quàm accepimus: ipſe tamen pro Lutheranis dictũ eſſe fingit, quia ſcit ſuis perſuaſum eſſe, Euangeliũ apud ipſos, non apud nos Papiſtas (ut uocãt) eſſe. Ideo & Maieſtatẽ tuam & omnes qui Lutheri ſectã & doctrinã damnant, habent pro hoſtibus Euangelij: Se ipſos aũt Euangelicos uocitant. Quemadmodum & in Bohemia olim Hußitæ nouos ſectæ ſuæ Concionatores uocabant Clerũ Euangelicum. Abutitur itaque Philippus hac deceptorum Laicorũ ſuorũ opinione falſa, in odium & detractionem (atque utinam non in nouam rebellionem ſeditioſumque tumultum) contra

Euãgelici.

Gal. 1.

contra Maieſtatem tuam & omnium aliorum, qui Lutheri doctrinam reprobant, aut abolendam eſſe cenſent. Quare & in odium Epiſcoporum conuertit uerba ſua, dicens.

Rogamus quoq; Clementiſsimũ Dominum noſtrũ ac laudabiles Seditioſæ
prouinciales, ut ſi Epiſcopi obedientiam habere uoluerint, huiuſmodi te- Cauillatio-
neatur uia, ne ueritatem perſequãtur, nec Idolatricas Cæremonias ite- nes Phil.
rum in prouincia erigant.

Poſtremo ſub huius capituli finem ſeditioſe cauillatur in Maieſtatẽ tuã, de interpretatione ſcripturarũ, ne cõmittatur certis perſonis: ſicut in Regno ſęculari fieri ſolet. Vult enim ſuam & Lutheri ſui doctrinam ita certam & indubitatã haberi, ut nemini liceat aliter ſcripturas interpretari, quàm ab ipſo & à Luthero ſuo factum eſt. Et hoc ſcit Lutheranis ſuis pergratum eſſe.

De Sacramento Baptiſmi, Cap. IIII.

HIc rurſus ad mendacia doloſq; uerba ſua conuertit, Tria hic
quamuis pauca ſint & breuia. Ait primo ſic. mendacia
De Baptiſmo nulla eſt pugna. Phil.
At non ignorat, ante annos 28. damnatos eſſe I
à Papa Leone X. 41. articulos Lutheri, Quorum Tres primi De Baptiſmo cõtinebant errores, quos & copioſe confutarũt Epiſcopus Roffenſis & F. Ambro. Catharinus, Epiſcopus nunc Minoricẽſis. In quos & ego Tres ædidi libros: Vnũ de Gratia Sacramentorũ: alterũ, de Baptiſmo paruulorũ: Tertium, de fomite peccati. Et ad oculũ patet, adhuc hodie alium, quàm apud nos Catholicos, eſſe ritũ baptizandi in Eccleſijs Lutheranorũ, ubi baptizantur pueri ſine benedictione fontis Baptiſmalis, ſine uſu Chriſmatis & olei ſanct, ſine Exorciſmis, ſine ſale, ſine cereis &c. Niſi igitur curet Maieſt.s tua, ut antiqui ritus, quos propria temeritate aboleuerũt, reſtituantur, nunquàm erit inter nos & illos uera pax aut concordia. Ait ſecundo.

Et pugnauerunt Ecleſiæ noſtræ pie atque utiliter de Baptiſmo II
paruulorum, alijsq; articulis condependentibus.

At ego cõtrarium oſtendi prolixe iam pridem, In duobus pręcipue libris, Quorum priorem inſcripſi De Baptiſmo paruulorum: poſteriorem, Septicipitem Lutherum, In XVII. & XVIII. capitulis. Ait Tertio.

Et indicauerunt Eccleſiæ noſtræ bonũ & ſolidum fundamentum, III
contra uarios errores Anabaptiſtarum.

At

At oſtēdi ego in Minotauro & in Septicipite Vuittenbergēſi, errādi cauſam accepiſſe miſeros Anabaptiſtas ex ſcriptis Lutheri. Quibus & Philippus ipſe, in locis ſuis communibus, nō paruam ad rebaptizandum adultos, & ad differendum paruulis Baptiſmum, errandi anſam præbuit. In ueritate igitur nemo plures contrarietates & errores circa Baptiſmum introduxit, quàm fecerūt hi duo Rabini huius impiæ ſectæ, ac ſeditioſæ factionis Anteſignani, Lutherus & Philippus.

De Confirmatione & Vnctione, Cap. V.

NImis profecto audax, impia & ſuperbia eſt cenſura Philippi in hoc capitulo. Ait primo fallaciter.

Se non ſuadere, ut de his contendatur, niſi quantum ad ſanctorum inuocationem ſpectat.

Mox deinde ſubiungit.

Diſplicere ſibi, hæc duo alijs Sacramētis æquari, & ſpiritus ſancti operationem ad ea alligari, cum manifeſtum ſit, ea ſolummodo in ſpeciem ſic adornari.

Deinde multo atrocius incipit calumniari, ſic dicens.

Atrox calumnia cōtra Confirmationem.

Non poſſumus autem conſentire in magnam Dei blaſphemiam, ut presbyteris noſtris iniungi debeat, quatenus accepterent aut diſtribuant huiuſmodi Vnctiones & Idolatricas conſecrationes. De quibus falſa iactitatio fit in Pontificalibus & Agendis.

Siccine ergo ſuadet Philippus, ut de his duobus Sacramentis non contendatur, niſi quantū ad ſanctorū inuocationem attinet? Quid poterat terribilius diſſuadere, quàm ideo impie de ijs ſentire ac cenſere, quod ſint Conſecrationes Idolatricæ, quæ minime debeant ab eorum presbyteris acceptari aut diſtribui? Ergo ne propter falſam, ſuperbam ac manifeſte impiam, & blaſphemam Philippi cenſurā, debemus omnia Pontificala & Agendas abolere, & Apoſtolicorum uirorum, Chriſtiq; Marγrum ſcripta, atq; antiquiſsimū totius Eccleſiæ ritū reijcere, & uelut Idolatriā condēnare?

Impia & ſuperba cenſura Philip.

Ab Apoſtolorū enim uſq; temporibus, ſemper fuit in Eccleſia horum Sacramentorum uſus: uti patet ex ijs, quę in ſcriptis poſt ſe reliquerunt Dionyſius Areopagita, Clemens, & Fabianus, atq; Euſebius, & Melchiades Ro. Pontifices. Quibus obſecro ſcripturis aut rationibus præmunitus iſte Philippus, tam audacter pronunciat? Heu miſeram ac lamentabilem cæcitatem tot Laicorum, qui huic Laico Theologo, tam ſtulte, ſine omni ſcripuræ ac patrum teſtimonio, garrienti, aduerſus uniuerſam Eccleſiam (quam Paulus columnam & baſim ueritatis dixit) tam leuiter credūt. Sed de his aliquanto

Lamentabilis cæcitas Lutheranorum.

1. Timo. 3.

to

to plura ſcripſi nuper in Caluinum, qui cõſimili uæſania nudis uerbis, ſine omni ſcriptura & ratione, contra Confirmationem & Chriſma ſcribere auſus eſt.

De Pœnitentia, *Cap.* VI.

DE Pœnitentia gloriatur uaniſsime de ſuis, quod ſciant, quantum adiuuerint ad rectam pœnitentiam dogmata ipſorum: & calumniatur Catholicos de doctrina Monachorum, quæ antea fuit in uſu. At conſtat Monachos ſuæ doctrinæ authores ac teſtes habere probatiſsimos, ſanctos Patres. Quorum magnus recenſetur numerus, tum à Gratiano in Decretis, tum à Magiſtro ſententiarũ in Quarto. Et patres illi, Cyprianus, Ambroſius, Baſilius, Hieron. Auguſtinus &c. nõ proferũt ſua tantum uerba, ſicut facit Blaterator iſte ſuperbus, ſed ſcripturę teſtimonijs dicta ſua probant & confirmãt. Quid quæſo adfert aliud, quàm uanas de ſuis nugas & iactantias: De Monachis uero impudentes calumnias? *Monachorum doctrina.*

De pœnitentia (inquit) *ſcimus omnes intelligentes, ante hoc tempus multos fuiſſe errores in doctrina Monachorum, qui nullam conſolationem firmam oſtendere potuerunt, ſed multo magis docuerunt, ſemper dubitandum eſſe de remiſsione peccatorum. Item conſcientias onerauerunt impoßibili enumeratione peccatorum, ac deinde multis erroribus de ſatisfactione, & inſtituerunt Indulgentias, peregrinationes, ac multas ſuperſtitiones. Illi* (inquit) *errores & abuſus hanc de doctrina pugnam primitus mouerunt. Oportet enim religioſos & doctos Concionatores, repræhendere huiuſmodi craſſos errores & Dei blaſphemias. Atq; ita declarata eſt fundamentaliter per gratiam Dei doctrina de pœnitentia: Quam omnes docti intelligunt rectam et conſolatoriam eſſe in Eccleſijs noſtris, atq; ad rectam Dei inuocationem & Euangelij cognitionem utilem.* *Verba Philippi.*

Hæc omnia credit facile carnalis populus, qui non libenter confitetur occulta peccata ſacerdotibus: Neq; ieiunijs, & orationibus, aut peregrinationibus, alijſq; antiquitus obſeruatę pœnitentiæ duris oneribus, uult aggrauari. De quibus multa referuntur teſtimonia in Decretis, & in hiſtorijs antiquis ſanctorum, atq; in epiſtolis & ſcriptis Cypriani, Hieronymi, Baſilij, Auguſtini, & id genus aliorum probatiſsimorum Eccleſiæ Doctorum & Luminarium. Ideo non opus eſt Philippo, accuratas pro ſuis mendacijs & calumnijs *Carnalis populus libenter credit Philip. etiã ſi nihil probet.*

lumnijs probationes tali populo proponere, qui ultro credit & amplectitur talia libenter, & contraria peractæ antiquitus pœnitentiæ exempla, uelut inutilia ac ſuperſtitioſa reſpuit ac deteſtatur, tanquam ſuperuacua Monachorum inuenta. Nihil enim odioſius eſt apud Lutheranos quoslibet, quàm nomen Monachorum.

De Confeßione Cap. VII.

Confiteri peccata occulta ſacerdotibus.

HIc quoq; pro ſuis mendacibus iactantijs, non indiget ad Lutheranos & carnales homines ullis probationibus Philippus, Quia ultro ſic credunt et faciunt, ne opus ſit ſpecialiter peccata confiteri ſacerdotibus. Sic enim liberantur à pudore, quem paterentur in confeſsione occultorum et turpium peccatorum: Liberantur & à metu, quo propter peccata quædam ligari poſſent. Libentius igitur credunt ſuo Philippo, qui dicit eis placentia: quàm Chriſto, qui dicit ſacerdotibus. Quęcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Item, Quorum retinueritis peccata, retēta ſunt. Philippus autē aſtute lactat populum his dulcibus uerbis generalis abſolutionis, Quæcunq; ſolueritis ſuper terram. Et omittit alteram partem, Quæcunq; ligaueritis ſuper terram. Ait itaq;.

Matth. 18. Ioan. 20.

Confeßio quoq; in Eccleſijs noſtris diligenter ſeruata eſt bonis inſtructionibus, quod ibi quæri debeat Abſolutio.

Addit tamen hypocriticam quandam religionis apparentiam, ſic dicens.

Verba Philip.

Nos enim magnis rationibus neceſſarium exiſtimamus, conſeruare priuatam abſolutionem, Cum ſit etiam indiciū, eſſe in Eccleſia remiſſionem peccatorum, & lapſos poſt Baptiſmum iterum poſſe recipi. Iuſtum quoq; eſt, ut ſit generalis agnitio & humilitas quædam, qua ij, qui abſolutionem petunt, dent indicium, quod ſe agnoſcant coram Deo peccatores et reos. Nolumus autem, ut conſcientiæ onerentur periculoſo & non neceſſario onere, quo putent neceſſariam eſſe peccatorum commemorationē in ſpecie. Cumq; iſte articulus omnium hominum conſcientias tangat, non conſulimus(inquit) ut alij in eum conſentiant.

Quid priuata abſolutio.

Hæc ibi Philippus, Luthericarum Rector conſcientiarum, contra librum à Maieſtate tua Cæſar publicatum. Sed dicat quæſo nobis, quomodo priuata (ut uocat) abſolutio magis ſit neceſſaria, quàm publica & generalis. Nonne fatētur & illi, qui publicam abſolutionem petunt, eſſe remiſsionem peccatorum in Eccleſia, ſeq; eſſe coram Deo peccatores & reos? Cur igitur magis neceſſariam dicit

dicit priuatam, quàm publicam abſolutionem? Sed intelligo fraudulentã hominis hypocriſim: Vidit ridiculam apud ſuos eſſe eam confeſsionem, qua communicare uolentes XX. aut XXX. homines, accurrebant ſimul ad ſacerdotem, ut diceret eis generalem abſolutionem, abſq; omni confeſsione præuia. Ideo ut appareret hominibus quædam forma confitendi, ſtatuerunt Rabini iſti, ut unuſquiſq; ſcorſum & priuatim accederet ad ſacerdotem, non ut confiteretur ei ſua peccata ſpecialiter: ſed ut acciperet ab eo formam abſolutionis, & ſic repræſentaret externo geſtu priorem in uera Eccleſia obſeruatam confitendi formã, qua ſeorſum quilibet ſacerdoti ſua in aurẽ cõfitetur peccata, quantũcunq; pudẽda & occulta.

De Satisfactione Cap. VIII.

CVm nõ ignoret Philippus, carnalem turbã ſuam ultro abhorrere & fugere ſatisfactiõis opera, quæ antiquitus in Eccleſia fuerunt: addit breuiter cauillum cõtra librum, & odioſam in Monachorum doctrinam calumniam, & iudicium de hoc articulo uniuſcuiuſq; committit declarationi propriæ. Quoniã uero ſatis conſtat, quid in ſcriptis ſuis ſentiant Lutherus, Philippuſq;, & omnes complices eorum, de Satisfactione, ut pote, quod eam uſq; adeo reijciunt & oderunt, ut uellent etiam ipſum uocabulum prorſus abolitum, & ex omnibus Cypriani et aliorum patrum libris eraſum. Ego ut breuiſsime hic (ſicut & Auguſtæ in eorum Colloquio feci) eos ex proprijs uerbis Lutheri ſui redarguam & conuincam: eius uerba rurſus in medium producam, quę ſic habent. Eccleſia mater, pio affectu præuentura manum Dei, caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, ne incurrant flagella Dei: Sicut Niniuitæ operibus ſuis ſpontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hæc (inquit) pœna arbitraria eſt: attamen neceſſaria. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata. Sic & Aug. ait. Deus nullum malum dimittit impunitum, & nullum bonum irremuneratum. Et Deus ipſe ad Cain. Nonne ſi bene egeris, recipies: Sin autẽ male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed non placent hæc carnali populo, Ideo libentius credũt Philippo, docenti, quod ſatisfactione non ſit opus.

Redargutio ex proprijs uerbis Luth.

Luth. in aſſer. arti. 5.

Gen. 4.

De Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, Caput IX.

HIc breuiter dicit. *Suas Eccleſias non eſſe contra librum: Si uero amplior ab aliquo petatur declaratio de hoc articulo, cum propria confeſsione de hoc loqui ſinimus.*

Verba Philippi.

Maxima de hoc Sacramento diſcordia Luth.

In his paucis uerbis multa latet malignitas, qua & librum ſuſpectum uult facere, quaſi Lutheranorum de hoc Sacramento errores (qui permulti & Catholicis maxime contrarij, horrendiq́, ac deteſtandi ſunt) admittere uideatur, & ſuis relinquit ianuam ad diſcordias apertam. Conſtat nanq́, inter omnes de Sacramentis articulos, maximas eſſe diſcordias, et grauiſsima inter Chriſtianos ſcandala de hoc Euchariſtiæ Sacramento, à Luthero & eius complicibus exuſcitata eſſe. De quibus ego iampridem ante multos annos, non pauca ſcripſi, partim Latine, partim Teuthonice: Tum contra Lutherum in tribus libris Apologiæ, aduerſus Babylonicam eius captiuitatem, ante annos 28. & in pleriſq́ libris Germanicę ſcriptis, atq́ in Septicipite per multa capitula: Tum etiam contra hunc Philippum nominatim, præſertim in Duabus Philippicis, Quinta & Sexta. Inter cætera enim ita ſcripſi in Quinta. Sunt pręterea adhuc alij multi Lutheranorum errores circa hoc Sacramentum, quos hic ſubticet Philippus: licet magnam inter nos & ipſos pariant differentiam atq́ diſcordiã. Impie enim negant et Tranſſubſtantiationẽ & Concomitantiam. In his autem maxime conſiſtit ueritas rei contentæ in hoc Sacramento: In Sexta uero ſic (ubi irridet iſte et blaſphemat corpus Domini, in noſtris proceſsionibus uenerabiliter deportatum, quod Gentili ac Iudaica perfidia contemptim panem uocat, & adorationem eius pro Idolatria habet) In tali proceſsione te ipſum Cæſar CAROLE libenter & cum gaudio uidi, tum Auguſtæ, tum Ratiſponæ, ubi Imperialem celebrabas conuentum: Vidi, inquam, te, ſumma cum deuotione, nudato ſemper capite ſub diuo, in ardẽtiſsimo etiam Solis feruore, poſt corpus Domini uenerabiliter per urbis plateas portatum, ſequi religioſe eũ face cerea. Et ubicunq́ monſtrabatur ad populum cum ſigno crucis corpus Domini, Tu Imperialis tunc oblitus Maieſtatis terrenæ & tranſitoriæ, in honorẽ & reuerentiam Domini tui (cui cœleſtis & ęterna maieſtas eſt) uel in medio platearũ luto in genua prouolutus, ſupplicíſsime adorabas illud Sacramentum.

Septiceps c. 19. 20. 21. 22. et 23.

Exemplũ Cæſaris in adoratione Sacramẽti.

De ſacerdotum Ordinatione Caput X.

Verba Philip.

HAnc (inquit Philippus) *in numero ſacramentorum computari, nobis non diſplicet, ſi recte Chriſtiane ſeruetur, et optamus, ut in omnibus prouincijs magna cum diligentia ſeruaretur, ut non eſſet ſolummodo Cæremonia & ſpectaculum, ſed ut ordinandi bene examinarentur & inſtruerentur, & circa Cæremoniam ſeria fierent mandata. Item, ut deinceps quoq́ diligenter attenderetur ſuper doctrina & mores ſacerdotum.*

Hæc

Hæc ibi. Quæ utiq; non repræhenderem, ſi abeſſet fraudulentia, Matth. 6.
& oculus (dicentis inquā animus & intentio) foret ſimplex. Quoniam uero oculus eius eſt nequam, totum corpus tenebroſum reputari debet. Scimus ſane, quā atrociter ſcripſerit in pleriſq; libris ſuis Lutherus, contra hoc Sacramentum Ordinis, mox circa Tragœdiæ huius initiū tam Teuthonice quàm Latine: aſſerens ubiq;, omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes: Sacramentum Ordinis eſſe merum figmentum: In ſecta tamen ſua nouos inſtituit ſacerdotes & Diaconos, quibus & dignitatis titulos conceſsit, ut aliqui dicerentur Epiſcopi, etiamſi in rure Parochialibus præeſſent Eccleſijs. Sacramentum Ordinis à Luth. reprobatū.

Cum autem nimis ridiculum uideretur hominibus, tales in uillis dici Epiſcopos, mutauit nomen Epiſcopi per interpretationem uocabuli in Latinū, & conſtituit Superattendentes, quibus in potioribus oppidis dedit poteſtatem ordinandi ſacerdotes et Diaconos: At non more & ritu Catholicorum, ſed noua adinuentione, per nudam manuum impoſitionē, abſq; omni conſecratione & unctione. Catholicos enim ſacerdotes uocabat probroſe Idola, raſa, et uncta. Quare gloriabatur Auguſtę Io. Agricola Islebienſis, Lutheri conterraneus, et Electoris Saxonię tunc Concionator, ſe non eſſe ſacerdotem unctum, præſente & applaudente hoc Philippo, Anno 30. in Comitijs. Ideo nequiſsimo fallendi oculo dicit hic Philippus, ſibi non diſplicere, ſacerdotum ordinationem computari in numero Sacramentorum, ſi recte ac Chriſtiane ſeruetur. Superattendentes.

Exiſtimat autem in corde ſuo (licet hic in uerbis non exprimat) eam recte ac Chriſtiane ſeruari, ſi fiat, ſicut in ſecta Lutheri hactenus ſeruata fuit, & qualiter iam faciūt & practicant eorum Superattendentes adhuc hodie, qui ſutores, ſartores, pelliones, cerdones ſubito ordinant ſacerdotes: non ut ſacrificent, ſed ut Teuthonice prædicent deceptis populis, quibus tota deuotio, eſt in contumaci utriuſq; ſpeciei communione, & in audiendo conuitioſas & blaſphemas conciones, non ſolum in Papam et Epiſcopos, & omnem Clerum Catholicum: ſed etiam in B. Virginem Dei genitricem, & in quoslibet ſanctos, qui cū Chriſto in cœlo uiuunt ac regnant. Qualis Ordinatio ſacerdotum Luth.

De Matrimonio Cap. XI.

HIc in quibuſdam punctis aliter in priore, quàm poſteriore aduerſus librum Cęſarienſem æditione & impugnatione ſua habet Philip. In poſteriore nāq; impugnat ſolummodo Diuortij modum, quo ſeparantur ex certis cauſis uir & uxor ab inuicem: quo ad conuictū & cohabitationē duntaxat, nō quo ad diſſoluendam Diuortiū Iudaicum in Cōſiſtorijs Luth.

Matrimonij ſubſtantiã. Eſt enim Matrimoniũ apud Catholicos
Rom.7. uinculũ indiſſolubile, quod morte dũtaxat ſoluĩt. Iuxta illud Apoſtoli ad Rom. Quæ ſub uiro eſt mulier, uiuente uiro alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata eſt à lege uiri. Igitur uiuente uiro, uocabitur adultera, ſi fuerit cum alio uiro: Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata eſt à lege uiri, ut non ſit adultera,
1.Cor.7. ſi fuerit cum alio uiro. Idem ad Corinthios. Mulier (inquit) alligata eſt legi, quanto tempore uir eius uiuit. Quod ſi dormierit uir eius, liberata eſt à lege: Cui autem uult nubat, tantum in Domino.
Matth.5. Hæc Paulus conformiter ad Euangelium, ubi ipſe Dominus ſic ait. Ego autem dico uobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Item, Erunt Duo in carnẽ unam: Itaq; iam non
Matth.19. ſunt Duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non
Ephes.5. ſeparet. Cunq; hoc ſit magnum (ut ait Apoſtolus) Sacramentum in Chriſto & Eccleſia, non admittit in ſubſtantiali uinculo ſeparationem, quia Chriſtus ab Eccleſia ſponſa ſua nunquam ſeparatur. Ideo non eſt ſimilis ratio de Paganorum & Iudæorum matrimonio, quæ non ſunt ſic in Chriſto & Eccleſia magnũ Sacramentum, ſicut eſt matrimoniũ Chriſtianorũ. Lutherani autẽ hoc non attendentes, ita ſeparant in ſuis prætenſis cõſiſtorijs uirum & uxorem, ut permittãt eis diuortium: quale inter Paganos aut Iudæos fieri ſolet, nempe, ut cum alijs poſſint contrahere, morte non interueniente. Contra illud Apoſtoli. Mulier uiuente uiro, alligata eſt legi. Negant itaq; Matrimonium eſſe Sacramentum, quia habent hoc pro re omnino prophana & ſæculari. In priore igitur impugnatione ſic ait Philippus.

Verba Philippi cõtra Matrimonij Sacramentum.

In Sacramento Matrimonij Duo ſunt puncta conſiſtorijs harum prouinciarum contraria, de Diuortio & de conſenſu parentum.

Cunq; iam Sacramentum uocitet, contra propriam ſuam, & Lutheri ſui, omniumq; Lutheranorum opinionem, mox tamen contrarium ſubiungit, tanquàm canis reuerſus ad ſuum uomitum, & ſus lota ad uolutabrum luti.

Miror quoq; (inquit) quod Magiſtri, qui hunc librũ fecerunt, has externi regiminis cauſas Eccleſiæ doctrinis admiſcent.

Ex his facile intelligit Maieſtas tua Cæſar, quàm ſuperbe ac proterue contemnat hic Philippus mandatum tuũ, quo uetas, ne quis in Imperio huic libro cõtradicat. Audet enim in omnibus contradicere, quæ aliter habent in libro, quàm habent in Eccleſijs Lutheranorum: quamuis iam pridem ſint eorum errores publice damnati, non ſolum à Papa & à Generali Concilio Tridentino, ſed

etiam

etiam à Maieſtate tua & omnibus ubiq; Catholicis. Defendit hic Iudaicum Diuortium, quo licet mulieri alteri nubere, priore uiro adhuc uiuente: Et diſſoluit contractum matrimonium, quod caret conſenſu parentum. Tacet autem de manifeſto flagicio & publica Saxoniæ infamia, de inceſto (inquam) matrimonio Monachorum & Monialiū, quod antea nullibi permiſſum publice, aut approbatum fuiſſe reperitur.

Errores de Matrimonio.

De Miſſa Caput XII.

DE Miſſa prolixe nugatur hic Philippus, ac repetit antiquam Lutheri ſui proteruiam, & impium facinus de abroganda Miſſa Priuata. Vocat autem Miſſam priuatam, omnē Miſſarum celebrationem, quantūuis publicam et hominum frequentia celebrem, quæ fit ſine Communicantibus. Quamuis uerò in Primitiua Eccleſia ſic obſeruatum fuit multis temporibus, ut nemo Miſſarum celebrationibus intereſſet, niſi communicaret. Ideoq; excludebantur Catechumeni, Energumeni & Pœnitentes, ne illis intereſſent myſterijs, quia communicare non poterant. Refrigeſcente tamen poſtea charitate multorum, cum perpauci ad quotidie aut etiam ſingulis Dominicis ac feſtis diebus communicandum prompti, deuoti ac digne præparati inuenirentur, ne propter eorum teporem omitteretur cultus diuinus, condeſcendit infirmitatibus noſtris pia mater Eccleſia, ut ſine corporali communicatione poſsimus intereſſe ſacris, & communicare ſpiritualiter audiendo Miſſam. Nemini tamen prohibet communicare uolenti corporaliter, quin poſsit ad altare accedere & Sacramentum ſumere: ſicut deuotiores perſonæ adhuc hodie faciunt. Vane autem gloriantur de hac antiqua obſeruatione Lutherani, contra præſentis Eccleſiæ uſum, Quoniam omnes indigne communicant in ſchiſmate, cum ſint reuera excommunicati omnes, & ab Eccleſia præciſi, ac multiplici hæreſi polluti. Neq; rectè obſeruant uel Euangelij uel Apoſtolorum, & Primitiuæ Eccleſiæ uſum & præceptum. Vbiq; enim præceptum habetur expreſsis uerbis, ut omnes cōmunicent. Ait enim Dominus ipſe. Bibite ex hoc omnes. Et Marcus ait. Et biberunt ex illo omnes. Sic & in Canone ſacro referuntur hæc uerba Chriſti. Accipite & manducate ex hoc omnes. Item, Accipite & bibite ex hoc omnes. Item, Canon Apoſtolorum ait. Omnes fideles. Et Calixtus Papa & Martyr. Peracta cōſecratione, omnes cōmunicent. Item, Dionyſius Areopagita Pauli diſcipulus. Sumpta demum (inquit) & omnibus tradita cōmunione diuina, gratias referēs, finem myſterijs imponit.

Communicantes in Primitiua Eccleſia.

Indigne cōmunicant omnes Lutherani.

Matth. 26. Mar. 14. De conſe. diſt. 1. c. omnes. Et diſt. 2. c. Peracta.

Vbi autem obſeruant hoc Lutherani aut ulli hæretici? Nuſquàm enim omnes cõmunicãt,ſed aliqui,& quidem pauci ex multitudine circumſtante: Atq; utinam nec pauci ex eis communicarent. Communicant enim indigne, utpote excomunicati, & per hoc fiunt rei corporis & ſanguinis Domini, iudiciumq; ſibi manducant & bibunt. Hoc uerißimũ et certißimũ eſt ex Apoſtolo, ex Auguſt. ex teſtimonio omnium ſanctorũ patrum, quorũ dicta recitant, Gratianus & Magiſter ſententiarum. Seditioſę autem nugę, quas hic blaterat Philippus, nihil certi aut ſolidi habent, niſi quod rebellionem nouam per eas ſuſcitare conatur. Mera enim figmenta ſunt, quæ affert contra oblationem & ſacrificiũ gloſſemata ex dictis patrum, Quaſi nemini liceat niſi Chriſto ſoli, offerre corpus & ſanguinem Chriſti aut filium patri. Vbi quæſo habetur hoc in ulla ſcriptura, aut in ulla patrum doctrina? Ego hoc eius figmentũ conuici et confutaui iam pridẽ Philippica Quinta, ex clarißimis uerbis B. Dionyſij & S. Cypriani. Fruſtra igitur citat hic hęc uerba Pauli. Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. Hæc enim uerba nequaquàm prohibent aut negant oblationem corporis & ſanguinis Chriſti, quam in altari peragũt ſacerdotes. Non enim aliud corpus aut alium ſanguinem ibi offerunt, quàm obtulit ipſe Chriſtus in ara crucis: licet alius modus ſit in offerendo. In Cruce enim cruenta, In altari autem incruenta offertur hoſtia. Igitur longe uerius in Philippum retorquetur telum iſtud. Qui indigne communicat, reus eſt corporis et ſanguinis Domini: Quapropter tot plagis à Deo mundus corripitur, quot antea correptus fuit nunquàm. Quis enim uidit antea unquàm in Germania, tot Myriades examinum Locuſtarum, quales uiderũt oculi noſtri in multis Germanię prouincijs? Quis tantam ubiq;, etiam in fertilißimis Germaniæ prouincijs, uidit ſterilitatem, & rerum omnium penuriam adauctumq; precium? Quis tantam crapulæ ingluuiem, omniſq; diſciplinę & cultus Dei, ac publicę honeſtatis neglectũ & contemptũ? Hæc & id genus infinita alia mala, ſcelerata calũnia imputat Philippus priuatis Mißis, hoc eſt, omnibus Mißis noſtris, in quibus populus non communicat coporaliter, ſub utraq; ſpecie cum ſacrificante ſacerdote. Qua id obſecro probat ſcriptura? Nonne Lutherani quoq; infirmis ſuis dant communionem, nemine ſimul cum illis communicante? Vbi autem prohibitum eſt ſacerdoti, ne Miſſam cantet aut legat, niſi habeat alios corporaliter ſecũ communicantes? At dicit Philippus.

Dionyſ. de Eccleſi. hierarch. c. 3.

Heb. 9.

Quare tot plagis à Deo corripimur.

Locuſtarũ examina.

Fidele conſilium ſuum eſſe, ne iterum erigantur priuatæ Miſſæ, quæ non habeant communicantes.

Sed

Sed ubi hoc ſcriptum aut prohibitum eſt à Deo? Fœliciſsime enim apud nos, ſicut & apud Italos, Gallos, & Hiſpanos, multis iam ſæculis, ita celebratę fuerunt Miſſæ, in numeroſis Monaſterijs Eccleſijsq́, tum Cathedralibus & Collegiatis, tum Parochialibus abſq; huiuſmodi communicantibus: poſtquàm autem ſceleratis auſibus à Luthero & complicibus eius abolitæ ſunt Miſſę, Nonne ſenſimus ubiq; manifeſtam iram Dei, & omnem in Republica diſturbationem & calamitatem? Quæ eſt hæc (rogo) cæcitas tot populorũ, credere ſic omnia ſuperbo & impudenti Blateroni, contra omnia maiorum noſtrorum inſtituta, qui nihil probat, ſed ſtulta ſeductorum Laicorum credulitate fretus, tam multa temere, ſine omni ſcripturæ & patrum teſtimonio, audacter pronunciat? At affert ille generalem rationem.

Quod non debeat in Eccleſia ordinari aut fieri ullus Dei cultus, qui non ſit in uerbo Dei ordinatus & commiſſus: Vſus autem huius Sacramenti ita, & non aliter ordinatus ſit, ut diſtributio & ſumptio fiat, ſicut filius Dei ait. Accipite & comedite &c. Hoc facite in meam commemorationem.

Hæc eius uerba apud Laicos magnam habent apparentiam, apud eos præſertim, qui ultro libenter huic Vulpeculæ omnia credunt, quæ in odium Cleri ab eo confinguntur. Sed quomodo probabit apud doctos, quod nihil in cultu Dei ordinandum ſit, niſi ſit in uerbo Dei (hoc eſt, in ſacra ſcriptura, ut putant omnes Lutherani) ordinatum & expreſſe cõmiſſum? Vbi hoc ſcriptum eſt? Quoties reprobatum eſt hoc dogma iam olim à Tertulliano, Origene, Baſilio, Auguſtino: & noſtris temporibus ab Epiſcopo Roffenſi, à Pariſiẽſibus, à Clichtoueo et Alfonſo, ab Epiſcopis Vienenſibus, Ioanne & Friderico, & ab id genus innumeris alijs? Pauciſsima enim reperiuntur in nouo Teſtamento expreſſe ordinata, aut commiſſa & ſtatuta de ijs, quæ in cultu Dei fiunt & obſeruantur, iuxta ordinationem Apoſtolorum, Romanorũ Pontificum & Generalium Conciliorum (quæ Eccleſiam repræſentant) quæ in ſcripturis expreſſe non habentur: ut ſint ritus Baptiſmi, Miſſarum, Feſtorum, Ieiuniorum, & omnium fere Cæremoniarum. Quas per falſam hanc propoſitionem, impie abolere præſumunt Lutherani, eò quod in ſcripturis expreſſe non habentur. Sed cõtra hanc temeritatem eorum impiam, nobis ſufficere debet Eccleſiæ authoritas, De qua expreſſe dicit ſcriptura. Si Eccleſiam non audierit &c. Item, Eccleſia eſt columna et baſis ueritatis & cæt.

Baſilius de ſpiritu ſancto. c. 27.
Aug. epi. 118.
Matth. 18.
1. Timo. 3.

Sed ut breuiſsime hic confutemus Philippum de falſa contra Miſſam cenſura, dicant nobis quæſo, in propoſita quæſtione. Quomodo diſtribui ac ſumi queat corpus aut ſanguis Chriſti, niſi prius conficiatur à ſacerdote? Vbi autem ſcriptum habetur, quod uere conficiatur, ſi à ſacerdote dicantur hæc uerba Chriſti. Accipite & edite. Aut Accipite & bibite? Quid ſi proteruus quiſpiam diceret. Cur nõ æque cõficiatur, ſi uerba hæc proferantur ab aliquo Laico? Vbi enim ſcriptum habetur, quod nullus Laicus conficere queat? Aut quod conficiant uerba conſecrationis, ſi in altari proferantur à ſacerdote, intentione conſecrandi: Non autem conficiant, ſi legantur in Euangelio de paſsione aut de Cœna Domini? Nonne omnis fides & religio Chriſtiana uertetur in dubium, ſi huic nugigerulo credatur, & admittatur falſa iſta propoſitio, qua ſic decipit indoctos Laicos, quibus ſatis eſt, ipſum ita dixiſſe? Attende obſecro Cæſar. Ego profecto tam manifeſta rebellionis exempla, contra Imperialem Maieſtatem apud nullos antea hæreticos inueni, quanta in populum publice & impune hactenus ſparſerunt Lutherus & iſte Philippus: Quantum periculi & laboris fuerit Maieſtati tuæ, in ſedanda & opprimenda coniuratorum ſeditione Smalcaldica, ſatis notum eſt. Caue precor, ne ſuſcitetur altera per huiuſmodi ſcripta huius Philippi & complicum eius, qui tam audacter & friuole mandata & ordinationes tuas impugnant.

De confectione Sacramenti in altari.

De Sanctorum Inuocatione Cap. XIII.

Hic uerboſe repetit Philippus prius æditas in ſanctos blaſphemias ſuas, Quibus ego in Quinta & Sexta Philippicis reſpondi. Et ex Septicipite Luthero hæc uerba oppoſui. Omnes (inquit) Sancti omnia poſſunt, et tantũ tibi per eos datur à Deo, quantum credis te accepturum. Quid enim aliud ſunt ſancti, niſi uelut guttulæ roris, ſiue guttæ noctium in cincinnis & capite ſponſi? Item, De ſanctorum (inquit) interceſsione dico & teneo firmiter cum tota Eccleſia Chriſti, quod ſancti uenerari & inuocari debent & c. Oppoſui præterea ea, quæ Auguſtæ in Colloquio de ſanctis tractata fuerũt. Ibi enim conceſſerunt nobis, Angelos & ſanctos in cœlo intercedere pro nobis, & eorum feſta memoriaſq; à nobis coli poſſe: Eos tamen inuocare nolebant, eo quod ſcriptura id non iubeat: Nemini tamen prohibere uellent, ne inuocaret. Si hæc negare nunc uoluerit Philippus (ſicut turpiter negauerũt mihi Brentius & Schneppius Ratiſponæ in nouiſsimo

Luth. de X. præceptis c. 1. Luth. in declarat. arti.

Contraria in Colloquio Auguſtenſi.

Colloquio

Colloquio, quod Auguſtę conceſſerint nobis, non amplius dicendum eſſe, Sola fides iuſtificat) obiecta ei uolo acta publica, quæ de illo Colloquio Auguſtę, à D. Hieronymo Veho, Cancellario Badenſi ſcripta, Maieſtati tuæ & Catholicis Imperij Principibus ac Statibus exhibita & recitata fuerunt. Hic autem breuiter reſpondebo ad ea, quæ Laicus iſte Theologus Laicaliter Laicis ſuis (ut eos contra Maieſtatis tuæ ordinationem pacificam, in obſtinata rebellione confortet) per ſubdola fallaciarum argumēta proponit. Ait ergo.

Inuocatio rei inuiſibilis, quæ apud nos non eſt, præſtat illi rei honorem hunc, quod omnium hominum corda gemituſq; cognoſcat et iudicare ſciat: Hic autem honor ſoli diuinæ Eſſentiæ competit, Iniuſta eſt igitur ſanctorum Inuocatio. Sophiſtica argumenta Phil.

Contra hunc Paralogiſmum reſpondeo. Primum, quod ſit proprij capitis figmentum, ſine ſcriptura & uerbo Dei. Vbi enim habetur ſcriptū? Deinde conſtat ex practica (licet impia & reproba) Magorum et incantatorum) quod abſentes Inuocant dęmones, & cum eis pacta ineunt, qui & audiunt eos, ac faciunt ut petitur ab eis, Nemo tamē eos propter hoc dicit omnipotentes. Tertio conuincitur huius argumenti falſitas, etiam ex manifeſto textu ſcripturę, libri primi Regum, ubi ad petitionem Saul Regis, Mulier quędam Phitoniſſa ſuſcitauit Samuelem ex mortuis. Ait enim ad eam Saul. Diuina mihi in Phitone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi. Samuel autem ſuſcitatus ab ea, dixit ad Saul. Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer, &c. Dicat hic nobis Philippus, nunquid omnipotens fuerit, uel anima Samuelis ſuſcitata, uel dæmon aliquis ſub ſpecie Samuelis, ad quem mulier locuta fuit abſentem. Quid dicam de animabus eorum, quas ſuſcitarunt ex mortuis prophetæ Helias & Heliſæus, & ipſemet Chriſtus. Nunquid fuerunt omnipotentes, quando audierunt abſentes Dominum dicentem. Adoleſcens tibi dico ſurge. Tabita kumi, hoc eſt, puella ſurge. Itē Lazare ueni foras. Quod autem fuerint abſentes, patet, quia per mortē egreſſę fuerant à ſuis corporibus. Ne uerò dicat Philippus, ut eſt aſtutus mendaciorum fabricator, Chriſti, qui omnipotens uere eſt, uocem penetraſſe uſq; ad Inferos & mortuos, ut audiretur. Aliorum autem uoces à mortuis, ita audiri non poſſe. Quia nemo omnipotens eſt, niſi ſolus Deus: Iuxta illud ſcripturę, Omnipotens nomen eius. Item, Ego Deus omnipotens. Obſtat huic effugio, quod Apoſtoli quoq; et nonulli alij ſancti reſuſcitarūt mortuos: Quemadmodum legitur de Sancto Petro, & de Coapoſtolo eius Paulo

1. Reg. 28. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Luc. 7. Mar. 5. Ioan. 11. Geneſ. 18. Exod. 15.

in Actibus Apoſtolorum, & de Sancto Martino in Legenda & hiſtoria Seueri Sulpitij. Dicat ergo Philippus, ſi poteſt, quomodo audierit uocem Petri, Chriſti diſcipula Tabita, cum eſſet mortua, cuius anima regreſſa eſt in corpus mortuū, quando dixit Petrus.
Act. 9. Tabita ſurge. Nunquid Omnipotentem dixit abſentem illam animam Petrus, quod uocem eius audire potuit abſens, ut in corpus
Act. 20. rediret. Quemadmodū de adoleſcente, qui è cœnaculo per feneſtram delapſus, mortuus fuit, legitur, quod incumbente ſuper eum Paulo Apoſtolo, reuixit, & cōplexus eum Paulus dixit. Nolite turbari. Anima enim ipſius in ipſo eſt. Falſum eſt igitur figmentū Philippi, nudū ſine omni ſcriptura: Immo multis ſcripturæ locis (ut iam recitatū eſt) contrariū. Ipſe tamen in hoc figmento præcipuum ſtatuit contra ſanctorum inuocationem fundamentum ſuum.

Solutio argumentorū Phil. Reliqua leuicula & protrita ſunt eius argumenta, quæ tamen ipſe iactanter apud Laicos ſuos magnificat. Contra id enim quod dicimus, Deum reuelare ſanctis huiuſmodi inuocationem, obijcit ille, Dominū Deum tuū adorabis, Quid hoc ad rem? An minus adorabitur Deus, ſi ſanctis aliquid reuelat? At Laicus iſte Theologus nihil curat de ſanctorum cognitione Matutina et Veſpertina, nec attendit ad illud Gregorij, Quid eſt quod ignoret is, qui uidentem omnia uidet.

Quam friuola autem ſit ratio eius, quod neq; ut miniſtri Dei, neq; ut interceſſores, inuocari debeant, quia inuocatio inuiſibilium tribuat eis Omnipotentiam, iam ſupra oſtenſum et confutatum eſt. Item, quod ait, non eſſe præter filium Dei alios conſtituendos mediatores.

Hoc quoq; protritum eſt ac ſæpe ſolutum, quia unus eſt Me-
Mediator diator Chriſtus per redemptionem, multi autem ſunt mediatores per Interceſsionem: Quemadmodum de ſeipſo ad populum ait,
Deut. 5. Moyſes. Ego ſequeſter & medius fui inter Deum & uos in tem-
Exod. 18. pore illo, ut annunciarem uobis uerba eius. Et Ietro ad Moyſen,
Exod. 4. generū ſuum. Vt electi ab eo iudicent populum: Quicquid autem maius foret, referretur ad ipſum. Item Dominus ipſe ad Moyſen
Quærere auxilium à ſanctis. de Aaron fratre eius. Et ipſe (inquit) loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: Tu autem eris ei in ijs, quæ ad Deum pertinent: Quid inſuper probationis adducit Philippus contra Eccleſiam.

Vt auſit ore blaſphemo dicere, magnam eſſe Idolatriam, quærere auxilium apud ſanctos.

Phili. 1. Qua nititur ſcriptura? quo teſte? quo iure? Si mori et eſſe cum Chriſto, ſanctis lucrum eſt (ut ait Apoſtolus) & multo melius eſt, quàm in hac uita remanere. Quomodo Idolatria eſt, quærere apud eos auxilium,

auxilium? An non potuerunt in hac uita præſtare auxilium? Interrogemus maiores, et ſanctos Patres, Cyprianũ, Gregorium Nazianzenum, Auguſtinum, Hieronymum, contra Vigilantium & id genus alios innumeros Eccleſiæ doctores, quanta ſancti in cœlo hominibus, per diuerſa miracula, præſtiterint auxilia & beneficia in terris. Nonne Sanctus Petrus ad fideles Chriſti ſic ait. Certus ſum, quod uelox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere uos poſt obitum meum? Quid habet calumniator Eccleſiæ, contra tot ſcripturæ patrumq́ꝫ & miraculorum manifeſta teſtimonia, quod ſine blaſphemia ſanctis obijcere poſsit? An nihil amplius pertinet ad eos illud uerbum Chriſti in Euangelio, Qui uos ſpernit, me ſpernit, & cum qui me miſit. Et illud. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? Præterea iam ſupra reprobata eſt falſa Philippi ratio, qua dicit.

Greg. Nezian. in orationibus de Baſil. de Atha. de Cyp. Aug. de ciui. Dei lib. 22. c. 8. 2. Pet. 1. Luc. 10. Matth. 25.

Non eſſe introducendum in Eccleſiam ullum cultum, quem non commiſerit Deus per uerbum ſuum, quod de uerbo ſcripturæ intelligit.

Quantus enim fuit cultus in primitiua Eccleſia, antequam ſcriptum fuit ullum Euangelium, aut ulla Pauli Epiſtola? Falſum eſt igitur, quod uſquam prohibitum ſit in ſcripturis (ut calumniator noſtræ deuotionis ait) inuocare ſanctos, Cum de facto conſtet aperte, quod fuerint ſemper in Eccleſia uenerati ac implorati: ſicut fecit ſupradictus Gregorius Nazianzenus, implorans nominatim Baſilium poſt peractum funus, Cyprianum item, & Athanaſium. Et Eccleſia in Letanijs publice inuocat, dicens. Sancta Maria ora pro nobis, Sancte Petre ora pro nobis. Et id minime nouum eſt aut inuſitatum: Vt patet ex multis, quæ Auguſtinus recitat exemplis. Quod & longe antea fecit quædam uirgo, implorans Mariam Dei genitricem, cum eius uirginitati inſidiaretur Cyprianus, antequam eſſet Chriſtianus, ut atteſtatur ſupradictus Gregorius Nazianzenus, qui ob ſingularem in ſacrarum literarum cognitione excellentiam, per Antonomaſiam dictus eſt à Græcis Theologus. Nihil igitur credendum eſt contra ſanctorum inuocationem impio ac ſeditioſo huic ſanctorum blaſphematori; qui more Buceri ſui nihil ex uero, nihil ex fide loquitur.

Scriptura non prohibet inuocare ſanctos.

Letania.

De

De Mißis pro animabus defunctorum, Cap. XIIII.

Friuola & fraudulenta argumenta.

HIc non alia affert contra Miſſas pro defunctis documenta, niſi publicum apud Lutheranos contra Monaſteria odium, & falſam de Sacramenti uſu calumniam. Ait ergo.

Non eſſe conſentiendum libro de hoc articulo, quia Miſſæ pro defunctis ſint communißimæ & uſitatißimæ Cæremoniæ, quæ pecuniam afferunt in Monaſterijs.

Hæc eſt fortis illa Catapulta, qua expugnata eſt apud Lutheranos Miſſa pro defunctis. Altera eius Baliſta, eſt calumnia de Sacramento.

Quod peruerſe applicari ait pro mortuis, cum ſit ſolummodo pro uiuis inſtitutum, ad excitandam & confortandam in eis fidem: Mortui autem non interſunt.

Quis autem Catholicorum unquàm docuit, defunctis applicare aut miniſtrare Sacramentũ? Fraudulentus autem ſophiſta, Laicorum abutens ſimplicitate, confundit hic Sacramenti & ſacrificij rationem, ut oſtendat ſuis Laicis, quomodo peruerſus ſit noſter abuſus, quod dicit nos mortuis applicare Sacramentum: Quod certe non dicimus, cum mortui Sacramentum ſumere aut accipere non poſsint. Applicamus autem eis ſacrificium, quod Deo patri oblatum eſt, non ſolum pro uiuis, ſed etiam pro defunctis, qui in Domino mortui ſunt. Non enim pro uiuis tantum, ſed etiam pro mortuis paſſus eſt Chriſtus: Cuius ſane paſsionis repræſentatiuum eſt Miſſæ ſacrificium, quod paſsioni eius reſpondet, ut ait Cyprianus. Paſſus eſt igitur non ſolum pro uiuis, ſed etiam pro mortuis. Hic igitur & merito idem Chriſti ſacrificium, quo à ſacerdote in altari offertur corpus & ſanguis eius, applicatur nõ ſolum pro uiuis, ſed etiam pro mortuis: non ut Sacramentum quod ſumitur, ſed ut ſacrificium quod offertur. De quo ait Ioannes in Apocalypſi: Agnus iſte occiſus eſt ab origine mundi. Qua igitur authoritate, uel ſcripturæ uel ſanctorum patrum, tollit Philippus hoc Miſſæ ſacrificium, & fructum paſsionis Chriſti à fidelibus defunctis, qui in Domino mortui ſunt? Quis Chriſtianorum ita ſæuijt in mortuos, ſicut facit ſecta perfidiſsima Lutheri? Dicat nobis Philippus ſi poteſt, Quis in Eccleſia primus inceperit pro mortuis orare ac ſacrificium offerre, An neſcit, quid ante M. & C. annos petierit à filio ſuo Auguſtino pia mater Monica, quando ſenſit ſibi mortem imminere? Quid uidit repræhenſibile in libro Auguſtini

Applicare ſacrificium pro defunctis.

Cyp. lib. 2. epiſt. 3.

Apoc. 13.

Aug. de Confeß. lib. 9.

de

de cura pro mortuis agenda. At longe adhuc antiquior hic Eccleſię uſus ſacrificandi pro mortuis, probatur ex ſcriptis antiquiſsimis Dionyſij, Tertulliani & Cypriani. At obijcit nobis Philippus.

Aug. de Confeſſ. lib. 9.

Philippus non intelligit S. Dionyſium.

Dionyſium nihil prorſus de Miſſa loqui pro defunctis.

Sed fallit per hoc indoctos Laicos ſuos, etiam eos, qui præ cæteris ſuperbientes, doctiſsimi uideri uolunt. Nam ubi de ſacrificio tractat, refert memoriam fieri eorum, qui pie hic uixerunt. Et ubi de defunctorum exequijs recitat antiquos ritus, ait Pontificem ea peragere, quæ diuino inſtituto ſuper ſancte quieſcentibus fiunt. Item, Inſpice autem (inquit) ut nunc non omnes (ut ſolitum eſt) purgandi ordines dimittuntur, ſoliq; Catechumeni ſacris arcentur locis. Eſt enim hic ordo ſancti omnis myſterij penitus rudis, neque ſibi fas eſt, quicquam aut paruum aut magnum ex ijs, quæ ſacratius cõſummantur, inſpicere. &c. Hæc Dionyſij uerba, ſi propius inſpiciantur & penſiculatius expendantur, Lutheranorum impietates, contra Miſſas & defunctorum exequias introductas, in multis repræhendunt: Vt de ſacrificio Miſſæ hic taceam, & de commemoratione defunctorum, quæ in Miſſa fieri ſolet, nihil dicam, quæ Dionyſius in Tertio capite proſequitur & aperte affirmat: Certe in ſeptimo capite, unde hæc eius uerba mutuata & recitata ſunt, manifeſte fatetur, Pontificem ibi peragere, quæ diuino inſtituto ſuper ſancte quieſcentibus fiunt. At quæ ſint illa, clarius explicat paulo poſt, dum refert dimitti Catechumenos, quibus fas non erat, ſacris Miſſarum myſterijs intereſſe.

Dionyſ. de Eccleſia hier. c. 3. & 7.

Cur excluduntur à Miſſa pro defunctis ſoli Catechumeni.

Affert tamen hic quandam differentiam, quæ obſeruatur circa Miſſas pro defunctis aliter, quàm circa alias Miſſas: Nempe permittit hic ſacris intereſſe Pœnitentes & Energumenos, quod in alijs Miſsis non permittitur, ut ex Tertio patet capite. Cur hoc? Quia in Miſsis pro defunctis non communicabatur populus, ſicut in alijs Miſsis fieri ſolebat. Vnde adhuc hodie non dant pacem populo in Miſſa pro defunctis ſacerdotes: ſicut facere ſolent in alijs Miſsis. Ideoq; licebat intereſſe Pœnitentibus & Energumenis in Miſſa pro defunctis, quibus nõ permittebatur cõmunicare. Hæc Laicus iſte Theologus, Philippus, cum non intelligat, negat Dionyſium de Miſſa pro defunctis quicquàm dicere. Cum tamen aperte ille dicat, Catechumenos ibi dimitti, ne interſint: Et Pontificem diuino inſtituto peragere, quæ ſuper ſancte quieſcẽtibus fieri ſolent. Impie igitur blaſphematur hic à Philippo diuinũ illud inſtitutũ. Hæc prolixius ex S. Dionyſio propter eos, qui diuina myſteria ignorant et non credunt, dicta ſint. Breuius & apertius confutatur hæc Philippi impietas à Tertulliano, in hæc uerba. Oblationes pro defunctis,

In quo differt Miſſa pro defunctis ob alijs Miſsis.

Tertull. De corona militis. Cyp. lib. 1. epi. 9.

pro natalicijs annua die facimus. Et S. Cyprianus ait, conſtitutum eſſe antiquitus, ne ad altare fiat memoria pro eo, qui presbyterum conſtituerit Curatorem. Quod Epiſcopi (inquit) anteceſſores noſtri, religioſe conſyderantes, & ſalubriter prouidentes, cenſuerunt, Ne quis frater excedens, ad tutelam uel curam Clericum nominaret: At ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur. Hæc Cyp. Quid obſecro apertius dici queat contra impias huius Philippi temeritates, abolendi tam antiquos Eccleſię ritus, offerendi, & ſacrificandi pro defunctis? Attamen, ut adhuc apertius cõfutetur & confundatur, Lutheri ſui uerbis hic breuiter conuincendus eſt. Hęc enim propria ſunt illius uerba. Mihi dubiũ nõ eſt (inquit) Miſſam pro defunctis celebratam, meliorem ac efficaciorem eſſe ad redimendas animas, quàm ſunt Indulgentiæ per Miſſam quæſitæ.

Luth. in ſerm. de indulgentijs.

De Cæremonijs Cap. XV.

HIc inani uerboſitate quærit primum ſuam excuſare rebellionem Philippus, quam tamen in fine rurſus cõfitetur aperte: Similis in hoc Scorpioni, quem ferunt leuiter ore primum lingere dormientem, ut excitet, Deinde caudæ aculeo grauiter ferire. In excuſatione nihiluere & ex animo loquitur, niſi ubi pungit & ueritatem ſubuertit.

Gloriatur de ſuis Eccleſijs, quod habeant Cæremonias ad bonam ordinationem & diſciplinam utiles, nec in ijs multa eſſe mutata.

Maxima diuerſitas Cęremoniarũ in Eccleſijs Luth.

Cum probe conſtet, tantam apud ſectas iſtas eſſe diuerſitatem nouitatum, non ſolum in diuerſis prouincijs: ſed etiam plerunq; in pluribus eiuſdem ciuitatis aut oppidi Eccleſijs: ut in deriſionem tot nouationum, dixerit ſæpe Grauiſsimus & in religione Catholica conſtantiſsimus Princeps, Dux Saxonię GEORGIVS, clarę ac fœlicis memoriæ, Lutheranos adhuc neſcire, quid poſt annum certo credere uelint, cum toties prius conſtituta iterum abolerent aut mutarent. Et Philippus ipſe (ut dixi ſupra) in priore ſuo libello dixit, uerũ eſſe, quod Eccleſiæ in multis prouincijs adeo diſsimiles & diſsipatæ ſint, ut neceſsitas requirat, Cæſaream Maieſtatem tuam de forma aliqua cogitare. Quod cum manſuetiſsime à Maieſtate tua cum conſilio & conſenſu Regiæ Maieſtatis, aliorumq; Imperij Principum & Statuum publice factum ſit, Ipſe non ſolum per ſeſe in plurimis contumaciter contradicit, ſed etiam ſeditioſe conſulit, ne alij pareant mandato tuo, aut ordinationem tuam obedienter accepent, aut in eam conſentiant. De Cæremonijs feſtorum

Philippus ſeditioſus cõtra Cęſ.

feſtorũ falſo gloriatur de ſuis Eccleſijs. Vidi enim in pleriſq; locis etiam celeberrima feſta ab eis prophanata eſſe, non ſolum feſta Dei genitricis & Apoſtolorum: ſed etiam ſacratiſsimum feſtum Aſcenſionis Chriſti, atq; etiam abolita et interdicta fuiſſe frequentiſsimæ celebritatis, feſtum corporis Chriſti, feſtum omnium Sanctorum: & eleemoſynis largiſsimum feſtum omnium animarum. Quin etiam ſacratiſsimum Dominicæ paſsionis feſtum, quod Paraſceue dicitur, auſi fuerunt nonnulli publice, in contemptum Eccleſię & in ſcandalum Catholicorum, prophanare & eſu carnium, & ferarum uenatione, atq; ſcandaloſo aucupio. Non ueretur tamen Philippus, de tanto ex eſu carnium, & feſtorum prophanatione ſcandalo, (quod tota patitur multis iam annis, cõtra antiquam conſuetudinem, Eccleſia Chriſti) ſuos excuſare.

Abolitio feſtorum.

Scandalũ de eſu carnium.

Quod ſint res indifferentes & non neceſſariæ, ac fiant, ne extinguatur uera doctrina & rectus Dei cultus. Et audet huic mendacio & cauillationi ſuæ prætexere authoritatem Auguſtini & Gerſonis: Atquè ut totam Eccleſiam erroris arguat, affert etiam doctrinam Vueſſali & Vueſalienſis.

Quaſi error manſerit ſemper in maiori parte Eccleſiæ de uero Dei cultu, in ijſce aũt hominib. uera doctrina conſeruata fuerit. Neq; tamẽ negare poteſt, iſtos quoq; homines, Vueſſalũ et Vueſalienſem, qui Catholicis de fide ſuſpecti fuerunt, in multis articulis à Luthero & hoc Philippo, eorumq; complicibus diſſentire. Hæc & id genus multa eius dicta, & ſi per ſeſe manifeſte falſa ſunt, Lutheranis tamen nihil aliud quàm uerum & merum Euangelium ſunt: contra quę nihil credũt aut accipiunt, ſiue ab ipſamet Maieſt. tua, ſiue à quocunq; Pontifice, Vniuerſitate aut Generali Concilio, aliter iudicatum fuerit. Nam præcinit eis illud Pauli Philippus. Etiam ſi angelus de cælo aliud quàm accepiſtis Euangeliũ prædicauerit, Anathema ſit. Cenſet item adhuc plura abolenda eſſe.

Vueſſalus & Vueſalienſis.

Gal. 1.

Vtpote omnem Cantum de ſanctis, eò quod Inuocatio ſanctorum non ſit admittenda. Omnem item Proceſſionẽ cum Venerabili Sacramento, Tanquàm non ſit ibi uere corpus Domini & ſanguis eius. Omnem iten conſuetudinem Eccleſiæ, quantumuis antiquam quæ á ſectæ ſuæ nouitatibus diſſentit.

Et hæc omnia in lucem producit auſu ſeditioſo contra mandatum tuum, quod non ignorat præfationi libri, quem impugnat, inſertum ac promulgatum eſſe. Addit & iſtud rebellionis incitamentum.

Abolitio Cantuum & Proceſsionum.

Si timeatur bellum, quod ſuperiores probe ſcient, quid pro tuendis Eccleſijs ſuis facere debeant aut poßint:

Se pro perſona ſua ait paratū eſſe ad cedendum & patiendum per gratiam Dei. Hoc ſic intelligo, Si Maieſtas tua ipſum perſequi uellet, ipſe fugere uelit ad eas prouincias, quæ Imperio tuo ſubiectæ non ſunt: Quoniā ille non acceptabunt (ut ait) hoc INTERIM. Suæ igitur rebellionis exemplo populos ad rebellandum Maieſtati tuæ prouocare conatur, & tanto quidem acrius, quanto callidius prætendit uerbum & mandatum Dei: In quo fundata ſit Lutheranorum doctrina, quam magnifice ubiq; prædicat, & Ritus Eccleſiæ antiquos acerbis calumnijs reprehendit.

Incitatio ad bellum.

Hæc Auguſte & Inuictiſsime Imperator Maieſtati tuæ pia ſolicitudine ſuggero, non incitatus priuatim ullo contra perſonam huius Philippi odio. Nam nihil prorſus mihi extra cauſam religionis & fidei, cum eo negocij eſt, aut unquam fuit. Timeo autem patriæ & Imperio Maieſtatiq; tuę de maximis malis, quæ per ſcripta huius hominis excitari ac procurari poterunt. Si enim iterum ad arma & manifeſtam ſeditionem excitati fuerint Germaniæ populi, fruſtra reclamabunt, & falſa eorum dogmata reprobabunt uniuerſi Theologi & Iuriſconſulti. Furentes enim in armis populi ſeditioſi, neq; ſcripturā neq; rationē, aut legē ullā audient amplius (quippe inter arma ſilēt leges) ſed quo furor traxerit, eo impetum intendent: rapturi ac deuaſtaturi omnia, quæcunq; adhuc bona prioribus eorum ſeditionibus, in ruſticorum & Ligæ Smalcadicæ tumultibus, à ſacrilegis direptionibus, diuina protectione remanſerunt ſalua & intacta. Terrent me & ſollicitum reddunt nefanda & crudelia exempla uicinæ Bohemiæ, quæ hæreſis & rebellio unius hominis, Ioannis Hus, rebellando ac ſeditioſe ſcribendo in nobili ac florentiſsimo regno illo pernicioſiſsime ſuſcitauit iam olim, Deus Optimus Maximus per ſapientiam ſuam æternam, cor tuum, Imperator & Rex Catholice, dirigat in uiam pacis, proſperitatis & ſalutis æternæ. Amen.

Epilogus.

AD LECTOREM IOANNES COCHLÆVS.

CVm non ſit nobis nunc reliquum tantillum temporis, ut alter libellus, Teuthonice contra INTERIM æditus, totus à me confutatus, ad has nundinas euulgari queat: Viſum eſt operæ precium et opportunum fore, ut unum ſaltem Capitulum, huic Philippicæ adiungatur, unde cognoſcas, quam improbus deriſor & impius impugnator ſit omnium Eccleſiæ Cæremoniarum, uxorius iſte Concionator, qui per auaritiam & libidinem Tertiam aut Quartam duxit in ſacerdotio uxorem. Quod antea nunquam legi ullum feciſſe ſacerdotem à temporibus uſq; Apoſtolorum. Ne mireris igitur, ſi uideris eum in uerbis uſq; adeo alienum & aduerſum, contra Eccleſiæ antiquiſſimos ritus, qui in factis & ſcandalis tā alienus eſt ab omni pietate et boneſtate omnium Eccleſiæ Doctorum, atq; etiam Chriſti ipſius & Apoſtolorum eius: Omni procul dubio Ethnico et Publicano, coram Deo et omnibus Angelis & ſanctis eius, deteſtabilior, magiſq; execrabilis et maledictus. Quod utiq; facile credes, ſiquando totum poteris perlegere libellum meum, quo eius impietates & maledicta tam dolenter quam feſtinanter, inter aliás quam plurimas occupationes meas confutaui. Vale, et pie condole tot Germaniæ ac Septentrionis populis, ſic ſceleratiſſime per ſeditioſos concionatores deceptis ac miſere ſeductis.

De benedictione Salis & Aquæ Capitulum I.

HAnc antiquiſsimam Eccleſiæ Catholicæ Cæremoniam, repræhendit atq; criminatur & irridet Trigamus iſté Sacerdotij deſertor, non ſolum ut ſummam ſtultitiam & uanitatem, uerumetiam ut impiam ſuperſtitiònem atq; Idolatriã, Idq; facit Rhetoricis argumentis ad plauſum populi, per multá uerborum ludibria, quibus contemptibiles atq; etiã execrabiles facit plebi ab ipſo ſubuerſæ actus & ritus Eccleſiæ quantumuis antiquos. Ait ergo.

Subinde exorcizatur & aqua, ſicut ſal prius exorcizatum eſt, ut expellat Diabolum et omnem potentiam eius, omnes angelos Apoſtatas, & omnia eius phantaſmata: & aſperſa det ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis &c. Omnia Theuthonicæ. Exorciſmorum irriſio.

Hãc autem dicit ſummam eſſe ſtultitiam ſacerdotis, quod ſic loquitur ad mutam & inanimatam creaturam, quæ nec audit, nec intelligit eius uerba. Huic populari eius Sophiſmati poſſunt opponi multa utriuſq; Teſtamenti exempla, ubi ſanctiſsimi ac ſapientiſſimi homines ad huiuſmodi creaturas irrationales locuti ſunt. Ait Moyſes. Audite cœli quæ loquor: audiat terra uerba oris mei. Ait ſucceſſor eius Ioſué. Sol contra Gabaon ne mouearis, et Luna contra uallem Hailon. Ait Eſaias propheta. Audite cœli, & auribus percipe terra. Et in nouo Teſtamento ait ipſe Dominus. Si habueritis fidem ſicut granum ſinápis, dicetis monti huic: Tranſi hinc, &

Locutiones ad creaturas irrationabiles. Deut. 32. Ioſue 10. Eſai. 1. Matth. 17. & 21.

tranſibit,& nihil impoſsibile erit uobis. Item, Si habueritis fidem, & nihil hæſitaueritis,non ſolum de ficulnea facietis,ſed & ſi monti huic dixeritis,Tolle,& iacta te in mare,fiet.Non eſt igitur abſurda aut ſtulta huiuſmodi locutio, ijs qui habent fidē: Ait enim ipſe Do-

Mar. 9. minus.Omnia poſsibilia ſunt credenti. Deinde addit & hæc

Laicorum ſuperba iudicia de ſacris. Laicalia infidelitatis & ſenſualitatis argumenta.

Fatuitas eſt(inquit) *ſupra omnem fatuitatem,ſic loqui ad mutam & mortuam creaturam,tanquam ipſa habeat aures & audiat: Immo quaſi ipſa ualde bene intelligat latinum,& quemlibet ſermonem.*

Hęc audientes ſuperbi Laici,qui non habent exercitatos ſenſus

Heb. 5. in uerbo Dei,& quibus lacte opus eſt, nō ſolido cibo(ut ait Apo-

1 Cor. 3. ſtolus) ſtultiſsime credunt ita eſſe: & propter ſuperbam iudicij ſui temeritatem, merito ſic exuuntur & priuantur fide maiorum noſtrorum, in reprobum ſenſum traditi, ut nihil uirtutis ineſſe credant uerbis et benedictionibus,quibus utitur ſacerdos per inuocationem Dei & nominis Ieſu Chriſti in exorcizando. Sed ſecundum ſtultitię ſuæ ſenſum iudicant, non altius quam oculis uident. Cunq; uirtutē ſupernaturalē,quę per uerbum Dei operatur in huiuſmodi creaturis inanimatis,oculis corporeis non uideant,ſtulta infidelitate pro figmento & ludibrio habēt, quicquid per tremendam inuocationrm Dei,et per nomen Ieſu Chriſti ibi agitur:Non

Falſa fides de uerbo Dei. conſyderantes,necq; credentes uerbo Dei(de quo tamen uaniſsime ſeſe iactitant impudenti ſtultitia, tanquàm in eo magis ſint docti & illuminati,quàm ſunt omnes apud Catholicos Theologiæ Do-

Pſal. 32. ctores) Tametſi ſcriptum eſt. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Non eſt igitur ibi conſyderanda natura,aut propria uirtus ſalis & aquæ, ſed uirtus Dei &

Matth. 21. fides credentiū. Ait enim ipſe Saluator noſter in Euangelio.Om-

Luc. 8. nia quæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis.Cunq; de huiuſmodi uirtute dubitarēt in naui,timentes ſibi à fluctibus maris & tempeſtate exorta diſcipuli eius, increpans eos ait. Vbi eſt fides ueſtra? Illi autem timentes mirati ſunt adinuicem, dicētes.Quis putas hic eſt,quia & uentis & mari imperat,& obediunt ei. Si hæc legeret incredulus Iudæus aut Gentilis,nonne poſſet ſimili procacitate(quali nunc nobis illudunt increduli Lutherani)dicere.Nunquid aures habuerunt, & uerborum Hebraicorum intellectum, uenti & mare,ut audirent ac obedirent ſic imperanti? Quantum uero poſsit uera fides, pulcherrime declarat Optatus, Epiſcopus

Optatus lib. 5. quondam Mileuitanus, aduerſus Parmenianum Donatiſtam,tribus præcipue exemplis,ex Euangelio:utpote Mulieris Chananeę

Centurionis,

Centurionis,& Mulieris fluxũ ſanguinis grauiter patientis. Hunc ego Authorem nuper, Deo propicio, inuentum, ex Bibliotheca Cuſana, in lucem produxi. Tertio. Rurſus illudit nobis incredulus iſte concionator,& ait.

Quaſi uero ſal aut aqua liberum habeat arbitrium, ſicut habent Angeli & homines, & ſitum ſit in eius poteſtate, an uelit necne Diabolũ expellere & alia facere: ſuper quibus adiuratur.

Sed aucarum prędicator iſte (uti appellabat eum D. Io. Eckius, Doctiſsimus Theologus & Philoſophus) qui per hæreſim fidẽ amiſit, non intelligit, quia non credit, attendi hic non propriã uirtutẽ & naturã ſalis & aquæ, ſed uirtutem ſupernaturalem, quam habent ex inuocatione omnipotentis Dei,& per nomẽ Ieſu Chriſti, quod etiã Diaboli credunt (ut ait S. Iacobus)& contremiſcunt. Hanc autem uirtutem non intelligunt nec ſentiunt infideles hæretici. Quia ſcriptum eſt in Eſaia. Si non credideritis, non intelligetis. Et in Euãgelio legitur de ipſo Domino, ſecundũ Mattheũ: Quod in patria ſua non fecit uirtutes multas, propter incredulitatem eorum: Quin etiam apertius apud Marcum legitur, quod non poterat ibi uirtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit,& mirabatur propter incredulitatẽ eorum. Item, Cum diſcipuli eius non poſſent Lunaticum curare, & à dęmonio liberare, interrogauerũt Ieſum, qui dæmoniũ illud eiecit, Quare nos nõ potuimus eijcere? Dixit illis Ieſus. Propter incredulitatem ueſtram. Nemo igitur miretur, quod apud incredulos hęreticos benedictio ſalis & aquæ non eam habet uirtutem, quam habet in Eccleſia Catholica: quia fit hoc propter incredulitatem eorum. Vnde fit adhuc hodie in Bohemia (ſicut narrauit mihi olim inſignis Concionator Miſnenſis, Nicolaus Puſcherus) quod aqua benedicta apud ſchiſmaticos non habeat ibi uirtutem, ſicut apud Catholicos. Quare aliunde affertur ad illos, quia in templis eorum fiat ſtatim putrida & fœtida, ſi non fuerit à Catholico ſacerdote benedicta. De qua ſane benedictione ita ſcripſit S. Martyr Alexander Papa I. Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi, ſanctificentur & purificentur. Quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis uitulæ aſperſus ſanguine, populum ſanctificabat atq; mundabat: multo magis aqua ſale aſperſa, diuiniſq; precibus ſacrata, populum ſanctificat atq; mundat. Ecce S. Martyr, ritũ hunc (quem nouus iſte Chriſtianus, poſt tot ſæcula impium & Idolatricum dicit) etiam ſcripturæ probat teſtimonio, & quidem argumento à minori, ſciens nouum Teſta-

Increduli hæretici.

Iac. 2.

Eſa. 7.

Matth. 13.

Mar. 6.

Matth. 17.

Cur nihil uirtutis habeni ſal & aqua benedicta apud ſectas.

Epiſtola 1.

Num. 19.

Heb. 7. mentum perfectius eſſe quàm uetus, ut ait Apoſtolus. Quarto Nugatur amplius infidelis Concionator iſte plebiſq; ſeductor impius, & ait.

In ſcripturis nuſquam reperiri, quod ullus uere fidelis homo præſumpſerit aut attentauerit, á mundi uſq; initio, adiurare ullum hominem, niſi eum, cuius ipſe fuerit in eo caſu ordinarie Dominus & ſuperior.

Virtus adiurandi creaturas inanimatas. At ſi quis interroget Concionatorem iſtum, ubi nam ſcriptum ſit hoc ſomnium eius, quod nemo poſsit aut debeat adiurare ullum hominē, niſi ſubditū ſibi ordinaria poteſtate, Quid rogo reſpondere poterit? Adiurauit Solem & Lunā Ioſue. Sol (inquit) contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Hailon. Quid quæſo iuris

Ioſue. 10. aut poteſtatis in Solem & Lunam habuit Ioſue? Quis dedit aures Soli & Lunæ, ut audirent & obedirent uoci & Imperio hominis iſtius? Et quod amplius eſt, ita ſubditur in textu. Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente Domino uoci hominis, & pu-

Eſai. 38 gnante pro Iſrael. Cunq; obijceretur contra hoc illud Eſaiæ, quod reuerſus ſit Sol X. lineis, hocq; maius eſſe miraculū diceretur, quàm quod Sol ſteterit. Reſponſum legitur, quod illud factum ſit ad iuſ-

Deut. 32. ſum Dei: Hoc autem ad uerbum hominis. Dicat præterea, ſi poteſt, Somniator iſte, Quo nam iure ſubiecti fuerint cœli, uoci & Imperio ſeu poteſtati Moyſi, quādo dixit eis, Audite cœli, quæ loquor.

Deut. 4. et 30. Item bis dixit idem. Teſtes inuoco hodie cœlum & terram. Et in Euangelio quid obſecro iuris aut poteſtatis ordinariç habuit in Ieſum (in cuius fœmore ſcriptum eſt, Rex Regum, & Dominus Do-

Apoc. 19. minantium) impius Pontifex Caiphas, quando dixit ei, Adiuro te

Matth. 26. per Deum uiuum? Et quod longe amplius & clarius contrarium eſt huic Somniatoris ſententiæ, in Euangelio Marci ſic habetur

Mar. 5. ſcriptum. Quid mihi & tibi eſt I E S V, fili Dei altiſsimi, Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Nunquid in Ieſum filium Dei altiſsimi

Ioan. 14. aliquid iuris aut poteſtatis habuit Diabolus? At negat hoc ipſemet Dominus, dicēs. Venit enim princeps huius mundi, et in me non habet quicquam. Quinto. Nugatur rurſus, non ſolum contra ſenſum cōmunem & certiſsimam rerum experientiam, totiusq; Eccleſię practicam: ſed etiam contra Euangelium et uerbum Chriſti ipſius, impudens iſte Pſeudopropheta, dum ait.

Magnam eſſe differentiam inter miraculum & benedictionem, Atq; inter ſimplex præceptum et adiurationem. Adiurationem enim faciūt (inquit) ſolummodo increduli Iudæi, et ſuperſtitioſi Chriſtiani.

Sed ubi ſunt hæ nugæ eius ſcriptæ? Nonne ex utroq; Teſtamento produximus iam ſupra multa adiurationis exempla, pia &

ſcripturis

ſcripturis probata? Antiquiſsima profectò ſunt teſtimonia de libris Salomonis in hiſtoria Regum. Inter quos numerantur à Ioſepho etiam libri Exorciſmorum ſeu adiurationum, libro Octauo de antiquitatibus. Etenim ſacra Regum hiſtoria ſic breuiter ait. Locutus eſt quoq; Salomon Tria Millia Parabolas, & fuerunt carmina eius Quinq; Millia &c. Ioſephus autem clarius & prolixius iſta commemorans, hæc quoq; ſuperaddidit. Prȩſtitit (inquit) Deus etiam ei, ut contra dæmones artem, ad utilitatem hominum & eorum curas ediſceret. Et incantationes inſtituit, quibus ægritudines ſoleant mitigari. Modum autem Coniurationum, quibus obſtricti dæmones, ne denuo redeant, effugantur, inuenit. Et hæc cura hactenus apud nos (inquit) multum præualere dinoſcitur. Vidi enim quendam Eleazarū de gente noſtra: præſente Veſpaſiano & eius filijs & Tribunis, alioq; ſimul exercitu: curantem eos, qui à dæmonibus uexabantur. Hæc & id genus plura Ioſephus. Quibus aſtipulari uidentur in Euangelio hȩc uerba Chriſti. Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij ueſtri in quo eijciunt? Ideo ipſi Iudices ueſtri erunt. Si autem ego in ſpiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in uos regnum Dei &c.

3. Reg. 4. Ioſephus de Antiqui. lib. 8. c. 2.

Matth. 12.

Falſa igitur & impia eſt hæc de Exorciſmis & adiurationibus Concionatoris huius calumnia, quod ſolummodo incredulis Iudæis & ſuperſtitioſis Chriſtianis conueniăt. Conſtat enim ex Euăgelio, Diſcipulis datam eſſe à Chriſto poteſtatem eijciendi dæmones, & eam poteſtatem adhuc hodie tradi ab Epiſcopo in ſolenni & conſueta Clericorum ordinatione. Exorciſtis, non noua adinuentione: ſed antiqua Eccleſiæ traditione, quam ab ipſo Chriſto & Apoſtolis eius accepit, & per tot ſæcula in perpetua praxi & conſuetudine obſeruauit. Etenim Chriſtus conuocatis XII. Apoſtolis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem. Poſt paſsionem autem ſuam aſcenſurus ad patrem, iterum dixit generaliter. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eijcient. Hinc in Quarto Concilio Carthaginenſi (cui etiam S. Auguſtinus interfuit) ſtatutum eſt in hæc uerba. Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi: dicente ſibi Epiſcopo. Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum, ſiue baptizatum ſiue Catechumenum. Et hæc forma & conſuetudo ordinandi Exorciſtas, hoc eſt, Adiuratores, adhuc hodie obſeruatur in Eccleſia ab omnibus Epiſcopis Catholicis. Quo igitur iure præſumit Trigamus ac perfidus iſte Presbyter, contra tot Euangelij & omnis Ec-

Matth. 10.

Mar. ult.

Diſt. 23. In Decretis c. Exorciſta.

cleſiæ iura & teſtimonia, ſuadere nunc deceptæ ac male faſcinatæ plebi, ne obediat mandato Auguſte tuo, quod INTERIM uocant, eò quod in eo antiqua hæc Eccleſię conſuetudo approbatur, & aboleri prohibetur. Sexto, Iterum ſine uerbo Dei blaterat Nugator iſte ad plebem ſeductam, In hæc uerba.

Quicunq; Diabolum adiurando uult cogere, is facit eum probum & ueracem, tanquam iusiurandum ſeruet. Qui enim dicit, Adiuro te, is nō amplius dicit, niſi, facio te iurare, aut iuramentum à te exigo, aut admoneo te tui iuramenti. Et facit per hoc Chriſtum mendacem, tanquam is iniuriam fecerit Diabolo, ubi dixit eum eſſe mendacem. Si enim mendax eſt, nullum ſeruat iuramentum.

Deceptor plebis. Hæc Germanicus iſte Rhetor ſatis callide, ad decipiendum imperitum uulgus. Sed maligne fallit, dum ueris falſa permiſcet, & figmētis ſuis uera ex ſcripturis interſerit. Quod indocti Laici non intelligunt nec conſyderant, ſed temere credunt abſq; iudicio, fallacibus eius ſermonibus irretiti & circumuenti, ac ſtatim ſequuntur ſeditioſum hoc ſcriptum eius. Sicut ſcriptum eſt in prouerbijs (Prouerb. 7.) de ſtulto iuuene, qui garrulam & uagam quietiſq; impatientem ſequitur meretricem, quaſi bos ductus ad uictimã, & quaſi agnus laſciuiens & ignorans, & neſcit, quod ad uincula ſtultus trahatur, donec trãſfigat ſagitta iecur eius: Velut ſi auis feſtinet ad laqueum, (Ioan. 8.) & neſcit, quod de periculo animæ illius agitur. Verum quidem eſt, quod Chriſtus de Diabolo dicit. Mendax eſt & pater eius. Reliqua autem huius Paralogiſmi uerba, non ſcripturæ, ſed deceptoris commenta ſunt. (Mendacia de Diabolo.) Vbi enim ſcriptum habetur, quod adiurans Diabolum, facit eum probum & ueracem? Quæ item ſcriptura dicit, quod Adiuro te nihil aliud ſit, quam facio te iurare, aut iuramentum à te exigo, aut admoneo te iuramēti tui? Sed nec illa ſunt ſcripturæ uerba, Chriſtum eſſe mendacem, quod dixit Diabolum eſſe mendacem. Nec iſta, Si mendax eſt Diabolus, nullum iuramentum ſeruat. Omnia hæc fraudulenta ſunt figmenta peruerſi & in reprobum ſenſum dati Sophiſtæ, qui Maieſtati tuæ præclaram & hactenus obſeruantiſsimam ciuitatem manifeſte rebellem, & Ordinationi tuæ ſeditioſe contradicentem facere cupit, Qui breui ueritatis unico dicto (Diabolus eſt mendax) tot admiſcet & palliat ſophiſmata falſitatis. Nemo enim Catholicorum adiurat Diabolum, ut eum faciat probum & ueracem, ſed ut Deo ſubſit, & imperium eius agnoſcat. His enim, & ſimilibus uerbis uexatur, increpatur & flagellatur in Exorciſmis noſtris. Ergo maledicte Diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo uiuo & uero: (Quomodo exorcizatur Diabolus.)

Da

Da honorem Ieſu Chriſto filio eius & ſpiritui ſancto, & recede ab hoc famulo Dei &c. Item, Exorcizo te immunde ſpiritus, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat, maledicte ac damnate, qui pedibus ſuper mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Hi ſunt efficaciſsimi Exorciſmi noſtri, quibus inſultamus & increpamus, atq; expellimus Diabolũ quotidie quãdo baptizamus.

Quin etiam ſcio ſacerdotem Catholicum in confinibus Poloniç, mihi familiariſsime notum, qui cum non haberet librum Exorciſmorum alium quàm eum, qui uulgo Agenda dicitur, uſus eſt fiducialiter Exorciſmis, quibus circa baptizandos utimur, & per eos liberauit iuuenem quendam ſuæ Parochiæ, cui propria mater ita maledixerat, ut à Diabolo obſeſſus, uerſus fuerit in furorẽ, omnibus uicinis ei compatientibus, & opem Exorciſmi à ſuo paſtore flagitantibus. Facta ſunt hæc ante Sex annos, dum reſiderem Vratiſlauiæ, & collatio illius Eccleſiæ Parochialis ad ius meum pertineret. Quid obſecro effecerunt omnes Lutherani, qui Exorciſmos contemnunt & calumniantur? Hic autem ſacerdos, quia habuit fidem, potuit uiolentum ab obſeſſo iuuene expellere Diabolum: Iuxta illud Euãgelij. Omnia poſsibilia ſunt credenti. Hçreticis autem propter incredulitatem eorum nihil talium effectuum conceditur, ut dictum eſt ſupra. Nec admittimus confictã expoſitionem, de adiurando, quod nihil aliud ſit Adiuro, niſi facio te iurare, aut iuramentum à te exigo, aut tui te admoneo iuramenti. Vbi enim habetur in ſcripturis hæc expoſitio? Quis autẽ exigat iuramentum ab inanimatis creaturis? Nec legitur Saul Rex à populo iuramentum exegiſſe, quando adiurauit eum in hoſtium ſuorum perſecutione, dicens. Maledictus uir, qui comederit panem uſq; ad ueſperam. Nec Dæmon à Chriſto, quando dixit. Adiuro te, ne me torqueas. Nec ſponſus Eccleſiæ à filiabus Hieruſalem, quãdo dixit. Adiuro uos filiç Hieruſalem per capreas ceruoſq; camporum. Nec S. Briccius Epiſcopus ab infante 30. dierũ, quando dixit ei. Adiuro te, ut dicas ſi ego te genui &c. Ita nec à ſale aut aqua exorcizata iuramentum requirere neceſſe eſt, ut falſa uult expoſitio Deceptoris. Nec opus eſt, Diabolum ſemper & in omnibus dictis ſuis mentiri, licet recte ac uere mendax à Chriſto dictus ſit. Non enim mentitus eſt quando dixit Domino. Tu es filius Dei &c. Septimo, Filius iſte infidelis, perfide contra uerbum Dei dimittit legem matris ſuç: tãta ſane cum impietate, ut longe petulantius ac malignius, quàm fecit Cham patri ſuo, conetur matri ſuç uerenda detegere, et per ſceleratas calumnias alijs illudenda præbere atq; exponere. Proinde merito

Recens exemplũ Exorciſmi per Catholicũ ſacerdotem.

Mar. 9. Matth. 17.

1. Reg. 14.

Mar. 5.

Can. 2.

Mar. 3.

Prouerb. 6.

Geneſ. 9.

merito ac ueraciter contra illuſores & cachinnatores illos, ipſa cum

Pſal. 7. Dauid conqueri ac dicere poteſt. Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Et cum pa-

Iob. 30. tientiſsimo Iob. Nunc autem derident me iuniores tempore, filij ſtultorum & ignobilium, & in eorum canticum uerſa ſum, & facta eis in prouerbium. Abominantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non uerentur. Ait ergo.

Calumniæ. *Vltra hæc omnia eſt ibi Idolatria, quia ſal & aqua habentur pro ſaluatore, qui eſt Dei filius. Is enim ſolus facere poteſt, quicquid apud ſal & aquam quæritur. Chriſto quoq; ſuus eripitur honor, & ſali atq; aquæ impenditur. Aſſumitur præterea in his nomen Dei & alia uerba in uanum & falſo. Quod Deus non dimittit impunitum. Non enim alius eſt ſaluator, niſi Chriſtus filius Dei, qui Deus eſt: ſicut ſcriptum eſt Eſaiæ. XLIII. Ego ſum Dominus, & non eſt abſq; me Saluator.*

Hæc iſte. At ſi quis inſpiciat uerba Exorciſmi, nihil horum criminum ibi inueniet, ſed ſanctæ ſunt ibi adiurationes per tremēdum nomen Dei, & inuocationes Dei per dulce ac uenerabile nomen ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſuper creaturam ſalis & aquæ, ut uirtutem cōtra immundos ſpiritus accipiat, non per Iouem aut Martem, alioſue deos falſos & alienos: ſed per Deum uerum & per inuocationem Ieſu Chriſti, cuius nomen eſt ſuper omne nomen, ut

Phil. 2. in nomine eius omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, ut ait Paulus Apoſtolus. Cui conſonat Princeps Apoſtolorū Petrus, ita dicens. Et non eſt in alio aliquo ſalus: Nec enim

Act. 4. aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos

Exorciſmus ſalis et aquæ per nomē Ieſu. ſaluos fieri. Nos igitur in hoc nomine & per huius nominis inuocationem, exorcizamus, benedicimus & ſanctificamus iſtas Dei creaturas. Sicut docuerunt & tradiderūt nobis Apoſtoli & ſancti

1. Tim 4. Martyres Chriſti, Clemens, Alexander, Fabianus &c. Iuxta illud

Epiſtola 1. Pauli ad Timotheum. Sanctificatur enim per uerbum Dei & ora-

4. Reg. 2. tionē. Ita enim ait Alexander 1. Papa ſupradictus. Si ſale aſperſo per Heliſæum prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt: Quanto magis diuinis precibus ſacratus, ſterilitatē rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atq; mundat & expurgat: Et cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli auertit, & à phantaſmatis uerſutijs homines defendit? An uero huic Martyri et Pontifici Doctiſſimo non plus credendum eſt, ſcripturas allegantí, quàm huic Apoſtatæ, ſcripturam ſacram pro ſua impietate maligne peruertenti. Nihil eſt igitur ibi Idolatriæ, ſed ubiq; religioſa nominis ueri

Dei

Dei inuocatio: Sicut ex Iohelis prophetia docet idem Apoſtolus. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. *Iohel.2. Rom.10.* Ita enim docet nos Deus ipſe per Pſalmiſtam dicens. Inuoca me & honorabis me. *Pſal.49.* Itaque ſacerdos Exorciſmum ſalis & aquæ ſic exorditur. Adiutoriū noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Exorcizo te creatura ſalis per Deum uiuum, per Deum uerum, per Deum ſanctum. Quæ eſt, rogo, hic Idolatria? Addit exemplum Heliſæi prophetæ ex ſcriptura ſacra. Per Deum (inquit) *4.Reg.2.* qui te per Heliſæum prophetam in aquam mitti iuſsit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ. Ea autem ſanatio non tribuitur principaliter uel ipſi prophetæ, uel naturæ ſalis, ſed uirtuti diuinæ. Sic enim ait propheta. Hæc dicit Dominus, Sanaui aquas has, & non erit ultra in eis mors neque ſterilitas. Iuxta hoc exemplum ſacerdos ſal per Deum exorcizat et ait, Vt efficiaris ſal exorcizatus in ſalutē credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat ab eo loco, in quo aſperſus fueris, omnis phantaſia & nequitia uel uerſutia Diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus, adiuratus per eum, qui uēturus eſt iudicare uiuos & mortuos, & ſæculum per ignem Amen. Ecce in ſalutem credentium exorcizatur ſal, ut efficax fiat, non ex natura ſua, nec ex merito adiurantis: ſed ex uirtute Dei omnipotentis, per cuius nomē adiuratur, Quemadmodum ſtatim adiuncta teſtatur oratio. Sic & in Exorciſmo aquæ ait ſacerdos. Exorcizo te creatura aquæ, in nomine *Exorciſmus aquæ.* Dei patris omnipotentis, et in nomine Ieſu Chriſti filij eius Domini noſtri, & in uirtute ſpiritus ſancti: ut fias aqua exorcizata, ad effugandum omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare ualeas cum angelis ſuis Apoſtaticis: Per uirtutem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos, & ſæculum per ignem Amen. Quanta eſt *Blaſphema calumnia.* igitur Apoſtatici huius ſacerdotis, qui hæc omnia ſimul cum Miſſa & ſacro Canone calumnioſe reprobat, impietas & blaſphemia? dum nō ueretur nobis exprobrare Idolatriā, quod ita inuocamus nomen Domini, quod tremūt etiam impia Tartara. Idque facit per meras calumnias, & ſophiſticas argutias, ſine ſcripturarum authoritate. Non enim ex ſale aut aqua Deum facimus aut Chriſtum, ſed per orationem & inuocationem diuini nominis, petimus benedici & ſanctificari iſtas creaturas, ut talem uirtutem, quam ex natura non habent, per omnipotentiam Dei accipiant: Non ſane, ut abnegetur aut excludatur ibi Chriſtus, & ſal atque aqua pro Chriſto habeantur, aut in locū eius ſuccedant, Sicut ſceleratiſsime nobis falſo imputat iſte calumniator: Sed ut Chriſtus ipſe principalis

ſit

ſit ſanctificator, & eiuſmodi effectuum operator, hiſq; creaturis
ita per nomen ſuum ſanctificatis, utatur ut inſtrumentis per mini-
ſterium ſacerdotis. Sicut enim uere dixit de eo Ioannes Baptiſta.
Ioan.1. Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto: Ita nos quoq; recte credimus
& dicimus. Hic eſt qui ſanctificat huiuſmodi creaturas per uerbum
& orationem: Vtitur autem ex bonitate ſua, non ex neceſsitate, ijſce
creaturis & miniſterio ſacerdotis, ſicut & in Baptiſmo facit.

Exemplũ de Traiano contra Calumniatores. Reſcripſit olim Plinio ſecundo Traianus Imperator, Non eſſe
ſuorum temporum, recipere delationes contra Chriſtianos, ſine
inſcriptione nominis eius, qui deferret aut accuſaret. Quanto mi-
nus debet, obſecro, tuorum eſſe temporum, O fortiſsime Impera-
tor & Rex Catholice, ut permittas in & ſub Imperio tuo tam nefa-
rijs Calumniatoribus, tam ſeditioſos impioſq; & blaſphemos li-
bellos, ędere & in uulgus ſpargere: Quibus deferunt & palam ac-
Ioan.14. cuſant atq; calumnioſe criminantur, non certos Chriſtianos priua-
tim: ſed totam Eccleſiam Catholicam, & cum ea Chriſtum ſimul &
Matt. ult. ſpiritum ſanctum, qui cum ea manẽt uſq; in finem ſæculi, atq; adeo
in eternum: iuxta uerba ipſius Chriſti, in Euangelio expreſſa. Si
Traianus perſecutor & hoſtis publicus Chriſtianorũ, noluit pati,
ut delator in occulto abſq; nominis ſui inſcriptione certos deferret
Chriſtianos, quibus tamen propter diuerſam religionem infenſiſ-
ſimus erat: Quanto magis permittere non debet Maieſtas tua, ut
palam accuſetur tota Eccleſia Idolatriæ & blaſphemiæ in antiquiſ-
ſimis ritibus ſuis, quibus etiam ſub Gentilium & Idolatrarũ Impe-
rio uſa fuiſſe demonſtratur. Auguſtinus uir pijſsimus & doctiſ-
Regũm Chriſtianorũ officiũ. ſimus: etſi Donatiſtę longe minus peccarent in Eccleſiam, quàm fa
ciunt Calumniatores iſti ſeditioſiſsimi: in multis tamen epiſtolis in
nuit Regibus & ſæculari poteſtati, eſſe illorum officij, hæreticorum
ora calamoſq; reprimere, ne tantis cum ſcandalis Eccleſiæ fidem
23.q.4.c. Non inuenitur. oppugnent. Non inuenitur (inquit ad Vincentium Donatiſtam)
exemplum in Euangelicis & Apoſtolicis literis, aliquid petitum à
Regibus terræ pro Eccleſia, contra inimicos Eccleſiæ. Quis negat
Pſal.2. non inueniri? Sed nondum implebatur illa prophetia. Et nũc Re-
ges intelligite: Erudimini qui iudicatis terrã &c. Quomodo
ergo Reges ſeruiunt Domino in timore, niſi ea quæ
contra Domini iuſſa fuerint, religioſa ſeue-
ritate prohibendo atq; plectendo.

FINIS.

AD LECTOREM IOAN-NES COCHLÆVS.

Ecce pie & amice lector, quam multa noſtris: qui adhuc in hæreſi & ſchiſmate ſeditioſe perdurare, ac contra Dei ordinationem utriq; Poteſtati ſupremæ rebellare intendunt: propoſita & ex uarijs Bohemorum ſcriptis bona fide & pia intentione laborioſe collecta ſunt: Vt noſtri à pertinacia hac ſua deterreantur, aliorum ſaltem exemplis, & conſyderent, quantum periculorum immineat toti Germaniæ, ſi in ſuperbia ſua potentiſſimo ac uictorioſiſſimo Imperatori noſtro pertinaciter contradicere ac reſiſtere non ceſſauerint.

Verba Henrici Tockij Canonici Magdeburgenſis ad Pragenſes Anno Domini M.CCCC XXXIII. Ex lib. VII. Hiſt. Pagina 264.

Compatimur tibi ô Praga, uidentes quid nunc es. Tu ne es illa famoſiſſima, maximis & potentiſſimis ciuitatibus connumerata, uix paucis (ſi tamen aliquibus) ſecunda, multis prior in donis, & maior in Imperio, fide, deuotione, pace, concordia, rerum opulentia, ſeculari ac diuina ſapientia, & politica gloria floruiſti. Tu totius et cuiuslibet religionis Chriſtianæ exemplũ extitiſti. Quid autem nunc ſis, tu ſcis, & intra teipſam iudicabis &c.

Verba Ioannis Przibram Bohemi. Ex libro de iuſti belli conditionibus. Hiſt. lib. 6. Pag. 227.

O quantos numeros omnium mundi malorũ fecerunt, qui de Regno ordinantiſſimo, inter Mundi regna inclyto, uiliſſimam Oligarchiam & Tyrannidem cruentam effecerunt. Pro certo, intolerabilis proditionis nefas hi in hoc regnum commiſerunt, qui de hoc regno, tanquã de auro obryzo lutum ſanioſum fecerunt, & hortum deliciarum in hortum ſpinarum commutauerunt, ius & phas confuderunt, omnem ordinem a ſummo uſq; deorſum iactarunt &c.

Verba Ioannis Rokyzanæ, in Concilio Baſilienſi, ad Iulianum Card. Hiſt. lib. 6. Pag. 249.

Sperantes de Paternitate ueſtra, & ſuper hoc in Deo confidentes, quia manũ ueſtram in ulterius dirigetis: ut ea quæ ſunt ueritatis, legis Chriſti, immaculatæ iuſtitiæ, unionis ſanctæ & pacis, ſortiantur effectum, finem debitum & perſecutionem. Quatenus nos ipſi ſic conſolati, poſſimus ad propria remeantes, conſolari & eos qui ſunt in omni preſſura & anxietate, atq; graui oppreſſione per bella his in annis & diebus periculoſis, altrinſecus contra ſe mutuo continuata: Vt ſic reueniamus cum exultatione, afferentes manipulos gaudij, unionis, pacis & quietis &c.

Super omnia & præ omnibus conſyderent, precor, noſtri hæc diuinæ ſapientię uerba.

Time Dominum fili mi & Regem, & cum detractoribus ne commiſcearis: Quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſq; quis nouit? Prouerb. 24.

Finis horum opuſculorum, quæ diligenter excudit Franciſcus Behem Typographus, Apud S. Victorem prope Moguntiam, Anno Domini



Exemplum ueri Pelicanum cernis amoris
Qui reficit pullos ipſe cruore ſuos.
Sic amor eſt Chriſti, qui nobis ſanguine f